10
f-1
2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
17H B
29

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
22. c

10 — 4 — f. — 2.

9.3.47.
9
E
49

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS SAGITTARII

SS. THEOL. D. ET IN ACAD. SALANA HIST. P. P.

HARMONIÆ
HISTORIÆ
PASSIONIS
JESV CHRISTI

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LIBRI TRES.

IN QVIBVS NON MODO VNIVERSA

S. PASSIONIS HISTORIA

CVM SINGVLIS SVIS CIRCVMSTANTIIS

SECVNDVM

SS. EVANGELISTARVM DVCTVM

CVM CVRA EXPLICATVR

Sed etiam

VARIÆ QVÆSTIONES ET OBSERVATIONES

THEOLOGICÆ, PHILOSOPH. PHILOLOG. HISTORICÆ

Ex optimis quibusque Scriptoribus, Veteribus atque Recentioribus reſolvuntur & illuſtrantur.

OPVS

tam Theologiæ Cultoribus & Eccleſiæ Miniſtris, quam omnibus ſacrarum externarumque Antiquitatum Studioſis utile.

CVM VARIIS INDICIBVS.

LIPSIÆ,

Apud IOH. GROSSIVM & SOCIVM.

Google

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

DOMINO

JOHANNI GEORGIO

DVCI SAXONIÆ

IVLIACI CLIVIÆ AC MONTIVM

LANDGRAVIO THVRINGIÆ

MARCHIONI MISNIÆ

PRINCIPI COMITI HENNEBERGÆ

COMITI IN MARCA ET RAVENSBERG

DYNASTÆ IN RAVENSTEIN

DOMINO MEO

CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

SERENISSIMO PRINCIPI

AC DOMINO

D O M I N O

ANTONIO VLRICO

D V C I

B R V N S V V I C E N S I

AC

L V N E B V R G E N S I

D O M I N O M E O

CLEMENTISSIMO.

Digitized by Google

INCLVTARVM VRBIVM

LIPSIÆ

AC

LVNEBVRGI

PATRIBVS

DE REPVBL. OPTIME MERITIS

MÆCENATIBVS MEIS

GRATIOSISSIMIS

HANC

HARMONIAM HISTORIÆ PASSIONIS

CHRISTI

HVMILLIME ET OBSERVANTER

DICO AC DEDICO

CASPAR SAGITTARIVS D.

Digitized by Google

SERENISSIMI DVCES
DOMINI CLEMENTISSIMI

MAGNIFICI CONSVLES
AMPLISSIMI PRVDENTISSIMIQVE

SENATORES
MÆCENATES GRATIOSISSIMI.

Offero munus literarium: vile, ſi vires conſideretis donantis: majus, ſi illud animo ejus metiamini, humillima ac prom-

Google

promptiſſima voluntate: pene maximum dixero, ſi attendatis argumentum ſcriptionis. Quid enim SVMMIS PRINCIPIBVS, *quid aliis* PRÆCLARISSIMIS VIRIS, *CHRISTVM vere & ſerio amantibus vel gratius, vel convenientius dare poteram, quam CHRISTI patientis hiſtoriam? Tuam quis neſcit pietatem,* SERENISSIME IOHANNES GEORGI, *tot illuſtribus per omnem vitam documentis domi foriſque demonſtratam? Cui Tuus,* SERENISSIME ANTONI VLRICE, *ignotus eſt Numinis divini amor, tot dictis, factis, ſcriptis comprobatus? Cui non perſpectum eſt* LIPSIENSIS *ac* LVNEBVRGENSIS SENATVS *in amplificanda Dei gloria ſingulare ſtudium? Fortaſſe ſatis erat hanc ſolam attuliſſe cauſam inſtituti mei. Sed enim præterea compulſus ſum juſtiſſima admiratione ac debita æſtimatione ceterarum virtutum, tantis* DVCIBVS, *tam egregiis* CONSVLIBVS *ac* SENATORIBVS

dignis-

digniſſimarum. Edecumatam fortitudinem tuam militarem, SERENISSIME SAXONIÆ DVX, *exquiſitam regnandi prudentiam, excellens in variis artibus ac diſciplinis ſtudium, favorem adverſus doctos gratioſum, loquitur Europa, teſtatur Germania, prædicat Salana hæc Academia, magisque celebrabit, ſi quæ fuerit, poſteritas. Tuum ſi ingenium cogitem*, SERENISSIME DVX BRVNSWICO-LVNEBVRGENSIS, *Charites illud omnium elegantiarum rore imbuerunt. Si doctrinam; quas non artes ac ſcientias capaciſſima illa mente complexus es. Iam ſi prudentiam reſpexero, undique ea e mentis ſacrario, ubi habitat, elucet. Fraternam addo concordiam, multo magis re ipſa, quam nummo memorabili repræſentatam, & in exemplum orbis abituram. Veſtram vero dignitatem*, MAGNIFICI CONSVLES, SPLENDIDISSIMIQVE SENATORES, *ſi intueor, facile deprehendo,*

Doctrinæ, Prudentiæ & Eloquentiæ genium in illuſtrem illum locum Vos extuliſſe. Deniq; ſi benefacta veſtra repeto, DVCES MAXIMI; *& honorificam illam Spartam, & defenſionem contra malevolorum inſultus, ac alia ornamenta,* SERENISSIME DOMINE IOHANNES GEORGI, *& pro iis totum* TIBI *me debere libens meritoque profiteor. Quam autem gratioſe de ſtudiis meis ſentias,* SERENISSIME DOMINE ANTONI VLRICE *in honoribus meis Theologicis, clementiſſime demonſtraſti. Habeo & in ampliſſimo* SENATV LIPSIENSI *Mæcenates magnos optime de literis meis meritos. Cumq; Luneburgo natales debeam,* SENATVI LVNEBVRGENSI *acceptum fero tot beneficia & ab Ampliſſimo Ordine, & a plerisque Senatoribus frequenter in me collata. Æquum igitur erat devotiſſimam gratiſſimamque mentem libri hujus inſcriptione declara-*

re. Quamobrem accipite SERENISSIMI DVCES, AMPLISSIMI CONSVLES ET SENATORES *hanc Patientis CHRISTI hiſtoriam: quodq; Interpretis viribus defuit, clementiſſimo ac ſplendido veſtro patrocinio ſupplere non dedignemini.* DEVS OPT. MAX. VOS SERENISSIMI DVCES, *totius Germaniæ, ac Domus Saxonicæ itemque Brunſwico-Luneburgenſis commodo,* VOS MAGNIFICI CONSVLES, AMPLISSIMI SENATORES *veſtrarum civitatum emolumento, ſed & ſtudiis meis Hiſtorico-Theologicis diutiſſime ſalvos ac ſoſpites conſervet. Scribebam in Acad. Salana Kl. Februarii Anno* cIɔ Iɔc *LXXXIV.*

PRÆFA-

Digitized by Google

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

HArmoniam Hiſtoriæ Paſſionis CHRISTI Evangelicam Tibi ſiſto, Lector Benivole. Hic labor quomodo cœperit, creverit, ſuccreverit, ac poſt varia intervalla finierit, paucis ediſſerere conſtitui. Ex quo a B. Patre meo M. Caſpare Sagittario, V. D. in æde S. Johannis Luneburgi miniſtro fideliſſimo Lubecam miſſus, & potiſſimum Viri clariſſimi Henrici Bangerti, tum Prorectoris Scholæ Senatoriæ inſtitutioni fuiſſem commendatus, magna me invaſit voluptas penitius cognoſcendi ſtudia Philologica, & in his potiſſimum ſacras & externas antiquitates. Quod quidem deſiderium cum præter laudatum Præceptorem meum deprehenderent Bernhardus Krechtingius, & Iacobus Göttenius, alter ad primariam S. Mariæ ædem, alter in clauſtro monialium ad S. Iohannem optime meriti Eccleſiaſtæ, variis me juverunt modis, & ad cognitionem librorum ſelectorum manu quaſi duxerunt. Ac priori quidem eo me obligatum fateor magis, & dum vita erit, fatebor, quod ad aureæ excerpendi artis adyta facilem mihi per exempla Biblica, itemque Curtiana viam panderet, eoque fundamenta omnium illarum ſcriptionum, quæ a me ſunt editæ hactenus, & ſi me Deus ſervaverit, impoſterum edentur, poneret. Atque idem

 ille

ille Krechtingius quando per ſanctam Quadrageſimam ſingulis Sabbati diebus ſermones ad populum, qui frepuentiſſimus aderat, ex patientis JESU hiſtoria faceret, eosdemque variis Quæſtionibus ac Obſervationibus Philologicis ad captum tamen auditorii comparatis diſtingueret, a finitis orationibus relegere cœpi nonnullos ſcriptores, qui in hanc hiſtoriam fuerant commentati. Sic igitur initium feci ab *Harmonia* magni non hujus tantum Academiæ, ſed totius Eccleſiæ Evangelicæ Theologi, B. Johannis Gerhardi: cui mox acceſſerunt *Harmonia* Gerhardi Johannis Voſſii, celeberrimi inter Reformatos, & quæ ſumma laus eſt Viri, moderatioris Theologi, nec minus πολυμαθεςάτȣ Philologi & Hiſtorici: item que clariſſimi civis mei, tum Magdeburgenſis Lycei Rectoris, Danielis Claſenii *Exercitationes in Paſſionem Domini*, ut & reconditæ doctrinæ ICti Emundi Merillii in eandem *Paſſionem Annotationes* Helmſtadii recuſæ: ut alios ſingulares libellos, commentaria itidem in Evangeliſtas varia prætercam. Interea quod Voſſianus ille labor præ ceteris mihi placeret ſua methodo, in theſes certas earumque explicationes diviſus; ad hunc librum cœpi notare, quæ vel omiſſa, vel conciſius viderentur dicta, aut alio quovis modo ad illuſtrandam ſacroſanctæ Paſſionis hiſtoriam facerent. Hæ obſervationes cum ſubinde creſcerent, in ſchola Salfeldenſi, ad quam regendam anno octavo & ſexageſimo e patria fueram vocatus, una cum Voſſianis contraxi, ea ſcilicet fini, ut ibidem ad diſputandum propoſitis, & me

pſe

Digitized by Google

ipſe, & diſcipulos meos exercerem. Ceterum dum hoc ago, in illa incidi tempora, quæ me compulerunt ſcholaſtico ludo vale dicere, & in hanc Academiam migrare. Prius tamen id quàm fieret, de meis circa Paſsionem CHRISTI curis certiorem feci Sebaſtianum Niemannum, Profeſſorem hujus Academiæ Theologum celeberrimũ, & ſacrorum Ienenſium Antiſtitem ſupremum: qui, ex quo viderat priora primæ partis capita, auctor mihi erat, ut in propoſito pergerem ſtrenue, &, ſive ſub ſuis, ſive alterius Theologi auſpiciis theſes meas ad diſputandum proponerem, conſilium & auxilium, quin & libros ex publica ſuaque Bibliotheca locupletisſime pollicitus. His igitur parui monitis, annoque primo & ſeptuageſimo tempore quadrageſimali primam hujus Harmoniæ partem typis & ſumtibus Bauhoferianis exſcriptam Niemanno præſidio uſus, publico ſubjeci examini. Iam ſpes me habebat certa, fore ut & partes reliquæ propediem ſequerentur: & vero ut id agerem partim in hac Academia monebar aliquoties, partim per varias epiſtolas doctorum virorum tum in aliis Academiis, tum in inclytis civitatibus degentium incitabar. Iamq; etiam aliquousq; perrexeram in parte altera, cum varia meletemata, præſertim in univerſali quam vocamus hiſtoria in uſum juventutis ſtudioſæ in privatis collegiis propoſita a cœptis me revocarent. Ne tamen plane viderer reliquiſſe telam, ſubinde in ſingularibus quibusdam eo pertinentibus argumentis elaborans, in cathedram philoſophicam, adeoque examen ſolenne

deduxi anno CIↃ IↃC LXXII. *Rubram Jeſu Chriſti Chlamydem*, reſpondente Iohanne Lindovio, Revalia-Livono: *Coronam Jeſu Chriſti ſpineam*, reſp. Iohanne Holſtio, Flensburgenſi Holſato: ſequenti anno *Candidam Jeſu Chriſti veſtem*, reſp. Martino Gaue, Berlinate-Marchico: *Lanceam, qua perfoſſa latus Chriſti*, reſp. Philippo Langen, Francofurto-Marchico: ac an. CIↃ IↃC LXXIV. *Flagellationem Chriſti*, reſp. Ioh. Glück/ Auerbaco-Variſco. Quæ quidem diſſertationes licet tanti non eſſent, miror tamen a nonnullis doctis diſcendiq; cupidis eo æſtimatas, ut quæ ſuis impenſis typographus excuderat exempla, brevi diſtraherentur. At vero ab anno quinto & ſeptuageſimo, quo abexceſſu Boſii ἔπάνω publica Hiſtoriarum profeſſio a Sereniſſimis Saxoniæ Ducibus mihi demandata, ad annum usque octogeſimum, quieverunt propemodum hæ ſanctiores curæ: idq; quod ſpartam, quam nactus eram, unice contenderem exornare, ac ante omnia in illuſtranda Hiſtoria Germanica & Thuringica eſſem occupatus. Neque tamen nullam illis injecerunt remoram, quæ mihi cum Marco Schönmanno Ieſuita Eccleſiam orthodoxam Erfurtenſem ſuis ſcriptiunculis perturbante interceſſerunt lites Hiſtorico-Theologicæ. Et ſane ex quo illæ per ſilentium ac denique mortem adverſarii finitæ, poſtliminio reverſus ſum ad Harmoniam Hiſtoriæ Paſſionis Dominicæ, cui demum anno CIↃ IↃC LXXXII. extremam manum impoſui. Ante annum tamen ſuperiorem typographus in eo exſcribendo non fuit occupatus; ac tum paulo ante feſtum Paſchatos

in

in cathedra Theologica priores tres quaterniones per diſputationem publicam cœperunt diſcuti: quod item factum in ſequentibus nonnullis, ac porro id, Deo feliciter annuente, fiet in reliquis. Vt autem hic ipſe labor cedat in DIVINI Numinis gloriam, Eccleſiæ noſtræ commodum, ac juventutis Academicæ fructum, benevolus lector ſerio mecum precabitur. Humanam equidem ex his aliiſque ſcriptis gloriam non affecto, utpote non modo quam fragilis illa, ſed & pietati quam ſit plerumque inimica, conſcius: ac ſuffecerit talentum a Deo mihi creditum in uſus ſacros convertiſſe. Quod ad ipſam methodum attinet, ſanctorum quatuor virum Evangeliſtarum filum ſecutus ſum harmonicum; ſic tamen ut inprimis Voſſianis inſtiterim veſtigiis. Et hujus quidem verbis, præſertim in prima parte, atq; expoſitione longi illius ſermonis a CHRISTO ante paſſionem habiti & a ſolo S. Johanne deſcripti, non raro ſum uſus. Neque ſic tamen ita me cepit hujus viri amor, ut non aliquoties ab ejus ſententiis diſceſſionem fecerim. Hac enim me libertate tum in illo, tum in aliis doctiſſimis viris uſum, nemo mihi vertet vitio, qui, ſi ſacram Scripturam, libroſque Eccleſiæ noſtræ exceperim ſymbolicos, in nullius magiſtri verba juraverim. Sicuti autem meum diſſenſum aliquoties ſum teſtatus, ita ſi quis rectiora docuerit, ut quis a me diſſentiat, æquo feram animo. Cavillos modo deprecor & aculeata dicta, a quibus ipſe abſtinui ſollicite, Chriſtiano homine & his humanitatis ſtudiis cenſens indigniſſima. In rebus philologicis, ac antiquita-

tiquita-

tiquitatibus tam ſacris quam profanis quam maxime fuiſſe me occupatum, unusquisque lectorum deprehendet: ſic ut affirmare auſim, nullam vel quæſtionem vel obſervationem eo facientem, quæ quidem ad meam venerit cognitionem, facile a me fuiſſe prætermiſſam. Neq; unquam neglexi theologica, ſive theoriç, ſive praxi inſervientia, ac ea præcipue ipſis veterum Eccleſiæ doctorum dictis illuſtrare. Quod ſi aliquibus longiori quandoque uſus videar digreſſione, ii, velim, cogitent, mihi ab ineunte ætate amœnioribus literis imbuto non ſemper integrum fuiſſe cohibere calamum; quin imo quæ mihi collectione ac diſpoſitione jucunda, aliis non plane ingrata fore cogitavi. In quo ſi mea me fallit exſpectatio, facile quis talia fugitivo transmiſerit oculo, & ad alia ſcopo ſuo propius inſervientia reſpexerit. Ipſum opus in partes tres diviſum, in capita ſectum, ac ea rurſus in certas theſes fuere diſtributa: quod hanc formam præ oratione continua memoriæ juvandæ commodiorem deprehenderim. Nonnulla tamen capita, ac nonum imprimis partis II. longius excreverunt: cui rei, ſi vitam Deus dederit, alibi forſan medebor, ac tum corrigam, quas jam tum obſervavi hallucinationes meas, ac de quibus alii indicinam fecerint. Typographi ſphalmata non ipſi ſemper mihi licuit diſpungere, præſertim Rectoris Academici munere diſtento: & quia in ziphris dictorum S. Scripturæ talia obſervavi, non pigratus ſum ſingula denuò evolvere, ſi quid peccatum, corrigere: ac tum deniq; indicem ad hæc dicta conficere, qui, quod in hoc genere peccarunt operæ, partẽ aliquam reſarciet. Reliquos indices confecerunt aliquot ſtudioſi juvenes mihi inprimis dilecti: id quod propter indicem ſcriptorum hic habui monere, ne quis putet ſcilicet, per longum illum ſyllabũ me variæ lectionis gloriolam voluiſſe aucupari. Quamquam & in his indicibus eſt quod nonnunquam nos adjuverit, ſive ſcriptorum ignotorum venemur notitiam, ſive unius aut alterius expoſitionẽ moliamur. Atq; hæc fere ſunt, de quibus Lectorem admonere debui. Ego vero quamprimũ majus mihi fuerit ocium, hiſtoriam Reſurrectionis CHRISTI gemina methodo pertractare ſtudebo. Ita vale Lector Optime, meisque conatibus fave.

Digitized by Google

IN NOMINE CHRISTI
AMORIS MEI
CRUCIFIXI.

HARMONIAE
HISTORIAE PASSIONIS
JESU CHRISTI

PARS PRIMA
CAPUT I.
De Invidia Judæorum erga CHRISTUM, orta ex Lazari reſuſcitatione a morte, & primo Synedrii decreto de tollendo CHRISTO.

Joh. XI. v. 46. ſeqq.

I.

JESU CHRISTI Paſſio ſalutis noſtræ fundamentum eſt.

II. Hiſtoriam ſalutiferæ hujus Paſſionis in timore Dei conſiderare dum nobis eſt in animo, certa eſt opus methodo.

III. Non autem methodus nunc nobis viſa fuit meli-

Digitized by Google

melior, quam ſi agamus primo de iis, quæ proxime anteceſſerunt CHRISTI Paſſionem, & viam quaſi eo præpararunt: deinde ipſam contemplemur Paſsionem: quæ quidem in ſe potisſimum continet, qua ratione captus, condemnatus, & occiſus fuerit: ac denique ea, quæ conſecuta fuere Paſsionem, exponamus. Vnde omnis noſter labor in tres partes diſtinguetur.

IV. Quæ antecedunt Paſsionem Domini, alia ſunt inimicorum ad capiendum tollendumque CHRISTVM ſeſe præparantium: alia ipſius CHRISTI, tum diſcipulos, ut ſcandalum caverent, præmonentis, tum ad Paſsionem fortiter ferendam ſe ipſum munientis.

V. In iis enarrandis ſequemur temporis, quo quidque geſtum, ordinem, nec ad tria, quæ tetigimus, capita ſingula accurate revocabimus. Hoc pacto enim nexus rerum, & Harmonia Evangeliſtarum dilucebit melius.

VI. Quod igitur fauſtum felixque eſſe jubeat Deus O. M. a Synedrii decreto ordiemur: quando audita Lazari poſt quatridui exceſſum reſuſcitatione, cognitoque inde JESVM majori eſſe in honore apud populum, ex Cajaphæ ſententia decretum fuit factum de CHRISTO e medio tollendo.

VII. Poſtquam Lazarus, qui ante quatriduum deceſſerat, & in ſpelunca fuerat repoſitus, ad vocem & virtutem vocantis CHRISTI aſcendit ex ſepulchro; multi, qui viderant miraculum, in JESVM crediderunt: nonnulli vero maligni rem iſtam Phariſæis nunciarunt, qui propterea ſynedrium convocarunt.

IIX. Ju-

Digitized by Google

IIX. Judicia apud Judæos triplicis erant ordinis. *Triumvirale* primum erat, conſtans ex tribus viris, qui leviculis rebus dijudicandis erant præfecti. Alterum fuit *Synedrium minus*, tribus & viginti conſtans viris. Maximus conſeſſus fuit Judicum LXXI. dictusque fuit *Synedrium magnum;* quippe in quo de rebus maximi momenti agebatur.

IX. Quia Synedrio magno ut intereſſent *Seniores Populi* neceſſum erat, illorum autem hoc in loco S. Johannes nullam mentionem facit, ſed tantum Pontificum & Phariſæorum meminit, credibile nonnullis videtur, non magnum id fuiſſe, ſed minus, de quo nunc loquimur, ſynedrium. Alii autem, Synedrium majus fuiſſe, eique Seniores etiam populi, licet eorum expreſſa mentio non fiat, interfuiſſe exiſtimant.

X. Et hoc quidem primum eſt quatuor ad minimum conciliorum, quæ propter CHRISTVM fuere convocata: Coactum autem fuit ante *magnam*, quam ita nuncupant Theologi, *hebdomadam:* ac datum tum mandatum, ut ſi quis noſſet CHRISTVM, indicium faceret, quo poſſet comprehendi.

XI. Princeps tum temporis Synedrii erat Cajaphas, qui ſatius eſſe ſtatuit, ut pereat JESVS, quam totus interiret populus.

XII. Non aſſentimur illis, qui hoc effatum profectum eſſe volunt ex prudentia, quæ πολιτικὴ vocatur, quæque ea dictitat conſilia, non quæ in ſe honeſta ſunt, ſed quæ in ſumma Reipubl. ſalute ſumma flagitat neceſſitas.

XIII. Verum DEVS ita Pontificis populi principatum tenentis lingvam direxit, ut licet malus ſentiret

Digitized by Google

male, bonum tamen, etſi non bene, diceret; cumque crudeliter appeteret innocentis mortem, idem myſterium redemtionis prædiceret.

XIV. Bene in hunc ſenſum Ambroſius: In Pſalm. CXIIX. Serm. XV. *Siniſtro qvidem dicebat animo; veruntamen gratia Spiritus S. uſa eſt ore illius ad prædicendum futurum, tametſi impollutum ejus cor non attigerit.* Idem Epiſt. XXXVII. *Non mireris infuſum auguri* (Bileamo) *a Domino, quid loqueretur; quoniam infuſum legis in Evangelio etiam Principi Synagogæ uni ex perſequentibus Chriſtum,* Quia oportet unum hominem mori pro populo, *In quo non Prophetiæ meritum, ſed aſſertio veritatis eſt, ut adverſariorum teſtimonio manifeſtaretur.* Et Hieronymus in cap. I. Jonæ: *Sicut in condemnatione Balaam aſina loquitur, & Pharao & Nabuchodonoſor in judicium ſui ſomniis futuro cognoſcunt: & tamen Deum non intelligunt revelantem: Caiphas quoque prophetat ignorans,* quod expediret unum perire pro cunctis.

XV. Non fugiebat autem Filium DEI omniſcium, quale foret, quod adverſum ſe ſanciverant Judæi. Propterea non ex metu, ſed quod ſciret, nondum adveniſſe horam ſuam, ſubduxit ſe in Ephraim, ſive, ut Vulgatus habet, in Ephrem civitatem, quam in deſertis ſtatuit B. Hieronymus.

XVI. Atque hæc prima eſt præparatio inimicorum CHRISTI, quæ mortem ejus anteceſſerit.

CAP.

CAP. II.

De CHRISTO, Ephrem egreſſo, mortem ſuam diſcipulis prædicente. Qua occaſione mater filiorum Zebedæi, una cum filiis petit ſesſionem ad dexteram & ſiniſtram CHRISTI.

Matth. XX. v.17. Marc. X. v.32.

I.

POſtqvam CHRISTVS imminere horam vidit, qua pro ſalute mundi mortem oppeteret, e latebris Ephraimi cum diſcipulis rediens Hieroſolymam tetendit. Id ob Paſchæ celebrationem videbatur agere: ſed verior erat ratio, ut ſeipſum, qui Paſchali agno hactenus ſignificatus eſſet, ibidem offerret.

II. Mirabantur diſcipuli, CHRISTVM non magis reformidare hoc iter, qui ſciret, quale decretum adverſus ſe feciſſent Proceres. Nihilominus magiſtrum præeuntem ſequebantur; quod caritatis erat: ſed ſequebantur cum timore, humanæ quod erat imperfectionis.

III. In hoc itinere cum vellet CHRISTVS arcana quædam de morte ſua communicare cum diſcipulis, eorumque animos adverſus imminentis crucis ſcandalum præmunire, egit cum iis, non quidem præſente turba; ſed κατ' ἰδίαν, hoc eſt, ſeorſim aſſumtis.

IV. Etſi vero jam tum aliquoties generatim prædixerat diſcipulis ſuam pasſionem, tamen id nunc facit diſertius, explicatius, perfectiusque.

V. Nimirum Hieroſolymis traditum ſe iri docet

Principibus Sacerdotum & Scribis, a quibus ſit ſiſtendus gentibus, ut illudatur, flagelletur, cruci affigatur & occidatur. Attamen ne ſola hæc diſcipulorum animos dejicerent, poſtea ad ſolandum eos ſubjungit, tertia ſe die reſurrecturum.

VI. Sed diſcipuli hæc non perceperunt: quia terrenum fore CHRISTI regnum alte adeo animis imbiberant. Non enim ſibi perſuadere poterant tam miſerabilem CHRISTI, quem prædicebat, ſtatum aliquid commune habere cum glorioſa illa Meſſiæ exſpectatione.

VII. Igitur Salome, uxor Zebedæi mater Jacobi majoris, ſive ſenioris, & Johannis Evangeliſtæ, cum audiret CHRISTVM brevi a ſe auferendum, ab eo liberis ſuis primas in regno Meſſiæ ſedes expetit.

IIX. Petitioni forte fundamentum fuit quod ſpecialius cum Petro deligerentur, & multis, ante ceteros honorarentur privilegiis affinitate quoque CHRISTVM contingerent.

IX. Quia Marcus hanc petitionem ipſis fratribus adſcribit, vix ullum dubium relinquitur, quin una cum matre primatum a CHRISTO flagitarint: niſi malis vel propterea illis hoc adſcribi, quod matrem ad hanc orationem induxerint.

X. Vt igitur matris & gnatorum faſtum retunderet CHRISTVS, & ex hoc facto provenientem reliquorum diſcipulorum indignationem reprimeret; docuit Salomen & liberos, in regno ſuo non ambitioſo, ſed demiſſo animo ad ſumma pertingi.

XI. Et ut a tam abſurda opinione eos revocaret, rogavit primo, an poſſent *calicem bibere, quem ipſe eſſet bibitu-*

Digitized by Google

bibiturus: id eſt, ſupplicium ſubire, quod ipſe erat perpeſſurus. Deinde ex eiſdem quæſivit: *an poſſint eodem, quo ipſe, baptiſmo baptizari.* Vbi itidem per baptiſmum deſignat ſuam paſſionem.

XII. Cum autem maxime id ſe poſſe, ex nimia ambitione & temeritate reſponderent, CHRISTVS promtitudinem illam patiendi amplexus acrioribus non caſtigavit eos verbis: ſed ita fore reſpondit, ut & ipſi eum calicem biberent, eodemque baptiſmo baptizarentur, hoc eſt, pro cœleſti veritate gravia ſubirent mala: & ſimul illud addidit: *Sedere ad dexteram & ſiniſtram meam non eſt meum dare, niſi iis, quibus paratum eſt a Patre meo.*

XIII. Non negat CHRISTVS, ſuum eſſe id dare; ſed ſolum negat, ſuum eſſe aliis id dare, quam quibus a Patre ſit paratum.

XIV. Tanta duorum fratrum ambitio bilem concivit reliquis diſcipulis ſimili ambitione laborantibus. Sed horum etiam arrogantiam ſolita lenitate CHRISTVS pertulit.

XV. Vt tamen & illos modeſtiæ commoneret, duo exempla proponit, unum, quod imitari non deberent, nempe regnum terræ, cum conditio regni cœleſtis longe alia ſit, quam regni terreni, hæcque duo regna diverſis gubernentur legibus, & in diverſos tendant fines: altero ſui ipſius, quem omnino oportebat imitari, ſi cum ipſo vellent regnare. Ipſe autem non ſe veniſſe dicit eo fine, ut ſibi miniſtretur ab aliis, ſed ut miniſtret, hoc eſt, utilitati aliorum inſerviat. Ita quoque, inquit, qui inter vos vult magnus eſſe, & a collegis ſuſpici, primoque loco haberi, is non ſollicitus ſit de πρωτοκαθεδρίᾳ, neque quo-

quomodo aliis dominetur, ſuaque auctoritate, quod viſum fuerit, præcipiat; ſed quomodo inſerviat, eorumque uſibus proſpiciat: ita enim fiet, ut ab iis & ametur, & colatur.

XV. Denique ſe in eum finem veniſſe dicit CHRISTVS, ut animam ſuam λύτρον pro multis daret.

XVI. *Multos* autem hoc loco non opponi *omnibus*, ſed tantùm denotare, quod omnes, pro quibus CHRISTVS mortuus eſt, non pauci, ſed multi ſint, conſtans eſt Theologorum noſtræ Eccleſiæ ſententia: quæ etiam ex dictis iſtis confirmatur, quibus Servator pro omnibus mortuus dicitur. vid. Rom. VIII. v.32. II. Cor. V. v. 15. I. Tim. II. v. 6.

CAP. III.

De aliis, quæ evenere in itinere illo Hieroſolymitano. Vt ſunt converſio Zacchæi, Narratio parabolæ de decem minis, totidem ſervis a viro nobili traditis, Viſus Bartimæo, & alteri cæco reſtitutus: præcipue vero de CHRISTO a femina inuncto ad pollincturam ſuam.

I.

PRæter illam Zebedæi filiorum ambitionem etiam alia ab Evangeliſtis memorantur, quæ in itinere contigerint, quod Hieroſolymam inſtituerat CHRISTVS cum diſcipulis.

II. Ex

Digitized by Google

II. Ex his primum eſt, quod CHRISTVS Hieri- *Luc. XIX.*
chuntem veniens, Zacchæum, publicanorum opulentum *v. 1.*
principem, hominem puſillæ ſtaturæ, ac id propter συκο-μωρέᾳ inſidentem, poſtquam ex arbore deſcenderat, ac CHRISTVM ita volentem hoſpitio exceperat, convertit.

III. Quidam e Patribus Zacchæum hunc gentilem fuiſſe arbitrati ſunt: ſed præterquam quod Servator eum Abrahami vocat filium, vel ipſum nomen, quod purum putum eſt Hebraicum, & inſontem & innocentem ſignificat, eos refellit. Nam hujusmodi nomina gentiles olim non ſoliti ſunt uſurpare.

IV. Alterum eſt, quod parabolam narrat de itinere *Luc. XIX.*
hominis nobilis decem ſervis totidem minas largientis, ac *v. 11.*
prout iis rem feciſſent, ita præmium vel pœnam cuique deſtinantis.

V. Scilicet cum indies viciniores redderentur Hieroſolymis, putabant diſcipuli CHRISTVM ibi velut in urbe regia regni ſui initium glorioſe facturum. Vt igitur opinionem iſtam eorum mentibus eximeret, & doceret, longe aliter eventurum, ac ipſi exiſtiment, oſtendit hac parabola, ſe non in vicina Jeruſalem, ſed in longinqua regione ac cœleſti regia regnum initurum, Judæis interim imperium detrectantibus. Interea vero, dum ipſe abeſſet, Apoſtolos aliosque Doctores miniſtros ſuos acceptis donis negotiationem iſti regno congruam exercere debere, usque quo ſub finem mundi rediret, fidelibus miniſtris regni ſui conſortiū communicaturus, in ignavos vero ſervos animadverſurus, & rebelles ſevere vindicaturus.

VI. Significatur item hac parabola, eos etiam, qui donis gratiisque a DEO acceptis non utantur, nedum qui abutantur, juſto DEI judicio illis privandos eſſe; contra vero qui recte utantur, augmentum accepturos.

Digitized by Google

VII. Poſtea Hierichunte (quæ urbs Joſepho teſte diſtabat Hieroſolymis CL. ſtadiis, hoc eſt, XX. milliaribus) egreſſus, duos a cœcitate liberavit, ut eſt apud Matthæum c. XX. v. 30. Marcus tamen c. X. v. 46. nonniſi unius, nempe Bartimæi meminit; quod is notior eſſet & celebrior.

VIII. Tandem vero ſex ante Paſcha diebus in Bethaniam venit CHRISTVS.

IX. Bethaniæ CHRISTVS a femina inunctus eſt: quod, quia ad pollincturam ſuam ipſe refert, merito nos quoque ad ea retulerimus, quæ ad Paſſionis Dominicæ præparationem pertinent.

X. CHRISTVM priusquam pateretur, a femina fuiſſe unctum, ab omnibus narratur Evangeliſtis: a Matthæo c. XXVI. v. 7. a Marco c. XIV. v. 3. a Luca c. VII. v. 38. a Johanne c. XII. v. 3. Sed ſemel ne, an bis, an ter, an quater id contigerit, eſt in controverſia.

XI. Longius aberrant, qui quater CHRISTVM inunctum eſſe cenſuerunt a diverſis quatuor feminis. Nam Matthæum & Marcum eandem narrare hiſtoriam, luce meridiana clarius eſt.

XII. Sed ut iſti peccant multiplicando numerum mulierum, ita quoque videntur ceſpitare, qui ita feminarum numerum imminuunt, ut de unica muliere quatuor Evangeliſtas loqui autument, quam Mariam Magdalenã fuiſſe Baronius, aliiq; Doctores Pontificii contendunt.

XIII. Qui Eccleſiæ auctoritate propugnant hanc ſententiam, quid faciunt aliud, quam quod ſanctum Eccleſiæ nomen proſtituant? Hæc enim nunquam ſibi ſumſit in Philologicis ejusmodi quæſtionibus exercere tyrannidem. Tum vero nec in ullo Concilio hæc quæſtio eſt agitata, nec de ea canon ullus, aut ulla alia Eccleſiæ deter-

ter-

Digitized by Google

terminatio fuit propoſita: imo multi priſcæ Eccleſiæ Doctores, ac inter hos Clemens Epiſcopus Romanus, Origenes, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Macarius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Bernhardus, contrarium ſtatuerunt, & defenderunt.

XIV. Nec audiendus eſt Lyranus, qui hunc Eccleſiæ conſenſum a S. Gregorio derivat: quod is in libris Ritualibus ejus opinionis fuerit. Nunquam enim Gregorio Magno, viro ſanctiſſimo & modeſtiſſimo fuit animus, opinionem ſuam in rebus ejusmodi pro lege inviolabili Eccleſiæ obtrudere.

XV. Qui argumentis huic opinioni fidem volunt facere, putant Johannem, qui cap. XI. v. 2. Mariam ſororem Lazari & Marthæ ab unctione CHRISTI deſcribit, hac deſcriptione minime fuiſſe uſum, ſi plures mulieres pedes Domini inunxiſſent: neque enim lectorem, de qua e multis loqueretur, tum potuiſſe intelligere.

XVI. At primo nondum eſt evictum, Johannem eo loci accuratam Mariæ deſcriptionem inſtituere: nec deinde prono fluit alveo, ſi plures mulieres unxere CHRISTVM, incertum ab Johanne lectorem dimitti. Nam illa altera, de qua potiſſimum ambigitur, Luc. VII. Maria non dicitur, ſed ſolo inſignitur peccatricis titulo: hæc Maria nominatur, Lazari & Marthæ ſoror eſſe dicitur, pietas denique illius ubique laudatur. Sufficiunt hæc mulieri denotandæ in tanta præſertim Evangeliſtarum in narrationibus ſuis ſimplicitate.

XVII. Sed negant alii, notam hanc debuiſſe peti ex poſtfacto: ac proinde omnino hanc eandem eſſe cum illa muliere, cujus hiſtoriam narrat Lucas: recte enim ab eo, quod ante geſſerat, deſcribi Mariam, non ab eo, quod

Digitized by Google

poſtea fecit, & capite ſequenti ab eodem Johanne deſcribitur.

XVIII. Hæc objectio majoris eſſet ponderis, niſi ejusmodi anticipationes crebro in ſacris literis occurrerent. Vnde præteritum *unxit*, non ad tempus rei geſtæ, ſed ad tempus, quo Evangelium ſcribebat Johannes, referri debet: ut ſenſus ſit: *Hæc eſt Maria, quæ poſtea unguentum effudit, cujus cauſa murmur exortum eſt inter diſcipulos.*

XIX. Hæc argumenta quæ refellimus, etiamſi a Baronio, & aliis Pontificiis Doctoribus iis accenſeantur rationibus, quibus Mariam Magdalenam, & peccatricem illam Lucæ unam & eandem fuiſſe contendunt: nos tamen ab iisdem diſcernere volumus, quod generatim, ſi quod in illis eſſet robur, uſurpari poſſent pro ſtabilienda de una unctrice ſententia, licet ad Mariam Magdalenam reſpectus nullus habeatur. De his enim argumentis poſtea videbimus.

XX. Ter inunctum eſſe CHRISTVM, idque a tribus mulieribus, Origenis eſt opinio *in Matthæum. Homil. XXXV.* eumque ſecutus hac parte Theophylactus & Euthymius. Primumque unctum credunt a muliere peccatrice ignoti nominis: eam habitaſſe in Galilæa: factumque in domo Simonis Phariſæi, idque multo ante paſſionem. Ac de hac unctione ſolum loqui Lucam. Iterum vero inunctum eſſe a Maria, ſorore Lazari, ac Marthæ, ſex diebus ante Paſcha. Ac de iſta ſolum agere Johannem. Denique unctum eſſe a muliere ignoti nominis, biduo ante Paſſionem, in Bethania; idque in domo Simonis leproſi. Ac eam unctionem recenſeri a Matthæo & Marco.

XXI. Hanc qui ſententiam ſequuntur, eo ſe tuentur,

Digitized by Google

tur, quod illa quæ Matthæus & Marcus referunt, non conveniant cum iis, quæ narrat Lucas; atque itidem hic abeat ab illis, quæ legere eſt apud Johannem. Nam, inquiunt, prima quidem unctio, quam Lucas enarravit; ac ſecunda, quam Johannes expoſuit; in eo hactenus conſentiunt, quod utrobique pedes dicantur uncti: ſed in prima reticetur nomen mulieris, in ſecunda exprimitur. Vnde licet non conſequatur, diverſas eſſe unctiones, ſequitur tamen poſſe eſſe diverſas. Re vera autem diverſas eſſe, colligunt porro, quia unctione prima id in Simonis leproſi domo dicatur contigiſſe; quam in Galilæa fuiſſe arbitrantur: altera autem referatur contigiſſe domi Mariæ ſororis Lazari, ac Marthæ; quæ in Judæa, quippe in Bethania, fuit.

XXII. Jam quod ad unctionem primam, tertiamque, eas quidem hactenus fatentur conſentire, quod utrobique domi Simonis id dicatur eveniſſe: ſed diſcrimen in eo eſſe, quod prima referatur accidiſſe domi Simonis Phariſæi; tertia Simonis leproſi: item, quod prima inunctus dicatur a muliere peccatrice; tertia id reticeatur, ut fortaſſe fuerit pia ac religioſa femina: denique etiam, quod in prima pedes ſint ungvento perfuſi; in tertia caput.

XXIII. Secunda vero tertiaque narratio conſentiunt quidem eo, quod JESVS fuerit inunctus in Bethania: ſed triplex hic ſe offerre ajunt diſcrimen. Nam in ſecunda unctione dicitur Mariam pedes inunxiſſe domi ſuæ: in tertia mulierem quandam caput JESV unxiſſe domi Simonis leproſi.

XXIV. Qui bis inunctum eſſe cenſent CHRISTVM a duabus mulieribus, iisdem una eſt peccatrix ἀνώνυμος: altera Maria, ſoror Lazari & Marthæ. Et primam qui-

Digitized by Google

dem, tertiamque illam narrationem, a Matthæo & Marco inſtitutam, probe convenire putant cum ea, quam Lucas conſignavit. Et quamvis alii obſtare contendant, Marcum & Matthæum ſcribere, tertiam in Bethania contigiſſe, eandemque mox excepiſſe ſanctam paſſionem, ſunt tamen qui eo conciliare ſtudent hæc divortia, quod, etſi a Luca referatur multo ante Paſſionem Domini, non ſit neceſſe multo ante eveniſſe; cum interdum ſeriem temporum Evangeliſtæ ſoleant negligere: & quamvis a Luca narretur proxime poſt ea, quæ contigerunt in terra Galilæa, non illico ſequatur, ibidem factā eſſe unctionē.

XXV. Atque in hac ſententia eſt præter alios Chryſoſtomus. At Hieronymus in eo quidem cum Chryſoſtomo conſentit, quod duæ minimum ſint, a quibus Servator ſit inunctus: ſed in altero abit, quod diverſas eſſe cenſet, eam quæ caput, & illam, quæ pedes inunxerit. Non enim putat meretricem ſtatim capite Domini dignatam fuiſſe.

XXVI. Sed facile objectionem iſtam removerimus, ſi prius pedes, mox etiam caput inunxiſſe, reſponderimus.

XXVII. Noſtram ſi quis quærat ſententiam, aperte fatebimur, circumſtantiarum varietatem & diverſitatem facere, quo minus iis aſſentiri queamus, qui ſemel tantum inunctum eſſe cenſent CHRISTVM, atque adeo nos exiſtimare, bis, & quidem a diverſis mulieribus hoc pietatis & officii genus CHRISTO fuiſſe præſtitum.

XXVIII. Non defuerunt tamen, qui hæc etiam circumſtantiarum divortia cōciliari poſſe crediderunt: quos inter cum ſit illuſtris Voſſius, ejusdem verba afferemus.

XXIX. Noſtra, inquit, hæc eſt opinio, JESVM, antequam pateretur, ſemel duntaxat fuiſſe inunctum: atque id fa-

id factum eſſe a muliere, ut ἁπλῶς ajunt Matthæus & Marcus: eaque peccatrice; ut eſt apud Lucam: nempe a Maria, Lazari ſorore; ut indicat Johannes. Ac contigiſſe id ſex diebus ante Paſcha, ut docet Johannes: in Bethania, ut ajunt Matthæus, Marcus & Johannes: in domo Simonis; ut referunt Matthæus, Marcus, Lucas; hominis ſecta Phariſæi, quod eſt apud unum Lucam; quondam leproſi; ut indicant Matthæus, & Marcus: ubi prius inuncti pedes; de quibus Johannes: hinc caput; de quo apud tres alios Evangeliſtas: idque ex alabaſtro ungventi; ut ajunt Matthæus, Marcus, Lucas: ungvento, inquam, precioſo; ut eſt apud Matthæum, Marcum, & Johannem; videlicet trecentis æſtimato denariis; ut eſt apud eundem Johannem. Hæc Voſſius: quæ poſtea pluribus explicat, & ab objectionibus vindicat, *Harmon. lib. I. cap. III. §. VII.*

XXX. Sed fuerit una quæ CHRISTVM unxerit femina; ſit ſemel CHRISTO reddita hæc pietas: nunquam tamen crediderim id factum a Maria Magdalena, quæ alia eſt a Maria, Lazari ſorore; alia item a peccatrice iſta Lucæ memorata.

XXXI. Quod fruſtra Pontificii ad Eccleſiæ conſenſum in hoc negotio provocent, paulo ante eſt oſtenſum. Nec tanti hunc conſenſum ſuperiori ſeculo æſtimarunt Jacobus Faber, Stapulenſis; Jodocus Clichtovæus, Neoportuenſis, Canonicus Carnutenſis; Bilibaldus Pirckheimerus, Conſiliarius Cæſareus, & Patricius Norimbergenſis; Jacobus, Epiſcopus Viennenſis: ut non contrariam ſententiam editis ſcriptis propugnarint. Et licet Fabro, & Clichtovæo, Johannes Fiſcherus, Epiſcopus Roffenſis in Anglia, qui ab Henrico VIII. quod in divortium ejus conſentire nollet, una cum Thoma Moro capite

trun-

Digitized by Google

truncatus eſt, ſe oppoſuerit, ſcriptis contra Fabrum *libris tribus pro una Magdalena,* contra Clichtovæum *pro eadem libro uno;* licet etiam alii contra laudatos Scriptores inſurrexerint, manet tamen eorum gloria, manebit etiam ſententia, Mariam Magdalenam CHRISTVM ante paſſionem non unxiſſe.

XXXII. Videtur autem error inde promanaſſe, quod Evangeliſtæ Mariam hanc celebrent inter eas, quæ in pollinctura CHRISTI operam navaverint: quo argumento inter alia ſe tuetur Baronius.

XXXIII. Sed alia eſt pollinctura, a morte CHRISTO reddita; alia eſt unctio, quæ paſſionem & mortem ejus anteceſſit. Nec quidquam juvat Baronium, quod de ea CHRISTVM prædixiſſe putat Joh. XII. v. 7. *Sine illam, ut in diem ſepulturæ meo ſervet illud.* Nam etſi in vulgata verſione ita legitur, tamen *τετήρηκεν,* quod eſt in Græco, non futurum notat tempus, ſed præteritum: nec CHRISTVS dicit, eam corpus ſuum poſt obitum uncturam; ſed factum illius contra murmur Judæ defendit, utpote profectum ab ingenti amore & pietate; quodque myſticam haberet ſignificationem mortis & ſepulturæ inſtantis: unde apud Marcum dicitur: *prævenit ungere meum corpus ad funerationem.*

XXXIV. Maſſilienſes quidem, apud quos Maria Magdalena creditur ſepulta, ab omni ævo ſic ſtatuiſſe, ſcribit Epiſcopus Roffenſis: qui & teſtatur, ibidem antiquam eſſe inſcriptionem monumenti a Maximino, uno e LXX. diſcipulis, in honorem ſororis Marthæ exſtructi: ubi illi ea tribuantur omnia, quæ ſcriptura narrat de Maria Magdalena. Sed apud antiquiores omnes altum plane de eo eſt ſilentium, nec niſi proximis ſeculis hanc Maſſilienſium famam cœpiſſe, per ſit veriſimile.

Digitized by Google

XXXV. Certe quæ de ſepultura Magdalenæ Maſſilienſi traduntur, admodum incerta ſunt. Nam Græci, ut ex Cedreni *Compend. Hiſt. in Leone Philoſ.* conſtat, Lazari & Magdalenæ corpus Epheſi quieſcere ſtatuunt. Zonaras Conſtantinopoli ſepultam tradit. Sigebertus Gemblacenſis ad ann. IↃ CCXLV. ſcribit a Maximino apud Aquenſem civitatem eſſe ſepultam, ea poſtea a Saracenis deſolata, ejusdem corpus a Gerardo, Comite Burgundiæ ad cœnobium Viceliacum ab eodem conſtructum fuiſſe tranſlatum. Vt igitur ex ſepultura Magdalenæ, & ejus inſcriptione, Roffenſis firmum argumentū nequeat connectere.

XXXVI. Finimus igitur hanc diſceptationem, & firmiter concludimus, quod Maria Magdalena non ſit peccatrix illa apud Lucam, nec ſoror Lazari & Marthæ: quod hæ mulieres perſpicue ſatis a ſe invicem diſtingvantur, nec unquam Magdalena vel peccatrix, vel ſoror Lazari indigitetur.

XXXVII. Satis dictum de quæſtione, unane mulier, an plures; ſemel CHRISTVM, an ſæpius inunxerint. Venio ad aliam, cujusmodi ungvento CHRISTVS unctus fuerit.

XXXIIX. Ἁπλῶς vocant *μύρον* Matthæus, & Lucas: ſed *βαρύτιμον* addit Matthæus; *πολυτελὲς* Marcus; *πολύτιμον* Johannes. Sed inde non aliud, quam magni fuiſſe precii, intelligitur. Speciatim vero fuiſſe *μύρον νάρδου πιστικῆς*, ajunt Marcus & Johannes.

XXXIX. Nardum fruticem, ejusque differentias deſcribit Plinius *Hiſtor. Natur. libro & cap. XII.* ex quo nonnulla excerpemus. *De folio Nardi*, inquit, *plura dici par eſt, ut principali in ungventis. Frutex eſt gravi & craſſa radice, ſed brevi, ac nigra, fragiliqve, quamvis pingvi ſitum redolente, aut cupreſſum, aſpero folio, parvo denſoque.*

Digitized by Google

Cacumina in ariſtas ſe ſpargunt: ideo gemina dote nardi ſpicas, ac folia celebrant. —— Sincerum quidem levitate deprehenditur, & colore ruffo, odoriſque ſvavitate, & guſtu maxime ſiccante os ſapore jucundo. --- Nardo color qui inveteraverit, nigriori melior. In noſtro orbe proxime laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum. —— Sunt autem ea omnia herba præter Indicum.

XL. Nardi quoque genera deſcribit Dioſcorides *lib. I. cap. VI.* unum vocans Indicum, alterum Syriacum: non quod in Syria proveniat; ſed quod montis, in quo oritur, una pars ad Syros, pars altera ad Indos flectatur. Non noſtrum eſt in Nardum curioſe nunc inquirere: quod fecerunt Phyſici & Medici: ac inter hos præ cæteris Andreas Matthiolus, *Commentariis in Dioſcoridem*; qui ſe Venetiis pluribus in locis Nardi ingentem copiam vidiſſe teſtatur, levis, comoſæ, perquam odoratæ, cyperum redolentis, flavæ, ſubamaræ, & manſæ non modo lingvam exſiccantis, ſed odorem inſuper non injucundum per os ſpargentis, nulliſque deficientibus notis, quibus probatiſſima Nardus ex Dioſcoridis & Plinii ſententia explorari poteſt.

XLI. Ex Nardi igitur foliis, aut ſpicis, ſive, ut alii volunt, radice, precioſiſſimum unguentum confecerunt Veteres: cujus Plinius *lib. XIII. cap. I.* Dioſcorides *lib. I. de mat. med. cap. LXII.* aliique ſcriptores Græci & Romani meminerunt.

XLII. Atque hoc unguentum circa CHRISTI tempora eo majori in precio fuiſſe, vel inde probabilius redditur; quia illa tempeſtate unica fuit urbs Laodicea, quæ hujusmodi unguentum cum laude conficeret: nec multo ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cœpit fieri, quod commendaretur.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII. De nardino igitur unguento, quo uſa eſt Maria, non eſt, quod multum laboremus. Quid vero ſit Νάρδος πιστικὴ, (cujus extra Johannem, nuſpiam, quam Marci XIV. 3. reperias mentionem) mire & Veteres & Juniores variant.

XLIV. Sunt qui locum putent corruptum, &, pro πιστικὴ, reſcribendum cenſeant Ὀπιστική.

XLV. Nempe, quia Athenæus *libro XV. cap. XXIV.* & Pollux *lib. IV. cap. XIX.* Nardum laudant Babylonicam, & non longe admodum a Babylonia aberat Opis civitas, Herodoto *lib. I. & II.* & Straboni, *lib. XVI.* memorata; eo credunt & melioris notæ fuiſſe nardum, quæ ab illa Perſiæ civitate Ὀπιστικὴ appellaretur. Hujus ſententiæ auctor eſt Johannes Hartungus, ſummi Theologi Johannis Brentii diſcipulus, *Locorum memorabilium ex optimis quibusque auctoribus excerptorum decuria II. cap. VI. §. VI.* quem & alii poſtea ſecuti ſunt, ac inter hos Abrahamus Scultetus, *Obſervationibus ad Marcum cap. LXXX.* Videnturque huic opinioni favere Cyrillus & Auguſtinus, qui *unguentum* eſſe *nardi* cenſuerunt *a loco quopiam.*

XLVI. Hanc vero ſententiam non parum reddit dubiam, quod ex Scriptoribus Eccleſiaſticis nemo, nec ullus externorum diſerte Opiſticæ Nardi meminerit. Tum vero ab hac civitate rectius Ὀπικὴ, quam Ὀπιστικὴ, appellaretur.

XLVII. Alii igitur πιστικὴ putarunt poni pro expreſſo aliunde in liquorem: ut ſit a verbo πτίσσω, quod eſt, *pinſo, contundendo imminuo;* unde natum, πτιστικός, & propter Euphoniam eliſo τ, πιστικός. Hoc pacto πιστικὴ notaret Nardum piſtillo contuſam, inque liquorem & unguentum redactam. Hanc opinionem eſſe Joſephi Scaligeri, monitum Franc. Nanſio, *ad Nonni cap. XII.*

Digitized by Google

XLVIII. Ceterum ut de eo nihil dicam, quod nemo veterum prodiderit, πιστικὸς etiam dici ἀπὸ τοῦ πιστεύειν, vix credibile eſt, rem adeo vulgarem Evangeliſtas hac voce denotare voluiſſe.

XLIX. Quapropter nonnulli exiſtimant, voce ea ſignificari liquidam ſive potulentam materiam: nempe ἀπὸ τοῦ πιεῖν; ut πιστικὴ dixerint pro πιστή. Placuit hoc Iſaaco Caſaubono, *Notis ad Marci cap. XIV.* a qua tamen ſententia recedit *Exercitationibus ad Baronium.*

L. Hæc quoque opinio admodum infirmo nititur tibicine. Nam & πιστικὸν nuſpiam ea ſignificatione reperitur; nec hoc loci agitur de aliquo nardi liquore ad hoc præparato, ut ejus aliquid miſceretur vino: (quod tamen non adeo inſolens veteribus fuiſſe, alibi probabimus) ſed de nardo, qua inungeretur CHRISTVS.

LI. Miſſis igitur Recentiorum conjecturis, aliquid dicemus de Veterum judicio. Horum duplex fuit ſententia. Quidam vocem πιστικῆς non eſſe origine Græcam, ſed Latinam opinati ſunt. Vt, ſi dicamus ex Latino *ſpicata*, vulgus Græcanicum trajectis literis feciſſe *piſtaca*, & mutata vocali media *piſtica*, penultima producta. Vel ſi Græci quidem ex *ſpicata* fecerint σπικάτη, vel σπικάτῃ: corruptius vero Judæi κατὰ μετάθεσιν extulerint פיסטקי׳ *piſtica*, pro ספיקטי׳ *ſpicata*.

LII. *Spicatum* ſpeciem unguenti eſſe nardini ex Galeno apparet, cujus hæc ſunt ex *lib. I. cap. II.* τῶν κατὰ τόπους latine facta. *Ad defluvium capillorum licebit aliquando unguentum nardinum adhibere in ætate frigida, & tempore hyemali. Bonum autem pharmacũ ad omnia, eſt divitum feminarum unguentum, quod Romæ vocant foliatum. Non minus autem eo commodum eſt, imo etiam magis, quod*

appel-

Digitized by Google

appellant ſpicatum. Quare cum bis vel ſolis ungi jubeto, & cum optimo nardino. Dictum autem procul dubio *ſpicatum*, quod ex nardi ſpica conficeretur. Antea enim ex Plinio audivimus, *cacumina nardi ſe in ariſtas ſpargere, ac ideo gemina dote nardi ſpicas ac folia celebrari.*

LIII. Magnum huic ſententiæ pondus ex eo accedit, quod non tantum antiquiſſimus Bibliorum interpres, *Nardum ſpicatum* reddiderit; verum etiam Venerabilis Beda Plinium ſecutus (quem & ex Beda emendere poſſumus) de hoc ſpicato Nardo ita commentetur. *Nardus eſt frutex aromatica, gravi, ut ajunt, & craſſa radice, ſed brevi ac nigra fragilique, quamvis pingui, pinum redolente aut cypreſſum, aſpero ſapore, folio parvo denſoque, cujus cacumina in ariſtas ſe ſpargunt, ideoque gemina dote pigmentarii nardi ſpicas ac folia celebrant. Et hoc eſt, quod ait Marcus, unguenti nardi ſpicati precioſi. Quia videlicet unguentum illud, quod attulit Maria Domino, non ſolum de radice confectum, verum etiam quo precioſius eſſet, ſpicarum quoque & foliorum ejus adjectione odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia.*

LIV. Altera ſententia eſt eorum, quibus placet, πιστικὴν eſſe ἀπὸ τῆς πίστεως, quaſi fidelem nardum dicas: hoc eſt, probatam, ſive bonæ fidei, ac notæ.

LV. Hoc ſenſu πιστικῆς voce uſi non tantum fuere Euſebius, Georgius Cedrenus, Manuel Comnenus: ut oſtenſum Caſaubono *Exercitat. ad Baronium XIV. ſect. XIII.* ſed etiam Athenæus, & Artemidorus: ut docuit Salmaſius, *Exercitationibus Plinianis ad Solinum.*

LVI. Firmamus hæc ex Plinio, qui *lib. XIII. cap. I.* meminit, *novem herbarum eſſe ſpecies, quæ nardum Indicum imitentur: tantam materiam adulterandi eſſe.* Idem

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

libro XII. cap. XII. ſic ſcribit: *Adulteratur & pſeudonardo herba, quæ ubique naſcitur craſſiore atque latiore folio.*

LVII. Facile igitur in tanta fraudis copia uſus loquendi obtinuerit, ut πιστικὴ νάρδος diceretur, quæ ſincera eſſet, & nullo fuco vitiata. Quam ſententiam cum noſtram faciamus, concludemus omnem hanc diſputationem verbis veteris Vocabularii. *Piſticus, a, um, fidelis, a* πίστις *fides: unde Nardum piſticum, id eſt, fidele, purum, non adulteratum commixtione aliarum rerum.*

LVIII. Quantum unguenti hujus nardini in corpus CHRISTI officioſa mulier effuderit, S. Johannes voce λίτρα indicat. Eſt autem λίτρα idem quod Latinis *libra*, menſuræ & ponderis nomen, duodecim continentis uncias: & quia uncia octo drachmas habet, ideo λίτρα erit drachmarum ſex & nonaginta.

LIX. Vocem λίτρα origine latinam eſſe, ac Græcos ſecundam Alphabeti literam in τ mutaſſe, nonnullorum eſt opinio. Sed rectius alii vere Græcam eſſe ſtatuunt. Utuntur hoc vocabulo etiam Hebræi, qui a Græcis potius, quam a Latinis eam acceperunt.

LX. Vaſculum, in quo unguentum nardinum continebatur, ἀλάβαστρον fuiſſe dicitur.

LXI. Proprie Alabaſtrum, ſive ἀλαβαστρίτης λίθος lapis eſt candore ac levitate inſignis, ex quo vaſa excavabant veteres, & eodem nomine appellabant: poſtea vero cum e vitro, & alia materia conflari cœpiſſent ejusmodi vaſcula, etiam hæc alabaſtra ſunt dicta: prorſus ut *pyxis* dicebatur etiam aurea & argentea, quæ tamen proprie e buxo fiebat, & nomen e re invenerat.

LXII. Fortaſſis igitur non abeunt a vero, qui alabaſtrum, cujus in Evangelio fit mentio, vitreum fuiſſe cenſent.

Digitized by Google

LXIII. Hoc vaſculum vitreum, ſive ex alabaſtrite lapide confectum confregiſſe dicitur Maria.

LXIV. Neque tamen credibile eſt in minutas comminuiſſe particulas: quomodo aut unguentum interram, aut una cum ungvento fragmenta vaſculi in CHRISTI caput incidiſſent: verum, quod vaſculum oris forſan anguſtioris eſſet, infregit unam atque alteram circa orificium particulam, ut totum, quod in eo erat, unguentum ſimul ac ſemel in caput CHRISTI poſſet infundere, neque quicquam inde ſibi reſervaret.

LXV. Hoc vaſculum unguentarium Conſtantinum Magnum olim fuiſſe nactum, & Conſtantinopoli in parte inferiore fori, una cum aliis monimentis eſſe poſitum, ſed a Theodoſio Magno ſublatum, Suidas auctor eſt.

LXVI. Suidæ hac in re fidem non putat habendam Caſaubonus: quod præter lapidis, aut vitri fragmina, nullæ potuerint eſſe antiqui illius alabaſtri reliquiæ. Ceterum etſi ipſe de veritate hiſtoriæ non immerito dubito, Caſaubono tamen non aſſentior, qui plane & penitus confractum cenſet vaſculum. Quamquam de his fragminibus cum nemine moroſe velim diſceptare.

LXVII. Forma unctionis in eo conſiſtit, quod ad JESVM cum Apoſtolis & fratre Lazaro diſcumbentem acceſſerit, a tergo adſtiterit, mox pedes inunxerit, ac eoſdem paſſis capillis abſterſerit, mox effracto vaſculo reliquias ungventi in caput ſanctiſſimi Salvatoris effuderit. Nam quod nonnulli unguentum ſuper caput CHRISTI effuſum, per totum ejus corpus ad pedes usque manaſſe perhibent; atque ex eo CHRISTI pedes unctos dici: id neſcio quo pacto probari poſſit.

LXVIII. Male Baronius rem plane inuſitatam cen-

ſet unguento precioſo pedes ungere. Non enim adeo id fuit inſolens in conviviis præſertim feſtivioribus. Quamvis libenter concedamus, non tam communis conſuetudinis ergo, quam ſingularis cujusdam myſterii gratia hanc pedum unctionem CHRISTVM admiſiſſe: de quo mox quædam afferemus.

LXIX. Sunt qui putant Mariam pedes CHRISTI prius laviſſe, ac dein unxiſſe. Quod illi facile conceſſerint, qui pro una muliere unctrice diſputant. Nam Simeonem Phariſæum ex more gentis CHRISTO aquam ad pedes non ſubminiſtraſſe, ex Lucæ cap. VII. inciſo XLIV. clarum eſt.

LXX. At ſi, quod eſt credibile, diverſæ unctiones fuerint, Simonem Leproſum hoc officium non prætermiſiſſe, per fit veroſimile: præſertim ſi is magiſter illius fuit convivii, quod pararunt CHRISTO.

LXXI. Quidam ut Johannem, ex quo in domo Lazari convivium illud paratum fuiſſe probare nituntur, cum Matthæo & Marco, qui in domo Simonis leproſi unctionem factam ſcribunt, concilient; Simonem Leproſum Lazari fuiſſe patrem ſunt commenti: ut videre eſt ex Theophylacto *in Matthæum*, & Nicephoro *Hiſtor. Eccleſ. l. I. c. XXVII.*

LXXII. Alii dicunt, Bethaniam fuiſſe Simonis Leproſi vicum, ut hac ratione CHRISTVS in domo Lazari Bethanienſis cænans, nihilominus in domo Simonis cœnaſſe recte dicatur.

LXXIII. Verum quid opus eſt, eo usque confugere? Johannes enim nuſpiam aſſerit in domo Lazari convivium inſtructum fuiſſe; ſed indefinite dicit, CHRISTO feciſſe convivium: diſcipulos videlicet & amicos ejus, cumprimis

primis vero Simonem: in cujus domo illud fuiſſe adornatum ex Matthæo & Marco liquet. Nec quia Lazari fit mentio, eundem cœnam inſtruxiſſe eſt neceſſum: cum conviva inſtar adfuiſſe potuerit.

LXXIV. Interea non deſunt, qui convivium illud Domino exhibitum Bethaniæ, Johannis XII. diverſum eſſe ſtatuunt ab eo, quod Matthæus & Marcus commemorant. In qua ſententia ſunt illi potiſſimum, qui ter inunctum credunt CHRISTVM a tribus mulieribus. Quamquam & Baronius eandem opinionem amplectitur.

LXXV. Præcipua autem hæc eſt illorum ratio, qvod cum Johannes ſex ante Paſcha diebus CHRISTVM Bethaniam veniſſe memoret, atque ibidem convivatum eſſe: Marcus contra & Matthæus unctionem CHRISTI factam narrent biduo ante Paſcha, in domo Simonis, Bethaniæ.

LXXVI. Si probe dicta Marci & Matthæi perſpicimus, tanta hæc difficultas non eſt, quanta prima fronte videtur. Non enim ſancti hi Duumviri dicunt, CHRISTVM biduo ante Paſcha Bethaniam veniſſe; ſed in alio negocio bidui illius meminere. Quod autem paulo ſerius narrent hanc hiſtoriam, nemini adeo mirum videri debet, cum non ſemper ſoleant Evangeliſtæ ſeriem temporis obſervare. Deinde quod eo loco potius, quam alio commemorent CHRISTVM in Simonis domo unctum, hoc ideo videtur factum eſſe, ut ſubindicent, quare Judas fuerit commotus ad prodendum Dominum. *Matth. XXVI.v.2. Marc. XIV.v.1.*

LXXVII. Manet igitur unum convivium, manet hoſpes unus Simon ille leproſus: cujus convictum nemo amplius reformidabat, cum non leproſus dicatur ex eo, quod adhuc ipſum infeſtaret lepra; ſed quod olim huic morbo fuerit obnoxius. Quamquam non contemnenda eſt

Digitized by Google

da eſt illorum conjectura, qui hoc cognomen putant accepiſſe a majoribus: quemadmodum in Romana hiſtoria quidam Coclites, Ruffi, Scævolæ dicerentur.

LXXVIII. Volebam ex hoc convivio diſcedere, aut ſaltim CHRISTO Mariam prædicanti auſcultare: ſed de Martha, Mariæ ſorore adhuc negocium nonnulli facesſunt, dicentes: Si Martha in hoc convivio miniſtravit CHRISTO, id quod diſerte indicat Johannes, quidni in Lazari ædibus hæc facta fuerit unctio, adeoque apparuerit diverſum eſſe convivium, quod Matth. & Marcus habent?

LXXIX. Sed tolli poterit hæc difficultas, ſi dixerimus, Simonem hunc vel cognatione Lazarum attigiſſe, vel Simonis ædes & Lazari contiguas fuiſſe: quorum alterutrum, vel utrumque Martham permovere potuit, ut ipſa partes miniſterii in hoc convivio ſuſciperet.

LXXX. Ceterum Chriſti diſcipuli adhuc ſequentes carnem, unius Judæ Iſchariothæ exemplo inducti, indignabantur apud ſeſe, & obmurmurabant, dicentes: Quorſum attinet hujus ungventi tam exquiſiti fieri jacturam? Poterat enim vendi trecentis denariis, eoque precio multis pauperibus ſubveniri.

LXXXI. Bene perit, quod gloriæ CHRISTI impenditur: imo nihil minus perit.

LXXXII. Placuit CHRISTO vidua paupercula, quæ quadrantem conjecit in gazophylacium: placuit & hæc opulentior, quæ precioſi ungventi jacturam fecit. Illa agnoſcens tenuitatem ſuam, hoc ipſum, quod habebat, totum effudit: hæc ex Domini benignitate ditior, non ſolum quod habebat impendit JESV, ſed vaſculi quoque jacturam fecit. Si modo dicere poſſumus, jacturam fieri ejus, quod impenditur CHRISTO.

LXXXIII.

LXXXIII. Sic quidem Apoſtoli tum judicabant, non intelligentes quo conſilio CHRISTVS paſſus eſſet ſe ungi.

LXXXIV. Qvum igitur diſcipuli hujus myſterii eſſent ignari, & intempeſtive de ſumtu obmurmurarent, mulieris officioſam pietatem tuetur Dominus: Cui uni probari ſatius eſt, quam omnibus diſplicere hominibus.

LXXXV. Cur, inquit, negotium faceſſitis huic mulieri? Cur moleſti ei eſtis veſtris obmurmurationibus? Sinite illam obſequi animo ſuo. Pium officium mihi morituro præſtitit. Quod vero vos avaritiæ veſtræ pauperum ſublevandorum titulum prætexitis, frivolum eſt. Pauperi impenſum eſt, quod mihi impenditur. Adhoc, vulgares iſtos pauperes ſemper habebitis vobiſcum, quibus licebit benefacere, quoties volueritis: me vero non ſemper habebitis, quem officiis hujusmodi corporalibus poſſitis demereri.

LXXXVI. Non eſt nobiſcum CHRISTVS hodie, ſicut tum, cum in Exinanitionis ſtatu pauper & humanæ opus eſſet indigus. At vere eſt nobiſcum in majeſtate ſua glorioſe atque gratioſe.

LXXXVII. Inſuper, quod factum eſt, pergit ſanctiſſimus defenſor, ſingulari Dei factum eſt conſilio, ut hoc tam luculento præſagio mea mors & ſepultura vobis, atque accumbentium aliis, imo mihi ipſi ſignificaretur.

LXXXVIII. Non capiebatur alioquin hujusmodi deliciis Salvator mundi: ſed hoc honore decorari voluit mortem ſuam, quam ſponte ſua pro totius mundi ſalute ſubiturus erat. Licet enim per omnem vitam humillime ſe geſſerit, mortem tamen, qua victurus erat Satanam, aliqua magnificentia cohoneſtari permiſit.

LXXXIX. Solent divitum & honoratiorum corpo-

ra emortua ungventis precioſis oblini: ſivę honoris gratia; ſive quo tutiora reddantur adverſus putredinem. Quoniam autem ſciebat CHRISTVS, ſe prius revicturum, quam hoc honoris exhiberent amici, ſepulturæ pompam ante mortem ſibi exhiberi paſſus eſt: videlicet ut mortis inſtantis memoriam diſcipulorum animis infigeret, & horrorem ejus honore mitigaret.

XC. Feminæ animus ulterius adſurrexiſſe non videtur, quam ut honore afficeret CHRISTVM. Scilicet præ amoris magnitudine Dominum multis laboribus, itineribus, vigiliis, defatigatum, ut vires corporis reficeret, unguento optimo perunctum voluit.

XCI. Interea Spiritus S. factum ejus direxit ad hoc ſignificandum, quod ipſa ignoraret.

XCII. Potuiſſet quidem Dominus Mariæ opus ſimpliciter commendare ab animo ipſius, nempe ab amoris erga ſe devota magnitudine; verum maluit ex eo, quod Deus intendit, potius laudare, eoque ejus factum reddere illuſtrius.

XCIII. Sunt tamen qui non plane putant ignoraſſe Mariam: atque hi CHRISTI verba ſic interpretantur, ac ſi mens ejus ſit: mulierem, quæ non ſemel ex ſe audierat mortem ſuam inſtare, ſolum anticipaſſe unctionis tempus; id quod mortuo deberi omnes ſciunt, viventi adhuc præſtando.

XCIV. Tantopere autem CHRISTO placuit hæc pietas, ut ſerio aſſeveraret, ubicunque ſua mors per omnes orbis regiones celebrata fuerit, etiam hujus mulieris, ejusque facti memoriam, quod mortem ſuam, antequam moreretur, tali munere honoraverit, celebratum iri.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

De glorioſo CHRISTI ingreſſu in Hieruſalem, & aliis, quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria prima, quæ dicitur Dominica Palmarum.

I.

QUæ hactenus in medium allata ſunt, Dominicum Palmarum diem antecedunt: nunc acta hebdomadis magnæ conſeqvuntur.

II. Hebdomas hæc appellatur *Magna*, quod maximum ſalutis noſtræ opus in ea fuerit perfectum: quoque in memoriam immenſi hujus beneficii magna cum religione animi & abſtinentia in illa verſari debeamus.

III. Majores noſtri vocabulo non in vulgus noto die Karwoche nominarunt, a vetuſta voce Germanica kar: qua ſatisfactionem pro culpa exprimebant. Vere enim in ea Redemtor noſter irato Numini pro totius mundi peccatis ex aſſe ſatisfecit. Eaque etiam de cauſa dies Dominicæ paſſionis dicitur der KarFreitag.

IV. Poſtridie quam ea eveniſſent quæ de unctione CHRISTI ſuperiori capite diſſeruimus, CHRISTVS glorioſe in Urbem eſt ingreſſus.

V. Glorioſum hunc ingreſſum, in quo ſe virtus CHRISTI θαυματουργικὴ varie prodidit, pluribus referunt Matthæus, *cap. XXI.* Marcus, *cap. XI.* Lucas *cap. XIX.* breviter deſcribit Johannes *cap. XII.*

VI. Hieroſolymam aſcendens præcedebat CHRISTVS diſcipulos. Neque enim terror mortis proximæ, quam ſibi ſciebat oppetendam eſſe Hieroſolymis, obſta-

Digitized by Google

bat,quo minus eo alacriter pergeret, atque præiret etiam diſcipulis cunctantibus.

VII. Bethania autem,ubi inunctus erat CHRISTVS, acceſſit acceſſit ad Bethphage, ſitam ad montem Olivarũ.

VIII. Matthæus ſolius Bethphage, Marcus, ut habent antiquiſſima exemplaria, ſolius Bethaniæ, meminit: Lucas vero ſine ullo reſpectu ad ſitũ, Bethphage & Bethaniam conjunxit. Alioqui in itinere Hierichunte Hieroſolymam, Bethphage nominaſſet ultimo loco,ut Hieroſolymis propiorem. Bethania enim a Sancta Vrbe diſtabat quindecim ſtadiis, Joh. XI. 18. hoc eſt duobus milliaribus. Sed Bethphage prope fuit ſub ipſis urbis mœnibus, ſi credimus Hebræis. Proinde ibi coquebantur oblationes veſpertinæ, ut ex Rabbinis obſervavit Buxtorffius.

IX. Bethphage, Hieronymus, & ante eum Origines interpretantur *domum maxillarum*: forſan, quod maxillæ darentur Sacerdotibus, ex lege Deuteron. XVIII. 3. Habitaſſe enim eo in loco volunt Sacerdotes. Aliqui etiam Samſonem eo loci Philiſtæos hoſtes aſini maxilla proſtraviſſe putant. Hieronymi hæc ſunt in Epitaph. Paulæ: *Poſt ingreſſa ſepulchrum Lazari, Mariæ & Marthæ vidit hoſpitium, & Bethphage, villam ſacerdotalium maxillarum.* Idem de locis Hebraicis: *Bethphage domus oris vallium, vel domus buccæ: Syrum eſt, non Hebræum. Quidam putant domus Maxillarum vocari.*

X. Tremellius exponit *domum fontis*, quaſi בית־ פגי *Bethphage*. Ita enim ſcribitur ab Hebræis Græcum πηγὴ: cujusmodi Græcas voces non paucas jam tum Judæi uſurpabant.

XI. Ludovicus de Dieu ſignificare putat *domum adulatoris*, id eſt בית־פגיא Bet-phagja.

XII. Bernhardus *ſermone ad milites Templi cap. XII.* explicat *domum-buccæ*, quod eſſet בית־פגא *Beth-phaccha*, vel *Beth-phacche.*

XIII. Aliis eſt *domus oris vallium*, בית-פי־גיא Bethpi-gi; quod eſſet mere Hebræum.

XIV. Gloſſa Talmudis in Tractatu *Sota*, vult hoc nomine ſignificari exteriorem vicum in ambitu. Verba Latina hæc ſunt: *Quicquid eſt in ambitu exteriore Hieroſolymorum vocatur Bethphage, & mihi videtur ſignificare cingulam, quomodo cingulam vocant pulli aſinini puta.* Et ad Babha Metzia, *Bethphage ambitus exterior urbis Hieroſolymæ.*

XV. Receptiſſima fere eſt ſententia, a groſſis, ſeu ficubus immaturis, nomen loco adhæſiſſe. Nam Chaldæis & Syris פגי *Pagge* vel *Phage* ἀρχαϊκῶς *groſſos* denotant.

XVI. Jam quod res eadem ab uno Evangeliſta facta narratur in vico Beth-phage, ab altero (ſi fide antiquorum exemplarium ſtamus) in Bethaniæ pago, a tertio in utroque, facile eſt conciliare. Horum nempe vicorum agri confines erant. Et quod factum eſt in confiniis, dici poteſt in alterutro, vel in utroque factum.

XVII. Ceterum illa Gloſſatoris § XIV. allata moverunt quoſdam Viros in Hebræorum ſcriptis verſatiſſimos, ut Bethphagen non pro vico haberent, ſed pro pede tractus oliveti montis urbi proximi: a quo poſtea pars Hieroſolymorum monti propius adjacens ſimiliter Bethphage nuncupata. Iidem duplicem Bethaniam fuiſſe putant: unam, in qua habitarunt Lazarus & Simon, ubi etiam unctio CHRISTI facta: alteram urbi propiorem: ſic ut iſta duplo fere itinere Sabbatico ſeu duobus

mili-

miliaribus, hæc vix uno diſtiterit. Quod confirmari putant ex collatione Luc. XXIV. 50. & Actor. I. 12.

XVIII. Prius autem quam CHRISTVS ingrederetur Hieroſolymam, divina virtute videns locum ubi aſina & pullus alligata eſſent, diſcipulis mandavit, ut ſolverent utrumque: ad hæc prædicit fore, tum ut interpellentur diſcipuli, tum ut dominus aſinæ & pulli eos dimittat libens.

XIX. *Vicus* appellatur locus, quo ſuos mittit JESVS, ut nugas agant, qui Hieroſolymam diſcipulos miſſos eſſe cenſeant.

XX. Erat is vicus e regione CHRISTO diſcipuliſque poſitus, ſic ut oculis eorum ſeſe offerret.

XXI. Quiſque ille vicus fuerit, non exprimunt Evangeliſtæ, nec definire audent Interpretes.

XXII. Quidam ipſam Bethphage fuiſſe volunt (modo id pago nomen fuerit) ac ſi Dominus eo nondum plane pervenerit. Rectius tamen diſtinctum a Bethphage locum fuiſſe creditur.

XXIII. Si Nubienſi Geographo, quem laudat Cl. Bochartus *in Hierozoico*, credimus, ad duo milliaria e monte olivarum ſitus fuit, hodie vero eſt deſertus, nec ullas habet incolas.

XXIV. Quod pullum, ſive aſellum ſibi Dominus delegerit, ſuper quem nullus unquam hominum ſederat, id conveniebat ejus regiæ dignitati, & faciebat ad commendationem poteſtatis ejus, cui vel indomitum animal pareret, & ſe commodum vectorem præberet.

XXV. Hoc quoque regiæ magnificentiæ, ſeu divinæ potius potentiæ indiciũ erat, quod dominus jumentorum ad ſolam voluntatis ejus ſignificationem uſum illorum conceſſerit. *XXVI.*

Digitized by Google

XXVI. Diſcipuli autem iverunt, quo CHRISTVS abire eos juſſerat, omniaque repererunt, prout Magiſter prædixerat.

XXVII. Nomina horum diſcipulorum Sacra Hiſtoria non exprimit. Probabile tamen nonnulli eſſe cenſent, Petrum & Johannem fuiſſe.

XXVIII. Quem in finem alligata ad ingreſſum pagi fuerint jumenta, certo non licet definire. Sunt tamen, qui conjiciunt id factum ea fini, ut peregrinantes ex longo itinere defatigati ea conducerent ad tranſitum per montem Olivarum.

XXIX. Porro diſcipuli aſinam & pullum injugem adduxerunt, & ſtragula iſtis impoſuerunt, ut CHRISTO eſſet optio, utri vellet inſidere.

XXX. Multi veterum & recentiorum ſtatuunt, quod CHRISTVS nunc aſinæ, nunc pullo inſederit: eo quod diſcipulos CHRISTVM ſuper animantia collocaſſe, & utrique ipſum inſediſſe legatur.

XXXI. Verum alii probabilius eſſe cenſent, ſoli CHRISTVM inſediſſe pullo, ſed comitante aſina. Non enim putant vero ſimile, CHRISTVM tam breve iter pluribus jumentis confeciſſe, & ex uno in alterum quaſi inſiliviſſe: præſertim cum Bethphage & Bethania propinqua urbi loca fuerint.

XXXII. Atque ii hic agnoſcunt numeri Enallagen, qua pluribus indefinite tribuatur, quod illorum uni convenit. Quomodo apud Matthæum *cap. XXVII. v. 24.* latrones dicuntur CHRISTO convitia dixiſſe, quod tamen tantum unus fecit.

XXXIII. At enim cum vox חמור *Chamor*, qua Propheta Zacharias uſus eſt, non tantum maſculinum ſit, ſed

Digitized by Google

& feminino uſurpetur genere; id quod ex *II. Sam. XIX.* ℣. 24. apparet; & Matthæus bina vice exſertis verbis *aſinam*, non *aſinum* nominet: cauſæ nihil videmus, cur non & prior ſententia defendi poſſit.

XXXIV. Huc accedit LXX. Interpretum auctoritas, qui חמור reddiderunt per ὑποζύγιον: per quod intelligi non poteſt pullus aſininus CHRISTO adductus, quod hactenus ei nemo inſederit, ut diſertis verbis Evangeliſtæ teſtantur.

XXXV. Neque tanta in eo videtur eſſe difficultas, quod ceteri Evangeliſtæ non aſinæ, ſed pulli duntaxat aſinini meminerint: *Vnus enim*, quod jam olim notavit Auguſtinus ad conciliandam hanc apparentem contrarietatem, *ita commemoravit aſinam, de qua ceteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt. Vbi ergo utrumque factum poteſt intelligi, nulla repugnantia eſt, nec ſi alius aliud, & aliud alius commemoraret: quanto minus ubi alius unum, alius utrumque.* de Conſenſu Evangeliſtarum *lib. II. cap. LXVI.*

XXXVI. Denique brevitas itineris CHRISTO obſtare non potuit, quo minus vicibus alternis aſinæ & pullo inſederit: præſertim ſi in eo, quæ graviſſimorum Eccleſiæ Doctorum eſt ſententia, aliquid ſpectavit myſtici.

XXXVII. Nimirum per allegoriam ſatis commodam aſinâ populum Judaicum oneribus Moſaicarum cerimoniarum portandis aſſvetum ſignificari; pullo autem gentium multitudinem, quæ ſe poſthac CHRISTO obſequentem præbitura ſit, figurari, notum eſt.

XXXVIII. Vti in hoc adventu CHRISTI ſæpius eluxit ejus divina majeſtas & potentia: ita ad eandem admirabili temperamento, humilitate ſua, quam noſtrum

ergo

ergo ſubiit, diſtinxit. Cujus abjectionis ſignum fuit evidens, quod non equo generoſo, ſed aſina & pullo, iisdemque commodatis vectaretur. Scilicet regnum CHRISTI humile eſt, & ab hujus ſeculi Regum pompa maxime alienum.

XXXIX. Quicquid autem cum hoc introitu CHRISTI in Vrbem Hieroſolymam factum eſt, id præcipue factum eſt propterea, ut complerentur Prophetiæ. Vnde Matthæus: *Hoc autem totum factum eſt, ut impleretur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filiæ Sion: Ecce! Rex tuus venit manſuetus, & ſedens ſuper aſinum, & filium ſubjugis aſinæ.* Nec multo aliter Johannes: *Nactus autem JESVS aſellum, inſedit ei, ſicut ſcriptum eſt: Ne time filia Sion; ecce! Rex tuus venit inſidens pullo aſinæ.*

XL. Nonnus & Matthæi Æthiops Interpres, Prophetam, qui hic citatur, Eſaiam eſſe putant: eo quod apud ipſum *cap. LXII.* hæc habeantur: *Dicite filiæ Sion, Ecce! Salvator tuus venit!* Ad quæ Matthæus ita alludere videtur, ut etiam e recentioribus nonnulli velint verba, quæ laudat, ex parte ſaltim, ex Eſaia eſſe depromta.

XLI. Sed Matthæus unum tantummodo Prophetam citat, quem Zachariam eſſe certo nobis certius eſt. Hæc namque apud illum legas *cap. IX. v. 9. Exulta plurimum filia Sion, clange filia Jeruſalem. Ecce! venit tibi Rex tuus, juſtus, & ſervator, pauper* (aliis *manſvetus*, quia Hebr. עני utrumque ſonat) *& ſedens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinarum.*

XLII. Ex hoc loco Zachariæ, ſi non omnia, ſaltim quæ ad rem erant maxime, Evangeliſtæ deſcripſerunt, mutatis aliquot verbis, ſed eodem ſenſu ſervato: quod S. Evangeliſtis non eſt infrequens.

XLIII. Quod porro hic ſupponit uterque Evangeliſta, Zachariam de CHRISTO egiſſe, locus ipſe palam evincit, & quod res ibi prædictas ſolus implevit CHRISTVS. Vnde non immerito exclamat Chryſoſtomus. *Judæum interroga, quisnam Regum aſino vectus venerit Jeroſolymam? Neminem profecto dicere poterunt præter hunc ſolum.*

XLIV. Sed & de CHRISTO agi, patet ex iis, quæ ſequuntur de pace per illum regem reſtituenda, & ita, ut curribus, & equis, & armis bellicis amplius non ſit opus: & de imperio ejus a mari usque ad mare, atque ad extrema terrarum propagando; de captivis denique per ſangvinem fœderis ab eo redimendis.

XLV. Itaque Judæi veteres hunc locum ad Meſſiam ſummo conſenſu referunt; nec aliter ſentiunt plerique recentiorum: quemadmodum multis oſtendit Bochartus. Rabbi Selomonis digna cedro verba ſunt: *Locus iſte non poteſt exponi de ullo alio, quam de Meſſia; quia de eo dicitur: Et dominabitur a mari ad mare. Neque ullum reperimus Templi ſecundi tempore, qui, ut iſte, in juſtitia regnaverit.*

XLVI. Non igitur moramur Rabbi Moſen Sacerdotem, & Aben Ezram, quorum unus in Nehemia, alter in Juda Macchabæo impletum eſſe contendunt Zachariæ oraculum. Nam quicquid illi afferant, Nehemiam, & Judam, aut in Judæa regnaſſe; aut pauperes fuiſſe; aut aſino inſediſſe; quæ tamen omnia adhuc in controverſia ſunt: nunquam probabunt, eos in ſumma pace vixiſſe; a mari ad mare, & usque ad extrema terrarum imperaſſe.

XLVII. Nec audiendus eſt illuſtris Grotius, qui *Notis* ad hunc Zachariæ locum, eundem *primo, & maxime,*

ut

ut inquit, *obvio ſenſu*, ad Zorobabelem referendum cenſet. Neque enim is, vel re, vel nomine, Rex unquam fuit. Solum enim Zorobabel Judæis illis præfuit, qui e Babylone facti erant reduces, id eſt, hominum quatuor vel quinque myriadibus, idque in paucos annos. Deinde, ſi maxime concederemus, pro Rege habitum Zorobabelem, de illo tamen Propheta dicere non poterat, ipſum venturum. Conſtat enim ex hiſtoria, Zorobabelem, cum hæc ſcriberet Propheta, jam tum veniſſe Hieruſalem. Nec eſt, quod Grotius excipiat, futurum tempus hic poni pro præterito. Quo enim fundamentum id probare velit, aſſequi nequimus. Porro cum hunc, de quo Propheta verba facit, Regem, Sioni, id eſt, in ejus bonum & commodum venturum dicat; id optime in CHRISTVM quadrat, qui non ſibi, ſed nobis venit: cum contra Zorobabel etiam ſui commodi ergo venerit.

XLVIII. Huc accedit, quod Rex idem *juſtus* dicatur. CHRISTVM autem non modo juſtum perfecte, ſed & noſtram juſtitiam Scriptura tradit. At de Zorobabelis juſtitia Scriptura nihil quidquam refert memorabile. Eodem facit, quod נושע *Salvator* dicitur, eo attributo, quod CHRISTO tam proprium eſt, ut inde nomen habuerit. Et licet forma hujus vocis ſit paſſiva, & regulariter *ſervatum* denotet, activa tamen ejus eſt ſignificatio.

XLIX. Inſuper hunc Regem, *pauperem*, ſive *humilem* dici videas. Quanto id potiori jure de CHRISTO dicetur, quam de Zorobabele, qui primo Cyri, dein Darii opibus ſubnixus, templum Hieroſolymitanum exſtruxit magnis ſumtibus. Certe CHRISTVS tam fuit pauper, ut e mulierecularum eleemoſynis ægre ſe ſuſtentavit:

Luc. VIII. 3. neque locum habuerit, ubi reclinaret caput *Matth. VIII. 20.* Tum virtutes illi tam propriæ fuerunt manſuetudo, ac humilitas, ut eas a ſe, id eſt, exemplo ſuo, potiſſimum nos velit edoceri: ad hunc ipſum, ut videtur, Zachariæ locum alludens *Matth. XI. 29.*

L. Illud autem frigidum inprimis eſt, quod modeſtiam & pacis ſtudium in Zorobabele per ſeſſionem ſuper aſino indigitari putet. Sic enim etiam Salomo cum toto equitatu ſuo dici potuerit aſino fuiſſe vectus, quia Rex nullus fuit pacis ſtudioſior.

LI. Non plane extra oleas vagabitur, ſi paucis hic tetigerimus, quod priſcis Chriſtianis inter cavillos reliquos à Gentilibus objectum ſit, ὅτι ὁ θεὸς αὐτῶν, ὁ καλέμενος χριστὸς, εἰς ὀνάριον ἐκάθισε, *quod Deus illorum, qui CHRISTVS dicitur, aſello inſedit:* ut eſt apud Athanaſium *Homil. III. ad Paganos.*

LII. Sed id leve fuit præ atroci calumniæ labe, qua cultum aſinorum per ſummam impudentiam illis tribuerunt. Atque inde etiam Orthodoxi dicti ſunt *Aſinarii.* Hinc Tertullianus *ad Nationes libri I. cap. XI.* ſic concludit: *Et hoc forſitan crimini datis, quod inter cultores omnium tantum Aſinarii ſumus.* Imo in ipſorum opprobrium, a ſpurciſſimo quodam nebulone (horreſco referens) CHRISTVS pictus auribus aſininis, pede altero ungulatus, librum geſtans, & togatus, addita ejusmodi inſcriptione: DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES: ut legere eſt apud Tertullianum *Apologet. cap. XVI.*

LIII. Sed jam antea etiam aſini cultus Judæis a Gentilibus objectis fuit: cujus fabulæ architectus fuit Apion, Grammaticus Ægyptius, qui ſub Tiberio, Cajo &

Digitized by Google

Claudio vixit. Idem quoque de Judæis ſcripſit Democritus, ſive Damocritus Hiſtoricus, in *libro de Judæis*, ut eſt apud Suidam in Δαμόκριτος & rurſus in ἰȣδας: ut Tacitum, Plutarchum, Diodorum Siculum in *Excerptis Peireſcianis*, aliosque taceam. At harum fabularum diſquiſitionem, ſi DEUS vitam dederit, alibi tractabimus.

LIV. Illud plane eſt ridiculum, quod non nemo obſervavit, Genuæ in Italia monſtrari caudam aſini, ſuper quem CHRISTVS equitaverit. Si ita ſe res habet, non inviderimus has reliquias Pontificiis.

LV. Cum CHRISTVS pullum aſinæ aſcendiſſet, multi ex turba, honoris ergo, non modo ramalia & frondes, ſed etiam veſtimenta per viam ſtraverunt.

LVI. Præterea eundem proſecuti cum ingenti clamore, Filium Davidis, atque adeo verum Meſſiam profeſſi; tum bene precati verbis Pſalmi CXVIII. *Benedictus qui venit in nomine Domini.*

LVII. Addebant quoque lætam bene precantium acclamationem, *Hoſchiahnna*: cujus hæc eſt plenior ſententia: *Hunc quæſo ſerva nobis Regem, eique omnia proſpera largire.*

LVIII. Hæc interpretatio omnium ſimplicisſima eſt. Poſſet tamen hæc dictio etiam alter accipi. Vſitatisſima erat hæc acclamatio in celebrando feſto Tabernaculorum, ſeptem dierum: quorum ſinguli habent ſibi proprias Hoſannas: quæ dicuntur, *Hoſanna primi diei, Hoſanna ſecundi diei*, & ſic deinceps. Sic autem & hymni illi nominantur, & frondes arborum, puta, palmæ, oleæ, aut ſalicis, quas tenere manibus per illos dies ſolebant, quia ſubinde repetitur ea formula, *Hoſchianana*, vel *Ana Hoſchianana*, & ſimiles quidam verſus intercalares, in quibus id verbum ineſt.

Digitized by Google

LIX. Poſſemus igitur in his, *Oſanna, Filio David*, eam vocem ſic interpretari, ut idem ſit ac *βάϊα*, quod nomen in ea hiſtoria S. Johannes uſurpavit: tum autem ſupplendo locutionem imperfectam, *Oſanna Filio David*, hoc interpretamentum admittet. Hæc bäia, ſive termites palmæ oleæve aut ſalicis, aliasve arboris frondes in honorem Filii David: videlicet, geſtamus & vibramus.

LX. Erat alias moris apud Veteres, ut quorundam feſtorum pompam deducentes, olivæ termites geſtarent: aliquando e plurium arborum frondibus & fructibus concinnabatur quaſi faſciculus levis, quem geſtabant. Porro has frontes in ducenda pompa quatiebant in honorem ejus, cui pompa ducebatur. Quod quin & CHRISTI in honorem factum ſit, non adeo dubitandum fuerit.

LXI. Ceſpitat Baronius, quando palmam, quæ termites, ſive ſpadices, aut bäia, præbuit turbis CHRISTVM ſequentibus, adhuc Cyrilli ætate poſt tot Judææ vaſtationes, in illo ipſo loco diuturnam adhuc exſtitiſſe putat. Ex Cyrilli enim verbis id non liquet.

LXII. Sed forſan nec Cyrillo ipſi fides adhibenda eſt, quod ex una palma omnes omnis turbæ termites decerpti ſint. Nam arborum in numero multitudinis diſerte meminere Matthæus & Marcus. Verba Cyrilli hæc ſunt Catecheſi X. ὁ φοῖνιξ ὁ ἐπὶ τῆς φάραγγος μαρτυρεῖ, τὰ βάϊα παρασχὼν πᾶσι τοῖς τότε εὐφημοῦσι. *Palma hujus convallis teſtatur, quæ termites præbuit omnibus, qui tunc CHRISTVM laudabant.*

LXIII. Non indignum obſervatu eſt, in primitiva Eccleſia morem fuiſſe Chriſtianorum, ut Epiſcopis ac Presbyteris advenientibus obviam procedentes honoris cauſa acclamarent Oſanna. Illuſtre ejus moris exemplum

eſt

Digitized by Google

eſt in Itinerario Hieroſolymitano Antonini monachi, cujus hæc ſunt verba: *Ibi venerunt mulieres in occurſum nobis cum infantibus, palmas in manibus tenentes & ampullas cum roſaceo: & proſtratæ pedibus noſtris, plantas noſtras ungebant, cantabantque lingua Ægyptiaca pſallentes antiphonam: Benedictivos a Domino; benedictusque adventus veſter, Oſanna in excelſis.* Improbat hunc morem Hieronymus in cap. XXI. Matthæi: *Videant ergo Epiſcopi, & quantumlibet ſancti homines, cum quanto periculo iſta dici ſibi patiantur: Si Domino cui vere hoc dicebatur (quia nec tum erat ſolida credentium fides) pro crimine impingitur.*

LXIV. Poſtquam devenit CHRISTVS ad deſcenſum montis Oliveti, magna iterum coorta Judæorum acclamatio. Erant in illorum numero nonnulli teſtes oculati Lazari e mortuis reſuſcitati: quibus ſe aſſociarunt alii, fama illius miraculi exciti. Sed turbæ etiam ſe immiſcuerunt Phariſæi, qui præ livore ob frequentem acclamationem indignabundi, monuere CHRISTVM, ut populum compeſceret. Quibus tamen brevibus, ſed graviter reſpondit: *His tacentibus, lapides loqventur:* indicans fieri omnino non poſſe, quin clament, cum ad hoc eos impellat Spiritus Dei, ut impleantur Scripturæ.

LXV. Cæterum cum magis magisque in conſpectu eſſet Hieroſolyma, illacrumari cœpit JESVS miſeræ Vrbis conditioni, quæ ſic negligeret tempus gratioſæ ſuæ *viſitationis*, ut ea, quæ ad pacem & incolumitatem ſuam pertinerent, nollet addiſcere. Quapropter ab hoſtibus obſidione cingendam, horrenda multa perpeſſuram, ac tandem penitus diruendam, usque adeo, ut vix lapis ſit ſuper lapidem manſurus, ſpiritu prophetico prædixit.

LXVI. Quam vera fuerit Domini prædictio, diſcere licet ex Joſepho, qui inter alia hæc habet *lib. VII. de Bello Jud. cap. XVIII. Poſtquam quis occideret, quidve raperet exercitus, non habebat; quod iratis animis omnia deeſſent, jubet eos Cæſar totam funditus jam eruere civitatem ac templum, relictis quidem turribus, quæ præter alias eminebant, Phaſaelo & Hippico, & Mariamne, murique tanto, quantum civitatem ab occidente cingebat, id quidem ut eſſet caſtrum illis cuſtodiæ cauſa relinquendis: turres autem, ut poſteris indicarent, qualem civitatem, quamque munitam Romanorum virtus obtinuiſſet. Alium vero totum ambitum civitatis ita complanavere diruentes, ut qui ad eam acceſſiſſent, habitatam aliquando eſſe vix crederent.*

LXVII. Mirum quoſdam olim fuiſſe, qui ad ſuos ſenſus ſacrum textum corrigentes verbum ἔκλαυσε ex Luca expunxerunt. Quod conſtat ex Epiphanii *Ancorato*. Nimirum delicatuli illi putarunt, indignum eſſe CHRISTO, ſi ploraret; quaſi non & eundem, Lazaro mortuo, fleviſſe legamus apud Johannem; nec in ara crucis multis cum lacrumis Deo preces ſuas obtuliſſe teſtetur Epiſtola ad Hebræos. Merito ergo huic temerariæ correctioni ipſe Epiphanius antiquiſſima opponit exemplaria, quæ ἀδιόρθωτα ἀντίγραφα ipſe vocat haberi, quæ illam correctionem non ſuſtineant.

LXVIII. Sunt affectus ſunt a Deo; boni, ſi bene utamur, puta ad Dei honorem, & ſalutem proximi. At in CHRISTO hic affectus manabat ex caritate erga alios: quæ citra dubium optima. Et ſi quid in hoc mœrore infirmitatis humanæ fuit, id omne in θεανθρώπῳ absque ullo peccato fuit.

LXIX. Ex eo, quod CHRISTUS tam amare flevit

præ-

prævisum Hieroſolymorum excidium, & ingentem σπλαγχνοκαρδίαν Judæorum, luculenter apparet, non delectari Deum hominum interitu, nec ex æterno & immutabili decreto aliquos velle perditum iri, ut ſplendor ſuæ juſtitiæ eluceat.

LXX. Poſtea CHRISTVS aſino inſidens, & tanta comitante turba urbem eſt ingreſſus. Tum tota civitas commota, magnaque ejus pars rogarunt, quis ille foret, qui cum tanta pompa ingrederetur Hieroſolymam, ac cui Meſſiæ, ac Regis Iſraelitarum nomen tanto niſu acclamaretur. Qui vero e Bethania & Bethphage advenerant, vel Hieroſolymis acceſſerant, dixere: eum eſſe Prophetam e Nazareth: illum fortaſſis Prophetam indigitantes, quem Moſes prædixerat, *ſuſcitaturum Deum Dominum.* *Matt. XXI. v. 10.*

LXXI. Phariſæi vero indignari, ac ſe ipſos culpare, quod, dum cunctanter agant, CHRISTVS tanta favoris popularis incrementa ceperit, ut pœne totus mundus, id eſt, magna hominum frequentia eundem ſectaretur. *Joh. XI. v. 19.*

CAP. V.

De iis, quæ contigere CHRISTO Hieroſolymam ingreſſo, & aliis quibusdam, quæ Evangeliſta Johannes ſubjungit.

I.

POſteaquam CHRISTVS Hieroſolymam ingreſſus, non arcem petit, ſed recta ad templum pergit: quod argumento eſſe poterat, regnum ejus non eſſe mundanum, ſed ſpirituale.

II. In templo CHRISTVM acceſſere cæci claudique; quos & ſanavit. Fuit hæc quidem cæcitas & claudicatio *Matt. XXI. v. 14.*

 cor-

corporalis: ſed ſymbolum erat cæcitatis ac claudicationis ſpiritualis: quibus medetur CHRISTVS, tum Spiritu ſuo, tum verbo & Sacramentis.

III. Tum pueri ad exemplum populi CHRISTVM antea comitantis, magna voce acclamare cœperunt: *Hoſchiabnna Filio David.* Proceres indigne ferentes illam acclamationem, ex invidia & indignatione interrogarunt CHRISTVM, an audiret ea, quæ dicerentur.

Matt. XXI. v. 15. IV. Indignationi huic occurrit Dominus, quærendo ex iis, annon legiſſent illud, (Pſalmo quod habetur VIII.) *Ex ore infantium & lactentium Deum perfeciſſe ſibi laudem*: id eſt, per ſimplices & indoctos, ac ſimiles infantibus, imo per infantes ipſos, Deum gloriam ſuã fundare.

Joh. XII. 20. V. Hinc quidam Græci JESVM videre, & forteam compellare deſiderantes, deſiderium ſuum primum Philippo, ex Bethſaida Galilææ oriundo, ſignificarunt. Hic poſtquam expoſuerat Andreæ, uterque hoc ad CHRISTVM retulerunt, priusquam eos adducerent.

VI. Græci hic dicuntur homines non circumciſi: puta, nec Iſraëlitæ, nec item proſelyti: ſed ex gentilibus iis, qui unum agnoſcerent Deum: quales in Actis Cornelius centurio, & Eunuchus Reginæ Candaces. Ex eo autem quod quotannis Hieroſolymã proficiſcerentur in Paſchatis feſto, & ſuas cum Judæis preces conjungerent, veriſimile fit, eos e Phœnicia, aliove loco vicino adveniſſe. Nec obſtat, quod Græci dicantur. Nam in univerſum, Græci Judæis ſæpe opponuntur.

Joh. XII. 23. VII. CHRISTVS autem occaſione ea, quod gentiles tangerentur deſiderio ſe videndi, memorabilem inſtituit orationem de gloria, quæ ſe maneret per orbem univerſum: nec ſe ad hanc gloriam pervenire poſſe aſſerens, niſi

Digitized by Google

niſi moriatur, ac deinde reſurgat. Itaque ſic ſecum com- *Joh. XII. 24.*
paratum eſſe ait, tanquam cum frumenti grano, quod niſi
terræ fuerit mandatum, nullum ferat fructum.

VIII. Atque ut denuo diſcipulos ad paſſionem præ- *v. 25.*
pararet, ſubjungit: illos, qui ſic vitam ſuam amen, ut
CHRISTVM poſthabeant, animam perdituros ſeculo fu-
turo: illos vero, qui ſeculo renuncient, & vitam hanc præ
CHRISTO floccifaciant, æternum victuros cum
CHRISTO.

IX. Æquum etiam eſſe dicit, ut miniſter dominum *v. 26.*
ſequatur: quod ſi fiat, fore etiam, ut ubi CHRISTVS erit,
iſtic ſit miniſter: & qui ſibi ex animo miniſtraverit, apud
cœleſtem Patrem honorem habiturum.

X. Hic CHRISTVS vehementem ſenſit horrorem, *v. 27.*
ſed ab omni peccati labe intactum, ortum e recordatione
paſſionis: quem etiam non celavit; ſed Patrem oravit, ut
ſe ab imminenti ſupplicio liberaret. Attamen quaſi re-
vocans ſe, continuo ſubjungit: ſe veniſſe in hunc mundum
ad duriſſimam mortem ſubeundam: quapropter nihil a
ſe expeti, niſi cum ea conditione, ſi ſic placeret Patri: ſed
certis ac determinatis precibus ſeſe exponere, ut Pater o-
mne id per JESVM faceret, unde clarum ac celebre fieret
nomen divinum.

XI. Poſtquam autem expreſſis his verbis precatus *v. 28.*
fuerat: *Pater illuſtra nomen tuum*: vox hæc e cœlis eſt au-
dita: *Et illuſtravi, & iterum illuſtrabo.*

XII. Adſtantes hunc ſonum audiebant, ſed alii, quod *v. 29.*
confuſius audirent & turbatius, neſcientes eam eſſe vocē,
putabant eſſe tonitru: qui vero audirent perfectius, cre-
debant Angelum cum JESV collocutum.

XIII. JESVS autem indicavit eis, vocem illam non *v. 30.*

Digitized by Google

propter ſe editam eſſe, ſed propter adſtantes: quo nempe facilius crederent ei, cui ipſi cœleſtis Pater teſtimonium perhiberet.

Joh. XII. v. 31. XIV. Ingens vero ſolatium ex ea voce CHRISTVM percepiſſe, arguunt ſequentia verba, queis in gloriatur de victoria, quam eſſet reportaturus de morte ac diabolo. *Nunc,* inquit, *judiciũ eſt mundi.* Vbi per *κρίσις* vel damnatio intelligitur, quia reſurrectione ſua omnes erat mendacii convicturus, qui credere nollent. Vel potius ſignantur vindiciæ in libertatem: quia genus humanum erat morte CHRISTI liberandum ab eo, qui more tyrannorum regnum mundi invaſerat: hoc eſt, a diabolo.

v. 32. XV. Alium etiam fructum paſſionis ſuæ inculcat, collectionem ſcilicet Eccleſiæ ex omnibus gentibus, non ex Judæis modo, ſed etiam ex alienigenis, dummodo non renuant vocantem ſequi. *Et ego,* inquit, *ſi exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me ipſum.*

XVI. Hæc vero de exaltatione in crucem intelligenda eſſe, optimus verborum CHRISTI interpres, Johannes ipſe indicat.

v. 33. XVII. Putant nonnulli, CHRISTVM hæc aliquanto explicatius dixiſſe: alioqui non intellexiſſe præſentes, CHRISTVM de mortis ſuæ genere locutum. Et hoc eo veriſimilius eſſe autumant, quia auditores mox nominent *Filium hominis.*

v. 34. XVIII. Hinc cavillabantur Judæi dicta CHRISTI, opponentes iis argumentum ex Lege, hoc eſt, e ſacris literis, quæ Meſſiæ regnum æternum fore prædixiſſent. Cum hoc æterno regimine nequaquam putant convenire exaltationem illam, quam dixerat, ſeu ignominioſam mortem crucis.

XIX. Non

XIX. Non male hunc arietem torſiſſent Judæi, niſi CHRISTVS brevi fuiſſet reſurrecturus. Quapropter *v.35.*
illis objicit malitiam, quod tam clara luce non videant lucem: quia oculos occludant, etiam pauxillo tempore, quo qui lux eſſet mundi, cum iis eſſet victurus in terris. Serio igitur eos hortatur, ne in ignorantiæ tenebris errare velint: ſed dum lucem habeant CHRISTVM, in lucem, *v.36.*
prout lucis filios deceat, vere credant.

XX. Atque hæc de eo tempore, quo CHRISTVS in urbe ſubſtitit. Nunc ſequitur de eo, quo egreſſus in *v.37.*
Bethaniam, quia ſe nollet ante tempus divinitus decretum offerre morti ſuæ.

XXI. Prius tamen quam ad alia accedit, Ἐπιφωνηματικῶς ſubjungit S. Johannes, quomodo poſt tam multa, tam magna, quæ hactenus dixerat, & fecerat JESVS, Hieroſolymitanorum pars maxima non crediderit in illum. Quæ quia ad Hiſtoriam Paſſionis proxime non ſpectant, nunc omittimus, & ad ſequentia pergimus.

CAP. VI.

De maledictione ficus, & ejectione ementium ac vendentium e templo: quæ contigerunt hebdomadis magnæ feria ſecunda.

I.

PRoximo mane, quod erat magnæ hebdomadis feria ſecunda, ſive dies Lunæ, CHRISTVS ex Bethania denuo tendit Hieroſolymam.

II. In itinere CHRISTVS e longinquo ficum adſpi- *Matth. XXI. v.18. Marc. XI. v.12.*
ciens, fame impellente ad eam ivit, ut videret, an fructum
in

Digitized by Google

in ea inveniret. Sed quia Dei Filius omniſcius, non quicquid norat quatenus Deus, etiam quatenus homo in ſtatu exinanitionis noverat, propius accedens, nil præter folia in arbore invenit.

III. At quia eo anni tempore, puta medio menſe Niſan, ficus fructum ferre nequibat, nonnulli in ea ſunt ſententia, ſciviſſe CHRISTVM, ficum id temporis caruiſſe fructu; at, quod e longinquo ficum conſpiceret, neſciiſſe eam eſſe ficum, ſed crediſſe arborem eſſe aliam, quæ iis in locis jam haberet fructum.

IV. Nec tamen & hæc ſententia difficultate caret. Quapropter alii, non ignoraſſe, dicunt, ſe nihil inventurum; verum more humano quærenti ſimilem acceſſiſſe, ut occaſionem haberet patrandi miraculi, & diſcipulos ad fidem excitandi.

V. Atque huic etiam fini, cum fructuum nihil inveniret, maledixit ficui: ac illa propterea exaruit.

VI. Myſtice etiam hoc ipſo Synagogæ ſtatum adumbravit, quam velut arborem hortulanus, ſic illam Deus ſollicite excoluerat. Poſtquam igitur nullos eam proferre vidit fructus, cum debebat ferre, excidio devovit. In hanc ſententiam ſcribit Auctor commentar. in Apocalypſin Ambroſio tributorum: *Arbor fici, quam Dominus ante paſſionem maledicendo aridam fecit, eo quod in ea fructuum non reperiſſet, eosdem Judæos deſignavit, quos maledictione perpetua damnavit, eo quod in illis fructuum non reperiſſet.*

VII. Futilis eſt quorundam ex veteribus traditio, eandem hanc fuiſſe ficum, quæ Adamo & Evæ folia tegendo pudori præbuit.

IIX. Poſtea JESVS denuo urbem eſt ingreſſus, ac mox

mox etiam Templi atrium, in quo populos vendebat ac emebat.

IX. Quemadmodum vero CHRISTVS initio muneris ſui fecerat, ita nunc quoque circa vitæ finem, templum ſtrenue perpurgans ejecit ex eo, qui mercatum exercebant, collybiſtarum item menſas, & ſedilia illorum qui columbas vendebant, ſubvertebat. *Matt. XXI. 12. Marc. XI. 15.*

X. Scilicet in templi atrio exponebant animalia pro victimis requiſita, ut illis, qui e longinquis terris veniebant, neque pecora in hunc uſum commode parare poterant, in promtu eſſent. Vbi vero præſens pecunia deficiebat, data fide, datoque interdum pignore, fœnerato a collybiſtis accipiebant.

XI. Non poſſumus Viro Magno aſſentiri: a quo hic locus de mercatu columbarum parum ſane explicatur de columbis tabellariis. De columbis enim ad ſacrificium adhibendis, non de iis, quæ ad volandum & perferendas literas inſtruerentur, verba hæc intelligenda eſſe, dubium eſſe debet nemini, cui Antiquitates Hebræorum ſunt perſpectæ.

XII. Quod turba mercantium & menſariorum CHRISTO ſe opponere non auderet, id luculentum divinæ virtutis argumentum fuit, certiſſimumque divinæ præſentiæ indicium: ut plane non ſit opus ad ſcintillantes CHRISTI oculos, quos plani in templo reformidaverint, recurrere.

XIII. Atque hæc etiam ejectio nundinantium inter præparationes fuit Paſſionis Dominicæ: quia magis magisque commovit animos Pontificum adverſos CHRISTVM.

XIV. Vti vero ante, ita tum quoq; veſperi CHRISTVS urbe exiit, & Bethaniæ procul dubio pernoctavit.

Digitized by Google

CAP. VII.

De iis, quæ CHRISTVS dixit & fecit hebdomadis magnæ feria tertia.

I.

FEria magnæ hebdomadæ tertia, ſive die, ut vocamus, Martis, varios CHRISTVS habuit ſermones: ac primum de vi fidei, occaſione ficus arefactæ.

Matth. XXI. 20. II. Cum enim CHRISTVS denuo cum diſcipulis iret Hieroſolymam: atque illis in via mirantibus, breviculo adeo ſpatio exaruiſſe ficum, cui pridie Dominus maledixerat, loqui cum iis cœpit de virtute fidei, quam tantam eſſe aſſeruit, ut ea montes etiam transferri posſint.

Matth. XXI. 23. Marc. XI. 27. Luc. XX. 1. III. Hinc urbem templumque eſt ingreſſus, ubi quotidie docebat. Principes vero Sacerdotum, Scribæ, & Seniores ex illo quærunt de auctoritate, qua fretus iſta faceret. Sed CHRISTVS viciſſim illis proponit quæſtionem de baptiſmo Johannis, utrum eſſet ab hominibus, an ex cœlo: negavitque prius ſe reſponſum eſſe daturum, quam ab iis accepiſſet: quod clare illi non audebant, populi metu.

Math. XXI. 28. IV. Quia vero de Johanne ſermo eſſe cœpit, pergit Servator, & redarguit Judæos parabola duorum filiorum, quorum unus, quod Patri ſe promiſerat facturum, non præſtitit, alter autem quamvis compellatus primum negaſſet, poſtea tamen pœnitudine ductus, ſententiam mutaſſet. Cumque ipſi etiam priorem filium prætulisſent, innuit, priori ſimiles eſſe Phariſæos & Scribas, qui

viderı

videri volebant curioſi juſtitiæ cultores, & ore promtitudinem obediendi Deo præ ſe ferebant, Johanni tamen viã juſtitiæ commonſtranti non obtemperarant; poſteriori vero ſimiles publicanos & meretrices, qui etſi pridem in peccatis volutati erant, poſtea tamen pœnitentiam agentes, ad prædicationem Johannis voluntati divinæ obedire cœperunt.

V. Sequuntur aliæ parabolæ, quibus itidem perſtringuntur & reprehenduntur Judæi, & quidem vehe- *Matt. XXI.*
mentius & apertius, quam priore illa. Proponit enim *v. 13.*
vineam locatam improbis agricolis, qui primo quidem *Marc. XII.*
ſervos a domino vineæ miſſos cæciderint, & interfecerint; *v. 1.*
tandem eo improbitatis proceſſerint, ut nec filiofamilias *Luc. XX. 9.*
ad ſe miſſo parcerent, quibus ob tanta facinora juſto judicio exitium immineat.

VI. Subjungit aliam parabolam de nuptiis filii regis: *Matt. XXII v. 1.*
quæ & ipſa, ut ſuperiores, indicium facit, rejectis ob improbitatem & ἀχαριστίαν Judæis, invitatum iri gentiles: qui tamen ne ſe efferrent, & ſuperbirent, aut in temerariam ſecuritatem prolaberentur, aliquantum ulterius progreſſa docet, inter eos quoque, quamvis invitati ad nuptias acceſſerint, repertum iri, quibus deſit veſtis nuptialis, ac propterea in tenebricoſum inferni carcerem detrahendos eſſe.

VII. Inde inimici CHRISTI, cum iis quæſtio illa, *Matt. XXII*
qua poteſtate iſta faceret, non ſucceſſiſſet e voto, tres alias *v. 16.*
inſtituerunt. Vna Phariſæorum & Herodianorum erat *Marc. XII.*
de tributo Cæſari dando. *v. 13.*

VIII. Quinam illi fuerint Herodiani, non una eſt *Luc. XX. 20.*
Interpretum ſententia.

IX. Epiphanius, quem plures Juniorum ſequuntur,

fuiſſe docet hominum genus, quod Herodem Regem pro Meſſia colebat. Verum cum de ejusmodi Herodianis nuſpiam aliquid certi legatur, ac Herodes Magnus etiam, de quo hæc intelligi hujus ſententiæ patroni volunt, jampridem obierat, cum hæc gererentur; tum is ipſe Judæorum genti admodum inviſus eſſet: nulla apparet ratio, cur de iſtis hominibus Evangeliſtæ agant.

X. Alii putant contemtim a Judæis dictos Herodianos, qui Romanis tributum reddendum cenſebant, ut præſenti conſuleretur ſtatui. Conſtat enim ex Joſepho, quomodo quidam Galilæus, ſecta Phariſæus, perſvaſerit populo, quod is liber foret, nec neceſſe haberet tributum exteris principibus perſolvere. Atque ait, multos homini adhæſiſſe, ſed una periiſſe cum duce ſuo. Fuit interim poſtea etiam grata hæc opinio in vulgus. Herodes nihilominus, beneficio populi rex factus, & Cæſaris adulator, tributum hoc urgebat atque ut in talibus fieri ſolet, etiam e Judæis fuerunt, qui Herodi hac in re patrocinarentur: quibus deinde, etiam ab exceſſu Herodis, Herodianorum nomen adhæſiſſe potuit.

XI. Sed multum huic ſententiæ incommodat, quod non fiat veriſimile, Phariſæos cum his hominibus conjunctionem iniiſſe, qui in vulgus exoſi erant: niſi velis dicere, cum de CHRISTI capite ageretur, etiam Vatiniano inter ſe diſſidentes odio concordiam ſanciiſſe.

XII. Non longe abeunt ab hac ſententia, qui Herodianos arbitrantur ſeditioſos Judæos, qui aſſererent, Herodi potius obediendum eſſe, quam Romanis, peregrino Magiſtratui.

XIII. At enim valde dubito, an tale quid nonnulli publice ſpargere auſi fuiſſent, Romanis jam tum ſummam

rerum

rerum in Judæa tenentibus, & Propræſide Romani Imperatoris in urbe Sancta cum imperio verſante. Certe ſi tales fuerunt in Judæa & Hieroſolymis, non puto ob timorem Romanorum a Judæorum primoribus ad negocia magni momenti conficienda adhibitos.

XIV. Fortaſſis etiam falluntur, qui Herodianos putant mixtæ fuiſſe religionis ex gentili & Judaica.

XV. Simpliciſſima, & fortean optima illorum eſt ſententia, qui Herodis Antipæ, vulpeculæ illius, ut eum CHRISTVS alicubi nominat, miniſtros & aulicos fuiſſe, ſtatuunt. Huic favet Syrus, qui *domeſticos Herodis* reddit; favet Evangelium Matthæi Hebraicum, quod *Herodis ſervos* nuncupat; favet Æthiopica verſio, quæ *homines Herodis* interpretatur: ut magnum veterum & recentiorum Interpretum manum ſilentio prætercam.

XVI. CHRISTVS autem cum Phariſæorum & Herodianorum verſutiam intelligeret, numiſma cenſus ſibi jubet exhiberi.

XVII. Cum Judæi uterentur pecunia, & propria, & vicinarum regionum, & Romana, dubium vix eſt, quin tributum, quod pendebatur Cæſari, in ulla alia, quam Romana exigeretur. Poſcit igitur Servator tale monetæ genus, quale ab exactoribus tributi poſcebatur.

XVIII. Hinc Servatori obtulerunt denarium: non, quod tributi loco nonniſi denarius penderetur; ſed tanquam exemplum Romanæ pecuniæ, quam ſolam iſti acciperent.

XIX. Conſpecto denario ex ipſis quærit, cujusnam eſſet imago, & inſcriptio: non, quod ignoraret, ſed ut declararet, ſibi qui cœleſtia tractet, res terrenas curæ non eſſe, adeoque velut incognitas in animum non admitti;

 tum,

Digitized by Google

tum, ut ex ipſorum verbis illos convinceret. Nam cum reſponderent, Cæſaris eſſe, inde colligit : *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari:* ut hæc ſit Salvatoris mens: Quoniam uſu hujus monetæ Cæſareæ teſtamini, vos Cæſaris imperio ſubjectos, danda ſunt illi, quæ tamquam princeps a vobis jure exigit.

XX. Diſcimus ex hoc reſponſo CHRISTI, etiam Chriſtianos Ethnicis Principibus obſequi debere, & quæ pro jure imperii, & conſervata Rep. exiguntur, pendere.

XXI. Neque tamen contentus eſt dicere, ut Cæſari darent, quæ forent Cæſaris; ſed addit, ut Deo quoque, quæ Dei forent, redderent : nempe primitias, decimas ſecundum legem; quin maxime honorem, reverentiam, & dilectionem ſuper omnia.

Matth. XXII. 23. Marc. XII. 18. Luc. XX. 27.

XXII. Altera erat quæſtio Sadducæorum : cu uxor in cœlis futura eſſet, quæ ſeptem habuiſſet fratres. Nempe hoc pacto reſurrectionis dogma, quod negaban hi ſectarii, poſſe everti putarunt.

XXIII. CHRISTVS vero reſpondet, errorem eorum provenire ex ignorantia partim Scripturæ, partim potentiæ divinæ. Scripturam ignorabant, tum, quia in Prophetis varia eſſent de Reſurrectione teſtimonia: ſed illi hos pro ſcriptoribus quidem bonis & utilibus, ſed divinis non haberent: tum, quia neſcirent, etiam reſurrectionem poſſe comprobari ex Moſe, cujus libros pro θεοπνεύστοις ac canonicis agnoſcerent.

XXIV. Potentiam divinam neſciebant, quod putarent, fieri non poſſe, ut corpora in cinerem redacta iterum ad vitam revocarentur: quaſi hoc illi difficile foret, cujus potentia immenſa eſſet.

XXV. Poſtquam ſic eos coarguit, occurrit eorum argumento, negando majoris conſequentiam. Non enim ex eo, quod reſurrectio ſit futura, oſtendit rem tam abſurdam ſequi, ut una mulier ſeptem fratribus in cœlo nuptui daretur: cujus negationis hæc eſt ratio, quod a reſurrectione in cœlis ceſſent nuptiæ.

XXVI. Lucas reſponſum CHRISTI ita effert: *Filii hujus ſeculi ducunt uxores, & nuptum dantur; qui vero digni habiti fuerint ſeculum illud contingere, & reſurrectionē ex mortuis, neq; nubent neq; ducent uxorem.* Vbi per filios hujus ſeculi cave cum Pontificiis intelligas, qui toti dediti ſunt huic ſeculo, & tantum voluptates quærunt hujus ſeculi: ut ex hoc interpretamento cœlibatum clericorum fulciant. Non enim alii hoc in loco ſunt filii hujus ſeculi, quam qui in hoc ſeculo vitam ducunt; eſtque hæc locutio mortalium periphraſis.

XXVII. Porro ait CHRISTVS, nos a reſurrectione fore ἰσαγγέλους: quia loco vitæ animalis, tum cibi ac potus indigæ ad individui conſervationem; tum etiam generationis neceſſariæ ad conſervationem ſpeciei, vivemus vitam ſpiritualem inſtar angelorum.

XXVIII. Ex quo CHRISTVS hoc Sadducæorum argumentum ſolverat, validum adverſus eos telum intorquet ex Exodi III. ubi Deus in rubo loquens vocatur Deus Abraham, Iſaac, & Jacob, qui jam erant mortui. At cum Deus non ſit mortuorum Deus, ſed viventium, eo ipſo vult oſtendere, Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum vivere. Argumenti hujus forma fuerit ejuſmodi;

Quorum Deus eſt Deus, illi vivunt.
Abrahami, Iſaaci & Jacobi Deus eſt Deus,
E. Abraham, Iſaac & Jacob vivunt.

Digitized by Google

XXIX. Hujus vero diſſertationis triplex fuit effectus. Nam & ſcribarum nonnullis, qui Sadducæis adverſarentur, hoc, licet hoſtibus CHRISTI veritas extorſit, ut recte eum reſpondiſſe faterentur: quemadmodum refert *Lucas cap. XX. 39.* & Sadducæi non fuerunt auſi eum amplius interrogare: quod ibidem Lucas memorat: & populus ſuper illius doctrina, & perſpicuis adeo ad tam perplexa reſponſis in admirationem rapiebatur: ſicuti Matthæus narrat *cap. XXII. v.33.*

Matth. XXII.34. XXX. Tertia quæſtio Legisperiti ſive Scribæ tentantis fuit de maximo inter tot legum capita mandato: ac reſponſum eſt a CHRISTO, hoc eſſe de Deo cunctis viribus diligendo: cui mandato ſimile ſit alterum, ut proximum, ſicut nosmetipſos, diligamus.

Marc. XII. 28. XXXI. Ex Marco apparet; hominem non tam tentandi, quam diſcendi gratia quæſtionem hanc moviſſe; quin reſponſum CHRISTI comprobaſſe & collaudaſſe, adeoque ab ipſo CHRISTO encomium hoc retuliſſe, quod non procul abeſſet a regno Dei. Sed facile fieri potuit, ut qui initio tentaturus acceſſerat, poſtea audito reſponſo animum mutaret, & in admirationem & laudem Servatoris abriperetur.

Matth. XXII.42. Marc. XII. 35. Luc. XX.41. XXXII. Nec CHRISTVS interrogari ſolum voluit: ipſe etiam interrogavit Phariſæos: Quid ipſis videretur de Meſſia, cujus filium ipſi eum eſſe ſentiant? Reſpondent promte: Davidis. Non negat id Servator, ſed non ſufficere reſponſum arguit; eo quod etiam Dominus Davidis, ab ipſo Davide, Sancto Spiritu pleno diceretur. Ad quam inſtantiam non habent, quod reſpondeant.

Digitized by Google

XXXIII. Cum igitur Phariſæi viderent, nihil ſe poſſe adverſus potentiam verborum CHRISTI, ſeſe proripuere ex templo.

XXXIV. Ab eorum diſceſſu CHRISTVS primum ſuos inſtruit de piorum officio, tum agenda inculcans, tum cavenda: quæ habentur *Matthæi cap. XXIII.* usque ad verſum XII. Inde Phariſæos vivis depingit coloribus, iisque multifariam juſte imprecatur, usque ad verſum XXII. Denique annunciat, quam acerbum Dei judicium maneret eos, gentemque univerſam: de quo usque ad capitis finem.

XXXV. In his etſi multa occurrunt obſervatu digna, tamen quia Paſſionis hiſtoriam propius non attingunt, illuſtrare prætermittimus.

XXXVI. Poſt illa JESVS ex adverſo gazophylacii, *Marc. XII. 41.* ſive arcæ in atrio templi conſtitutæ, quæ alio nomine Corbona vocabatur, ſedens, & conſpiciens, quantum quisque *Luc. XXI. 1.* donarium in illud mitteret, duo λεπτὰ ſeu minuta, quæ quadrantem, hoc eſt, quartam aſſis partem, ſeu teruncium valebant, minutum viduæ pauperculæ donum, ſed ex liberali animo profectum amplis divitum gazis prætulit.

XXXVII. Hinc egreſſus fuit templo, quod poſtea ingreſſus eſt nunquam.

XXXVIII. Cum exiiſſet, commonſtratur illi a di- *Mat. XXIV. 1.* ſcipulis magnifica, & ſumtuoſa, adeoque prorſus admiranda templi moles. CHRISTVS igitur agnoſcere præ- *Marc. XIII. 1.* ſtantiam operis: ſed prædicere illius interitum, adeo ut ne lapis quidem ſuper lapidem ſit relinquendus. *Luc. XXI. 5.*

XXXIX. Cum hæc audiſſent diſcipuli, Dominum *Mat. XXIV. 3.* urbe jam egreſſum, & ex adverſo templi in monte Oliveti *Marc. XIII. 3.* ſedentem adeunt, & interrogant, quando hæc futura ſint, & *Luc. XXI. 5.*

& quodnam ſignum fuerit adventus ejus & conſummationis ſeculi. Vel enim exiſtimabant, templum & urbem non deſtructum iri ante excidium mundi, adeoque eundem totius univerſi, & templi ac urbis ſanctæ finem fore. Vel etiam credebant, ſubverſo templo iſto mox aliud multis partibus præſtantius exſtructum iri a Meſſia; qui Judæos eſſet liberaturus Romanorum jugo: eoque Rege ſeculum ad ſtatum perfectiſſimum reductum iri.

XL. Quoniam autem hoc modo confundebant Vrbis & Orbis excidium, diſtincte reſpondit Servator, & oſtendit, quæ ſigna antegreſſura interitum urbis, & quæ etiam in ipſo excidio eventura. Deinde ſubjungit ſigna extremi judicii, & quæ in ipſo gerentur; de quibus omnibus enucleatius agendi non permittit inſtituti mei ratio.

Luc. XIIX. 1 XLI. Etiam CHRISTVS enarravit varias parabolas; quas inter illa etiam de judice nec Deum reverente, nec homines; ſed tamen aſſiduis viduæ interpellationibus cedente; ne ſi ſic moleſta eſſe pergeret, ſe penitus obtunderet.

Matt. XXV. 1. XLII. Præterea attulit CHRISTVS parabolam de quinque virginibus ſapientibus, ac totidem ſtolidis.

XLIII. Denique huc referenda eſt parabola de hero, qui prius in terras quam abiret peregrinas, ſervorum uni quinque talenta, alteri bina, tertio unum dedit.

Matt. XXV. 14. XLIV. Ab hac parabola CHRISTVS commode tranſit ad enarrandum ultimum judicium, ejuſdemque antecedentia, proceſſum ipſum, & ſententiæ executionem: quæ prolixe exponuntur a Matthæo *cap. XXV. a verſu 31.* usque ad finem capitis.

CAP.

CAP. IIX.

De CHRISTO paſſionem ſuam iterum prædicente; deque conſultatione Synedrii contra CHRISTVM, & pacto Judæ de tradendo Domino. Quæ evenere hebdomadis magnæ feria quarta.

I.

MAgnæ hebdomadis feria quarta, die, ut externum in morem loquimur, Mercurii, CHRISTVS iterum prædixit paſſionem ſuam, eoque ipſo adverſus Paſſionis ſcandalum munit diſcipulos.

II. Bene Anſhelmus. CHRISTVS *poſt ſermonem, quo ſe venturum in claritate prædixit, paſſurum ſe eſſe oſtendit, ut admoneat Sacramentum crucis admixtum eſſe gloriæ æternitatis.* tom. I. in cap. XXVI. Matthæi.

III. In eandem ſententiam Hugo. *Poſtquam præmiſit de adventu ſuo in majeſtate, ſubdit de paſſione, quam ſuſtinuit ex ſumma humilitate: conjungens gloriam æternitatis merito paſſionis, ut effectum cauſæ. Paſſionis enim effectus, vel cauſa finalis eſt gloria æternitatis.* tom. V. in cap. XXVI. Matthæi.

IV. In hoc ſermone CHRISTI duo attendimus: quod paſſurus, & quando paſſurus.

V. Tempus præmittitur a Matthæo, *cap. XXVI. v. 2.* cujus gemina eſt nota. Vna eſt, fore hoc poſt bidui intervallum. Vt, cum CHRISTVS ſit paſſus feria ſexta, hoc contigerit feria quarta. Neque enim Anſhelmo aſſentimur, qui die Martis hæc dixiſſe CHRISTVM autumat.

Digitized by Google

VI. Altera nota eſt, quod id ſit futurum Paſchæ tempore.

VII. Vox Paſchatis non ſumitur hoc loco pro paſchali agno, ſive typico; ſed μετωνυμικῶς pro tempore; idque vel pro primo die paſchali, cujus initio comedebatur agnus: vel eo die, & ſex diebus conſequentibus. Vtrum enim primum diem, an totam intelligas hebdomadem, parum referet.

IIX. Porro ubi Matthæus ait, *Poſt biduum Paſcha fiet*, apud Marcum legas, *Erat autem paſcha, & azyma, poſt biduum.* Atque hic quoque *Azyma* non proprie videntur ſumi, pro pane infermentato: ſed pro ſeptem dierum feſto, quo Judæi comedebant panem fermenti expertem.

IX. Alterum erat, quod CHRISTVS ſit paſſurus. De quo ſic Evangeliſta: *Et filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Vbi ἀπὸ κοινοῦ illud ὅτι repetendum. Vt ſententia ſit; intra biduum, quod dixi, filius hominis tradetur, & cruci affigetur.

X. Antea CHRISTVS indefinite erat locutus ad diſcipulos de ſua paſſione: nunc diſerte tempus præfinit. Et convenit hoc tempus cum traditione illa Judæorum cabbaliſtica, quo die populus Judaicus Ægyptiaca fuit captivitate liberatus, ea per Meſſiam fore redemtionem Iſraëlis.

XI. Prius autem quam CHRISTVS de morte ſua loqueretur, prolixum illum ſermonem de deſolatione templi ac Vrbis, ſignisque hanc anteceſſuris, ut & de ultimo ſuo adventu, ejusque præſagiis, quem in feriam tertiam, opinionem vulgatam ſecuti retulimus, hoc ipſo die habuiſſe, nonnulli fortaſſis non abſurde conjiciunt. Nam CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVM ſub veſperam egreſſum tamdiu in monte Oliveti hæſiſſe, antequam Bethaniam iret, donec univerſa iſta explicare potuiſſet, vix illis veroſimile videtur. Nec diſcipulos CHRISTVM totius diei laboribus defatigatum, jamque refectionis deſiderio Bethaniam pergentem, tanti momenti quæſtione detinuiſſe probabile eſſe putant.

XII. Imo connexionem narrationis Matthæi non obſcure oſtendere dicunt, CHRISTVM hos ſermones quarta habuiſſe feria: cum explicate ſcribat: *Et factum eſt, cum conſummaſſet JESVS omnes ſermones hos* (nempe duobus capitibus proximis deſcriptos) *dixit diſcipulis ſuis: ſcitis, quod poſt duos dies Paſcha fiet.* Innuere cenſent Matthæum, CHRISTVM, ſimul ac abſolviſſet præcedentes ſermones, eodem tempore, exigua ſaltim interjecta morula, qualis mutanti orationis argumentum congruit, paſſionem ſuam prænunciare cœpiſſe.

XIII. Sed quicquid ſit de eo, illud certum eſt, hoc ipſo die hoſtes CHRISTI ſeſe præparaſſe ad inſidias ei faciendas.

XIV. Nam alterum tunc habitum concilium de capiendo & necando CHRISTO: cui præter Maximum Pontificem, alii ſacerdotalium familiarum Principes, cum Scribis, & ſenatoribus ceteriſque populi Senioribus intererant.

XV. Atque hæc evincunt, hoc concilium fuiſſe magnum, quod Sanhedrin appellant Thalmudiſtæ.

XVI. Nonnulli tamen ea propter dubitant plenum magni Synedrii conſeſſum fuiſſe, quod Senatores non convenerint in Baſilica magna, quæ conclave *Gazith* ap-

pellabatur, ſive in conclavi e cæſo lapide; ſed ἐν αὐλῇ τοῦ Ἀρχιερέως *in palatio Summi Pontificis* Cajaphæ.

XVII. Sed quis nobis dixerit, tam ſancte huic mori inhæſiſſe Patres Hebræorum, ut non in tanta regiminis mutatione mutarint quandoque publicum conſiliorum locum? Et ſane, quia ſua conſilia maxime occulta eſſe voluerunt, ideo potius in Pontificiis ædibus, quam in publico Templi loco ſuum conſeſſum habuiſſe veriſimile eſt.

XVIII. Nonnulli interiora palatii ingreſſos eſſe nolunt conſultores; ſed ſub dio inter ſe de capiendo CHRISTO collocutos putant: eo quod αὐλὴ Scriptoribus antiquis πάνυ denotet ὕπαιθρον, locum ſub dio ante ædes principis.

XIX. At procul dubio Matthæus poſteriori ſignificatione uſus eſt pro ipſo principis palatio: quam hujus vocis notationem præter ceteros Athenæus & Euſtathius obſervarunt.

XX. Sit igitur extra ſanctam Civitatem locus, qui *mons mali concilii* appelletur; ac vulgo etiam tradatur, nomen hoc ex eo eſſe, quia illic conſultatum ſit de capiendo CHRISTO, hic quoque cum Juda ſit transactum: ut memorat Franciſcus Quaresmus *Elucidationibus Terræ ſanctæ lib. IV. cap. XVI.* nihil tamen cauſæ eſſe videtur, cur huic traditioni fidem habere debeamus. Nec vero eſt probabile, ex aula Pontificis Senatores ſe iſtuc recepiſſe.

XXI. Præſes hujus concilii Cajaphas, Pontifex Maximus fuit, qui conſtitutus fuit a Valerio Grato, Præſide Romano; & poſtea a Vitellio hoc munere eſt dejectus: homo perditæ avaritiæ.

XXII.

XXII. Summa totius conſultationis fuit, ut JESVM dolo comprehenderent, & per Judææ Procuratorem necarent.

XXIII. Qui debuiſſent Paſchate vicino præparare victimas, & ſanctis in univerſum rebus occupari, ſangvinarium ineunt conſilium de innocentis Dei Hominis capite.

XXIV. Moris apud Judæos erat, ut inſigni facinore pollutos feſtis ſolennioribus exacta prima eorum die ſupplicio efficerent, quo plures ſibi inde exemplum caperent. Hunc morem non eſſe ſequendum Patres patrati ſtatuunt, verentes, ne multitudo, quam JESV ſciebant favere, & pro Meſſia habere, tumultum excitaret, & CHRISTVM captum in libertatem vindicaret.

XXV. Vulgata eſt opinio, Judæos, cum dicantur noluiſſe CHRISTVM capi in die feſto, voluiſſe eos id tempus anticipari. At cum bidui tantum ſpatio feſtum Paſchæ aberat, vix eo ſpectaſſe eſt credibile; ſed finito feſto conſulta commodius ſeſe exſecuturos crediderunt.

XXVI. Verum ad patrandum illud, quod alioqui non auſi eſſent ſperare, occaſio ſe obtulit ab diſcipulo Juda, qui ſponte adit proceres, ſuamque ipſis operam ad tradendum CHRISTVM pollicetur.

XXVII. Hinc igitur eſt, quod, conſilio mutato, læti tam commoda occaſione oblata, unum intra diem, imo minori etiam ſpatio, feſtinatiſſime JESVM ceperint.

XXVIII. Ita videmus, ut, cum ſtudioſe hoc agerent: Judæi, ne JESVS feſto die comprehenderetur, ac necaretur: divina providentia hæc ita direxerit, ut contra, quam cogitarant, eveniret. Nam ſic die eo, qui ex lege Moſaïca paſchalis foret, captus, & interemtus fuit. Quod

dupli-

Digitized by Google

duplici de cauſa placuit Deo: primum, ut ſic oſtenderetur, hunc eſſe verum agnum paſchalem veteris teſtamenti typis adumbratum: deinde, ut ob tantam multitudinem, quæ Hieroſolymam ob Paſchatis feſtum confluxiſſet, plures forent teſtes hujus ſupplicii pariter, ac ſacrificii.

XXIX. A conſultatione Synedrii venio ad Judam, ejusque nefandum facinus, qui primoribus populi ſe obtulit ad tradendum magiſtrum. Spectanda hic perſona proditoris; tempus, quo contigit proditio; occaſio nefariæ proditionis; pretium, quod ſtipulatus eſt, & accepit.

Matth. XXVI. 14. XXX. Is qui prodidit, dicitur fuiſſe *unus ex duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes.*

XXXI. Judas *laudatorem* ſeu *confeſſorem* denotat: ſed homo peſſimus non amplius præco & confeſſor erat CHRISTI; ſed hoſtis & proditor ſui Domini.

XXXII. Cognomen ipſi fuit *Iscariothes:* ut diſtingvatur a Juda, Jacobi fratre, cognomento Thaddæo, vel Lebbæo: cujus exſtat epiſtola. Hoc ei demum poſt proditionem datum, quidam ſtatuunt, derivando illud a שכר *mercede conduxit:* ut eo ad mercedem inquitatis, quam ob proditionem accepit, Evangeliſtæ reſpexiſſent.

XXXIII. Ex eodem fundamento alii deducunt a שקר *mentiri, fallaciter agere:* quod tam nequiter cum magiſtro ſuo egerit, ut nihil ſupra.

XXXIV. Nonnulli volunt a כרת deſcendere, quod ſignificat, *cecidit, abſcidit, exſcidit, amputavit;* ut Iſcariothes ſonet *virum abſcisſionis:* quod Apoſtaſia ſua ſe a CHRISTO, & ab Apoſtolorum collegio abſciderit.

XXXV. Sed hæ & ſimiles originationes quandam potius

potius alluſionem, quam veram etymologiam ſapere videntur.

XXXVI. Quapropter Hieronymus & ex recentibus Adrichomius, Maldonatus, Corn. a Lapide, Judam, de tribu Ephraim, ex vico quodam Iſcharioth in eadem tribu ſito oriundum, & inde nomen habuiſſe cenſent.

XXXVII. Sunt qui fuiſſe putant ex tribu Iſaſchar. Quamquam ſic Iſaſchariothes potius vocaretur.

XXXVIII. Recepta alias præ reliquis eſt vocis derivatio ab איש *incola* ſeu *cive*, & קריות *Kerioth* urbis nomine, cujus mentio fit Joſ. XV, 25. unde ſuos habuerit natales: ut inde *Vir Kerioth*, ſive *Keriothites* dictus ſit.

XXXIX. Sed non malè Tremellius in Notis ad verſionem Syriacam Matth. X. 4. hanc deſerit, eo nomine, quod illam lectio Syriaca nullatenus admittat. Verba ejus ita habent: *Quod quidam ſcribunt, compoſitum eſſe ex* איש *& proprio loci nomine, & ſignificare virum Krioth, literæ quibus ſcribitur in Syra paraphraſi non admittunt. Nam præterquam quod* א *non eſt præpoſitum,* ש *quoque eſt non eſt ſcriptum, ſed* ס, *neque eſt* כריוטא *in reliqua dictionis parte per* ק *&* ת *ſed per* כ *&* ט *hoc modo* כריוטא.

XL. Junius etiam in Notis ad citatum locum aliis ita appellatum refert, quod marſupium habuerit; ut *Secharjuta* idem ſit quod ὁ ἔχων γλωσσόκομον, quibus *Secarjut* dicatur marſupium.

XLI. At vero ſive reſpexerint illi ad linguam Æthiopicam, in qua אישכרן *Iskerin* marſupium denotat; ſive vocabulum Talmudicum אסקורטיא *Iskortia*, quod, juxta Gloſſam in Maſſecheth Nedarim, *ſpeciem* ſignificat *veſtimenti coriacei, quod induunt coriarii ſupra veſtes ſuas*, quibus conſutas fuiſſe crumenas, & in iis argentum circum-

Digitized by Google

cumgeſtarent, alias conſtat. Junius tamen hanc quoque denominationem probare nequit.

XLII. Malunt igitur alii, poſt mortem demum hoc ei tributum nomen ab horrendo ejus exitu deſumtum, vel à סכר Sechar *ſtrangulare*) vel ab אסכרא Iſcara apud Talmudicos, aſperrimæ mortis genere, quod etiam Gloſſa in Berachot *ſtrangulationem* vernacule dici obſervat.

XLIII. Huic ſententiæ accedit laudatus Junius: *Ego*, inquit, *omnibus expenſis per anticipationem ſtatuo appellari, quaſi ſtrangulatum dicas, qui ultro declinaverit ad ſtrangulationem ſui, eſt enim Secar ſtrangulare Syris, & Maſcera ſtrangulatio.*

XLIV. Hæc uti omnium probatiſſima videtur ſententia, ita nec priorem a veſte coriacea deductam appellationem excludit ſcriptio. Nec repugnat ante mortem ab officio ſaltem ſuo, poſt mortem vero leviſſima vocis commutatione ab exitu quoque ſuo miſerrimo fuiſſe cognominatum: quod alias maxime uſitatum ſit Judæis nomina eadem mutatis literis aliquibus aut una ſaltem in ignominiam adhibere ejus.

XLV. Quo tempore Judas Dominum vendiderit, docet nos Matthæus, quando ait v. 14. *Tunc abiit unus ex duodecim. &c.* Vbi illud τότε non ad præcedentē unctionis pertinet hiſtoriam, ſed ad Pontificum conſultationem de CHRISTO per dolum capiendo & necando: quæ cum biduo ante Paſcha facta fuerit, conſequens eſt, etiam hanc Judæ pactionem eodem die contigiſſe. Bethanienſis autem unctionis Hiſtoriam Evangeliſta quaſi in παρενθέσει recenſet.

XLVI. Quod ad occaſionem proditionis attinet, plurimi

plurimi Interpretes putant, quod Judam ſtimulaverit unguenti precioſi effuſio. Nam quia marſupium geſtabat, & quaſi promus condus erat collegii, malebat ungventum vendi, & ſibi precium tradi, ut inde aliquid furaretur; quam iſta prodigali unctione perdi. Quod ergo amiſerat in effuſione unguenti, id compenſare voluit in venditione Magiſtri.

XLVII. Barradius in *Concordia* ex gloſſa quadam tradit: quod Judas conſveverit furari decimam partem eorum, quæ ſibi dabantur ſervanda, & quoniam unguentum illud CCC denariis fuerit æſtimatum, & horum decima pars XXX. ſint denarii, id damni reſarcire voluiſſe præmio proditionis, XXX. argenteis.

XLVIII. Verum, ſi rem recte penſitamus, dubio procul Judam ſtimulavit CHRISTI ſermo, quo mulierem, ejusque unctionem defendens, intempeſtive illam interpellari demonſtravit. Et probabile eſt, in ipſo ſtatim convivio vindictam meditatum: quam tamen per quatriduum egregie diſſimulavit, donec feria quarta Pontificibus, Scribis, & Senioribus Populi congregatis, & de internecione CHRISTI conſilium habentibus ſuam operam nefarie obtulit.

XLIX. Præcipue tamen Judas Dæmonis perſuaſionibus illectus impium hoc facinus commiſit.

L. Denique me expoſiturum receperam, quo pretio CHRISTVM vendiderit Judas. Id triginta fuit argenteorum.

LI. Nam nulla re a Domino offenſus, ut juſtam haberet cauſam, cur male illi vellet, ſponte adiit proceres, longiori procul dubio ſermone uſus, quem Matthæus in compendium contraxit, & ita habet: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis tradam eum?*

LII. Non male Hieronymus : *Non certam poſtulat ſummam, ut ſaltim lucroſa videretur proditio ; ſed quaſi vile tradens mancipium , in poteſtate ementium poſuit, quantum vellent dare.* in cap. XVI. Matthæi.

LIII. Non immerito miratur Chryſoſtomus ſtupendam Judæ cæcitatem, quod pollicetur ſe CHRISTVM in manus hoſtium traditurum, quando in hanc erumpit exclamationem. *O inſignem amentiam ! quomodo penitus habendi cupiditate fuit excæcatus. Nam qui ſæpius vidit ipſum per medios inimicos tranſiiſſe, nec detentum fuiſſe, qui omnipotentiæ ipſius multa documenta reipſa percepit, retineri ipſum poſſe putavit.*

LIV. Verbis igitur ultro citroque habitis inter Pontifices & Judam, de certa pecuniæ ſumma conventum eſt ; quam etiam proditori non repræſentarunt tantum, ſed etiam appenderunt, ut illius intuitu ad maturandum proditionis opus magis alliceretur. Quia tamen Judam non ſtatim accepiſſe pecuniam ex Marco & Luca colligi poteſt, fortaſſis apud certum hominem depoſita eſt, a quo ſine mora re perfecta reciperet.

LV. Avidus igitur lucri, & inhians promiſſæ pecuniæ, ſtatim ex eo tempore captabat opportunitatem prodendi JESVM Sacerdotibus & Scribis, ex animi ipſorum ſententia : hoc eſt, loco ac tempore commodo, ne quid a faotoribus JESV tumultus oriretur.

LVI. Summa, ceu dixi, pecuniæ XXX. fuerunt argentei : de cujus æſtimatione ad monetam, quæ nunc paſſim obtinet, variæ ſunt ſententiæ.

LVII. Nos a maximo ad minimum valorem progrediendo noſtram ſententiam coronidis loco exponemus.

Digitized by Google

LXIII. Quidam XXX. hos argenteos ſummam CCC. aureorum coronatorum exæquaſſe autumant, putantes ſingula *ἀργύρια* denariis centenis, id eſt, una mina Attica, & proinde coronatis X. valuiſſe.

LIX. Alii Argenteos hic pro *ſiclis* poni cenſent: eo quod LXX. ubi in Hebræo eſt כסף *Ceſeph, argentum, σίκλους ἀργυρίου* vertant. At quia de valore Sicli diſceptatur, pro varia illius æſtimatione variæ de XXX. his argenteis reſultarunt ſententiæ.

LX. Qui quandoque ſiclum pro decem didrachmis, ſive quinque tetradachmis (drachma idem pene ac Romanis denarius) accipi contendunt; hoc eſt pro libra Flandrica, ſive duobus ſcutatis, ducatonis, aut Philippeis, ſive, pro ſex Hollandicis florenis, quos Gůldens/ ſive aureos, quod tales fuerunt olim, ſolemus nuncupare: triginta ſicli fuerint floreni Hollandici CLXXX. ſive libræ Flandricæ XXX. ſive ſcutati, Philippei, vel ducatoni LX. taleri vero imperiales LXXV.

LXI. Qui ad ſiclos ſanctuarii XXX. argenteorum ſummam referunt, (nota eſt ſicli in vulgarem & ſanctuarii diviſio; quam tamen Vir quidam *Θαυμάσιος in Epiſtolis* ſuis in dubium vocavit) JESVM XXXVI. florenis Hollandicis, ſive ſcutatis, ducatonis, aut Philippeis XII. taleris vero XV. unoque horum tribus florenis Hollandicis æſtimato, divenditum fuiſſe credunt. Valuit autem Siclus ſanctuarii tetradrachmum.

LXII. At vero qui de vulgaribus ſiclis argenteos hoc loco dici cenſent, quorum unus valuit didrachmum, hoc eſt, duos denarios; XXX. argenteos, ad ſummam ducatonorum vel Philippeorum ſex, ſive florenorum

Hollandorum XVIII. talerorum autem ſeptem & dimidii, acceſſiſſe ſentiunt.

LXIII. Denique quidam per argenteos intelligunt denarios communes: juxta quam hypotheſin precium illud vix aſſurgeret ad quatuor florenos.

LXIV. Qui valorem argentei nimis augent, non attendere videntur quotidianum ac pervulgatum ejus in emtionibus, venditionibus, aliiſque contractibus fuiſſe uſum. *Deuteron. XXII. v. 18. & 19.* is, qui uxorem ſuam infamibus dicteriis proſcidiſſet, ac opprobriis oneraſſet, præter fuſtigationem centum jubebatur argenteis mulctari: qui ſecundum priorem computationem mille conſtituerent coronatos. At quotusquisque Iſraëlitarum tunc temporis tantum æris pendere potuiſſet? Nec eſt probabile, Abimelechum regulum, qui mille argenteos Abrahamo legitur donaſſe, eidem X. coronatorum millia dono dediſſe *Geneſ. XX. 16.* Iſtam igitur ſententiam quo minus accipiamus, ratio eſt manifeſta.

LXV. Nec minus de altera ſumma, quæ eſt quinque & ſeptuaginta talerorum imperialium, neceſſum habemus dubitare. Nam quod nonnulli confirmandæ huic ſententiæ afferunt Joſephi venditionem, factam XX. argenteis, quod tranſtulerunt alii, *aureis*, quæ plus quintuplo valebant, ea res cum dubiæ interpretum fidei innitatur, parum habere videtur roboris.

LXVI. Interea, ut hoc in tranſcurſu quaſi moneamus, libenter fatemur, Joſephi venditionem ſanctæ hujus, in qua verſamur, hiſtoriæ pulcherrimum fuiſſe typum. Neque tamen opus eſt, ut pro XX. argenteis in Geneſi ſubſtituantur triginta: quod factum eſſe in nonnullis exem-

exemplis teſtantur Viri eruditi. Nihil enim opus eſt, ut typus, & antitypus per omnia reſpondeant.

LXVII. Quod ad poſtremam ſententiam, eadem nec avaritiæ Judæ, qua inductus CHRISTUM vendidit; nec Pontificum, & ceterorum Senatorum cupiditati, qua traditioni CHRISTI inhiabant, reſpondere videtur.

LXVIII. Quamobrem illorum opinionem noſtram facimus, qui CHRISTUM quindecim circiter taleris venditum fuiſſe ſtatuunt.

LXIX. Myſterio non caret, quod Filius Dei, *qui ſeſe exinanivit, aſſumta ſervi forma;* triginta argenteis venderetur: ſicut lege Dei mancipia ſiclis totidem æſtimabantur. Vide Exodi *caput XXI.32.* & Joſephum *libro IV. cap. VIII.*

LXX. Vile ſane pretium, non dicam CHRISTI, Filii David, terræ cœlique conditoris; aut etiam hominis ingenui; cujus in Jure Civili nulla dicitur eſſe æſtimatio: verum mediocris ſaltim apud Romanos ſervuli; quem pluris conſtitiſſe ex auctoribus illorum temporum diſcimus.

LXXI. Eleganter Paulinus Epiſt IV. ad Severum. *In hoc perverſus Judas, quod ipſum vili æſtimans Dominum, unguentum illud, quod in ſalutarem ejus ſepulturam præmittebatur, caro æſtimavit. Vere, ut zabulus ignarus gratiæ Dei, in qua illi non eſſet portio; non charitate, ſed invidia magno æſtimavit pretium mortis ejus, qua nos gratis ſervat, qui magno emit, non vendit. Nos enim vult ille pretioſos facere ſui muneris vilitate. Ipſe nobis hac pietate pretioſior, quod ſe vili vult æſtimari, ut ab omnibus ematur.*

LXXII.

Digitized by Google

LXXII. In eundem ſenſum Ambroſius in Lucæ cap. VIII. *Tam vili auctione vult æſtimari CHRISTUS, ut ab omnibus ematur, ne quis pauper deterreatur.*

LXXIII. Videlicet tantus tam vili pretio æſtimari voluit, qui viles nos homunciones, ne teruntio dignos, tam magni æſtimavit, ut pro redemtione noſtra effunderet pretioſum ſuum ſanguinem. Quam in ſententiam non minus pie quam ingenioſe Auctor ſermonis de Aſcenſione CHRISTI in Opuſculo de Cardinalibus CHRISTI operibus, quod Cypriano tribuitur: *Qui pro nobis triginta argenteis appreciatus, intelligi voluit, quanta fuerit in precio, quod pro eo datum eſt, & in eo, quod ipſe dedit pro mundo diſſimilitudo, cum ipſe exiguo argento emtus & venditus, tanto precio damnatos redimeret, ut dubium eſſe non poſſit, quin precii magnitudo ſuperaret negocium, nec æquari poſſet damnum, quod omnino damnatio juſta meruerat, obedientiæ CHRISTI, quæ gratis usque ad mortem progreſſa eſt, & ultro ſolvit, quod non debebat.*

LXXIV. Tantum de actis quartæ feriæ, quatenus de illis ſacra nos docuit Hiſtoria. Non autem ingratam me lectori operam navaturum exiſtimo, ſi dignis fide teſtimoniis oſtendero, quod in memoriam conſultationis Judæorum de capiendo & necando CHRISTO, ut & in recordationem factæ a Juda proditionis, non minus hanc, quam ſextam magnæ hujus hebdomadæ feriam jejuniis ſolemnem reddiderint Chriſtiani Veteres.

LXXV. Clemens Romanus exeunte primo ſeculo floruit. Hujus etſi non ſunt Conſtitutiones, quæ dicuntur, Apoſtolicæ, tamen quia antiquiſſimum (niſi forſan a pluribus concinnatæ) auctorem habere videntur, iisdem primas dabimus. Ita enim illæ *lib. IV. c. XIV.*

Τῇ ἐϐ-

τετράδα καὶ παρασκευὴν προσέταξεν ἡμῖν νηστεύειν. τὴν μὲν διὰ τὴν προδοσίαν, τὴν δὲ διὰ τὸ πάθος. *Quarta feria & ſexta mandavit nobis jejunare, illa quidem propter proditionem, hac vero propter paſſionem.* Idem *lib. VII. cap. XXIV.* ὑμεῖς ἢ τὰς πέντε νηστεύσατε ἡμέρας, ἢ τετράδα καὶ παρασκευήν. ὅτι τῇ μὲν τετράδι ἡ κρίσις ἐξῆλθεν κατὰ τοῦ κυρίου, Ἰούδα χρήμασιν ἐπαγγειλαμένου τὴν προδοσίαν. τὴν δὲ παρασκευήν, ὅτι ἔπαθεν ὁ κύριος ἐν αὐτῇ πάθος τὸ διὰ σταυροῦ ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου. *Vos vel per totos quinque dies jejunate, vel in quarta feria & Paraſceve. Quoniam in quarta quidem judicium contra Dominum prodiit, cum Judas proditionem pecunia promiſerat: in Paraſceve vero, quoniam in eo Dominus crucis ſupplicium paſſus eſt, ſub Pontio Pilato.* Non alia de cauſa Canones Apoſtolorum, quos vocant, eidem Clementi ſuppoſiti, jejunia τῆς τετράδος ac τῆς παρασκευῆς commendant.

LXXVI. Ineunte tertio ſeculo Tertullianus *libro de Jejunio adverſus Pſychicos cap. XIV.* hæc ſcripſit. *Cur ſtationibus* (id eſt, ſtatis jejuniis) *quartam & ſextam Sabbati dicamus ?*

LXXVII. Clemens Alexandrinus, qui ferme eodem tempore ſub Severo Imp. vixit, hæc habet *lib. VII. Stromatum:* Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω, ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν ἑρμοῦ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης. *Novit ipſe quoque (fidelis) jejunii horum dierum myſteria, quartæ inquam & ſextæ feriæ, quarum illa Mercurii, hæc Veneris cognominatur.*

LXXIIX. Huc quoque ſpectat inſignis ille e Petri Alexandrini Epiſcopi & Martyris *Synodico* locus, quem Fridericus Sylburgius laudat in Notis ad Clementem. οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευήν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστέτακται: τὴν μὲν

τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ κυρίου. τὴν δὲ παρασκευὴν διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν. *Nemo nos reprehendet, qui quartam & ſextam feriam obſervamus, in quibus ut jejunemus, ſecundum traditionem convenienter conſtitutum eſt: quartam quidem feriam propter conſilium a Judæis de proditione Servatoris initum, ſextam vero propter paſſionem ejus pro nobis ſuſceptam.*

LXXIX. Seculo IV. Epiphanius, Salaminis in Cypro Epiſcopus *Hæreſ. LXXV. n. VI.* contra Aerianos ita de eodem jejunio differit: Τίνι δὲ οὐ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετρὰς καὶ προσάββατον νηστεία ἐστὶν ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ ὡρισμένη. εἰ δὲ καὶ χρὴ τὸ τῆς διατάξεως τῶν Ἀποστόλων λέγειν, πῶς ἐκεῖ ὥριζοντο τετράδα καὶ προσάββατον νηστείαν διὰ παντός. *Quis eſt uſpiā terrarum, qui nō in eo conſentiat, quartam ſextamve feriam ſolenni in Eccleſia jejunio conſecratam? Quod ſi ex Apoſtolorum conſtitutione repetenda nobis auctoritas eſt, cur illis quarta ſextaque feria jejunium perpetua lege ſancitur?*

LXXX. Idem *in Expoſitione Fidei Catholicæ num. XXII.* Συνάξεις ἐπιτελούμεναι ταχθεῖσαι εἰσὶν ἀπὸ τῶν Ἀποστόλων τετράδι καὶ προσαββάτῳ καὶ κυριακῇ. τετράδι δὲ καὶ ἐν προσαββάτῳ, ἐν νηστείᾳ ἕως ὥρας ἐννάτης. ἐπειδήπερ ἐπιφωσκούσῃ τετράδι συνελήφθη ὁ κύριος, καὶ τῷ προσαββάτῳ ἐσταυρώθη. *Sacri conventus ab Apoſtolis inſtituti ſunt quarta ſextaque feria & Dominica. Item quarta ſextaque feria jejunium uſque ad horam nonam, propterea quod apparente quarta feria comprehenſus eſt Dominus, & ſexta in crucem ſublatus.*

LXXXI. Errat quidem Epiphanius in eo, quod CHRISTUM feriā quarta comprehenſum ſcribit; cum venditum proditumque dicere debuerit: at de cauſa jejunii feriā quarta indicti cum reliquis Patribus concordat.

LXXXII.

Digitized by Google

LXXXII. Seculo quinto Auguſtinus Epiſt. LXXXVI. ad Cuſanum diſerte ſcribit: *Cur quarta & ſexta feria maxime jejunet Eccleſia, illa ratio reddi videtur, quod conſiderato Evangelio ipſa quarta ſabbati, quam vulgo quartam feriam vocant; conſilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi.* Et mox: *Ex quo colligitur, quartam ſabbati fuiſſe, quando Dominus ait, Scitis, quod poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur. Ac per hoc dies ipſe jejunio deputatus eſt.*

LXXXIII. Atque hoc de Jejunio quartæ feriæ inſtitutum in Græca Eccleſia adhuc duravit ſeculo XI. ceu ex Theophylacto Bulgarorum Epiſcopo clarum eſt, cujus hæc ſunt verba latine facta in Commentar. ad Marci cap. XIV. *Feria quarta concilium convenit, & propterea jejunamus etiam nos quartis feriis.*

CAP. IX.

De actis CHRISTI diurnis feria quinta, ſive die Viridium. Vbi hæc quatuor conſiderantur. I. Vt diſcipuli CHRISTVM conſuluerint, apud quem Paſcha vellet præparari. II. Vt CHRISTVS eos ſignum edocuerit, unde hominem cognoſcerent. III. Vt ab eo deducti ſint in domum, ubi celebrandum Paſcha. IV. Vt curatis rebus a diſcipulis, CHRISTVS ipſe ſera die advenerit.

I.

TRanſimus nunc ad acta quintæ feriæ, quam diem Jovis dicimus.

II. Is dies jam olim *Cœna Domini* ſolet appellari; eo quod hoc die CHRISTVS ſanctam ſuam Cœnam inſtituit.

Digitized by Google

Oſtendit hoc vel iſte Johannis Micrologi, qui ſeculo XI. temporibus Gregorii VII. vixit, locus, lib. de Eccleſiaſticis Obſervationibus cap. I. *A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi Paſſiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus, usque ad Cœnam Domini: videlicet per quinque dies partitam Domini paſſionem intimantes.* Ac ſæpius ſic in Hiſtoria ſua loquitur Matthæus Paris, cœnobii Albanenſis in Anglia monachus, qui ſeculo XIII. floruit.

III. Idem dies a Veteribus *Natalis Calicis* dictus fuit, quod quaſi natus eo ſit calix vitæ: continens CHRISTI vivificum ſangvinem. Sic enim ſcripſit Eligius, Noviomenſis Epiſcopus, cujus homiliæ extant tomo II. Biblioth. Patrum, homil. X. *Vocatur hac dies Cœna Domini, vocatur & Natalis Calicis: & merito talibus præfulget vocabulis, quia hac eademque die myſticum Paſcha cum diſcipulis celebrans Sacramenta corporis & ſangvinis ſui illis, atque per illos nobis tradidit, & ipſe celebrationis initium fecit.*

IV. Interdum tamen Euchariſtia ipſa quovis die adminiſtrata *Natalis Calicis* videtur dicta: eoque ſenſu accepit Paſchaſius Ratbertus, Abbas Corbejenſis, qui vixit nono ſeculo, libello de corpore & ſangvine Domini, qui extat tomo VI. Bibliothecæ Sanctorum Patrum. *Hoc judicium*, inquit, *in Natali Calicis mox excipitur, ut doceatur, quod contemtoribus immineat, ſi damnati a conſcientia pedem de menſa Domini non retraxerint.*

V. Præcipue vero inolevit appellatio *Diei Viridium*: ſic ut ad noſtra usque tempora duraverit. Ita autem dictus eſt hic dies propter CHRISTVM ἀειθαλῆ, καὶ ἀείζωον, *perpetuo florentem & viventem*: ut alicubi Theophylactus habet.

VI. Hujus diei geſta duabus partibus continentur, diur-

diurna ac nocturna. Diurnam hoc capite tractabimus: quam narrant Matthæus cap. XXVI. v. 17. 18. 19. 20. Marcus XIV. 12. & 5. ſeqq. Lucas cap. XXII. 7. & ſeqq. 6.

VII. Ejus hiſtoria eſt quadripartita. Primo enim refertur, quomodo diſcipuli imminentis Paſchatis a CHRISTO commoniti illum conſuluerint de loco, ubi comedere vellent agnum Paſchalem.

VIII. Hoc primo Azymorum die contigiſſe dicitur a Marco & Matthæo,

IX. Procul dubio loquuntur hi Evangeliſtæ more Romanorum, quibus τὸ νυχθήμερον ob orto ſole incipit. Quia enim veſpera proxima inchoabant azyma, Judæi autem a veſpera illa, qua CHRISTVS Paſcha comedit, ſextam auſpicabantur feriam, ſecundum Judæos nondum fuiſſet primus azymorum dies. At ſecundum Romanam diei dimenſionem, veſpera illa, ac præcedens lux diurna ad eundem diem, nempe diem quintum pertinebat.

X. Inter eos diſcipulos, qui acceſſerunt JESVM, & interrogarunt, ubi parari velit Paſcha, & Judam proditorem fuiſſe, putat B. Hieronymus.

XI. Exiſtimant nonnulli, idcirco quæſiviſſe diſcipulos, quo loco Paſcha præparandum cenſeat magiſter; quod putarent, ipſum ſecuritatis ergo fortaſſis extra Vrbem agnum Paſchalem comeſturum. Meminerant enim, non tantum conſpiraſſe Judæos, ut, ſi quis eum CHRISTVM eſſe fateretur, ex Synagoga is ejiceretur: ſed & Pontifices & Phariſæos edictum evulgaſſe, ut, ſi quis cognoviſſet, ubi eſſet, ejus rei faceret indicium, quo ipſum poſſent apprehendere. *Joh. IX. 22.*

XII. Sed CHRISTVS, qui ultro venerat in mundum, ut voluntatem Patris faceret, & ſponte animam

ſuam depoſiturus erat, ut oſtenderet, non caſu hanc rem geri, ſed ex præſcientia conſilioque Dei; negocium hoc duobus dat diſcipulis, præcipue dilectis, & quorum opera præ cæteris non raro uſus erat, Petro & Johanni, ut in ſanctam civitatem, in qua ſola ex Dei ordinatione Paſchalem agnũ comedere licebat, irent, & Paſcha præpararent.

XIII. Alterum ergo eſt in hac hiſtoria, quomodo CHRISTVS juſſerit, ut certo ſigno locum cognoſcerent. Nempe urbem ingreſſis virum eſſe obviam venturum cum lagena aquæ: eum ſequerentur usque in domum quo aquam deferret. Hic patrifamilias dicerent, tempus Domini prope eſſe, ac propterea velle cum diſcipulis apud eum divertere, & paſcha comedere. Eum diſcipulis indicaturum eſſe grande cænaculum, ubi comedatur agnus paſchalis.

XIV. Licet JESVS eſſet conditor ac Dominus cœli ac terræ, non habebat tamen domum propriam, ubi cum diſcipulis potuiſſet convivari. Hinc belle exclamat Beda: *Audiant, quibus ædificandarum domorum cura eſt, & ambitioſarum porticuum cogitatur inſtructio, quos pretioſorum marmorum pompa, & diſtincta auro laquearia delectant: cognoſcant CHRISTVM omnium Dominum, qui locum ubi caput inclinaret, non habuit.* Comment. in Lucam.

XV. Sed ut oſtenderet JESVS, nec ſuis in mundo hoſpitium defuturum, nec quidquam ſibi ignotum eſſe eorum, quæ mox eſſent futura, certam ipſis domum denotat, quam ingrediantur. Vbi meretur obſervari, quod notant Thalmudiſtæ, non elocaſſe incolas Hieroſolymitanos domus ſuas ad feſta accedentibus, ſed gratis eas illis conceſſiſſe.

Digitized by Google

XVI. Errant, qui Patremfamilias, & eum, qui lagenam aquæ portaret, unum eundemque fuiſſe ſtatuunt.

XVII. Quis ille Pater fuerit familias, operoſe a nonnullis quæritur. Τὸν δεῖνα vocat Matthæus: perinde ut Hebræi, ceu jampridem obſervavit Hieronymus פלוני dicunt, cum aut nolunt, aut non poſſunt nomen exprimere. Eraſmus tamen putat *Chriſtum edidiſſe nomen, ſed Evangeliſtam obticuiſſe.*

XVIII. An vero ex eo ſequatur, quod voluit Ambroſius, virum hunc fuiſſe pauperem, merito ambigimus. Sic autem ille in Lucæ cap. XXII. commentatur: *Dignationem ejus intuere; quia non perſona divitis aut potentis eligitur; ſed pauper ambitur, & anguſtum hoſpitium pauperis amplis nobilium ædibus antefertur. Ite ad quendam. Sciebas Domine nomen ejus: cujus ſciebas occurſum. Sed ideo ſine nomine deſignatur, ut ignobilis æſtimetur.*

XIX. Nam ex ipſa Evangelica hiſtoria colligere eſt, hominem potius fuiſſe opulentum, & in re lauta ac bene aucta conſtitutum. Nam jubetur præparare ἀνώγεον, ſive cænaculum a ſolo ſubductum, idque grandius, in quo, more antiquo, lectulis ſtratis diſcumberetur.

XX. Fortaſſis igitur fuit unus ex diſcipulis CHRISTI potentioribus: quando & ex proceribus aliqui in eum crediderunt.

XXI. An vero Joſephus Arimathæus, aut Nicodemus fuerit, tacente Scriptura non licet definire.

XXII. Magis igitur mirum eſt, qui Baronius fidem quadamtenus habeat Nicephoro, qui in Johannis Evangeliſtæ domo hanc cœnam paratam eſſe *lib. I. cap. XXIIX. Hiſt. Eccleſiaſt.* ſcripſit. Credat id qui volet; mihi non ſit veriſimile. Nam quid opus fuiſſet Johanni tam ſollicite

cite

cite cum reliquis diſcipulis percontari de diverſorio? quid itidem CHRISTO demonſtrare tam evidenter? cum domus illa Johannis, ſi qua fuit, ſine dubio, nocte dieque Domino patuerit.

XXIII. Apud Theophylactum legitur, quosdam in ea opinione fuiſſe, ac ſi in domo Simeonis Leproſi CHRISTVS Paſcha ultimum celebraverit. Sed illa domus erat Bethaniæ, ubi non licebat Paſcha edere.

XXIV. Eſt igitur incertus Paterfamilias, incertus quoque domus ejus ſitus eſt. Nam etſi in monte Sion eam locant Damaſcenus *lib. IV. cap. XIV. de Orthodoxa Fide*, & Beda de *Locis Sacris*; ac Turcis id vulgo hodie perſuaſum ſit, qui illud cænaculum in magna veneratione habere dicuntur: tamen nec ex Scriptura, nec ex antiquiſſimis primitivæ Eccleſiæ Doctoribus id licebit comprobare.

XXV. Nulla veritatis ſpecie Theodorus Beza conjicit, ædes has fuiſſe Mariæ matris Johannis, cognomento Marci; quarum mentio Actor. XII. 12. Longe vero audacius Emanuel Sa, illas, quæ Actor. I. 12. 13. deſcribuntur, veluti indubitatum quiddam obtrudit *Commentariis in Marci cap. XIV. 15.*

XXVI. Illud fortaſſis non plane eſt de nihilo, quod nonnulli obſervant, ideo forſan CHRISTVM abſtinuiſſe hominis nomine, ſed ſigno ſaltim domum definiviſſe; ne proditor id aperiret hoſtibus, atque ii ante tempus nefaria cœpta perficerent, ſed Dominus illic tuto & quiete cœnare poſſet.

XXVII. Familiarem tamen CHRISTO hunc Patremfamilias fuiſſe credibile eſt: quod dicere jubeantur diſcipuli de mortis tempore. De hoc enim iſta verba capi-

Digitized by Google

capienda ſunt: *Tempus meum prope eſt*. Vt eorum ſenſus ſit: Hora mortis meæ imminet, & quia dictitat humanitas, ut morituris ſimus faciles, eorumque precibus locum relinquamus: quare præbe mihi hoſpitium ante mortem meam, ut in eo ultimum Paſcha celebrem.

XXIIX. Neque tamen incommoda hæc eſt interpretatio, qua CHRISTVS dicitur ad ſuum Paſcha, quod tempore a Judæorum Paſchate differebat, reſpexiſſe, iſto ſenſu: Dicetis Patriſamilias; Præceptor nobis in mandatis dedit, ut ſuis verbis tibi diceremus: Judæi quidem reliqui, ex majorum inſtituto & traditione hoc anno celebrationem Paſchatis ſui transferent ex feria ſexta in Sabbatum, ac proinde ipſi craſtina demum die agnum immolabunt. At vero tempus meum inſtat: quapropter ego neglectis Patrum traditionibus hoc die apud te, ſecundum inſtitutum Dei, Paſcha cum diſcipulis meis celebrabo.

XXIX. Tertium hujus hiſtoriæ eſt, quod diſcipuli ex præſcripto CHRISTI agentes comperere cuncta, ut Dominus prædixerat: atque illic ubi juſſerat, Paſcha paraverunt.

XXX. Abeunt illi; veniunt in civitatem; offendunt hydriæ bajulum; ſequuntur; ingrediuntur domum; exponunt mandata domino ædium. Is nihil moratus, cœnaculum commonſtrat ingens. Illi vero adornant Paſcha: hoc eſt, agnum mactant, carnes ejus abluunt, veru adaptant, aſſant, lactucas præparant, azyma apponunt: de quibus capite ſequenti pluribus agemus.

XXXI. Sed ut illi parant Paſcha, ita horum, ut & cæterorum diſcipulorum animos ad paſſionem ſuam præmunivit JESVS ſimulq; ſuam omniſcientiã & omnipoten-

tiam, qua, quocunque velit, homines queat flectere, clariſſime oſtendit.

XXXII. Quartum eſt, quod & ipſe CHRISTVS, ſed ſero die, circa veſperam puta, Vrbem eſt ingreſſus, quo mox ab occaſu Solis comederet cum diſcipulis agnum paſchalem.

XXXIII. Marcus deſignat CHRISTVM veniſſe cum *duodecim*, hoc eſt, cum reliquis diſcipulis. Nam Petrus & Johannes fuerant præmiſſi. Niſi malis, duos illos Apoſtolos ad CHRISTVM fuiſſe reverſos, eidemque ſignificaſſe, omnia eſſe parata.

CAP. X.

Complectitur juſtam diſſertationem de Agno Judæorum Paſchali: cui inſeritur Digreſſio de Schismate Paſchali, quod diu Eccleſiam Chriſtianam exercuit.

I.

Vidimus acta quartæ feriæ diurna. Nunc porro contemplabimur nocturna.

II. Inter illa primum locum obtinet Agni Paſchalis comeſtio. De hoc Agno Paſchali paulo explicitius agere in animo habemus. Et hoc quidem capite eundem conſiderabimus ratione communi, ſive omnium Judæorum: ſequenti vero de eo tractabimus particulari ratione, ſive unius CHRISTI & diſcipulorum.

III. In hac communi ratione primo agemus de nomine, dein ipſa victima; poſt de his, qui illam immolarunt, & loco mactationis; deinceps de tempore, quando ma-

Digitized by Google

do mactatus fuerit agnus; tum de variis ritibus ad præparationem & comeſtionem pertinentibus, & denique de convivis hujus epuli.

IV. Paſchæ nomen eſt Chaldaicum, ut recte notat Philo *libro III. de vita Moſis.* Sed Hebræis idem eſt פסח *Peſach;* Veteribus *Phaſe* & *Phaſec.* Et quia eſt a radice פסח *Paſach*, quod ſignificat *transgredi, prætergredi,* Latini *tranſitum*, vel *tranſilitionem* poſſunt reddere. Proinde Gregorius Nazianzenus hoc idem feſtum διάβασιν vocat *Orat. XLIII.* & ἑορτὴν διαβατήριον *Epiſt. LIV. ad Helladium.*

V. Origo nominis inde fluxit, quod ante memorabilem Iſraëlitarum ex Ægypto exitum, percuſſor Angelus omnes illas domos prætergreſſus fuerit, in quibus Paſchalis agnus erat mactatus.

VI. Contra non defuerunt, qui Paſcha dici putarent ἀπὸ τοῦ πάσχειν, & quod Paſcha CHRISTI patientis typus fuerit; & quod Paſchæ tempore CHRISTVS paſſus ſit.

VII. In hac ſententia fuerunt ex Græcis Patribus Irenæus *lib. IV. cap. XXIII.* Juſtinus *Dialogo cum Tryphone:* Nazianzenus, *Orat. XLII.* Ex Latinis Tertullianus *adverſus Judæos cap. X.* Lactantius *Divinar. Inſtitut. lib. IV. cap. XXVI.* Ambroſius *lib. II. de Cain & Abel cap. IIX.* Quo etiam ſpectare videntur illa Prudentii, carmine adverſus Judæos, quod quartum eſt in *Apotheoſi.*

Non ſapis imprudens noſtrum te fingere Paſcha
Legis, & antiqua praeductis pingere ſulcis.
Omne ſacramentum retinet quod paſſio vera,
Paſſio quæ noſtram defendit ſanguine frontem.

 VIII. Re-

VIII. Rectius igitur alii ex Patribus errorem hunc confutant, verumque etymon afferunt, etſi nec ipſi Ebraice docti: Anshelmus *in Matth. c. XXVI.* Theophylactus, in *Johan. c. VII.* Auguſtinus *Epiſt. CXIX. ad Januarium, Tractat. LV. in Johan. de Verbis Domini Serm. XXVI. de verbis Apoſtoli Serm. VI. de Trinit. II. 17. in Exod. II. quæſt. CLIV. de Civ. Dei lib. XVI. c. XLIII. Enarrat. in Pſalm. LXVIII. & CXX. & CXXXVIII. & CXL.* Iſidorus *lib. VI. Orig. cap. XVII.* Taceo Hieronymum: quippe quem ſolum ex antiquis Patribus cum Origene in literatura Hebræa verſatiſſimum fuiſſe conſtat.

IX. Neque tamen puto iſtam Paſchatis ex Græco derivationem ideo placuiſſe antiquis Eccleſiæ doctoribus, quod plane ignorarent veram vocis originem; ſed ut alluderent ad myſterium, quod CHRISTVS in Paſchate Judaico paſſionem ſuſtinuerit, ac per eandem Judaicæ illi feſtivitati finem impoſuerit.

X. Victima erat Agnus: qui figura fuit CHRISTI, idque præcipue ob ſimplicitatem, innocentiam, atque patientiam.

XI. De ovibus Varro de re ruſtica lib. II. cap. I. *In queis* (animalibus quæ ad cibum delegerunt priſci mortalium) *primum non ſine cauſa putant oves aſſumtas, & propter utilitatem, & propter placiditatem. Maxime enim hæ natura quietæ, & aptisſimæ ad vitam hominum.*

XII. De CHRISTO Eſaias cap. LIII. v. 7. *Sicut ovis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.* Et Jeremias de ſe ipſo loquens, cap. XI. v. 19. *Ego eram ut agnus manſuetus, qui ducitur ad mactationem.* Quare etiam ſæpius CHRISTVS in ſacris literis Agnus appellatur. Vid. Johan.

cap.

Digitized by Google

cap. I. 29. I. Petri I. 19. Et idem Evangeliſta Johannes in libro *Revelationum* paſſim *agni* meminit, *qui occiſus fuerat, & nunc in ſolio ſedet, & coram quo procidunt quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores.* Cujusmodi loca fere triginta reperias.

XIII. Potuerunt tamen etiam Judæi hœdum ſumere: quod etſi fieri potuiſſe negat Paulus Burgenſis, evidenter tamen id apparet ex cap. Exodi *XII. v. 5.* Qua tamen libertate pios putaverim ſic eſſe uſos, ut agnum frequentius & libentius ſelegerint, tanquam victimam Deo gratiorem: quia major eſt in ovibus manſuetudo atque innocentia.

XIV. Falluntur, qui in magnis familiis vitulum mactari potuiſſe aſſerunt. Nam locus, ex quo id exſculpunt, Deuteron. XVI. 2. *Et immolabis Domino Deo tuo oves & vaccas,* non agit de mactatione agni, ſed de ſacrificiis paſchalibus.

XV. In Agno requirebatur, ut eſſet integer, maſculus, anniculus. vid. Exod. XII. 5.

XVI. Perfectus ille Deus imperfecta & vitioſa ſibi noluit offerri. Quapropter agnum, non cœcum, non claudicantem, non ſcabioſum, aliove vitio laborantem voluit: ſed omnis labis expertem, &, ut Græci eleganter dicunt, ἄμωμον.

XVII. Ut agnus eſſet candidus, quod indicat Lactantius *lib. IV. cap. XXVI.* non erat neceſſarium.

XVIII. Idem agnus debuit eſſe maſculus: quia mas præſtat feminæ. Præſtantiora autem Deo immolanda ſunt.

XIX. Idem agnus debuit eſſe *filius anni*, prout Hebræa ſonant, hoc eſt, anniculus. Qua locutione rejiciebatur,

Digitized by Google

batur, qui annum jam exceſſerat ; admittebatur vero quisquis anni ſpatium nondum exſuperaverat. Paſchalis igitur agnus ſummum erat unius anni; minimum, ut notant Rabbini, erat ſeptem dierum.

XX. Per tres illas agni conditiones ſignificabatur, CHRISTVM fore à peccatis immunem: virum dictis factisque validum, & tenellæ inſtar ætatis fore purum & incorruptum. Plura de tribus hiſce agni proprietatibus, & myſtica eorum interpretatione vide apud Nazianzenum *Orat. XLII.* Rupertum *lib. II. in Exodum cap. VIII.*

XXI. Sequuntur ii, qui Agnum immolarunt. De eo docemur his verbis Exodi XII. 6. *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael.* Vnde cognoſcimus, ſingulos Patresfamilias mactaſſe agnos domi ſuæ.

XXII. Sunt tamen, qui in primo Paſchate, & aliquot ſequentibus, a plebejis & patribus quidem familias, ac primogenitis id factum largiuntur: at poſt inſtitutos ſacerdotes & Levitas, his ſolis id licuiſſe contendunt.

XXIII. Nonnulli huic opinioni ſtabiliendæ afferunt loca ex II. Paralipom. XXX. 17. & Eſdræ VI. 20. Verum præterquam quod inſignes quidam Interpretes de ſacrificiis Paſchalibus, non de agno ſpeciatim his in locis agi putent: vel ipſe verborum contextus docet, quod propter populi immunditiem id factum a Levitis: ut, ſi Paſcha de Paſchali agno caperemus, non ſequeretur ex hoc loco, immolare agnum plane non plebejis licuiſſe; ſed ſaltim tum non licuiſſe, cum obſtaret immundities.

XXIV. Joſephi locus, quem ſuæ ſententiæ favere putant, meo judicio id non evincit. Adſcribemus igitur integrum ex lib. VII. *de bello Judaico cap. XVII.* Ὅτι δ' ἐχώρει πόσους ἡ πόλις, δῆλον ἐκ τῶν ἐπὶ Κεστίου συναριθμη-

θέντων

θέντων, ὃς τὴν ἀκμὴν τῆς πόλεως διαδηλῶσαι Νέρωνι βουλόμενος καταφρονοῦντι τοῦ ἔθνους, παρεκάλεσε τοὺς ἀρχιερεῖς εἴπως δυνατὸν εἴη τὴν πληθὺν ἐξαριθμήσασθαι. Οἱ δ' ἐνστάσης ἑορτῆς, πάσχα καλεῖται, καθ' ἣν θύουσι μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, ὥσπερ δὲ φατρία περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν, οὐκ ἔλασσον ἀνδρῶν δέκα (μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαινυσθαι) πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται, τῶν μὲν θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας ἠρίθμησαν, πρὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια. *Quod autem caperet tantam hominum multitudinem civitas, certum erat ex his, qui ſub Ceſtio fuerant enumerati. Is enim tunc vires civitatis in florem Neroni ſignificare cupiens, contemnenti nationem a Pontificibus petiit, ut, ſi quo modo poſſent, multitudinem numerarent. Illi autem cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hoſtias cadunt, per ſingula vero contubernia non pauciorum quam decem virorum ſiunt: (ſolum enim epulari non licet:) multi etiam viceni conveniunt: hoſtiarum quidem ducenta & quinquaginta ſex millia & quingentas numeravere.*

XXV. Per hoſtias hoc loco paſchalem agnum intelligi, vix dubitare amplius debemus: cum diſerte horarum meminerit Joſephus: quas ad duas illas veſperas, de quibus mox agemus, ſpectare certum eſt. At explicite ſacerdotum, qui mactarent agnum, nulla fit mentio, nec etiam ipſius templi. Vt adeo illa multitudinis numeratio inſtitui potuerit, miſſis a Pontificibus per ſingulas domos exploratoribus: quorum, ut eo commodius juſſa certo tempore perficerent, pluſculos fuiſſe eſt credibile. Sed judicent eruditi, num recte nodum ſolverim.

XXVI. Favet porro vulgatæ ſententiæ Philo Judæus, *libro de Decalogo,* in quo de feſto Paſchatis hæc habet: *Quo*

Quo feſto paſſim ſinguli ſacrificant, non exſpectatis ſacerdotibus, Lege ſacerdotium quotannis univerſæ genti una die eximia concedente, ut ſacrificia per ſe faciat. Et rurſus libro III. de Vita Moſis: *Quo facto non plebeji homines victimas ad altare adducunt a ſacerdote mactandas: ſed, jubente Lege, tota gens ſacrificat, dum pro ſe quisque hoſtiam offert, & propriis manibus immolat.* Quid his dici potuiſſet clarius? Et tamen aliqui reperti ſunt, qui hæc Philoniana ſuis interpretamentis interpolare, imo de ponte dejicere voluerunt.

XXVII. Pergimus ad mactationis locum, qui non minus in magna eſt controverſia.

XXVIII. In primo illo Paſchate, cum in Ægypto habitarent Iſraëlitæ, unusquisque paterfamilias in ſua domo Paſchalem agnum immolabat: poſtea in deſerto immolabatur, ubi foret tabernaculum: demum in Vrbe ſemper id factum, ubi eſſet templum, hoc eſt, Hieroſolymis.

XXIX. Non licuiſſe alia in urbe Paſcha immolare, quam ubi Templum eſſet; uti nec antea alibi loci, quam ubi foret tabernaculum, patet ex Deuter. XVI. 5. 6. quo in loco vetat Deus, feſtum alibi celebrari, quam ubi Deus celebraret nomen ſuum.

XXX. Et ſane ſi ab everſo Templo alibi licuiſſet agnum Paſchalem mactare, quam Hieroſolymis: etiam nunc mactarent Judæi per orbem diſperſi. At ipſi cur non ulterius id faciant, hanc afferunt rationem, quod careant templo.

XXXI. Multis tamen videtur, quotquot Hieroſolymam irent, in templo Sacerdotibus mactandum agnum obtuliſſe.

XXXII.

XXXII. Firmari putant hanc ſententiam ipſis ſacris literis. Dicunt enim locum iſtum ex Devteronomio jamjam a nobis allatum, non de ſancta urbe tantum, ſed & de ipſo Templo agere: ut adeo non tantum Hieroſolymis, verum in ipſo Templi atrio neceſſum fuiſſet hanc victimam mactari.

XXXIII. Verum etſi facile concedimus laudato in loco de Templo agi: nequaquam tamen id eo ſenſu putamus fieri, quo volunt adverſæ ſententiæ patroni. Jubet Deus ibidem Paſcha mactari, ubi collocavit nomen ſuum, hoc eſt, phraſi antiqui fœderis, ubi ſacer in nominis ſui honorem locus, Templum puta, dedicatus eſt. Hoc quia factum Hieroſolymis, ad illam urbem quidem illud reſtringendum eſt, non tamen, credo, ad ipſum Templum Hieroſolymitanum.

XXXIV. Cauſam porro afferunt, cur in Templi atrio debuerit mactari agnus: quod ſcilicet Paſcha non ſolum Sacramentum, ſed etiam ſacrificium fuerit.

XXXV. Non equidem negamus agni Paſchalis immolationem multa cum ſacrificiis communia habuiſſe: ſed omni ex parte fuiſſe ſacrificium, negamus. Certe & in hoc ipſo, ceu ex Philone antea oſtenſum, a reliquis ſacrificiis differebat, quod unusquisque, non indigus Sacerdotis opera propriis manibus immolaret.

XXXVI. Ex Exodi *cap. XXIII. 18.* & *cap. XXXIV. 25.* nihil amplius colligitur, quam vetuiſſe Deum, ne prius Paſchalis agnus mactaretur, quam omnis fermentatus panis fuerit ſublatus. Et ſi maxime de oblatione ſangvinis loquerentur, nulla tamen quia in iis de Templo mentio fit, ampliare ſenſum vix licebit.

XXXVII. Quod Petrus *I. Epiſt. cap. I. v. 2.* & Au-

ctor Epiſtolæ ad Hebræos *cap. IX. v. 21.* verbis ῥαντισμὸς & ῥαντίζειν ad hanc adſperſionem ſanguinis agnorum Paſchalium in Templo factam alludant, dubio non caret. Nam potuerunt ſancti hi ſcriptores in genere ad ſanguinis ex victimis adſperſionem reſpicere: aut, ſi quis mordicus defendere cupiat de ſanguine agni Paſchalis agi; cur non potius ad certam in Ægypto factam adſperſionem, quam ad hanc incertam confugerimus?

XXXVIII. Plures tamen Rabbinorum hanc opinionem fovere, non nego: at quid his hominibus etiam in illis ritualibus ſit quandoque tribuendum, nemini non conſtare arbitror.

XXXIX. Multum etiam huic ſententiæ incommodat, quod tot millium agnorum immolatio intra tam breve temporis ſpatium, quale erat, quod *duas veſperas* Scriptura vocat, in unico templo, & , quod caput eſt, in altari uno, vix ac ne vix quidem fieri potuerit.

XL. Non equidem me latet, quod ὁ δεῖνα de magnitudine hujus altaris ex Joſepho; de plurimis & expeditis Sacerdotibus; de capacitate atrii; de duarum veſperarum productione affert: ſed tanti profecto ea non ſunt, ut propterea receptæ ſententiæ renunciemus.

XLI. Quamobrem miſſa publico in loco agni Paſchalis mactatione, privatæ inhæremus, & quemlibet patremfamilias Hieroſolymis agnum domi ſuæ immolaſſe credimus.

XLII. Nunc de Tempore quædam ſunt dicenda: & primum quidem de die, poſtea de diei parte, qua fieri debuerit immolatio.

XLIII. Dies mactando Paſchali agno aſſignatus fuit a Deo quartusdecimus menſis Niſan, qui primo Abib appella-

Digitized by Google

pellatus fuit. Hic menſis parte ſui priore reſpondebat poſteriori parti menſis Martii; poſteriore ſui parte conveniebat cum principio Aprilis: ut adeo minus recte ſentire videantur, qui cum alterutro plane eundem faciunt.

XLIV. אביב *Abib* hic menſis dictus fuit *ab ariſtis, vel ſpicis recentibus.* Tum enim in Judæa, ut ait Philo, τὸ μὲν σπαρτὸν ἡ ἀναγκαία τροφὴ τελειογονεῖται, *matureſcunt ſegetes ad vitam neceſſaria.* Et Græci τὸν μῆνα τῶν νέων, ſcilicet καρπῶν, aut χίδρων, aut γεννημάτων vocarunt.

XLV. Cur idem menſis a Chaldæis vocetur ניסן docte a Bocharto eſt obſervatum *in Hierozoico.* Putat enim נסן *Niſſan* per duplex S. ſcribi, ut in Joſepho *Antiquit. lib. III. cap. X.* vel in ניסן *Niſan* vocalem longam Jod ſupplere defectum τοῦ Daghes, ut ſæpe in ניסין *Niſin* pro נסין *Niſſin,* id eſt, *vexilla,* a נס *vexillum, ſignum militare,* a נסס *vexillum erexit.* Solita enim hoc menſe primum emitti ſigna militaria, poſtquam ocioſa in armamentariis per hyemem ſervata fuerint, ingenioſe colligit ex his II. Sam. XI. 1. *Et factum eſt, vertente anno, quo tempore Reges ſolent ad bella procedere.*

XLVI. Porro hic ipſe menſis *Niſan,* ſive *Abib,* primus anni menſium poſt exitum Iſraëlitarum ex Ægypto haberi jubetur ab ipſo Deo, ſic ſanciente: *Hic menſis vobis erit principium menſium. Primus ille ſit vobis inter menſes anni.* Exod. XII. 2. Quod tamen non obtinuit, niſi in rebus ſacris. Nam civilis anni initium menſe erat תשרי *Tiſri,* circa Autumnum.

XLVII. Neque ſolum anni, ſed & mundi, menſe *Niſan,* quem ex parte Martio reſpondere diximus, fuiſſe initium, plurimi Chriſtianæ Eccleſiæ Doctores crediderunt:

inter quos Patres in Synodo Cæſarienſi congregati, ceu liquet ex Theophili Epiſcopi Cæſarienſis (alii Alexandrinum faciunt) *Epiſtola Paſchali I.* quæ una cum reliquis duabus exſtat *tom. III. Bibliothecæ Patrum.* Cyrillus *Catecheſi XIV.* Damaſcenus *de orthodoxa fide, cap. VII.* Athanaſius *libro Quæſtion. reſp. XVII.* Theodoretus *in Exod. Quæſt. LXXII.* Baſilius *libro Hexaëmeron homil. VI.* Nazianzenus *Orat. in Dominicam novam*, Ambroſius *Hexaëmer. l. IV.* Auguſtinus *Quæſtion. CVI.* Beda *de ratione temporum cap. XXIIX. & XL.*

XLVIII. Neque tamen deſunt inter veteres, quos magno numero recentiores ſequuntur, qui mundum menſe Tiſri, hoc eſt, circa Autumnum a Deo conditum fuiſſe, non futilibus argumentis perſvadere conantur. Vide præter cæteros Joſephum Scaligerum *de Emendatione Temporum*, &, quem primum inter Chronologos nugari deſiiſſe ipſe Scaliger cenſuit, Sethum Calviſium, *in Opere Chronologico.*

XLIX. Tempore autem Paſchali Sol ingrediebatur verni æquinoctii ſegmentum, Luna ex adverſo in autumnali ſegmento conſtituta: ita ut hæc duo concurrant, Paſchalis veſpera, & Solis in primum Arietis punctum ingreſſus, aut proxime poſt eum diem. Hoc tempus ut ſemper incideret in decimam quartam Lunam primi menſis, intercalabatur menſis antecedens Adar ter in Octaëteride. Niſi enim illa anni intercalatio fuiſſet facta, nec hoc Paſchale, nec reliqua feſta ſuo rediiſſent tempore.

L. Quod ut rectius intelligamus, obſervandum eſt, Judæos annum ſuum computaſſe ſecundum duodecim Lunæ revolutiones annuas: ut adeo non Solarem, ſed Lunarem annum habuerint. Hujus autem anni quan-

quantitas eſt dierum CCCIV. octo horarum, minutorum fere XLIX.

LI. Quia vero annus hic lunaris, anno Solari ferme XI. diebus minor eſt, fit exinde, ut elapſis tribus annis, quilibet menſis proxime antecedentis tempeſtatem aſſumat, & ſic porro ſuccedente tempore alterius, donec elapſis XVI. annis menſes recipiant qualitatem contrariam; ita ut ex æſtivo brumalis fiat, & contra brumalis in æſtivum convertatur: donec ſpatio XXXII. annorum menſes iterum ad priſtina loca redeant.

LII. Ejusmodi lunares anni hodie apud Turcos & Arabes, olim etiam apud Tataros, Sinenſes, Japonenſes, Peruvianos, obtinebant, qui ſimpliciter CCCLIV. dies pro anno habuerunt: unde non poteſt non evenire, ut, ceu diximus, paucorum annorum ſucceſſu æſtivi menſes in hybernos, & e contrario hi in iſtos commutentur: donec ad eundem terminum revertantur.

LIII. Huic incommodo ut Judæi mederentur, antiquiſſimum illud intercalationis inſtitutum, quod puto jam ab exitu Ægyptiaco obtinuiſſe, adhibebant. Niſi enim id fuiſſet, quo pacto menſis Niſan perpetuam ſtatamque habuiſſet tempeſtatem, ſemperque vernalis fuisſet? Quomodo Judæi ſtatis temporibus frugum primitias offerre potuiſſent?

LIV. Quoties igitur diverſitas inter annum lunarem communem & ſolarem, XXX. dies excederet, menſem ἐμβολιμαῖον anno lunari addebant, ut cum ſolari in gratiam quodammodo rediret: qui annus ἐμβολιμαῖος ab Hebræis *pragnans* dicebatur: eo quod menſē hunc intercalarem in ſeſe geſtaret, fere ac mulier fœta infantē in utero.

LV. Atque cum hæc annorum diverſitas tertio quo-

que anno XXX. dies excederet, tertio quoque quovis anno intercalatione opus fuit: & tunc annus XIII. menſium conſtituebatur.

LVI. Quo igitur pacto ſub ipſum veris initium, quartadecima menſis Niſan die, Judæi Paſcha ſuum celebrare potuerint, & celebraverint etiam longo tempore, rudi filo diduximus: nam omnia accurate hic perſequi, noſtrarum non eſt virium atque item ab inſtituto noſtro alienum.

LVII. Prius tamen quam ad diei partem perrexerimus, nobilem hic, at utinam non tanta cum animorum contentione agitatam primitivæ Eccleſiæ attexemus diſceptationem de die, quo Paſcha deberet celebrari.

LVIII. Et Græci quidem, præcipue autem, quæ in Aſia minore eſſent Eccleſiæ[1], eodem cum Judæis die Paſchatis feſtum celebrare perrexerunt: quæ ita fuere edoctæ a S. Polycarpo: uti ille in eo exemplum ſecutus S. Johannis Evangeliſtæ: qua de re illuſtre extat teſtimonium, Polycratis Epiſcopi Epheſii Epiſtola apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. l. V. cap. XXIV.* ex qua nonnulla latine verſa huc adſcribam. *Nos inviolabilem celebramus diem Paſchatis, nec addentes illi quicquam, nec diminuentes. Magna enim luminaria in Aſia obdormiverunt, quæ in die adventus Domini reſurgent, quando venturus cœlitus cum gloria cunctos ſanctos reſtituet. Philippus, unus ex XII. Apoſtolis qui obdormivit Hierapoli: & duæ illius filiæ, quæ in virginitate conſenuerunt: & alia ejus filia, quæ in gratia Spiritus S. converſata requievit Epheſi: adhuc & Johannes, qui ad pectus Domini recubuit, & laminam ſacerdotalem geſtavit, martyrque ac doctor fuit, Epheſi obdormivit: denique & Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus &*

martyr

Digitized by Google

martyr, qui Smyrnæ obdormivit &c. Confer Hieronymum de Illuſtribus viris cap. XLV. in Polycrate.

LIX. Præterea B. Irenæus in Epiſtola apud Euſebium *lib. V. cap. XXVI.* affirmat, Polycarpum aſſeruiſſe, quod viderit Johannem, & ceteros Apoſtolos Paſcha celebrare decima quarta die menſis. Hinc etſi ipſe alium morem ſequeretur: tamen vere εἰρηναῖος, Victorem Papam commonuit, ut magis paci Eccleſiæ ſtuderet, nec propter circumſtantiam temporis in ceremonia iſtiusmodi ab Eccleſiæ corpore abſcinderet tot nobiles Aſiæ Eccleſias. Hieronymi quoque teſtimonium dignum eſt quod afferam ex laudato libro de Illuſtribus viris cap. XXXV. *Feruntur Irenæi & aliæ ad Victorem Epiſcopum Romanum de quæſtione Paſchatis epiſtolæ, in quibus commonet eum, non facile debere unitatem collegii ſcindere. Si quidem Victor multos Aſiæ & Orientis Epiſcopos, qui decima quarta luna cum Judæis Paſcha celebrabant, damnandos crediderat; in qua ſententia hi etiam qui diſcrepabant ab illis Victori non dederunt manus.*

LX. Nimirum alii Chriſtianorum, Occidentales præcipue, Paſcha non amplius cum Judæis celebrabant luna quartadecima; ſed die Dominica, quæ proxime plenilunium ſequeretur. Placuit enim, ut Paſchatis dies idem eſſet, qui fuerat Reſurrectionis Domini. Is cum feria hebdomadis prima contigiſſet, voluerunt etiam, ne in aliam ejus diem deinceps incideret.

LXI. Hujus autem mutationis duæ inprimis Chriſtianis erant cauſæ: una, quod nefas eſſe crederent, cum illis celebrare Paſcha, qui CHRISTVM interemiſſent. Deinde non conveniens viſum fuit, ut quo die læti agerent Judæi, eo jejunantes ſqualerent Chriſtiani. Quoniam

am enim in memoriam Paſſionis Dominicæ ſemper jejunaretur in Eccleſia; CHRISTVS autem die quarto decimo menſis Niſan, nempe Judæorum Paſchate, ſi primævum inſtitutum ſpectamus, paſſus fuiſſet: niſi tempus Paſchale immutaſſent Chriſtiani, cum perenni id jejunio conjunctum fuiſſet. Quamobrem, ceu dixi, Reſurrectionem celebrandam cenſuerunt in Dominica, quæ proxime plenilunium exciperet. Quod Paſcha *ἀναςάσιμον* dixere, ut diſtingueretur a Paſchate Judaico.

LXII. Quæ de jejunio diximus, mirifice illuſtrat Ambroſius *lib. X. Epiſt. LXXXIII.* in qua hæc leguntur. *Quia reſurrectionis celebritas die Dominica celebratur, Dominica autem jejunare non poſſumus, quia Manichæos etiam ob iſtius diei jejunia jure damnamus. Hoc eſt etiam in reſurrectionem CHRISTI non credere, ſi legem quis jejunii die reſurrectionis indicit.*

LXIII. Hoc igitur pacto fiebat, ut Paſſionis jejunium ſemper incideret in feriam ſextam, die tertio ante Reſurrectionis feſtum. Quamvis vero non illud conſequerentur Chriſtiani, ut eo menſis die, quo CHRISTVS paſſus eſſet, & reſurrexiſſet, ipſi etiam paſſionis & reſurrectionis memoriam celebrarent: iſthoc tamen conſequebantur, ut eadem hebdomadis feria celebrarent, qua CHRISTVS eſſet paſſus, & reſurrexiſſet.

LXIV. Quando autem facta hæc in primitiva Eccleſia temporis Paſchalis immutatio, accurate non licet definire. Probabile tamen eſt, jam ipſis Apoſtolorum temporibus cœpiſſe: ſic tamen ut nonnulli ex Chriſtiana libertate manerent in priſca obſervatione. Neque enim vel ex Apoſtolorum Actis a S. Luca deſcriptis, nec ex aliis antiquis monimentis licet aliquid exſculpere, ex quo indubi-

Digitized by Google

dubitato confirmari poſſit, certi quid de eo ſtatuiſſe Apoſtolos. Imo rem liberam fuiſſe usque ad medium ſecundi ſeculi, quo Pius, Anicetus, & præcipue Victor, Epiſcopi Romani floruerunt, ad oculum demonſtrari poteſt.

LXV. Afferam in hanc rem inſignem locum ex Socrate Scholaſtico, qui medio ſeculo v. Theodoſii Junioris temporibus Hiſtoriam Eccleſiaſticam condidit. Sic eim ille lib. V. cap. XXI. *Mihi quidem certe videtur, ſicut aliæ res multæ in locis quibusque ex more quodam introductæ fuerunt: ita feſtum Paſchatis ex quadam conſuetudine apud ſingulos populos obſervationem privatam habuiſſe: propterea quod nemo ex Apoſtolis legem de eo, ut dixi, cuiquam edidit. Et quod ex conſvetudine potius, quam ex lege ab antiquis temporibus obſervari cœptum ſit, rerum eventa perſpicue declarant. Plerique namque in Aſia minore antiquitus decimoquarto die menſis, nulla ratione diei Sabbati habita, hoc feſtum obſervarunt. Quod dum faciebant, cum aliis, qui aliam rationem in eodem feſto agendo ſequebantur, usque eo nequaquam diſſenſerunt, quoad Victor Epiſcopus Romanus ſupra modum iracundia inflammatus, omnes in Aſia qui erant* τεσσαρεσκαιδεκατῖται *appellati, id eſt, qui decimoquarto die menſis Paſcha celebrabant, excommunicaverit.*

LXVI. Ante Victorem quidem jam tum aliquid motuum dediſſe illam in Paſchate celebrando inter Eccleſias differentiam, conſtat ex Euſebii *lib. IV. cap. XXVI.* ubi memorat Melitonem Sardenſem Epiſcopum, qui circa annum CHRISTI CLXVI. claruit, librum de Paſchate conſcripſiſſe, in quo indicinam faciat, apud Laodiceam, ſub Antonino Vero, & Servilio Paulo Aſiæ Proconſule

Digitized by Google

hanc quæſtionem emerſiſſe. Quo item eodem tempore Pius Romanus Pontifex, ex revelatione Hermetis decreto conſtituiſſe dicitur, Paſcha die Dominico celebrandum eſſe: ceu videre eſt ex Corpore Juris Canonici, *Decret. Part. III. de Conſecratione, diſtinct. III. cap. XXI.* Hunc deinde Pium, Anicetus, Soter, & Eleutherius in Romana ſede ſecuti ſunt: quibus omnibus hoc ſtudium fuiſſe apparet, ut Aſiaticos ad ſuos ritus quoquo modo vocarent.

LXVII. Nemo tamen id majori egit opum vi, quam Victor Epiſcopus Romanus: qui ut alias animo paulo eſſet vehementiori, ſic in hoc negotio ita ſe geſſit, ut lamentabili, quod Eccleſiam diu fatigavit, ſchismati bipatentem portam aperiret.

LXIIX. Anno enim a nato Salvatore primo & nonageſimo ſupra centeſimum, ſub Commodo Imp. ſynodos paſſim ſuper hac controverſia indicebat, ne ſua ſolius ſententia ſtare videretur, ſed & aliorum judicia eliceret. Ac habitæ quidem ſunt tum aliquot ſynodi; ut pote Cæſareæ Palæſtinæ a Theophilo; Hieroſolymis a Narciſſo; in Gallia ab Irenæo; in Ponto a Palma, Epiſcopis. Qui cum omnes a Victoris ſententia ſtarent, ac ipſe interea ſynodum congregaſſet, inque eadem in ſuam ſententiam pedibus iretur: decreta ſcribi juſſit de Paſchate, non alio quam die Dominico celebrando; eademque omnibus ubique Eccleſiis miſit.

LXIX. His decretis, cum inter alios, re prius cum reliquis Aſiæ minoris Epiſcopis deliberata, ſe opponeret Polycrates, magni inter Aſiaticos Epiſcopos nominis & auctoritatis; ac illam quoque epiſtolam, quam Euſebius ſervavit, & ex qua nos antea quædam protulimus, ſcriberet:

ret: Victor præ iracundia æſtuans, maleque ſibi temperans, miſſis literis fratres omnes Aſiaticos, & Eccleſias vicinas ex communione Eccleſiæ excluſos & ejectos palam denunciat: ceu videre eſt apud Euſebium, *lib. V. c. XXIII.*

LXX. Ex eo tempore paſſim conviciis proſciſſi ſunt Eccleſiis Aſiaticis addicti: ſic ut per contemtum τεσσαρεσκαιδεκατῖται, ſive *Quartadecimani* appellarentur, uti præter alios auctor eſt Nicephorus *l. IV. c. XXXIX.* Imo Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus, eos in hæreticis reponere non dubitavit, *Hereſi XI. & XXXIX.* Sed bene eſt, quod jamdudum obſervarunt docti, Philaſtrium *zeli majoris, quam judicii ſcriptorem, multa inter hereſes numerare, quæ vere hereſes non ſunt.*

LXXI. Obiter hic nota ſive Sozomeni ipſius, ſive librarii errorem, quando *lib. VII. Hiſt. Eccleſ. cap. XIX.* compoſita hæc de Paſchate lis inter Victorem Romanum, & Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopum ſcribitur: ſic ut a mutua inter ſe communione non receſſerint, etiamſi uterque, ut conſveverat, feſtum celebraret. Pro Victore enim procul dubio Anicetus reponendus erit: cum quo Polycarpo controverſiam de Paſchate interceſſiſſe, ex Euſebii *lib. V. cap. XXIV.* diſcimus. Nam cum Victor Romæ Epiſcopatum teneret, jam ultra dimidium ſeculum exceſſerat S. Polycarpus, S. Johannis diſcipulus. Inter Victorem autem & Polycratem mutuam concordiam locum inveniſſe, non conſtat ex Hiſtoriis.

LXXII. Manſit igitur hæc inter Eccleſias diſcordia usque ad Concilii Nicæni, quod Anno CCCXXV. celebratum, tempora. In hoc enim Concilio, auctoritate Conſtantini M. conſenſuque Patrum abrogata vetus conſvetudo cum Judæis celebrandi Paſcha, decretumque ne

 Paſcha

Paſcha celebraretur ante plenilunium, ſemperque ejus ſolemnitas in memoriam Reſurrectionis CHRISTI inciperet die Dominico, qui plenilunium illud exciperet, quod ſequeretur novilunium verno æquinoctio proximum. Vide Euſebium, *de Vita Conſtantini, lib. III. cap. V item XVII. & XVIII.* Socratem *lib. I. cap. VI.* Theodoretum *lib. I. cap. X.*

LXXIII. Hinc Auguſtinus, *Epiſt. CXIX. ad Januarium* ſcribit: *In ſcripturis quidem veteribus ad agendum Paſcha non eſt præceptum tempus, niſi ex menſe novorum, a luna quartadecima usque ad viceſimam primam. Ex Evangelio tamen quia jam manifeſtum eſt, quo etiam die Dominus crucifixus ſit, & in ſepultura fuerit, & reſurrexerit: adjuncta eſt etiam ipſorum dierum obſervatio per patrum concilia, & orbi univerſo Chriſtiano perſvaſum eſt, eo modo paſcha celebrari oportere.* Et Ambroſius *lib. X. Epiſtolam LXXXIII.* quæ tota eſt de die paſchali, ſic orditur: *Non mediocris eſſe ſapientiæ diem celebritatis definire paſchalis, & Scriptura divina nos inſtruit, & traditio majorum. Qui convenientes ad Synodum Nicænam inter illa fidei, ut vera, ita admiranda decreta etiam ſuper celebritate memorata, congregatis peritiſſimis calculandi, decem & novem annorum collegere rationem, & quaſi quendam conſtituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum enneadecaterida nuncuparunt, ſequentes illud, quod non debeamus vana quadam opinione ſuper celebritate humana fluctuare, ſed vera ratione comperta ita omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique ſacrificium pro reſurrectione Domini deferatur.*

LXXIV. Ceterum, ne in definiendo termino paſchali erraretur, decretum, ut quia Alexandriæ potiſſimum

mum Matheſeos ſtudia vigerent, ac Ptolemæi diſcipuli agerent, eo Patriarcha Alexandrinus quotannis diem Paſchatis ex motu lunari definiret, deque eo Epiſcopum Romanum ac Patriarchas alios faceret certiores. Hanc definitionem ab Alexandriæ Epiſcopo in argentea tabula aureis exaratam literis Romam miſſam eſſe, recentiores quidam ſcribunt: ſed in veterum lectione nondum me id obſervare memini.

LXXV. Sub Theodoſio Majore, Imperatoris hujus juſſu, Cyclum Paſchalem ordinavit Theophilus, Epiſcopus Alexandrinus, redigendo Paſchata in catalogum annorum XCV. Ita factum, ut non eſſet quotannis neceſſe Alexandriam recurrere, & inde diem paſchalem petere.

LXXVI. Exſtant hujus Theophili Epiſtolæ tres Paſchales, a B. Hieronymo latinæ factæ, *tomo III. Biblioth. Sanctorum Patrum.* Quamquam Eraſmus verſionem Hieronymi non amplius ſuperare autumat. Certe, ſi interpretis Hieronymi verſio eſt, non tamen S. Patrem auctorem habet epiſtola, quæ præmittitur literis Theophili. Nam nec dicendi genus cum ceteris Hieronymianis convenit; nec ſalutatione ea ſolet uti; nec credibile eſt, in S. Chryſoſtomum tanta acerbitate fuiſſe invectum.

LXXVII. Solitum autem quotannis Theophilum ejuſmodi Epiſtolas exarare, conſtat ex Syneſii *Epiſt. IX.* Et videtur Hieronymus de alia quadam Epiſtola Paſchali a ſe tranſlata hæc ſcripſiſſe ad Pammachium & Marcellam: *Accipite Græcam & Latinam epiſtolam, in qua laboraſſe me fateor; ut verborum elegantiam pari interpretationis venuſtate ſervarem: & intra definitas lineas currens, nec in quoquam excedens loco, eloquentiæ ejus fluenta non perderem,*

Digitized by Google

derem, eaſdemque res eodem ſermone transferrem. Quam ſciatis in quatuor partes eſſe diviſam. In prima credentes hortatur ad Dominicum Paſcha celebrandum &c. Et rurſus *in Apologia adverſus Ruffinum* ſe ſynodicam quandam Epiſtolam Theophili, ut & Paſchalem, interpretatum teſtatur.

LXXVIII. Neque tamen ab hoc Theophili invento plane in Eccleſia deſiit mos ſignificandi paſchale tempus. Nam in Synodo Carthaginenſi III. conſtitutum reperio, ut *omnes Africanarum provinciarum Epiſcopi inſtructionem de Paſchate ab Eccleſia Carthaginenſi petant.* Et in alio concilio Carthaginenſi, quod in hanc ſententiam laudat Corpus Juris Canonici, *Decret. part. III. Diſtinct. III. c. XXIV.* hoc placitum fuit perſcriptum: *Placuit ut dies venerabilis Paſcha formatarum ſubſcriptione omnibus intimetur.*

LXXIX. *Formata* (ut hoc in tranſcurſu moneam) Epiſtolæ erant Eccleſiaſticæ, ſic dictæ, vel quod ſub certis ac determinatis canonibus ſeu regulis conciperentur atque formarentur; vel, quod conſiderarentur, ut ferentes characterem fraternitatis Chriſtianæ, & formam per charitatis regulas præſcriptam. Nam quod alii tertiam hujus nominis originem indagantes, a forma, ſeu ſigillo, quod iisdem additum, appellatas velint, id vix merebitur aſſenſum. Dicebantur hæ epiſtolæ alio nomine *Canonicæ:* de quo etſi dubitat Chamierius *Panſtratia Cathol. tom. II. lib. XI. cap. XIX.* §. *LXIV.* tamen id communis ad unum prope omnium eruditorum ſententia evincit. Inſtitutum noſtrum non permittit de Formatis his Epiſtolis exquiſite agere: ſed lectori tantum commendamus Franciſci Bernardini Ferrarii *Opuſculum,* quod *de Epiſtolis Eccleſiaſti-*

ſiaſticis olim Mediolani, in Ambroſiano Collegio, ubi Doctorem agebat, ſumma diligentia conſcripſit, & anno cIↄ Iↄc XIII. edidit. Atque o utinam ea, quæ Chriſtianus Bergius, auctoritate potiſſimum magni & in his literis vere ſummi viri Joh. Andreæ Boſii inductus, de hoc argumento commentari cœpit, vel per temporum invidiam, vel fatum præproperum conficere potuiſſet. Habuiſſemus certe in his non pauca ad illuſtrationem antiquitatum Eccleſiaſticarum, adque adeo ipſius Eccleſiæ inſigne commodum pertinentia.

LXXX. Porro in Concilio Bracarenſi II. ſeculo VII. juſſu Regis Ariamiri, ſeu Gundemari (quem circa id tempus in Hiſpania Gothis imperaſſe conſtat) inſtituto, cautum fuit, ut metropolitanus Epiſcopus diem Paſchatis denunciet: ceteri vero Epiſcopi, & clerici in feſto Natalis CHRISTI poſt lectionem Evangelii eundem diem populo ſignificent. Canon Concilii, qui etiam in Corpore Juris Canonico apparet, ita habet: *Placuit, ut poſtquam omnia in concilio ſacerdotum fuerint ordinata, illud omnimodis obſervetur, ut ſuperventurum ipſius anni Paſcha quota Calendarum die, vel quota luna debeat ſuſcipi, a metropolitano Epiſcopo intimetur. Quod ceteri Epiſcopi, vel clerus reliquus brevi ſubnotantes, unusquisque in ſua Eccleſia, adveniente Natalis Domini die aſtante populo poſt Evangelicam lectionem annuncient.*

LXXXI. Quamquam autem diſſidium paſchale in Concilio Nicæno plene planeque compoſitum videbatur; aliquoties tamen poſtea recruduit: ſic ut tandem ſeptimo & octavo a nato Salvatore ſeculis in Britannia in nervum erumperet, multisque turbis anſam daret.

LXXXII. Scripſerat quidem Conſtantinus M. ad omnes Eccleſias & provincias (literæ habentur apud Socratem *lib. I. cap. IX.* & Theodoretum *lib. I. c. X.*) ut quæ minori eſſent numero Eccleſiæ, reliquarum, quæ longe numero excellerent, ſequerentur conſuetudinem, & a Judæorum perfidia etiam hoc pacto ſe ſegregarent. Verba Conſtantini e græco verſa hæc ſunt. *Quapropter quoniam cauſam hanc ita moderari convenit, ut nihil nobis cum gente parricidarum illorum, & eorum, qui Dominum occiderunt, commune ſit reliquum: conveniens ordo eſt, quem cunctæ Occidentis, Meridiei, ac Septemtrionis partium orbis Eccleſiæ, & nonnulla etiam Orientis loca retinent: ob eam cauſam in præſenti conveniens futurum cuncti judicarunt, & ipſe noſtræ placere induſtriæ fateor, ut, quod in urbe Roma, & Africa, totaque Italia, Ægypto, Hiſpania, Galliis, Britanniis, Libyis, tota Hellade, Aſianaque diœceſi, ac Pontica & Cilicia, una & concordi ſententia ſervatur; illud & veſtra prudentia cupide recipiat: hoc reputans, non ſolum majorem eſſe prædictorum locorum Eccleſiarum numerum; ſed & juſtisſimum eſſe, id maxime velle cunctos, quod & accurata ratio appetere, & cum Judæorum perfidia nihil conſortii habere videtur.*

LXXXIII. Verum omnes & ſingulas Eccleſias dictis Conſtantini & ſanctis Nicæni concilii edictis non ſtatim audientes fuiſſe, ex eo luculenter demonſtrari poteſt; quod poſtea in aliquot Conciliis præceptum de Paſchate uno tempore, unaque die per orbem univerſum celebrando repetitum fuerit. Nam in Concilio Carthaginenſi IV. quod juxta Proſperum anno primo & quadringenteſimo habitum, canon LXV. ita concipitur: *Paſcha ſolennitas uno die & tempore celebranda.* Et gemina in aliis Conciliis leguntur.

LXXXIV.

LXXXIV. Venio ad Britannos; inter quos diſſidium de Paſchate multas turbas dediſſe diximus. Scilicet Britanni, quorum pars paulo ante ad religionem Chriſtianam converſa erat, non celebrabant Paſcha tempore per Nicænos Patres definito, ſed luna quartadecima, ſecundum Judæorum conſuetudinem. Id autem Auguſtinus quidam, Gregorii I. Romani Pontificis in Angliam legatus improbavit; & Britannis perſuadere eſt conatus, ut Romano more Paſcha celebrarent. Sed fruſtra illum operam navaſſe, conſtat ex Bedæ *Hiſtor. Anglic. lib. II. cap. II.*

LXXXV. Auguſtinum ſecuti Laurentius, Mellitus, & Juſtus idem ſaxum vehementer volverunt, nihilque omiſerunt, quod ad Britannos & Scotos in ſuam ſententiam pertrahendos faceret. Scripſere igitur literas ad Scotos (Anglicis quibusdam Eccleſiis conſenſum perſuaſerant) eosque ad rituum unionem hortati ſunt: quarum literarum exemplum recitat Beda *lib. II. cap. IV.* Verum cum juſto acerbius hoc negocium tractarent, Columbanus & Dagamus, Scotorum & Pictorum Epiſcopi, non tantum ſuis ceremoniis renunciare, ſed & cibum cum reformatoribus Romanis capere, eodemque hoſpitio uti noluerunt: id quod ex laudata, quæ ad Bedam eſt, epiſtola apparet.

LXXXVI. Cum igitur parum proficerent Romani, Laurentius Mellitum Romam miſit, ut Pontificiis bullis & decretis contra Scotos armatus reverteretur. Scripſit igitur Bonifacius IV. duas epiſtolas, unam ad Edilbertum Regem, alteram ad Laurentium: quarum Beda citato loco meminit.

LXXXVII. Quamobrem Laurentius Ann. ıɔc xv. in Mona Inſula ſynodum indicit, & poſt peracres diſputatio-

nes,Scotos, & Hybernos, tum ad aliarum ceremoniarum, tum ad Paſchatis Judaici abrogationem ſcriptis literis invitat. Atque hæ epiſtolæ procul dubio ſunt, quæ ab Anglicanis ſcriptoribus ſub titulo librorum *de Obſervatione Paſchæ*, laudantur.

LXXXVIII. Verum Britannis & Scotis monachis ſeſe acriter opponentibus parum effecit: imo res a dimicatione literaria ad arma devenit; & mille ac ducenti monachi patrios ritus defendentes, ab iis, qui Romanas partes ſectabantur, interfecti ſunt: referente Balæo *Cent. I. cap. LXXIV.*

LXXXIX. Poſtea Honorius I. Papa Romanus legatos ſuos literis juvit, & Scotos, ut in Paſchatis obſervatione aberrantes redarguit: id quod etiam ſucceſſores ejus, Severinus & Johannes IV. fecerunt: Beda, Reginone Prumienſi, Adone Viennenſi, teſtibus.

XC. Id vero Scotos in Auſtralibus Hyberniæ Inſulæ partibus forte movit, ut Romano more Paſcha celebrarent. At tamen ſeptentrionalis Scotorum provincia, & omnis quidem natio Pictonum a quartadecima luna usque ad viceſimam diem Paſcha celebravit: quo de vide Bedam *lib. III. cap. III.* qui ejusdem libri *cap. XXV.* ſcribit, ob hanc diſſenſionem contigiſſe, ut uno anno bis in Anglia Paſcha celebraretur.

XCI. Vivebat ea tempeſtate Finnanus, Lindisfarnenſis Epiſcopus, qui cum Romanis de Paſchate acriter contendit; nec eſt paſſus ſibi extorqueri conſuetudinem veteris Eccleſiæ Aſiaticæ in obſervando Paſchate: pro quo etiam librum conſcripſiſſe dicitur.

XCII. Ab exceſſu Finnani Colmannus Lindisfarnenſem ſedem accepit. Hujus temporibus cum contro-

ver-

verſia Paſchalis acerbius agitaretur; idque malum etiam regiam domum infeſtaret, anno Domini IↃCLXIV. coacta eſt ſynodus per Oſuvium Regem, & Alchfridum filium ejus, rogatu potiſſimum Abbatiſſæ cœnobii Pharenſis, Hildæ: in cujus etiam monaſterio Synodus celebrata eſt.

XCIII. Convenerunt autem præter Colmannum & Hildā, Cedda, Eboracenſis Archiepiſcopus, & ceteri Epiſcopi & Clerici Scotiæ, qui averſabantur cerimonias Romanas, quibus Paſchæ celebrationem annumerabant: cum ex adverſaria parte qui ſtarent, Agilbertus, Occidentalium Saxonum Epiſcopus, & Wilfridus Abbas, & Agatho presbyter, & Jacobus Diaconus, aliique quorum nomina in tanta non ſunt fama, adeſſent.

XCIV. Præſedit ſynodo Rex Oſuvius, qui & ipſe antiquam ſequebatur in Paſchate celebrando conſuetudinem. Hic poſtquam præfatus eſſet, ut de certitudine rei cognoſceretur, ne, qui uni Deo ſervirent, diverſam regulam vivendi tenerent, nec diſcreparent in celebratione Sacramentorum cœleſtium, qui unum omnes in cœlis regnum exſpectarent: diſputatum eſt inter Colmannum & Wilfridum pro utraque parte non ſine contentione.

XCV. Præcipuus nervus, quo Colmannus ſuam ſententiam voluit ſtabilire, a Beda recenſetur iſte, quod accepiſſent hunc morem a Johanne Evangeliſta, ab Anatolio & Columba Patribus: a quorum auctoritate, cum ea miraculis eſſet confirmata, non poſſet recedere.

XCVI. Reſponſum a Wilfrido multipliciter. Primum; quod tempore S. Johannis, cum tenera & imbecillis eſſet Chriſtiana Eccleſia, non potuiſſent omnes Moſaicæ legis obſervationes tam ſubito abrogari, præſertim

Digitized by Google

cum maxima Eccleſiæ iſtius pars collecta fuiſſet ex Judæis: id quod ex Paulo etiam videre liceret, qui nullam aliam ob cauſam, niſi ut evitaret ſcandalum, Judæorum ergo, Timotheum circumcidiſſet, hoſtias in templo immolaſſet, Corinthi caput totondiſſet. Deinde oſtendebat, quod tamen Scoti S. Johannis exemplum minus recte imitarentur: ſiquidem Johannes, juxta legem decimoquarto die menſis primi ad veſperam Paſcha inchoaſſet, non attendendo, utrum in Sabbatum, an alium diem incideret. Scoti vero non niſi de primo ſabbato ordirentur, neglecto interim dierum ordine, utrum vel XIII. vel XIV. eſſet. Poſtea docebat, Petrum, Paulum, & reliquos Apoſtolos, non ſine gravi conſilio, abolita Moſaica conſuetudine in memoriam Reſurrectionis CHRISTI ordinaſſe, ut quartadecima primi menſis luna, ſi proxime ſequens dies eſſet Dominicus, eo ipſo veſpere, ſicut lex jubebat, Paſchalis ſolennitas inchoaretur. Sin vero non ſtatim adeſſet lux Dominica, ſed in ſextumdecimum, vel ſequentium quinque dierum unum caderet, exſpectaretur, donec ea veniret, & præcedente demum veſpere Paſcha initium ſumeret, ita ut ipſa Dominica Paſchæ non niſi a quintadecima luna primi menſis, aut proxime ſequentibus usque ad vigeſimam primam ſervaretur. Deinceps aſſerebat, quod iſte modus celebrandi Paſcha, poſt Apoſtolorum tempora ſtatim receptus eſſet in Aſia a ſucceſſoribus Johannis, & in toto orbe Chriſtiano: quodque in Concilio Nicæno denuo eſſet confirmatus. Tum vero Anatolium, quem allegaſſet Columbanus, in eadem ſecum fuiſſe ſententia ex eo demonſtrabat, quod circulum novemdecim annorum (is cyclus eſt lunaris, de quo ſupra fuit actum) ad morem Ægyptium compoſuiſſet.

Colum-

Columbam autem, ac ſucceſſores reliquos, non contradicendi ſtudio, ſed ex ignorantia, & de rei veritate non admonitos putabat deliquiſſe. Denique ipſorum Patrum tantam auctoritatem non eſſe opinabatur, ut Petro Apoſtolorum principi, cui nimirum claves regni cœlorum a CHRISTO eſſent commiſſæ, poſſent aut deberent præponi.

XCVII. His ultro citroque longa diſputatione agitatis, tandem ab Oſuvio Rege concluſum eſt, Petri partes debere potiores haberi: ne ſibi aliquando ad cœlum venienti, ab hoc ſancto oſtiario cœli janua præcluderetur. Sicque repudiata Scotorum conſuetudine, Romano more apud Northanymbros Paſcha celebrari cœpit: idque factum eſt anno CHRISTI IↃC LXIV. Beda, Sigebertoque teſtibus.

XCIIX. Exploſus igitur Colmannus Lindisfarnenſi ſede ceſſit: & abducens ſecum, quotquot ibi ex Scotis & Anglis ſuarum partium erant: hoc eſt, qui Paſcha Romanum, & tonſuram Clericorum coronariam, de qua ſimiliter diſceptabatur, ſuſcipere nolebant, in Scotiam eſt regreſſus: ubi duo monaſteria exſtruxit, alterum in inſula Inhisbovinde, id eſt, vitulæ albæ, quod Scotis reliquit: alterum in Magio inſula, in quod collocavit Anglos, quorum ſucceſſores Bedæ tempore (vixit is octavo ſeculo) ibidem proprio labore victitaſſe, ex ipſo Beda *lib. III. cap. XXV.* & *XXVI.* & *lib. IV. cap. IV.* docemur.

XCIX. Scripſit hic Colmannus *pro ſociis Quartadecimanis librum unum;* quem Balæus laudat *Centur. XIV. c. XXI.* ſicuti contra Wilfridus *de celebratione Paſchatis* pro Romanis, *librum unum,* & alium *pro tonſura Clericorum,* itemque librum *Edicta Pharenſis Synodi* complexum ſcripſit.

 C.An-

C. Anno Domini DCLXIII. juxta Bedam (Sigebertus ſequentem habet annum) celebrata eſt Synodus Herudfordii in Cambria, quæ nunc Wallia appellatur. In hujus Synodi actis, quæ a Beda referuntur *lib. IV. cap. V.* primum conſtitutum eſt capitulum, *ut ſanctam diem Paſchæ in commune omnes ſervent Dominica poſt decimamquartam lunam primi menſis.*

CI. Hactenus diſſidium Paſchale, quod ſeculo ſeptimo in Anglia emicuit, quanta potuimus, induſtria luſtravimus. Nunc pauca de octavo ſeculo dicenda reſtant. Nam neque in iſto plane compoſitam hanc fuiſſe litem Anglicanorum ſcriptorum monimenta docent. Nam etſi monachi in Hu inſula, & Picti Romano more Paſcha celebrare inciperent anno DCCIX, ut Sigebertus numerat, vel, uti Beda, DCCXVI. Britones tamen circa annum CHRISTI DCCXXXI. nondum cum Anglis, Pictis, & Scotis, aliiſque vicinis populis feſtum Paſchale celebraſſe, conſtat ex ejusdem Bedæ *lib. V. cap. XXIV.* Poſt illa tamen cum ſub Romanorum Pontificum jugum penitus redigerentur inſulæ Britannicæ, etiam hanc de Paſchate eodem cum Romanis die celebrando ceremoniam receperunt. Apud Græcos etiam Seculo XIV. recruduit lis de obſervatione Paſchatis. Definierunt tandem coram Andronico Imp. religionis proceres, *ne quis ante æquinoctium vernale Reſurrectionis feſtum celebraret, ſed die Dominico poſt Paſcha Judaicum, nimirum poſt plenilunium, quod æquinoctium ſequitur.* Bzovius ad an. Chriſti MCCCXXX. ſect. LXIII.

CII. Noſtram de tota hac per tot ſecula extracta controverſia ſententiam ſi quis quærat; ingenue fatemur, cauſæ nihil nos videre, cur illi, qui Judaicam tenerent conſue-

ſuetudinem, decreta Synodi Nicænæ (ut ut quædam exerrationes in Matheſi fuerint commiſſæ, quæ tamen ab adverſariis, utpote harum rerum ignaris in controverſiam non deductæ) recipere noluerint, ſed in hoc ipſo a ceteris totius orbis Chriſtiani Eccleſiis defecerint. Nam & Conſtantini & Epiſcoporum rationes, & pleraque Wilfridi argumenta tanti erant ponderis, ut jure merito ea æſtimare debuiſſent. Neque tamen erat, cur Romani tanta cum contentione animi ceteros in ſuam ſententiam pertrahere conarentur, ut res etiam ad arma deveniret. Nam per tantam vehementiam adverſarii magis magisque reddebantur alieni, ſic ut iſti diu nec literis nec armis impetrarent, quod, meo judicio, ſi paulo mollius tractaſſent Quartadecimanos, facile aſſecuti fuiſſent.

CIII. Ceterum annon judaizet (liceat nunc mihi ita loqui) Vir quidam doctus, qui ante aliquot annos Patrum Nicænorum in hoc certamine decreta inceſſere conatus eſt; dum *abuſum libertatis Chriſtianæ a Papa Sylveſtro commiſſum,* (ac ſi is ſolus Nicææ ſapuiſſet) eliminandum, & primævam inſtitutionem revocandam cenſet; doctioribus judicandum relinquo.

CIV. Ne injuriam ipſi facere videar, adſcribam ejus verba, ſed bona fide (ſcripſit enim germanice) in latinum verſa. *Anno CCCXXIII. a Nativitate CHRISTI, Papa Sylveſter, ope Conſtantini Cæſaris in Concilio Nicæno tandem eo rem redegit, ut Eccleſia Chriſtiana cogeretur Paſcha ſuum, quod ſemper hactenus in plenilunio celebraverat, ut & Pentecoſten, in poſterum die Dominico celebrare. Atque ita tunc temporis gravida illa, ſoleque veſtita, & duodecim ſtellis coronata mulier, quæ lunæ inſiſteret (per quam S. Johannes in Apocalypſi Eccleſiam Chriſtianam voluit depin-*

Digitized by Google

pingere) a luna ſua deturbata exinde M CCLX. dies Paſchales in eremo enutrita fuit. Nam ab hac prima Paſchatis translatione, nempe ab anno CCCXXIII. examuſſim M. CCLX. anni, vel dies Dominici Paſchales præterfluxerunt, quando Gregorius Papa, novi computi pater, anno MD LXXXIII. tempore Rudolphi Imperatoris, feriatum ejusdem feſti diem ſecunda vice mutavit; atque ſic etiam Chriſtianam Eccleſiam primo ſolari veſtitu exuit: imo perfecit, ut ex eo tempore ad hunc usque diem duo Paſchales dies, & uterque quidem diverſis diebus Dominicis, poſtremus a ſuis aſſeclis, Pontificiis, primus, nempe Sylveſtricus, ab ipſorum adverſariis, qui Papatum reliquerunt, celebrati ſint. Admiratione tamen dignum eſt, quod hæc pars Chriſtianiſmi, quæ ſeceſſionem fecit à Papatu, hunc abuſum Chriſtianæ libertatis, quem Sylveſter Pontifex commiſit, & per vim Eccleſiæ imperavit, huc usque ſervaverit, nec primævam divinam inſtitutionem revocaverit.

CV. Amicus quidam meus hæc verba interpretari voluit, ac ſi in iis Calendarii Gregoriani computum emendari præoptaret: cum quo, propter argumenta varia, quæ pro revocando Judaici Paſchatis die Auctorem militare perſuadent, facere non poſſum.

CVI. Jure interea merito celeberrimos hujus ſeculi Mathematicos, quos inter fulgentiſſimum Academiæ Salanæ ſidus, Erhardus Weigelius eminet; ut Juliani & Gregoriani Calendariorum nævi publica auctoritate corrigantur, & certiſſima utriusque computi conſenſio conſtituatur, in votis habere, atque ea etiam publicis ſcriptis oſtentare, cenſeo. Hoc enim pacto fieret, ut illa, quæ per tot priora ſecula, & nunc denuo ultra octoginta annos Eccleſiam & Rempubl. de die Paſchali fatigavit diſſenſio

poſt-

Digitized by Google

poſtliminio in concordiam reduceretur, multiſque incommodis via præcluderetur.

CVII. Longius, fateor, a propoſito digreſſus ſum, eoque quorundam me lectorum cenſuram ſubiturum prævideo. Verum quia multa de Schiſmate Paſchali inaudivi, non pauca etiam legi, placuit iſta, ut penitius inſcriberem memoriæ, in ordinem redigere, & eo ſimul aliis, quæ rudi Minerva a me propoſita, ut politius eliment, meoſque etiam, qui in argumento tam difficili fortaſſis non deerunt, errores emendent, facem præbere. Nunc bono cum Deo ad Judæorum Paſcha reverſi, de diei parte, quo agnus immolari debuit, aliquid dicemus.

CIIX. Agnum Paſchalem quod ex *cap. XII. Exodi v. 6.* cognoſcimus, mactari oportebat בין הערבים quod plerique interpretes reddunt, *inter duas veſperas*. Quale vero tempus eo deſignet ſacer Scriptor, non convenit inter Interpretes.

CIX. Rabbi Abarbenel *Commentar. in Pentateuch.* vocem הערבים ſignificatione numeri dualis penitus deſtitui, & vim ſingularis numeri tantum habere cenſet: ut adeo ערבים idem ſignificet ac בערב *in veſpera*. At præterquam quod ratio & natura numeri dualis hic militat, etiam particula בין *inter*, quæ cum ערבים decies in ſacris conjungitur, poſtulare videtur, ut de re, quæ gemina eſt, accipiatur.

CX. Rabbi Levi Ben Gerſom denotari per duas veſperas putat meridiem, quia is bina crepuſcula intercedit, unum orientis ſolis, alterum occidui. Verum quia matutinum illud crepuſculum ab Hebræis non ערב ſed שחר *aurora* dicitur, neque agnus בצהרים *in meridie* mactatus fuit, ideo hæc explicatio aſſenſum non meretur.

Digitized by Google

CXI. Quoniam dies naturalis apud Judæos a veſpera incepit, & in ſequentem veſperam duravit, hinc ſunt qui utramque hanc veſperam ſignificari volunt. Sed hoc intervallum cum nimis ſit prolixum, ac ſtante hac ſententia quavis hora Paſchalem agnum mactare licuiſſet, hoc interpretamentum merito quoque rejicimus.

CXII. Qui per duas veſperas totum pomeridianum tempus, cum prima parte noctis intelligunt, quod quaſi Sol occaſu ſuo duas veſperas dividat; itidem prolixo nimis ambitu duarum veſperarū tempus videntur definire.

CXIII. Nimis e contrario anguſtum illud intervallum eſt, quando AbenEzra duas veſperas ab occaſu Solis incipere, & in crepuſculo deſinere ſtatuit. Verba Rabbini, prout a feliciſſimo Orientalium literarum ſtatore, Friſchmuthio latine verſa ſunt, ita ſonant: *Gemina nobis eſt veſpera, una occultationem Solis complectitur, quando nempe Sol infra terram eſt; altera veſpera eſt, quamdiu Solis occaſi lumen a nubibus repercuſſum tenebras avertit, & conſtat horæ ſpatio, & tertiæ horæ partis.*

CXIV. Sunt, qui tempus duarum veſperarum ſic definiunt, ut intra horam diei nonam prior veſpera, & horam a Solis occaſu primam, veſpera poſterior incipiat: ut adeo prima veſpera uſque ad Solis occaſum duraverit, inde altera inceperit, quæ ſequentem noctis quadrantem ſibi vendicarit. Attamen cum fundamentum hæc ſententia in ſacris literis habeat nullum, eidem etiam tuto inniti non licet.

CXV. Nos igitur iis accedimus, quibus ערבים *duæ veſperæ*, ſunt duo tempora, quibus Sol lucet a meridie, ſitque utraque ante Solis occaſum, una meridiei proprior, altera occaſui propinqua.

CXVI.

Digitized by Google

CXVI. Probari poteſt hæc ſententia illuſtri loco Joſephi, quem jam hoc ipſo capite laudavimus; hic autem partem ejus denuo repetemus. *Cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hoſtias cadunt.* Nempe ſi hora nona Judaica, quæ noſtræ tertiæ pomeridianæ reſpondet, mactari ſolitus fuit agnitus, ante Solis id occaſum factum eſſe facile probatur.

CXVII. Huc accedit doctiſſimi Judæorum R. Moſis Maimonidis teſtimonium, quod, prout a laudato Friſchmuthio latine verſum eſt, adſcribimus. *Mactatio agni fit elapſo meridie. Vbi ante meridiem fuerit mactatus, pro profano habetur. Non mactant eum, niſi poſt ſacrificium matutinum. Poſtquam aptaverunt lucernas, incipiunt mactare Paſcha usque ad finem diei. Quod ſi etiam poſt meridiem ante veſpertinum ſacrificium, inter duas veſperas offerri ſolitum, mactaverint, illa quoque mactatio pro legitima habetur.*

CXVIII. Duplicem hanc Judæorum veſperam nonnulli deſignari putant Matth. XIV. v. 15. & 23. Et ſane cum poſt cibum ſumtum, & ſeceſſum CHRISTI, iterum legamus ὀψίας γενομένης, quid vetat, quo minus illam poſteriorem fuiſſe cenſeamus? Quæ autem inibi narrantur facta poſt priorem & ante poſteriorem ὀψίαν, aliquot horarum ſpatium exigunt.

CXIX. Cur autem eo ipſo, & non alio tempore agnum Paſchalem Deus voluerit mactari, potiſſimam cauſam eſſe cenſemus, prævіſam ipſius CHRISTI circa idem diei tempus mactationem. Scilicet quia JESVS, Dei Filius, qui hora tertia Judaica in crucem eſt actus, eodem die, quo agnus mactari ſolebat, tribus aut quatuor horis ante

Digitized by Google

Solis occaſum exſpiravit; typus cum antitypo ad amuſſim convenire debuit.

CXX. Satis hoc eſſet de duabus veſperis, niſi adhuc in quæſtionem veniret: cum dies apud Judæos a veſpera inceperit, & in veſperam deſierit, an veſpertinum illud tempus Paſchæ celebrationi ex lege deſtinatum, fuerit in principio, an in fine diei quartidecimi menſis Abib. Apparet autem in fine fuiſſe, quandoquidem Paſchæ celebrationi ſtatim ſucceſſit dies quintusdecimus, qui primus fuit azymorum: ut etiam Paſchalis cœna celebrata ſit ineunte die decimo quinto. Itaque dies ille, quo Judæi ex Ægypto diſceſſerunt, non fuit decimi quarti pars, ſed decimus quintus dies, vide Numer. XXXIII. 3. Atque idem confirmat Flavius Joſephus non uno in loco, inprimis *lib. II. Antiquit. cap. VI.* quod his auſpicatur verbis: κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον μηνὶ Ξανθικῷ, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην. *Reliquerunt autem Ægyptum menſe Xanthico Luna quintadecima.*

CXXI. In Ritibus circa agnum Paſchalem obſervari ſolitis quatuor ſunt notanda. Victimæ ſeparatio, Mactatio, Aſſatio, Manducatio.

CXXII. Seponebatur primum agnus ſive hœdus, & a reliquo grege ſegregabatur, quatriduo ante, quàm mactaretur, die ſcilicet decimo menſis Niſan.

CXXIII. Tempeſtivæ hujus præparationis Hebræi cauſas reddunt varias; quas inter ſunt præcipue: ut mature ſibi de agno proſpicerent, ne ultimis diebus, cum rebus ſacris deberent eſſe addicti, de agno laborarent, vel iter eo nomine ſuſciperent: deinde, ut accurate obſervarent, an forte aliquis in agno nævus eſſet: demum, ut ex agni adſpectu occaſionem haberent inter ſe colloquendi de ſua

de ſua ex Ægypto redemtione. Vnde ex Hebræorum traditionibus refertur, iſtum agnum productum interea temporis donec mactaretur quarto decimo die, in cœnaculo ad fulcrum lecti fuiſſe alligatum, ut omnium adſpectui pateret, atque ita ipſis de redemtione ſua, adeoque miſericordia Dei, qui illos tam clementer reſpexerat, inter ſe invicem ſermones faciendi occaſionem daret.

CXXIV. Agni ſepoſitionem ſequitur Mactatio. Hæc fiebat cultro acutiſſimo, per animalis jugulum ducto & reducto.

CXXV. In prima celebratione Paſchatis jugulati agni ſanguis exceptus fuit vaſe, quod Exod. XII. 22. סף vocatur: quod quidam *vas fictile*, nonnulli *hydriam* vertunt.

CXXVI. In eo ſanguine intingebatur faſciculus hyſſopi, quo adſpergebantur poſtes, & ſuperliminare.

CXXVII. Mactationem agni excipit ejusdem Aſſatio.

CXXVIII. Poſtquam enim agno pellis detracta, ac fel, ut & viſcera, quæ ſordes continerent, educta, non capite, non cauda, non pedibus abſciſſis, ſed integer aſſabatur.

CXXIX. Modum aſſationis ſic deſcribit Maimonides. *Cum agnum aſſant, figunt per os ejus ad nates usque veru ligneum, & in fornace ignem ei ſubdunt, crura ejus & viſcera ibidem extra agnum reponunt, nec eidem inſerunt: alias enim ſpeciem haberet coctionis. Solent vero ex malogranato eligere veru ad aſſationem, ne humore ſparſo coquatur.*

CXXX. Idem Maimonides ex Gemara refert, ne ferreo quidem uſos fuiſſe veru, ne ferro intus calente, coqueretur potius, quam aſſaretur.

Digitized by Google

CXXXI. Veru illud ligneum fuiſſe cruciforme, Juſtinus Martyr aſſerit.

CXXXII. Cur aſſum potius, quam elixum Dominus voluerit comedi, ab interpretibus ſolet quæri.

CXXXIII. Sunt, qui dicant, ideo hoc eſſe factum, quod hic coquendi modus antiquiſſimus; quod ſit ſimpliciſſimus, ſine ullo alieni ſaporis condimento; quod robuſtioribus conducibiliora ſint aſſa, quam elixa.

CXXXIV. Alii per eſum aſſati agni indigitari putant feſtinationẽ, qua egreſſi fuerint Iſraëlitæ ex Ægypto, ubi non licuerit moram nectere, coquendo carnem in lebete.

CXXXV. Arguta eſt Abarbenelis ratio, aſſationem ideo a Deo mandatam, ut nidor ejus ſe diffunderet longius, ac Ægypti odorarentur, quibus abominationi erant comedentes de agno.

CXXXVI. Si ob fragrantem odorem aſſatus eſt, Chriſtianis haut invitis de typo affirmabitur, quod de antitypo affirmat Apoſtolus, quem ſe obtuliſſe ait θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν τῆς εὐωδίας. Epheſ. V. 2.

CXXXVII Solet tamen ad vehementiam paſſionis hoc etiam referri, & ignem afflictionum, quo toſtus ipſemet de cruciatibus conqueritur. Pſ. XXII. 7.

CXXXVIII. Illud autem cumprimis memorabile, & myſterii plenum eſt, agnum omnino integrum, nullaque ſui parte mutilum igni admotum fuiſſe. Neque inepta eſt Abarbenelis opinio, quod agnus in hoc ſtatu hominem moribundum repræſentaverit. Verba ejus ex Commentario in Pentateuchum a Cl. Friſchmuthio verſa ita habent: *Dum* (agni) *caput cruribus & interioribus manſit junctum hominem moribundum repræſentavit: omnibus enim ſuis membris agnus erat præditus.* CXXXIX.

Digitized by Google

CXXXIX. Ridiculi ſunt nonnulli ex Rabbinis, qui propterea id factum volunt, quod agnus imaginem retulerit ſideris arietis, religioſe culti ab Ægyptiis: ut hoc pacto innoteſceret, non illius ſideris virtute, ſed auxilio Dei ſupremi egreſſos eſſe.

CXL. Nec multo melius R. Levi Barzelonita interdictum de non confringendis oſſibus ad dignitatem ac prærogativam, quam præ aliis gentibus habeant Judæi, refert. Sic enim de eo diſſerit. *Regum filiis, & conſiliariis terræ indignum eſt, oſſa rodere, & inſtar canum confringere, quod non niſi in indigam & famelicam plebem cadit. Initio illius temporis, quo facti ſumus peculium omnium populorum, & ſacerdotium regium, & populus ſanctus, convenit, ut illa opera faciamus, quæ dignitatem nobis monſtrant, qua ea hora excelluimus. Hoc typo, quem ſic exprimimus, fit, ut res illa æternum infixa maneat.*

CXLI. R. Maimonides, & ex Reformatis Andreas Rivetus, hoc referri putant ad ſignificationem feſtinationis; eo quod feſtinantibus tantum ocii non ſit, ut confringant oſſa, & ex iis medullam & ſuccum extrahant.

CXLII. Verum quia myſticum quid in eo latuit, & id Scriptura N. T. perſpicue explanavit, aliorſum confugere, & nunc has, nunc illas comminiſci ratiunculas, plane non eſt opus. Nimirum vetuit Dominus, ne agno os confringeretur, ad præſignificandum, antitypo nullum os confringendum aliquando eſſe in cruce. Hoc enim diſerte S. Johannes docet *cap. XIX. 36.* eadem providentia divina, qua ordinatum erat, ne agno confringeretur, ad oſtendendam nempe typi, & rei typo ſignificatæ concordem συμμετρίαν.

CXLIII. Ab Aſſatione ad ipſam Manducationem nos convertimus.

CXLIV.

Digitized by Google

CXLIV. Hic primo manducantium occurrit habitus.

CXLV. Lumbi ſuccincti, pedes calceati, baculi in manibus expeditorum viatorum ſigna erant.

CXLVI. De prioribus, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, in libello *de Zona Antiquorum*, & in juſto *de Calceis Veterum* tractatu curatius agemus.

CXLVII. Quia in procinctu erant, ſtantes potius, quam ſedentes comediſſe, eſt credibile.

CXLVIII. Cum Paſchali Agno duo comedenda præſcribuntur: *Panes azymi, & Herbæ amaræ.*

CXLIX. Panes azymi, מצות *Mazoth* Hebræis dicti, id eſt, *puri, ſinceri, & ab omni fermento expurgati*, comedebantur a Judæis per ſeptiduum, cujus initium veſpera diei quartidecimi; finis, veſpera diei primi & vigeſimi menſis Niſan. Atque hinc eſt, quod dies Paſchalis feſti nuncupantur Evangeliſtis ἀζύμων.

CL. Id factum in memoriam exceſſus feſtinati ex Ægypto: ſiquidem panes ejusmodi cito conficiuntur: at in fermentatis exſpectandum, donec fermentum digeſſerit farinam.

CLI. Neque tamèn dubium eſt, quin Deus ille ſanctiſſimus ſimul ſublimiorem in eo ſignificationem ſpectaverit, ac una cum fermentato pane omnem vitæ impuritatem, & concupiſcentiarum pravitatem a Judæis penitiſſime remotam voluerit. Atque hoc eſt quod Apoſtolus in memoriam revocat Corinthiis, *prioris Epiſtolæ cap. V. v. 7.* dum a redemtione, per CHRISTI, tanquam veri agni Paſchalis mactationem, parta, ad expurgandum vetus fermentum argumentatur.

CLII. Beneficio alicujus doctoris Chriſtiani, cujus verba

Digitized by Google

verba ſibi prædulcia fuiſſe ſcribit, pervidit hanc ſententiam R. Abarbenel: quippe qui inter alia ſic commentetur. *Quandoquidem fermentum malam concupiſcentiam deſignat, præcepit Deus, ut procul ab ædibus noſtris, hoc eſt, corporibus noſtris illam arceamus ſeptem omnino diebus vitæ noſtræ.* Et paulo poſt: *Ex hiſce omnibus pateſcit, feſtum azymorum deſignare renovationem hominis, & vitæ ejus emendationem, puritatem, concupiſcentiæ ſuæ ſubactionem, afflictionem corporis, & perfectionem animæ, cujus finis eſt Deo placere.*

CLIII. Solebant Judæi nocte, quo tempore mactarunt agnum Paſchalem, ad lucernæ lumen ſedulo inquirere, ecquid fermenti uſpiam foret in ædibus, ac ſi quid repertum, id foras projicere. Has panis fermentati exverrias jam tum Apoſtolorum tempore fuiſſe uſurpatas, ex jam laudato S. Pauli loco ſunt qui firmare nituntur.

CLIV. Certe non ſolum vetitum erat a Deo fermentum comedere, ſed & habere domi: idque ſub gravi pœna, exciſionis ſcilicet ex Iſraële. Id quod tam ſevere interdictum fuit procul dubio, ne Judæi vel minimam haberent occaſionem transgrediendi legem divinam.

CLV. Neque tamen communis ac quotidianus cibus Judæis fuit panis azymus: uti in ea opinione fuiſſe videtur Tacitus, quando *lib. V. Hiſtor. cap. IV.* ſic ſcribit: *Et raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento retinet.*

CLVI. *Herbæ amaræ,* quæ generali nomine vocantur מרורים, quales fuerint, nondum fortaſſis in aprico eſt.

CLVII. Amaras fuiſſe, nomen ipſum indicat. Quia cum agno edi oportuit, neceſſe eſt fuiſſe edules. Quod

Digitized by Google

pingere) a luna ſua deturbata exinde M CCLX. dies Paſchales in eremo enutrita fuit. Nam ab hac prima Paſchatis translatione, nempe ab anno CCCXXIII. examuſſim M. CCLX. anni, vel dies Dominici Paſchales præterfluxerunt, quando Gregorius Papa, novi computi pater, anno M D LXXXIII. tempore Rudolphi Imperatoris, feriatum ejusdem feſti diem ſecunda vice mutavit; atque ſic etiam Chriſtianam Eccleſiam primo ſolari veſtitu exuit: imo perfecit, ut ex eo tempore ad hunc usque diem duo Paſchales dies, & uterque quidem diverſis diebus Dominicis, poſtremus a ſuis aſſeclis, Pontificiis, primus, nempe Sylveſtricus, ab ipſorum adverſariis, qui Papatum reliquerunt, celebrati ſint. Admiratione tamen dignum eſt, quod hæc pars Chriſtianiſmi, quæ ſeceſſionem fecit à Papatu, hunc abuſum Chriſtianæ libertatis, quem Sylveſter Pontifex commiſit, & per vim Eccleſiæ imperavit, huc usque ſervaverit, nec primævam divinam inſtitutionem revocaverit.

CV. Amicus quidam meus hæc verba interpretari voluit, ac ſi in iis Calendarii Gregoriani computum emendari præoptaret: cum quo, propter argumenta varia, quæ pro revocando Judaici Paſchatis die Auctorem militare perſuadent, facere non poſſum.

CVI. Jure interea merito celeberrimos hujus ſeculi Mathematicos, quos inter fulgentiſſimum Academiæ Salanæ ſidus, Erhardus Weigelius eminet; ut Juliani & Gregoriani Calendariorum nævi publica auctoritate corrigantur, & certiſſima utriusque computi conſenſio conſtituatur, in votis habere, atque ea etiam publicis ſcriptis oſtentare, cenſeo. Hoc enim pacto fieret, ut illa, quæ per tot priora ſecula, & nunc denuo ultra octoginta annos Eccleſiam & Rempubl. de die Paſchali fatigavit diſſenſio poſt-

poſtliminio in concordiam reduceretur, multisque incommodis via præcluderetur.

CVII. Longius, fateor, a propoſito digreſſus ſum, eoque quorundam me lectorum cenſuram ſubiturum prævideo. Verum quia multa de Schiſmate Paſchali in inaudivi, non pauca etiam legi, placuit iſta, ut penitius inſcriberem memoriæ, in ordinem redigere, & eo ſimul aliis, quæ rudi Minerva a me propoſita, ut politius eliment, meosque etiam, qui in argumento tam difficili fortaſſis non deerunt, errores emendent, facem præbere. Nunc bono cum Deo ad Judæorum Paſcha reverſi, de diei parte, quo agnus immolari debuit, aliquid dicemus.

CIIX. Agnum Paſchalem quod ex *cap. XII. Exodi v. 6.* cognoſcimus, mactari oportebat בין הערבים quod plerique interpretes reddunt, *inter duas veſperas.* Quale vero tempus eo deſignet ſacer Scriptor, non convenit inter Interpretes.

CIX. Rabbi Abarbenel *Commentar. in Pentateuch.* vocem הערבים ſignificatione numeri dualis penitus deſtitui, & vim ſingularis numeri tantum habere cenſet: ut adeo ערבים idem ſignificet ac מערב *in veſpera.* At præterquam quod ratio & natura numeri dualis hic militat, etiam particula בין *inter,* quæ cum ערבים decies in ſacris conjungitur, poſtulare videtur, ut de re, quæ gemina eſt, accipiatur.

CX. Rabbi Levi Ben Gerſom denotari per duas veſperas putat meridiem, quia is bina crepuſcula intercedit, unum orientis ſolis, alterum occidui. Verum quia matutinum illud crepuſculum ab Hebræis non ערב ſed שחר *aurora* dicitur, neque agnus בצהרים *in meridie* mactatus fuit, ideo hæc explicatio aſſenſum non meretur.

CXI. Quoniam dies naturalis apud Judæos a veſpera incepit, & in ſequentem veſperam duravit, hinc ſunt qui utramque hanc veſperam ſignificari volunt. Sed hoc intervallum cum nimis ſit prolixum, ac ſtante hac ſententia quavis hora Paſchalem agnum mactare licuiſſet, hoc interpretamentum merito quoque rejicimus.

CXII. Qui per duas veſperas totum pomeridianum tempus, cum prima parte noctis intelligunt, quod quaſi Sol occaſu ſuo duas veſperas dividat; itidem prolixo nimis ambitu duarum veſperarũ tempus videntur definire.

CXIII. Nimis e contrario anguſtum illud intervallum eſt, quando AbenEzra duas veſperas ab occaſu Solis incipere, & in crepuſculo deſinere ſtatuit. Verba Rabbini, prout a feliciſſimo Orientalium literarum ſtatore Friſchmuthio latine verſa ſunt, ita ſonant: *Gemina nobis eſt veſpera, una occultationem Solis complectitur, quando nempe Sol infra terram eſt; altera veſpera eſt, quamdiu Solis occaſi lumen a nubibus repercuſſum tenebras avertit, & conſtat horæ ſpatio, & tertiæ horæ partis.*

CXIV. Sunt, qui tempus duarum veſperarum ſic definiunt, ut intra horam diei nonam prior veſpera, & horam a Solis occaſu primam, veſpera poſterior incipiat: ut adeo prima veſpera uſque ad Solis occaſum duraverit, inde altera inceperit, quæ ſequentem noctis quadrantem ſibi vendicarit. Attamen cum fundamentum hæc ſententia in ſacris literis habeat nullum, eidem etiam tuto inniti non licet.

CXV. Nos igitur iis accedimus, quibus ערבים *duæ veſperæ,* ſunt duo tempora, quibus Sol lucet a meridie, ſitque utraque ante Solis occaſum, una meridiei proprior, altera occaſui propinqua.

CXVI.

Digitized by Google

CXVI. Probari poteſt hæc ſententia illuſtri loco Joſephi, quem jam hoc ipſo capite laudavimus; hic autem partem ejus denuo repetemus. *Cum dies feſtus adeſſet, qui Paſcha vocatur, quando a nona quidem hora usque ad undecimam hoſtias cædunt.* Nempe ſi hora nona Judaica, quæ noſtræ tertiæ pomeridianæ reſpondet, mactari ſolitus fuit agnitus, ante Solis id occaſum factum eſſe facile probatur.

CXVII. Huc accedit doctiſſimi Judæorum R. Moſis Maimonidis teſtimonium, quod, prout a laudato Friſchmuthio latine verſum eſt, adſcribimus. *Mactatio agni fit elapſo meridie. Ubi ante meridiem fuerit mactatus, pro profano habetur. Non mactant eum, niſi poſt ſacrificium matutinum. Poſtquam aptaverunt lucernas, incipiunt mactare Paſcha usque ad finem diei. Quod ſi etiam poſt meridiem ante veſpertinum ſacrificium, inter duas veſperas offerri ſolitum, mactaverint, illa quoque mactatio pro legitima habetur.*

CXVIII. Duplicem hanc Judæorum veſperam nonnulli deſignari putant Matth. XIV. v. 15. & 23. Et ſane cum poſt cibum ſumtum, & receſſum CHRISTI, iterum legamus ὀψίας γενομένης, quid vetat, quo minus illam poſteriorem fuiſſe cenſeamus? Quæ autem inibi narrantur facta poſt priorem & ante poſteriorem ὀψίαν, aliquot horarum ſpatium exigunt.

CXIX. Cur autem eo ipſo, & non alio tempore agnum Paſchalem Deus voluerit mactari, potiſſimam cauſam eſſe cenſemus, prævisam ipſius CHRISTI circa idem diei tempus mactationem. Scilicet quia JESUS, Dei Filius, qui hora tertia Judaica in crucem eſt actus, eodem die, quo agnus mactari ſolebat, tribus aut quatuor horis ante

Solis occaſum exſpiravit; typus cum antitypo ad amuſſim convenire debuit.

CXX. Satis hoc eſſet de duabus veſperis, niſi adhuc in quæſtionem veniret: cum dies apud Judæos a veſpera inceperit, & in veſperam deſierit, an veſpertinum illud tempus Paſchæ celebrationi ex lege deſtinatum, fuerit in principio, an in fine diei quartidecimi menſis Abib. Apparet autem in fine fuiſſe, quandoquidem Paſchæ celebrationi ſtatim ſucceſſit dies quintusdecimus, qui primus fuit azymorum: ut etiam Paſchalis cœna celebrata ſit ineunte die decimo quinto. Itaque dies ille, quo Judæi ex Ægypto diſceſſerunt, non fuit decimi quarti pars, ſed decimus quintus dies, vide Numer. XXXIII. 3. Atque idem confirmat Flavius Joſephus non uno in loco, inprimis *lib. II. Antiquit. cap. VI.* quod his auſpicatur verbis: κατέλιπον δὲ τὴν Αἴγυπτον μηνὶ Ξανθικῷ, πέμπτῃ καὶ δεκάτῃ κατὰ σελήνην. *Reliquerunt autem Ægyptum menſe Xanthico Luna quintadecima.*

CXXI. In Ritibus circa agnum Paſchalem obſervari ſolitis quatuor ſunt notanda. Victimæ ſeparatio, Mactatio, Aſſatio, Manducatio.

CXXII. Seponebatur primum agnus ſive hœdus, & a reliquo grege ſegregabatur, quatriduo ante, quàm mactaretur, die ſcilicet decimo menſis Niſan.

CXXIII. Tempeſtivæ hujus præparationis Hebræi cauſas reddunt varias; quas inter ſunt præcipue: ut mature ſibi de agno proſpicerent, ne ultimis diebus, cum rebus ſacris deberent eſſe addicti, de agno laborarent, vel iter eo nomine ſuſciperent: deinde, ut accurate obſervarent, an forte aliquis in agno nævus eſſet: demum, ut ex agni adſpectu occaſionem haberent inter ſe colloquendi de ſua

Digitized by Google

de ſua ex Ægypto redemtione. Vnde ex Hebræorum traditionibus refertur, iſtum agnum productum interea temporis donec mactaretur quarto decimo die, in cœnaculo ad fulcrum lecti fuiſſe alligatum, ut omnium adſpectui pateret, atque ita ipſis de redemtione ſua, adeoque miſericordia Dei, qui illos tam clementer reſpexerat, inter ſe invicem ſermones faciendi occaſionem daret.

CXXIV. Agni ſepoſitionem ſequitur Mactatio. Hæc fiebat cultro acutiſſimo, per animalis jugulum ducto & reducto.

CXXV. In prima celebratione Paſchatis jugulati agni ſanguis exceptus fuit vaſe, quod Exod. XII. 22. סף vocatur: quod quidam *vas fictile*, nonnulli *hydriam* vertunt.

CXXVI. In eo ſanguine intingebatur faſciculus hyſſopi, quo adſpergebantur poſtes, & ſuperliminare.

CXXVII. Mactationem agni excipit ejusdem Aſſatio.

CXXVIII. Poſtquam enim agno pellis detracta, ac fel, ut & viſcera, quæ ſordes continerent, educta, non capite, non cauda, non pedibus abſciſſis, ſed integer aſſabatur.

CXXIX. Modum aſſationis ſic deſcribit Maimonides. *Cum agnum aſſant, figunt per os ejus ad nates usque veru ligneum, & in fornace ignem ei ſubdunt, crura ejus & viſcera ibidem extra agnum reponunt, nec eidem inſerunt: alias enim ſpeciem haberet coctionis. Solent vero ex malogranato eligere veru ad aſſationem, ne humore ſparſo coquatur.*

CXXX. Idem Maimonides ex Gemara refert, ne ferreo quidem uſos fuiſſe veru, ne ferro intus calente, coqueretur potius, quam aſſaretur.

Digitized by Google

CXXXI. Veru illud ligneum fuiſſe cruciforme, Juſtinus Martyr aſſerit.

CXXXII. Cur aſſum potius, quam elixum Dominus voluerit comedi, ab interpretibus ſolet quæri.

CXXXIII. Sunt, qui dicant, ideo hoc eſſe factum, quod hic coquendi modus antiquiſſimus; quod ſit ſimpliciſſimus, ſine ullo alieni ſaporis condimento; quod robuſtioribus conducibiliora ſint aſſa, quam elixa.

CXXXIV. Alii per eſum aſſati agni indigitari putant feſtinationẽ, qua egreſſi fuerint Iſraëlitæ ex Ægypto, ubi non licuerit moram nectere, coquendo carnem in lebete.

CXXXV. Arguta eſt Abarbenelis ratio, aſſationem ideo a Deo mandatam, ut nidor ejus ſe diffunderet longius, ac Ægypti odorarentur, quibus abominationi erant comedentes de agno.

CXXXVI. Si ob fragrantem odorem aſſatus eſt, Chriſtianis haut invitis de typo affirmabitur, quod de antitypo affirmat Apoſtolus, quem ſe obtuliſſe ait θυσίαν τῷ Θεῷ εἰς ὀσμὴν τῆς εὐωδίας. Epheſ. V. 2.

CXXXVII Solet tamen ad vehementiam paſſionis hoc etiam referri, & ignem afflictionum, quo toſtus ipſemet de cruciatibus conqueritur. Pſ. XXII. 7.

CXXXVIII. Illud autem cumprimis memorabile, & myſterii plenum eſt, agnum omnino integrum, nullaque ſui parte mutilum igni admotum fuiſſe. Neque inepta eſt Abarbenelis opinio, quod agnus in hoc ſtatu hominem moribundum repræſentaverit. Verba ejus ex Commentario in Pentateuchum a Cl. Friſchmuthio verſa ita habent: *Dum* (agni) *caput cruribus & interioribus manſit junctum hominem moribundum repræſentavit: omnibus enim ſuis membris agnus erat præditus.* CXXXIX.

Digitized by Google

CXXXIX. Ridiculi ſunt nonnulli ex Rabbinis, qui propterea id factum volunt, quod agnus imaginem retulerit ſideris arietis, religioſe culti ab Ægyptiis: ut hoc pacto innoteſceret, non illius ſideris virtute, ſed auxilio Dei ſupremi egreſſos eſſe.

CXL. Nec multo melius R. Levi Barzelonita interdictum de non confringendis oſſibus ad dignitatem ac prærogativam, quam præ aliis gentibus habeant Judæi, refert. Sic enim de eo diſſerit. *Regum filiis, & conſiliariis terræ indignum eſt, oſſa rodere, & inſtar canum confringere, quod non niſi in indigam & famelicam plebem cadit. Initio illius temporis, quo facti ſumus peculium omnium populorum, & ſacerdotium regium, & populus ſanctus, convenit, ut illa opera faciamus, quæ dignitatem nobis monſtrant, qua ea hora excelluimus. Hoc typo, quem ſic exprimimus, fit, ut res illa æternum infixa maneat.*

CXLI. R. Maimonides, & ex Reformatis Andreas Rivetus, hoc referri putant ad ſignificationem feſtinationis; eo quod feſtinantibus tantum ocii non ſit, ut confringant oſſa, & ex iis medullam & ſuccum extrahant.

CXLII. Verum quia myſticum quid in eo latuit, & id Scriptura N. T. perſpicue explanavit, alíorſum confugere, & nunc has, nunc illas comminiſci ratiunculas, plane non eſt opus. Nimirum vetuit Dominus, ne agno os confringeretur, ad præſignificandum, antitypo nullum os confringendum aliquando eſſe in cruce. Hoc enim diſerte S. Johannes docet *cap. XIX. 36.* eadem providentia divina, qua ordinatum erat, ne agno confringeretur, ad oſtendendam nempe typi, & rei typo ſignificatæ concordem *συμμετρίαν*.

CXLIII. Ab Aſſatione ad ipſam Manducationem nos convertimus.

Digitized by Google

verba ſibi prædulcia fuiſſe ſcribit, pervidit hanc ſententiam R. Abarbenel: quippe qui inter alia ſic commentetur. *Quandoquidem fermentum malam concupiſcentiam deſignat, præcepit Deus, ut procul ab ædibus noſtris, hoc eſt, corporibus noſtris illam arceamus ſeptem omnino diebus vitæ noſtræ.* Et paulo poſt: *Ex hiſce omnibus pateſcit, feſtum azymorum deſignare renovationem hominis, & vitæ ejus emendationem, puritatem, concupiſcentiæ ſuæ ſubactionem, afflictionem corporis, & perfectionem animæ, cujus finis eſt Deo placere.*

CLIII. Solebant Judæi nocte, quo tempore mactarunt agnum Paſchalem, ad lucernæ lumen ſedulo inquirere, ecquid fermenti uſpiam foret in ædibus, ac ſi quid repertum, id foras projicere. Has panis fermentati exverrias jam tum Apoſtolorum tempore fuiſſe uſurpatas, ex jam laudato S. Pauli loco ſunt qui firmare nituntur.

CLIV. Certe non ſolum vetitum erat a Deo fermentum comedere, ſed & habere domi: idque ſub gravi pœna, excìſionis ſcilicet ex Iſraële. Id quod tam ſevere interdictum fuit procul dubio, ne Judæi vel minimam haberent occaſionem transgrediendi legem divinam.

CLV. Neque tamen communis ac quotidianus cibus Judæis fuit panis azymus: uti in ea opinione fuiſſe videtur Tacitus, quando *lib. V. Hiſtor. cap. IV.* ſic ſcribit: *Et raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento retinet.*

CLVI. *Herbæ amaræ*, quæ generali nomine vocantur מרורים, quales fuerint, nondum fortaſſis in aprico eſt.

CLVII. Amaras fuiſſe, nomen ipſum indicat. Quia cum agno edi oportuit, neceſſe eſt fuiſſe edules. Quod

vere viguerint, menſis primus & ſecundus, quibus edebantur, evincit. In Ægypto, & Judæa, & in vicino deſerto, obvias, & in uſu promiſcuo habitas, non difficile itidem eſt colligere.

CLVIII. Nonnulli pro amaris quibusvis intybis habent: quorum ſpecies faciunt chærophyllum, cicerbitam, ſonchum, troximum, ſcariolam.

CLIX. Quidam inter has amaras herbas referunt marrubium, gingidium, raphanum majorem, Plinio dictum *parthenicum*.

CLX. Non deſunt, qui urticam iisdem accenſent, quod *amaritudinem mordacem illi* adſcribat Plinius.

CLXI. Qui LXX. Seniorum πικρίδας explicant, (hanc vocem Cyprianus *lib. II. contra Judæos* retinuit: Ambroſius vero *in Pſalmum XXXIX.* interpretatur *amaritudinem*:) pars lactucæ amaræ ſpeciem, pars cichorium ex iis faciunt.

CLXII. Et ſane, quia amarum eſt cichorium, & in Judæa paſſim reperitur, non admodum illis repugnaverim, qui pro hac, & herbis affinibus militant.

CLXIII. Ex his amaris herbis Judæos olim embamma confeciſſe, eſt credibile. Ea de re juvat audire Scaligerum, *lib. VI. de Emendat. Temporum* hoc modo commentantem: *In Paſchali epulo ipſi convivæ interdicebantur omni genere bellariorum, uti in canone rituali* μετὰ τὸ πάσχα οὐκ ἀπολύουσι τὸ δεῖπνον ἐπικώμιον. *In locum enim bellariorum afferebatur in trybliis acetarium ex intybis & lactucis agreſtibus: quorum quia triſtis ſuccus & amarus, propterea ex aceto, ac aliis, neſcio quibus, embamma conficiebatur, & amara illa olera intingebantur. Id hodie conficitur ad ſpiſſitudinem illius embammatis, quod vulgo Muſtaceam*

Digitized by Google

ceam nonnulli, omnes autem Galli Muſtardam, a ſinapi vocant. Erat enim ſatura olerum amarorum, quæ aliis ejusmodi ſpiſſabatur.

CLXIV. Hæc autem intyba amara in animum Judæis revocabant acerba illa tempora ſuæ in Ægypto ſervitutis.

CLXV. Inter Paſchales ritus erat, quod necquidquam hujus agni ad matutinum tempus relinquere, ſed reliquias comburere juſſi ſunt: ne ſcilicet hi ſacrati cibi corrumperentur, aut in profanos uſus cederent.

CLXVI. Sunt alii Paſchales ritus, quos ſuperſtitio invexit: ſed potiſſimos referre ſat habuimus, qui in Lege præſcribuntur.

CLXVII. In his ritibus id notandum eſt, horum alios fuiſſe perpetuos: ut Immolationem, absque ulla oſſium fractione, Aſſationem, Manducationem cum azymis, & herbis amaris: alios ſemel tantum, nec alibi, quam in Ægypto obſervatos: ut ſtatio, cinctura, calceatus, poſtium conſperſio. Hinc & Devteronom. *cap. XVI.* quo loco epulum Paſchale inſtitutum iterato inculcatur, horum rituum nulla facta eſt mentio.

CLXVIII. De Separatione Agni quatriduo ante, quam mactaretur, quorſum referenda ſit, ambigitur. Sunt qui perpetuam fuiſſe autumant: contra alii ultra primum illud Paſcha haut extendendum eſſe, inde maxime clarere putant, quod omnibus peregre Hieroſolymam venientibus Judæis oppido oneroſa ſaltim, ſi non impoſſibilis fuiſſe videatur quatriduana cuſtodia.

CLXIX. Ad Convivas quod attinet, ii vel genuini fuere, vel adſcititii Judæi. Genuinos hoc loco appellamus, quotquot erant ex Abrahami genere. Adſcititios autem

tem, quotquot aliunde orti circumcidebantur, & Judæi fiebant.

CLXX. Horum alii vernæ, ſeu ſervi domi nati; alii mercenarii; alii inquilini terræ Canaan, nulli ſervitio addicti.

CLXXI. Mulieribus quoque ſua fuit portio in ſacro hoc convivio: quia pertinebant ad familiam,& ad cœtum Iſraëliticum.

CLXXII. Legalis immunditia Iſraëlitas a Paſchatis communione excludebat, donec ab ea expurgati eſſent.

CLXXIII. Remotum iter non tam excludebat,quam excuſabat Iſraëlitas a celebratione Paſchatis.

CLXXIV. Agni convivæ per domos convenire juſſi Exod. XII. 3. Sed quia inhabitantium ſæpe minor numerus, quam ut par eſſet comedendo agno, Lex vicinos advocare juſſit, ut convenirent, quantum ſatis eſſet ad agnum comedendum.

CLXXV. Porro contubernia, in quibus comedebatur Agnus, Hebræi חבורות *Sodalitia*, Joſephus Φρατρίας appellant: Φρατρία inquiens *lib. VII. de Bello Judaic. cap. XVII.* περὶ ἑκάστην γίνεται θυσίαν οὐκ ἐλάσσων ἀνδρῶν δέκα (μόνον γὰρ οὐκ ἔξεστι δαινύσθαι) πολλοὶ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται. *Ad ſingulas hoſtias contubernia non pauciorum, quam decem virorum fiunt: ſolum vero non licet epulari. Multi etiam viceni conveniunt.*

CLXXVI. In his contuberniis ſimul accumbebant viri & mulieres, ſenes & pueri, ſani & ægri, domini & ſervi, Judæorum denique quotquot poterant comedere carnis offulam, ne infantibus quidem excluſis, modo ne eſſent ἀρτιγέννητα βρέφη, *recens nati infantes.*

CLXVII. Paterfamilias miniſtri vices gerens ceteris in

Digitized by Google

in eadem menſa accumbentibus panem, & agni carnes, & poculum diſtribuebat.

CLXXVIII. Demum in cœna agni Paſchalis cum memoria maximi beneficii celebraretur, benedictiones & laudes frequentabantur: de quibus aliquid dicendum erit in ſequentibus.

Cap. XI.

Agitur ſeparatim de Paſchate Dominico, & potiſſimum de his duabus quæſtionibus, An CHRISTVS Paſcha illud typicum & legale celebraverit; An id eodem die fecerit, quo Judæorum alii, an vero diverſo; & denique de poculo Paſchali Lucæ ſeorſim memorato cap. XXII. v. 17.

I.

POſteaquam communem Agni Paſchalis rationem quorumvis Judæorum conſideravimus, nunc nos ad ea convertemus, quæ particulatim ad ultimam ipſius CHRISTI Cœnam Paſchalem pertinent.

II. Primum autem in diſquiſitionem veniet, an etiam CHRISTVS in ultima, ſeu valedictoria cœna Paſcha illud typicum ac legale celebraverit, hoc eſt, Agnum Paſchalem comederit.

III. Communiſſima Eccleſiæ Chriſtianæ eſt ſententia, omnino CHRISTUM Judaicum illud, legale, ac typicum Paſcha celebraſſe cum diſcipulis: idque perſpicue probatur ex prioribus tribus Evangeliſtis: quorum loca quia ſunt cuivis obvia, hic prætermittimus repetere.

IV. Attamen etſi illa ſunt meridiana luce clariora, im-

impugnare tamen eadem conatus eſt Vir magni nominis, Marcus Antonius de Dominis, *lib. V. de Republ. Eccleſiaſt. cap. VI.* Aperte enim ſcribit *Num CCLXXIII. CHRISTI cœnam ultimam non fuiſſe cœnam Paſchalem, ſed ordinariam & communem, licet extraordinario modo factam, abſque eſu agni paſchalis, & conſequenter absque azymis.* Et *Num. CCLXXV.* ſatis temerarie pronunciat: *Nullus profecto Evangeliſtarum eſt, qui dicat, in ultima cœna CHRISTUM cum diſcipulis agnum Paſchalem comediſſe, neque ulla habemus in ipſis Evangeliis indicia comeſtionis dicti agni, valida tamen habemus in contrarium.*

V. Non tam in proclivi eſſet hanc litem cum M. Antonio componere, ſi tanquam certum & indubitatum ſupponeret (id quod non eſt ſupponendum) Paſchatis vocem apud Evangeliſtas nequaquam hoc in argumento de Paſchali agno accipi. Verum licet forſan eo collimaverit, tamen cum *Num. CCLXIV.* diſerte ſcribat, ſe τὸ *comedere Paſcha in Scriptura ſacra non invenire, niſi ad eſum agni Paſchalis pertinere:* CHRISTUS autem perſpicue teſtetur, ſe ſummo *deſiderio deſideraſſe comedere* τοῦτο τὸ πάσχα, Luc. XXII, 15. quid aliud inde eſt colligere, quam CHRISTUM, vel ipſo M. Antonio conſentiente, agnum Paſchalem comediſſe?

VI. Excipit quidem Spalatenſis hic Archiepiſcopus *Num. CCLXXVII. CHRISTUM locutum eſſe in ſenſu ſpirituali & myſtico, ſe Paſcha novum illis daturum ſui corporis in Sacramento:* quem in ſenſum Tertullianum laudat, & Chryſoſtomum. Poſtea CHRISTUM non de Paſchate Judaico, ſed alio ſpirituali loqui, confirmatum it ex illis Lucæ *cap. XXII. 16. Dico vobis, quod non amplius manducabo ex eo, donec impleatur in regno Dei.* Sive enim per

regnum

Digitized by Google

regnum Dei, Salvatoris reſurrectionem capiamus, clarum eſſe dicit, CHRISTVM non Paſchalem agnum comediſſe, ſed communem cibum. Quod ſi vero *regnum Dei* interpretemur de gloria cœleſti poſt univerſalem corporum reſurrectionem, perſpicuum eſſe aſſerit, nec tum Paſchalem, nec alium quemvis materialem cibum locum eſſe habiturum, ſed unice ſpiritualem: quem quidem CHRISTVS deſideraverit tanto cum deſiderio.

VII. Si canonis ſui meminiſſet M. Antonius, quod *comedere Paſcha non niſi ad eſum agni Paſchalis pertineat,* hac exceptione non fuiſſet opus. Sed ut de eo nihil dicam, quod nec Tertullianus, nec Chryſoſtomus Spalatenſi faveant; quantum ad rationem, ex Luca quam commentus, attinet, ſi iſta aliquid haberet ponderis, pari momento hoc interpretamentum, quo verba CHRISTI explicat Antonius *de Paſchate novo corporis CHRISTI,* infringere poſſemus. Nam nec CHRISTVS Euchariſtiam ipſam in prima inſtitutione ſumſit; nec dici ex vero poteſt, CHRISTVM in ſe recepiſſe, ſe Sacramentum Euchariſtiæ per agnum Paſchalem præfiguratum denuo manducaturum eſſe, ſive in ſtatu poſt reſurrectionem ſuam, ſive in cœleſti gloria.

IIX. Deinde quoque ſui oblitus videtur Spalatenſis Præſul. Primo enim dicebat, CHRISTVM loqui in ſenſu ſpirituali & myſtico, de Paſchate novo ſui corporis, quod diſcipulis daturus erat in Sacramento: probaturus autem illud ex dicto Lucæ, mox infert, illud Paſcha fuiſſe cibum communem.

IX. Quod vero de Dominis putat, minime CHRISTVM diſcumbendo Paſchali in cœna, ſi comediſſet agnum, fuiſſe epulatum; ſed ſtantem potius, & baculo inſtru-

ſtructum: id tanti non eſt, ut propterea communem Scripturæ ſenſum relinquamus. Nam uti *ſuperiore capite* oſtenſum eſt, hi ritus non fuere perpetui, ſed primo ſaltim Paſchati a Deo præſcripti. Quo ipſo etiam removetur dubium a diuturnitate cœnæ CHRISTI ſumtum. Nam non videntur poſtea tam feſtinanter ſeſe expediviſſe Judæi, ac neceſſum erat in primæva Paſchatis celebratione.

X. At neſcio quid in mentem venerit M. Antonio, quando ex jure carnium in CHRISTI cœna appoſito concludere ſatagit, Paſcha Judaicum a CHRISTO non fuiſſe celebratum. Nam de jure carnium apud Evangeliſtas ne γρῦ quidem. Johannes *cap. XIII. 26.* offulæ a CHRISTO proditori porrectæ, ceteri ſolius intinctionis, & τρυβλίου ſeu *catini* mentionem faciunt. Id tamen non fuiſſe jus carnium, ſed embamma, in aperto eſt.

XI. Neque tamen M. Antonius de Dominis primus hujus opinionis auctor eſt, ſed jam olim Græci eandem ſtrenue propugnaverunt.

XII. Dionyſius Petavius *in Vranologio,* Pariſiis anno trigeſimo hujus ſeculi edito, quo opere varios ſideralis ſcientiæ Scriptores complexus fuit, librum Græcum nobis dedit, ſic inſcriptum: Πέτρου Ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας καὶ Μάρτυρος, ὅτι ἀπλανῶς ἔταξαν οἱ Ἑβραῖοι τὴν ιδ΄ τοῦ α΄ μηνὸς τῆς σελήνης. *Petri Epiſcopi Alexandrini & Martyris, de eo, quod Judæi recte ſtatuerint decimam quartam diem primi menſis Lunaris.* Hoc ſcripto (ut ut S. Petrum Alexandrinum auctorem mentiatur) contendit, CHRISTVM non comediſſe legitimum agnum Paſchalem, ac docere allaborat, ſic etiam ſenſiſſe Hippolytum Portuenſem in opere contra hæreticos exarato: ad hæc Apollinarem Hierapolita-

litanum, ac Clementem Alexandrinum *libro de Paſchate:* cujus libri etiam meminere Euſebius lib. VI. *Hiſtor. Eccleſ. cap. XIII.* & B. Hieronymus in *Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

XIII. In illa Diatriba Petro Epiſcopo tributa inter alia hæc habentur; Ἐν ᾧ καιρῷ ἔπαθεν ὑπὲρ ὑμῶν κατὰ σάρκα ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ θεὸς Ἰησοῦς ὁ χριστὸς, τὸ κατὰ νόμον οὐκ ἔφαγε πάσχα. Ἀλλ᾽ ὡς ἔφην αὐτὸς, ὡς ἀληθὴς ἀμνὸς ἐτύθη ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ τοῦ σκιώδους πάσχα ἑορτῇ ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῆς, τῇ ιδ᾽ τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης. *Tempore quo pro nobis paſſus eſt ſecundum carnem Dominus noſter, & Deus noſter JESVS CHRISTVS, Paſcha legale non comedit: ſed, ut dixi, ipſe tanquam verus agnus oblatus eſt pro nobis in umbratilis* (typici) *Paſchatis feſto, in die Paraſceves, decima quarta die primi menſis lunaris.*

XIV. Metrodorus *de feſto Paſchatis* in Excerptis Photianis: Λέγει τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν πάσχα τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστόν· μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρὸν, ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ. *Dicit ſacro die quinto legale Paſcha non comediſſe Dominum noſtrum JESVM CHRISTVM: neque enim tunc fuiſſe legitimum tempus, ſed ſequente.*

XV. Imo idem Photius *in Bibliotheca, cod. CXVI.* auctor eſt nobis, ab Anonymo eſſe poſteris relictum *de ſacro Paſchæ feſto volumen libris VIII.* inque eo referri, CHRISTVM alias quidem legale Paſcha celebraſſe, ſed ante paſſionem ſuam non item. Verba hæc ſunt: Κατὰ μὲν τοὺς ἄλλους τῆς παρουσίας αὐτοῦ ἐνιαυτοὺς ὁ κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν ὁ Χριστὸς τὸ νομικὸν ἐπετέλει πάσχα. καθ᾽ ὃν ᾗ παρεδόθη, οὐκέτι. *Ceteris ſuæ inter homines converſationis annis Dominus & Deus noſter CHRISTVS legale celebravit Paſcha: quo vero traditus eſt, non item.*

XVI. Neque tamen hanc unanimem Eccleſiæ vete-

ris Græcæ ſententiam fuiſſe, hæc, quæ ſubjungit idem ſcriptor Anonymus, arguunt. Καὶ σκοπεῖν χρή. Ὁ γὰρ Χρυσόστομος, καὶ ἡ ἐκκλησία τότε φησὶν αὐτὸν ἀποτελέσαι τὸ νομικὸν, πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. *Quod conſiderationem meretur. Quippe Chryſoſtomus, & Eccleſia ajunt, tum eum perfeciſſe legitimum Paſcha, priusquam inſtitueret cœnam myſticam.*

XVII. In hujus erroris ſi inquiſiverimus originem, non aliam fuiſſe exiſtimamus, quam quod putarent Græci, ceteros Judæos ex præcepto Legis tunc quarta decima luna primi menſis Abib ſive Niſan Paſcha comediſſe, at CHRISTVM decima tertia luna cum diſcipulis id feciſſe, atque adeo legitimum diem anticipaſſe. προλαβὼν, inquit Xanthopulus, ὁ Χριστὸς πρὸ μιᾶς ἡμέρας ἐποίησε τὸ πάσχα: *Anticipans CHRISTVS die immediate præcedente Paſcha celebravit.*

XIIX. Ex quo porro ſequitur, CHRISTVM quidem ἔνζυμον, ſive fermentatum panem & communem adhibuiſſe; Judæos vero azymum. Cedrenus: Ὅτι οὐ κατὰ τὴν ιδʹ ἐπετέλεσε τὸ πάσχα; ἀλλὰ πρὸ τούτου τὸ μυστικὸν ἐτέλεσε τὸ δεῖπνον. Ὅτε καὶ ὁ ἁγιασμὸς τῶν ἀζύμων, καὶ ἡ προετοιμασία ἑορτῆς ἐγίνετο. Εὑρίσκεται τοῖς μαθηταῖς μεταδιδοὺς οὐ θύματος, οὐδ' ἀζύμων, ἀλλ' ἄρτου καὶ ποτηρίου. *Non decima quarta die Paſcha celebravit, ſed die proxime præcedente myſticam cœnam peregit, cum & ſanctificatio azymorum & præparatio feſti fieret: invenitur diſcipulis diſtribuiſſe non hoſtias, nec panes infermentatos, ſed panem & calicem.*

XIX. Demum eo devenerunt Græci, ut non modo CHRISTVM ad confectionem corporis myſtici panem infermentatum adhibuiſſe crederent; ſed & ipſi eodem in diſtributione Euchariſtiæ uterentur: &, cum hoc eſſet adiaphorum, ſui ritus approbandi neceſſitatem aliis impone-

pone-

ponerent, ac tandem Eccleſiam Romanam, quæ azymis utitur, averſarentur hoc nomine, & probris inceſſerent.

XX. Scribunt hac de re Michaël Cerularius Conſtantinopolitanus, & Leo Archiepiſcopus Acridiæ Bulgarorum, ad Johannem Tranenſem, epiſtola, quam habet Baronius *tom. XI. Annal. ad annum MLIII.* hunc in modum: *Vos quidem panem, nos ἄρτον dicimus. Ἄρτος autem interpretatur elevatus & surſum portatus, a fermento & ſale calorem & elevationem habens: azyma autem nil diſtant a lapide ſine anima, & luto lateris deorſum conſumtæ terræ, & ſicco luto comparatæ, quæ cum amaritudinibus Moyſes comedere miſeris Judæis ſemel in anno legem conſtituit.*

XXI. De hac controverſia, quæ cum aliis nonnullis Eccleſiam Græcam cum Latina irreconciliabili ſchiſmate commiſit, hoc loco accuratius agere non permittit noſtrum inſtitutum. Suffecerit nobis oſtendiſſe, unde iſte Marci Antonii error provenerit, & quomodo Græci ejusdem erroris patroni ex una ceſpitatione in aliam inciderint.

XXII. Quod autem M. Antonius de Dominis eidem innitatur hypotheſi, quam Græci pridem fabricarant, ſatis oſtendit *Num. CCLXXIII.* ubi ſcribit: *Ipſa decima quarta die primi menſis CHRISTVM paſſum, crucifixum & ſepultum, & illa veſpera poſt CHRISTI ſepulturam eo anno prorſus ſecundum legem a Judæis agni paſchalis cœnam fuiſſe celebratam: cœnam igitur ultimam CHRISTI, quæ pridie illius diei, nimirum die Jovis, decimatertia primi menſis ad veſperam inſtituta fuit, non fuiſſe cœnam Paſchalem, ſed ordinariam & communem absque eſu agni paſchalis.*

XXIII. Non longe a Græcis & M. Antonio de Do-

minis abit vir ceteroquin vere magnus, Hugo Grotius, quando *Annotat. ad Matth. cap. XXVI. v. 18.* diſtinguens inter Paſcha ſolenne *θύσιμον*, & *μνημονευτικὸν commemorativum;* hoc ipſum, quod tantum *ὁμωνύμως* Paſcha dictum, a CHRISTO; alterum vero illud a Judæis celebratum, fuiſſe, aſſerit.

XXIV. Verum, ut nihil de eo dicamus, quod nondum ſatis conſtet, an illud Paſcha *μνημονευτικὸν*, quod ſic appellat Grotius, in quo aliquid ſaltim azymorum cum herbis amaris, abſque agno comeſtum, in Judæa id temporis obtinuerit; male Grotius *ὁμωνύμως* CHRISTVM Paſcha celebraſſe ſtatuit: cum & æquivoce ſic nuncupatum Paſcha nunquam a Deo inſtitutum; & præterea exinde videatur fluere, CHRISTVM *ὁμωνύμως* legem impleviſſe.

XXV. Quandoquidem igitur immotæ veritatis eſt, vere CHRISTVM Paſchalem Agnum comediſſe, ac proin Judaicum illud, legale, ac typicum Paſcha celebraſſe; nunc porro in disquiſitionem veniet nobilis illa, ſed admodum difficilis ac intricata quæſtio: Num CHRISTVS eodem die illud egerit, quo Judæorum alii; an vero CHRISTVS alio, ac itidem Judæi alio id die fecerint.

XXVI. In varias hic itum eſt ſententias. Nos expoſitis & rejectis iis, quæ minus videntur veroſimiles, noſtram, ejusdemque fundamenta in medium afferemus, & ab objectionibus vindicabimus.

XXVII. Prima igitur, ceu jamjam eſt monitum, Græcorum eſt ſententia, CHRISTVM Paſcha ſuum luna tertiadecima celebrando, uno die anticipaſſe tempus Paſchale.

Digitized by Google

ſchale. Tuentur hanc opinionem ex veteribus Origenes, Epiphanius, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, & recentiores Græci ad unum omnes.

XXVIII. Sed ii facile refelluntur. Nam nihil habet veriſimile, CHRISTVM, qui πληρωτὴς, *(impletor)* non παραβάτης τοῦ νόμου *(transgreſſor legis)* erat, transgreſſum eſſe legem, alio tempore feſtum diem agitando, quam divinitus fuerat præceptum.

XXIX. Non male igitur Humbertus Cardinalis Epiſcopus Sylvæ Candidæ *libro de azymo & fermentato contra Nicetam* Pectoratum monachum Conſtantinopolitanum, qui contra Romanos librum de Azymo, de Sabbato, de Nuptiis Sacerdotum (plenum erroris & ſtultitiæ, uti ſcribit Sigebertus Gemblacenſis ad annum MLIII) confecerat, ita ſcribit: *Si juxta tuam aſſertionem CHRISTVS Paſcha fecit tertia decima luna cum fermentato, dupliciter reus fuit, juſte puniendus ſecundum Legem; quia Paſcha fecit in tempore non ſuo, & quia cum fermentato. Quapropter mors ejus nihil nobis conferet, qui non pro noſtris peccatis, ſed pro ſuis interiit; ſcilicet, qui fuit transgreſſor ſanctæ legis.*

XXX. Nec eſt, quod quis exiſtimet, per legem, *ad quam implendam, non ſolvendam* ſe veniſſe, CHRISTVS Matth. V. 17. aſſerit, tantum moralem legem intelligi. Nam ceremoniales a Deo præceptas leges itidem JESVM, ut ut Legis Dominum, accurate obſervaſſe, plerorumque Theologorum conſentiens eſt opinio.

XXXI. Fortaſſis igitur cenſuram merebitur, quod vir quidam multijuga doctrina excellens ad componendam hanc de σταυρωσίμου Paſchatis die litem inter cetera ſic commentatur. *Si dicamus, CHRISTVM Legis Domi-*

num ad præcepti cerimonialis rigorem ſe tam arcte adſtringi haut paſſum fuiſſe; ſed libertate ſua uſum ideo pridie Paraſceves Judaicæ ſuum Paſcha comediſſe, quia poſtriduana luce, qua agnus umbraticus e legis præſcripto mactandus erat, ipſe verus & antitypicus Agnus in odorem Deo gratum immolari debebat, nihil abſonum, aut a veritate abhorrens dicturos nos fore, confidimus. Bonum tamen factum, quod poſtea hæc ſubjunxit. *Si vero hoc ſatisfacere nequeat, nec illud ſolum urgere neceſſum eſt. In promtu eſt alia ratio.*

XXXII. Alphonſus Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis in Hiſpania *parte II. Defenſorii, cap. V.* pro hac Græcorum ſententia ſex rationes adducit, *& ſequenti capite* oſtendit, *quod iſta opinio conſonet omnibus auctoritatibus S. Scripturæ, & quod nullum ſequatur inconveniens illa poſita.* Attamen *cap. VIII.* reſpondet ad ſex rationes inductas pro Græcorum parte, & luculenter demonſtrat, quam multa ex ea ſequantur abſona & abſurda.

XXXIII. Ipſe autem Alphonſus aliam amplexus eſt ſententiam; nimirum CHRISTVM una & eadem die, ſcilicet quarta decima primi menſis Paſcha cum Judæis celebraſſe. Hujus ſententiæ, Alcuinum, veterem & cordatum Theologum auctorem facit Thomas, qui hanc quæſtionem tangit libro *de erroribus Græcorum*, & in *Summa contra gentiles, lib. IV. cap. LXIX. part. III. Quæſt. XLVI. artic. IX.* Eandem ſequuntur Cancellarius Pariſienſis Gerſon, & ex Pontificiis plurimi, Toletus, Baronius, Barradius, Bellarminus, a Lapide, Serrarius, alii. Ante annos etiam non ita multos defendendam eam ſuſceperunt ex Reformatis duo Viri celeberrimi, Johannes Cloppenburgius, *peculiari Diatriba epiſtolica* hac de re ad Ludovicum de Dieu perſcripta, cum aliis ejusdem fere argumenti

menti opuſculis Amſtelodami anno tertio & quadrageſimo edita: & Samuel Bochartus *Hierozoici part. I. lib. II. cap. L.*

XXXIV. Quin hæc erronea ſit oppinio, vix dubitare amplius debemus. Quocunque enim ſe vertant ſententiæ hujus patroni, multis tricis ſe involvunt, & difficultatibus inexplicabilibus. Mirum etiam in modum neceſſe habent torquere S. Johannis loca, ut eadem cum ceteris Evangeliſtarum teſtimoniis concilient.

XXXV. Non infructuoſam me navaturum ſpero operam, ſi potiora, quæ pro hac ſententia militare videntur, argumenta in medium attulero, & pro virium facultate ſolvero.

XXXVI. Primo dicunt, priores tres Evangeliſtas Matth. *cap. XXVI. 17.* Marcum *cap. XIV. 12.* Lucam *cap. XXII. 7.* teſtari, CHRISTUM primo azymorum die cum Apoſtolis ultimum Paſcha celebraſſe, id quod legitimum erat tempus, quo Judæis agnum comedere incumbebat: nec credibile eſſe, Judæos alio die id feciſſe, quam ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα: *quo Paſcha mactari oportebat:* ut Lucas explicite aſſerit.

XXXVII. Verum non videntur ſancti hi Triumviri de diebus Judæorum loqui, qui a veſpera prioris diei incipientes in ſequentis diei veſpera finiebant; ſed de diebus Romanis, qui ab ortu Solis incipiebant, ceu a me dictum fuit *cap. IX. §. IX.*

XXXVIII. Quamquam non diſplicet communis noſtratium, imo & adverſariorum quorundam reſponſio, priores tres Evangeliſtas non agere de Judæorum Paſchate in univerſum, quatenus eo anno ex majorum traditione (qua de paulo poſt diſpiciemus) celebrabatur; ſed de Paſcha-

Digitized by Google

Paſchate CHRISTI, quod vere legitimo tempore inſtituebatur: Johannem autem ſolum de Paſchate Judaico verba facere.

XXXIX. Idem eſto judicium de his Matthæi *cap. XXVI. 2.* Οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, & de iſtis Marci XIV. 1. ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ Ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας. Nam non de Judæorum Paſchate id capiendum, ſed de CHRISTI Paſchate & Azymis. Quamquam hic & *Paſcha*, non pro agno, ſed pro tempore paſchali; & *Azyma* non pro pane infermentato, ſed pro ſeptiduano feſto poſſint accipi: ceu *cap. VIII. §. IX. & X.* obſervavimus.

XL. Mirum quoque nemini videri debet, quod ὁ δεῖνα tam promtus fuerit ἀνώγεον CHRISTO ad celebrationem Paſchatis concedere; nec ex eo concludere licet, ac ſi is & lege & conſuetudine edoctus noviſſet, omnes Judæos eo tempore Paſcha agitaturos.

XLI. Nam ſi hoſpes ille fuit ex familiaribus CHRISTI, vel potentioribus ejus diſcipulis; quæ conjectura non eſt de nihilo: quidni non latuiſſet eum, quod CHRISTVS juxta morem divinæ legi conformem Paſcha celebrare præoptaret?

XLII. Quid? quod verba iſta, *Tempus meum prope eſt*, commode ad CHRISTI Paſcha legitimum, a Judæorum Paſchate diſtinctum accommodari poſſe ſtatuamus: uti monitum *cap. IX. §. XXVIII.* A quo non abit vetuſtus quidam S. Scripturæ interpres, ita ſcribens: *Si ly tempus meum prope eſt, diligenter intelligatur, non habet referri ad tempus paſſionis; ſicut communiter exponitur. Nam licet ſit verum, quod tempus paſſionis erat prope, non tamen conſonat cum litera ſequenti. Dato etiam, quod tempus paſſionis eſſet pro tunc remotius, adbuc CHRISTVS*

STVS habebat Paſcha manducare cum diſcipulis ſuis, ut legem adimpleret. Sed verus intellectus juxta prædicta videtur talis: Magiſter dicit, Tempus meum, id eſt, tempus manducandi Paſcha, ſecundum veram computationem meam prope eſt, id eſt, hodie feria quinta, licet aliquorum tempus juxta veram ipſorum asſuetam computationem fuiſſet remotius, ſive in feria ſexta.

XLIII. Quoniam vero celebrationem Paſchatis CHRISTI mox exceperunt ejusdem captura, accuſationes, ipſaque demum crucifixio; fieri non poteſt aliter, quin ex hac ſententia, quæ JESVM & Judæos eodē die Paſcha comediſſe contendit, ſequatur, CHRISTVM die feſto, prima ſcilicet Azymorum, quæ religioſe ex divino præcepto jubebatur obſervari, paſſum fuiſſe.

XLIV. At enim quis credat, Judæos tam religioſe, tam ſcrupuloſe feſta ſua obſervantes, ut ferme ab omni abſtinerent opera, externam iſtam religionem adeo violaturos, ut hominem caperent, in jus raperent, [illegible] omni contumelia [illegible]ent, occiderent?

XLV. Quamobrem etiamſi Phariſæi & Sacerdotum Principes pro ingenita ſibi immanitate parum religionis in eo poſuiſſent; utpote qui modo incredibili ſitirent innocentis JESV mortem; jure tamen vereri poterant, ne populus magna ex parte CHRISTI admiratione imbutus factum abominaretur. Nam auctores hujus conſulti a populo ſibi metuiſſe, oſtendit Matthæus, cum addit; cauſam faciendi decreti fuiſſe, ne populus tumultum concitaret.

XLVI. Neque, quod dicunt Proceres Judæi, *Non in die feſto,* tam ſtricte capiendum eſt, ut ipſum diem feſtum, & ſpeciatim primum Azymorum diem deſignaſſe cenſendi ſint. Nam & de appropinquante feſto, & de diebus poſt primam Azymorum feriatis potuerunt loqui.

XLVII. Eodem modo facinoroſi alicujus liberatio, quæ conſuevit fieri in feſto Paſchatis, ut eſt apud S. Johannem *cap. XIIX. 39.* in ipſum feſtum præciſe transferenda fuerit: cum ſecundum vulgatam loquendi formam id etiam *in feſto* fieri dicatur, quod vel paulo ante, vel paulo poſt ſolet peragi. Quare Matthæus & Marcus dicunt, liberationem hanc fieri ſolitam καθ' ἑορτὴν.

XLVIII. Sed ut ab inconvenientibus ſequelis defenſores hujus opinionis ſuam liberent theſin, multi ſunt in eo, ut confirment, tantam religionem in hoc, & feſtis aliis non fuiſſe ſervatam, ac in Sabbato.

XLIX. Et primum quidem, inquiunt, licuiſſe Judæis hoc feſto parare cibum, ut patet ex Exodi XII. 16. quod die Sabbati nefas: vide Exodi XVI. 23.

L. Deinde non prohibitum fuiſſe ajunt, quodvis iter eopſe feſto conficere: eo quod poſt mactatum & comeſtum Paſchalem agnum mane redire poterant ad ſuos: Deuteron. XVI. 7. cum e contrario iter Sabbati breviſſi- [illegible]

LI. Verum quis non videt, quam longo diſtent intervallo, iter conficere, & cibos parare; ac capitalia judicia tanto cum apparatu exercere? Vnde Moſes Maimonides ſic ſcribit. *Judices rerum capitalium non judicant in Paraſceve Sabbati, aut in Paraſceve diei feſti: quia non debet id fieri, & reus occidi poſtridie non poteſt.*

LII. Non ignoramus quidem afferre quosdam unum & alterum exemplum judicii criminalis die ſacro legitime adminiſtrati, & capitalis ſupplicii exacti, ex *Num. cap. XV. 32. ſeqq. Johann. VII. 44. & cap. X. 31.* ſed falſo, ut a Viris doctis dudum eſt demonſtratum.

LIII. Nam primo non exſerte dicitur, lignatorem illum

illum, eo ipſo die, quo repertus fuit, protractum ad judicium, & in carcerem conjectum, multo minus eadem luce lapidibus obrutum.

LIV. Johannis VII. quidem affirmatur, voluiſſe nonnullos CHRISTVM capere, ſed ab eo abſtinuiſſe, cum aliam ob cauſam in contextu memoratam, tum quod fortaſſis feſti religione prohiberentur. Quamquam meo judicio, non abſurdum fuerit ſtatuere, CHRISTVM, licet magna & ultima die feſti Tabernaculorum habuerit ſermonem Judæis adeo inviſum, non tamen lictores confeſtim ad eum capiendum miſſos eſſe: ſicut & ipſe Grotius ad h. l. exiſtimat, lictores per dies aliquot CHRISTVM ſectatos fuiſſe, quaſi eum prehenſuros data occaſione.

LV. Apud eundem Evangeliſtam *cap. X. v. 31.* Judæi in feſto Encæniorum lapides dicuntur ſuſtuliſſe, quibus CHRISTVM impeterent. Sed id cœco furore, qui ejusmodi arma loco & tempore indebitis miniſtrabat, inductos feciſſe, nemini non conſtare arbitror. Nos de judiciis diebus ſacris legitime adminiſtratis quærimus. Quod igitur ad judicia cum CHRISTO inſtituta attinet, utique videri volebant hypocritæ, ſe juxta legem divinam, ad quam toties provocabant, in iisdem verſari. Unde non probabile eſt feſti religionem tam aperte per ipſas forenſes actiones turbare voluiſſe.

LVI. Quod autem Bochartus ex nocturnis Judæorum, quas cum CHRISTO habuerunt, molitionibus, colligere conatur, plus licuiſſe Judæis in nocturnis feſtorum horis, quam diurnis, id neſcio an ſatis luculenter probari poſſit. Nam non propterea profunda nocte hoc egerunt, quod ſibi tum in his forenſibus plus licere crederent;

Digitized by Google

ſed ut prius feſtum quam adventaret, omnia cum CHRISTO eſſent compoſita.

LVII. Inſuper non fuiſſe primum iſtum ac magnum Azymorum feſti diem, ex eo clarere puto, quod Joſephus Arimathæus a Pilato corpus JESV petierit, e cruce ſuſtulerit, ſindoni involverit, monimento novo intulerit: quæ ſingula in Paraſceve Judæorum geſta. Nam die feſtivo Paſchali primo & magno per legem talia non licuiſſet agere; nec ipſe, quæ erat ejus pietas, egiſſet.

LIIX. Fruſtra vero Bellarminus excipit, opera quidem ſervilia fuiſſe prohibita, non item opera charitatis: præſertim cum hæc differri non potuiſſent, imminente Sabbato.

LIX. Quis enim eſt, qui neſciat, nullam majorem ex lege pollutionem fuiſſe, quam contactum mortui? Qui ergo licuiſſet ipſo Paſchali feſto corpus defuncti ſepelire, cum Paſchatis celebrationi immunditia vel maxime adverſaretur?

LX. Tum etiam Sabbato prohibitum fuiſſe, curare funus, non ſolum Rabbinorum commentaria teſtantur; ſed & ipſarum ſanctarum muliercularum ſollicitudo, quæ eodem die Paraſceves aromata ad pollincturam Domini emerunt ac pararunt; at poſtridie propter Sabbatum ſecundum legem quieverunt. *Luc. XXIII. 56.*

LXI. Quæ cum ita ſe habeant, alii CHRISTVM & Judæos nequaquam uno & eodem die Paſcha celebraſſe contendunt; ſed CHRISTVM id feciſſe putant luna quarta decima, ſecundum legis inſtitutum, Judæos vero ex traditione Patrum die ſequenti.

LXII. Firmiſſima hujus ſententiæ in ſcriptura S. exſtare putamus fundamenta. Ac primo quidem urgemus locum

Digitized by Google

locum Johann. *XIII. 1.* ubi diſertis verbis dicitur, cœnam & lotionem pedum contigiſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, *ante feſtum Paſchatos*: ubi, ceu jam antea monitum, S. Evangeliſta de Judæorum Paſchate loquitur. Nam non poſſe ipſum de eo Paſchate agere, quod CHRISTVS celebravit, vel inde demonſtrari poteſt, quod conſequens ſit, ante legitimum tempus CHRISTVM Paſcha agitaſſe, nec ſic exacte legem ſervaſſe.

LXIII. Excipit quidem Baronius, *communi uſu locutum eſſe Johannem*, & verba illius accipienda *de die artificiali, ab ortu ad occaſum; non de naturali, qui a veſpera diei XIII. ex inſtituto Judæorum incipiebat.* Sed bene reſpondet Caſaubonus, huic obſervationi hoc loco locum non eſſe, cum nemo ſic loquatur; *Ante feſtum Paſchatos Paſcha fuiſſe celebratum.*

LXIV. Bochartus, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, idem eſſe cenſet, quod ἐν τῷ προεορτίῳ, *quod ita præcedit feſtum, ut tamen ſit pars feſti.* Verum procul dubio nova eſt hæc præpoſitivæ particulæ ſimpliciter uſurpatæ ſignificatio. Quapropter cum eandem in ſimplicibus ita ſumi, probare Bocharto incubuiſſet, affert compoſita, ut ſunt πρόλογος, πρόδρομος, προγλωσσίς, προκόμων, &c.

LXV. Poſtea omnium evidentiſſime id evincit locus Johannis *XIIX. 28.* ubi Judæi, qui ex Cajaphæ domo CHRISTVM ad Pilatum deduxerunt, noluerunt ingredi Prætorium, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα, *ne ut polluerentur, ſed ut Paſcha manducarent.* Judæi igitur tum temporis agnum Paſchalem nondum comederant. Quod argumentum ipſe Maldonatus, acutus Jeſuita, judicat ineluctabile.

LXVI. Nec eſt, cur a genuina vocis *Paſcha* ſignificatio-

Digitized by Google

catione ad minus vulgatam, qua accipitur *pro victimis Paſchalibus*, quæ per ſeptem Azymorum dies mactabantur, deſcendamus. Hæc enim hujus vocis ſignificatio in N. T. non invenitur.

LXVII. Non leve quoque argumentum ſumitur ex Johannis *cap. XIX. 14.* ubi dies, quo CHRISTVS crucifixus fuit, vocatur παρασκευὴ τοῦ πάσχα. Si enim dies, quo CHRISTVS cruci affixus, Paſchatis fuit Paraſceve, nondum Paſcha Judæorum præterierat; etſi CHRISTVS jam ſuum Paſcha celebraſſet.

LXVIII. Reponunt adverſarii: *Paraſceven Paſcha* hic non dici, quod Paſcha præceſſerit, ſed quod cum Paſchate unus & idem fuerit: eo quod iſto anno acciderit, ut idem dies eſſet & Sabbati Paraſceve, & dies ipſe Paſchatis: perinde fere ut nos Dominicam Paſchæ, Dominicam Pentecoſtes appellemus, qui & dies Dominici ſint, & dies feſti ſimul.

LXIX. Novas ejusmodi Veteribus plane incognitas vocum notiones ſi comminiſci licet, victas dabimus manus. Nunc cum id non facile permittendum eſſe, perſuaſi ſimus, ab obvio hujus vocis ſenſu non receſſerimus.

LXX. Sacros Scriptores non aliam noviſſe Paraſcevem, quam Sabbati, ipſo hoc loco refutatur. Præterea, quod ex Rabbinorum lectione ὀφθαλμοφανερῶς appareat, omnia magna feſta ſuas habuiſſe Paraſcevas, id multis contra Baronium comprobavit Caſaubonus.

LXXI. Ceterum hic in ſententiarum divortia abitur, ex qua cauſa natum fuerit Paſcha diverſis diebus celebrandi inſtitutum.

LXXII. Quidam cenſent, Judæos ideo diſtuliſſe Paſchatos celebrationem, ne feſti ſolennitate impediti

CHRI-

CHRISTVM eodie occidere prohiberentur, cujus cædis eſſent ſitientiſſimi. In hanc ſententiam propendere videtur Chryſoſtomus, quando in *cap. XXVI. Matthæi* ſic commentatur. *Liquido patet, cupiditate interficiendi CHRISTVM prævaricatos eſſe Judæos, ac alia die Paſcha comediſſe.* Item. *Ex inſperato nacti, quod cupiebant, tempus Paſchæ transpoſuerunt, ut ardentes cæde animos explerent.*

LXXIII. Sed a vero abhorret, in tam ampla urbe, & tanto undique populi confluxu, Judæos, patriorum alioqui rituum tenaciſſimos, ob CHRISTI, quem plerique innocentem eſſe noverant, cædem, Paſcha in alterum diem rejicere auſos fuiſſe. Quid, quod huic ſententiæ adverſentur S. Johannis loca jam jam adducta?

LXXIV. Ergo nonnulli liberum dicunt fuiſſe ſingula feſta per duos dies celebrare, quia de vero tempore, quo peragi deberent, non eſſent ſatis certi. Atque id quidem convenit cum more eorum hodierno. *Recentiores enim Judæi,* ut inquit Scaliger, *propter dubium conjunctionis luminarium Paſcha celebrant XV. & XVI. Niſan.*

LXXV. Si de veteribus Judæis, qui a Palæſtina, aut etiam Hieroſolymis paulo remotiores erant, illud diceretur, fortaſſis eſſet tolerandum: cum hos potuerit latere, qua die Hieroſolymitani decreverint celebrare cujusque menſis Neomeniam, ex qua reliqua feſta pendebant. Verum Hieroſolymis ullum ea de re fuiſſe diſſidium, non conſtat: quia, quicquid decreverat domus judicii, id ratum habebatur. Nec usquam reperitur, in Judæa & Hieroſolymis alios uno die, alios altero Paſcha immolaſſe.

LXXVI. Sunt qui putant, Judæorum alios Neomenias indixiſſe κατὰ τὴν φάσιν, alios κατὰ τὴν σύνοδον, id eſt, *ſecun-*

Digitized by Google

ſecundum Lunæ cum Sole conjunctionem, quæ τὴν φάσιν præceſſerit integro ut minimum die: ac CHRISTVM eos ſecutum, qui ἀπὸ τῆς συνόδου Neomeniam inchoabant, & ſic reliquos, qui ἀπὸ τῆς φάσεως menſem auſpicabantur, in Paſchate celebrando anteceſſiſſe.

LXXVII. Verum Doctores Talmudici, quorum nonnulli ſeculum Apoſtolicum proxime attingunt, nihil habent de Neomeniarum indictione ἀπὸ τῆς συνόδου: quod tamen iis non fuiſſet incognitum, ſi tum fuiſſet in uſu publico. Imo Judæos, quamdiu ſteterit illorum Reſp. non aliter Neomenias, & feſta ſua conſtituiſſe, quam ſecundum Lunæ φάσις, diſerte docet Maimonides in Tractatu *de conſecratione Novi-lunii cap. V. ſect. II.* his verbis: *Hæc eſt conſtitutio Moſis in monte Sinai, quod quamdiu durarent Sanhedrim, Neomenias conſtituerunt ſecundum lunæ φάσιν.*

LXXVIII. Vir Clariſſimus Wilhelmus Langius *lib. II. de Annis CHRISTI cap. VI.* CHRISTVM cum Karræis, Pontifices cum Talmudicis Paſcha comediſſe aſſerit. *Sicut*, inquit, *in aliis ritibus, ita etiam in celebratione Neomeniarum differentia quædam inter has ſectas eſt. Quamvis enim utrique φάσιν ſequantur, & in his ſatis bene conveniant; non tamen eandem rationem ſequuntur in Neomenia conſtituenda, quando φάσις haberi non poſſit. Talmudici namque ſi Luna XXX. die vel non appareret, vel, ſiquidem appareret, teſtes tamen ante tenebras aut non venire poterant, aut non ſatis accurate examinari, menſem priorem XXX. dierum conſtituerunt. Karræi autem ita de Phaſi Lunæ pronunciant, ut, ſi Luna XXX. die non viſa ſit, debeant etiam exſpectare diem XXXI. & ſi Luna tum videatur aperto die, duabus aut tribus horis ante occaſum Solis, dies antecedens pro Neomenia habenda erit, & is, quo videtur, erit*

Digitized by Google

erit ſecundus dies menſis &c. Ita ergo aliquando contingebat, ut, qui dies Karrais ſecundus menſis cujusdam erat, is Talmudicis & traditionum obſervatoribus primus eſſet.

LXXIX. Pergit tandem Langius, & ſic concludit, *Sane in lege quidem conſtitutum fuit, ut XIV. Niſan Paſcha immolaretur. Etiam ex Lege ſatis manifeſtum erat, Neomeniam menſium legalium a viſione novæ Lunæ dependere. Nec tamen minutiæ hæ, de Neomenia celebranda, quando φάσις ſuo die non videretur, in Lege propoſitæ, aut deciſæ erant. Ideoque neuter erraſſe dici poteſt, quia neuter contra Legem aliquid fecit.* CHRISTUS *autem cum liberum ipſi eſſet, illud ſequi quod vellet, cum Karrais Paſcha celebravit: ut impoſito legalibus fine, ipſo die, quo typicus agnus Paſchalis mactabatur, pro peccatis populi immolaretur.*

LXXX. Non diſputabimus in præſenti de Karræorum, tempore CHRISTI exiſtentia, quam & θαυμάσιος Seldenus in *Diſſertatione de anno Civili & Calendario Veteris Eccleſiæ Judaicæ cap. II.* ex Joſepho & aliis ſcriptoribus probare ſatagit; quibus addi poſſunt quæ de Karræis afferunt Buxtorfius in *Lexico Talmudico,* voce קרא & in *Synagoga Judaica cap. II.* Scaliger *in Elencho Trihæreſii contra Serarium,* Druſius *Quæſtion. lib. I. quæſt. XLIV.* Hottingerus *Theſauri Philologici lib. I.*

LXXXI. Attamen, ut nihil de eo dicamus, quod, utut Judæis id, ceu paulo ante diximus ex Maimonide, receptum fuerit, Neomeniam menſium a Lunæ φάσει incipere, ex Lege tamen manifeſto probari nequeat; atque id quoque prætereamus, a vero videri alienum, diem integrum pro minutiis habitum a Veteribus: ſaltim iſtud meretur obſervari, quod, ſi adducta Karræorum de-

 ſcri-

Digitized by Google

ſcriptio preſſius urgeatur, ex eadem ſequi, vix unquam Karræos, ceu de CHRISTO Evangelica Hiſtoria id teſtatur, ante Talmudicos Paſcha celebraſſe, ſed vel cum eis, vel poſt eos. Nunquam enim penes Talmudicos menſis Adar. XXXI. dierum fuit: at bene e Karræorum computo. Neque ad alium, quam trigeſimum non viſæ Lunæ diem Karræorum placita extendenda eſſe verba Eliæ Scripturarii apud Seldenum non obſcure indicant.

LXXXII. Idcirco ſi Karræus is demum merito exiſtimandus ſit, qui ſolam Scripturam ſectetur, neque latum ab ea unguem recedat, CHRISTVM Scripturæ auctorem, acerrimum Karræum ſeu Scripturarium fuiſſe, non immerito dicimus, & ad normam legis divinæ Paſcha tempore plenilunii celebraſſe concludimus.

LXXXIII. Vt igitur id probemus, ſequemur nunc iſtam opinionem, quod Judæi ob concurſum Sabbatorum vitandum Patrum traditiones ſecuti, Paſcha, quod ex præſcripto Legis, die quartodecimo, qui tum in feriam quartam exeuntem, & feriam quintam ineuntem, hoc eſt diei Jovis finem, & diei Veneris initium incideret, celebrandum erat, diſtuliſſe in ſeqventem diem.

LXXXIV. Nimirum docent antiqvitatum Judaicarum peritiſſimi, ſi quando accideret, ut feſtus aliquis dies & uſitatum Sabbatum ſine medio, ſine ullius alterius diei interventu convenirent, & ſeſe mutuo exciperent, ita ut neceſſe eſſet duos continuos dies feſtos agere; tum moris fuiſſe, ut fieret tranſlatio feriarum, & conjungerentur duo feſti dies in unum.

LXXXV. *Non facimus,* ajunt Rabbini, *duo ſabbata continua propter olera, & propter mortuos.* Nempe diebus

bus feſtis neque licitum erat mortuos ſepelire, quia ex contactu mortui pollutio; neque cibos coquere, quia opus ſervile erat. At in calidioribus illis regionibus, vere præſertim & autumno, mortuorum cadavera integrum biduum ſervari non poterant, neque cibi in plures dies parari, præſertim ex oleribus.

LXXXVI. Huic incommodo ut mederentur, translationem, ſive, ut alii appellant, repulſam feriarum excogitarunt & introduxerunt, non quidem convenienter legi divinæ: ſed notum eſt τὸ πατροπαράδοτον apud Judæos poſteriorum temporum admodum invaluiſſe, & vim legis obtinuiſſe.

LXXXVII. Hinc igitur quæſtio & controverſia ſic expeditur. Cum inſtaret Paſſio Domini, ita ferebat ratio menſis, ut magnum & feſtum diem Azymorum mox exciperet Sabbatum uſitatum, atque adeo continue duo Sabbata celebranda eſſent. Judæi idcirco more jampridem recepto, ne duo Sabbata continua celebrare cogerentur, translationem fecerunt, & feſtum cum Sabbato conjunxerunt.

LXXXVIII. Veſtigia hujus opinionis occurrunt apud Rupertum Abbatem Tuitienſem, qui in cap. XXVI. Matthæi ſcribit: *Judæos ex patrum traditione nunquam duo feſta, in quibus nihil operis facere præceptum fuit, continue celebrare ſolitos, quod difficile eſſet mortuorum corpora aut cocta olera in tertium usque diem ſervare in calida illa regione, ac ob id Paſcha feſtivitatem, quoties in feriam ſextam incidit, in diem ſequentem, videlicet Sabbatum diſtuliſſe.* Et in *Levit. cap. XXXVI.* idem ſcribit Rupertus. *Quando quinta feria Luna decima quarta eveniſſet, agnum quidem eadem nocte Judæi comedebant, ſed ſequen-*

Digitized by Google

tis diei ſolennitatem relinquebant in Sabbatum transferendam.

LXXXIX. At vulgo primus hujus ſententiæ auctor creditur Paulus de ſancta Maria, Carthaginenſis primum, deinceps Burgenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui & genere Judæus erat, & Levitico ſanguine deſcendens, & Hebraicæ literaturæ peritiſſimus Hic enim in *Additamentis ad Lyræ commentaria ſuper caput XXVI. Matthæi,* propoſitam hanc quæſtionem adhibita doctrina Kalendarii Hebræorum, aliisque rituum & cerimoniarum obſervationibus enodare conatus eſt.

XC. Hunc poſtea ſecuti ſunt Paulus Mittelburgenſis, Epiſcopus - Foro Sempronienſis in ſua *Paulina,* & ex ipſis recentioribus Pontificiis, Onuphrius Panvinius *lib. II. Faſtor.* Cornelius Janſenius *in Concordia Evangelica cap. CXXVIII.* Alphonſus Salmeron *tom. IX. tractat. IV.* Johannes Maldonatus *in cap. XXVI. Matthæi,* Johannnes Hentenius *Præfatione ſuper Euthymium,* Johannes Lucidus *libro de die Paſſionis CHRISTI cap. IX.* Ex Reformatis, Joſephus Scaliger *de Emendatione Temporum lib. II. & VII. & Canon. Iſagog. lib. III.* Iſaacus Caſaubonus *Exercitat. XVI. contra Baronium,* & quem in his *Exercitationibus* ſummis laudibus evehit, Eduardus Livelejus, Anglus, in Academia Cantabrigienſi Profeſſor, in *Opere Chronologico.* Ex Noſtratibus, Martinus Chemnitius, Andreas Oſiander, Matthias Flacius, Johannes Gerhardus, Ægidius Hunnius, Georgius Calixtus, & alii magno numero.

XCI. Maximum huic ſententiæ robur accedit ex Johanne, qui illum Sabbati diem, quo CHRISTVS quievit in ſepulcro, *magnum* vocat *Sabbatum.* † Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου.

XCII.

XCII. Non negaverimus quidem etiam feſta alia vocari magna: ſed iſtud non eſt quod venit in controverſiam. Illud quæritur, cur a S. Johanne Sabbatum illud dictum ſit *dies magnus*. Notior autem cauſa hujus appellationis eſſe non videtur, quam quod cum ipſo Sabbato tum temporis feſtum Paſchatos & primus Azymorum dies concurrerent. Quæ concluſio aliter eludi vix poterit, niſi quis probaverit claris teſtimoniis, dies Azymorum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, quoties in Sabbatum incidebant, hanc vim habuiſſe, ut ipſum redderent diem magnam,

XCIII. Stat a noſtris partibus Beda, dicens: *Erat magna dies illa Sabbati, id eſt, propter ſolennitatem Paſchalem.*

XCIV. Interea magno conatu id egerunt complures viri eruditi, præſertim inter Pontificios, ut hanc de translato Paſchate ſententiam refellerent; dum eandem pro commentitia, heri ac nudius tertius excogitata, & nonniſi ſuppoſititiis Gamalielis cujusdam ſcriptis niti traduxerunt. Verum quid illis reſpondendum ſit, jamdudum docuit Vir quo non doctior alter, Iſaacus Caſaubonus, laudatis, ſed nunquam ſat laudandis *Exercitationibus contra Baronium.*

XCV. Illud dubium non leve eſt, qui, cum CHRISTUS Synedrii decreto ſolus cum ſuis non paruerit, proditor Judas hoc Sacerdotibus & Phariſæis non indicaverit, aut ipſi, cum prætextum criminandi CHRISTUM apud populum anxie quærerent, & perdiu nullum invenirent, hac accuſatione uſi non fuerint.

XCVI. Communiter hic reſpondetur, vel Judam non auſum fuiſſe hoc ad Synedrium deferre, nec Sacerdo-

tes ſuſtinuiſſe id criminis CHRISTO objicere: cum probe noviſſent, Dominum ex præſcripto Legis ſuum Paſcha celebraſſe. Et fortaſſis Sacerdotes, Phariſæi, Scribæ, & reliqui Synedrii Patres, quando decreti ſui auctoritate divinum præceptum ex parte mutarunt, hanc tamen reverentiam verbo Dei habuerunt, ut ſi quis illo ſtare mallet, quam decreto novo obtemperare, impune hoc ipſi eſſet.

XCVII. Nondum tamen hæc omnia ſatisfecerunt Gerardo Johanni Voſſio, ut non hunc ipſum conciliandi Evangeliſtas modum *ſpecioſiorem, quam veriorem eſſe* ſcripſerit *Diſſertationis de Annis JESV CHRISTI parte altera, Diſſert. II.* quæ eſt *de Tempore Dominicæ Paſſionis* §. *XIV.*

XCIIX. Putat igitur Judæos, ante receptos Cæſaris Faſtos, obſervaſſe veros Lunæ motus, & Neomenias attendiſſe ἀπὸ τῆς φάσεως, ſive a viſione ejus prima: Faſtis vero iis ex Auguſti mandato receptis, numeraſſe ſecundum medios Lunæ motus, & ſideris utriusque exitus. Quippe Julius Cæſar æquinoctium, quod ante a Judæis III. Aprilis die ſtatuebatur, fixerat in XXV. die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi menſis æquinoctium præverteret Paſchalem diem, non egiſſe, ſcribit, feſtum, ſed exſpectaſſe, donec foret æquinoctium; ac poſt illud demum, ſimul ac Sol ſignum Arietis ingredi cœpiſſet, Paſcha comediſſe. CHRISTVS proinde, ſecundum hanc opinionem Voſſii, ex Lege Moſaica obſervaſſet veſperam diei decimæquartæ Niſan; ſed Judæi proceres, quia tum nec dum foret æquinoctium, diſtuliſſent in diem proximum; ut ita, poſt æquinoctium, feſtum agitaſ-

ſent

Digitized by Google

ſent diem Paſchatis; ſecundum conſuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent.

XCIX. Hoc itaque ſi quis ſequi velit, modo id firmiter teneatur, CHRISTVM alio, Judæos item alio die Paſcha celebraſſe, nobis perinde fuerit. Nos quia tam difficilem quæſtionem pro ingenii viribus expedivimus, proximum eſt, ut exponamus, quinam, una cum CHRISTO Paſchalem agnum ederint.

C. Hi fuerunt duodecim Apoſtoli.

CI. Supereſt, ut videamus, quo corporis ſitu CHRISTVS Paſchalem agnum comederit.

CII. Vero autem ſimilius putamus, accubuiſſe menſæ, non ſtetiſſe, nec ſediſſe: quia & alias comedens accumbere ſolebat, & præterea in ultima cœna prius accubuiſſe, inde ad lavandos diſcipulorum pedes ſurrexiſſe, ac his lotis, iterum accubuiſſe dicitur.

CIII. Nonnulli putant JESVM quidem ſtantem ediſſe agnum Paſchalem: ſed eo comeſto, cum alii apponerentur cibi, accubuiſſe ex more, ac tum ſurrexiſſe ad lavandos diſcipulorum pedes.

CIV. Verum, quid attinebat, eum, qui ob ritum Paſchalem ſtaret, ſeſe in lectum recipere cum diſcipulis, ſi continuo ſurgendum foret? Nonne ſatius fuiſſet in ſtando perſiſtere, ac demum poſt lotos diſcipulorum pedes accumbere?

CV. Illud autem propterea comminiſcuntur, ut oſtendant, non receſſiſſe CHRISTVM a primo inſtituto hujus feſti, ubi jubentur Judæi procincti, & baculo inſtructi Paſcha comedere. Sed ficulneum eſſe hoc argumentum, quia hoc præceptum tantummodo pertinuit ad primi Paſchatis obſervationem in Ægypto, & tempori-

bus

bus conſecutis neminem obligavit, tum hoc ipſo capite contra M. Antonium de Dominis, tum ſuperiori, quando de ritibus Paſchalibus in univerſum ageremus, eſt oſtenſum.

CVI. Porro CHRISTVM nec in ultima cœna Paſchali ſediſſe diximus. Obſervarunt nempe ex antiquis Rabbinorum ſcriptis Viri docti, non ſeſſionem, ſed accubitum in hoc epulo fuiſſe neceſſarium.

Luc. XXII. 15. CVII. Præterea duo commemorat Lucas, quæ CHRISTVS in Paſchali cœna egerit: primo *quod teſtificatus fuerit, ſe ardentiſſimo deſiderio hoc ultimum Paſcha cum diſcipulis celebrare hactenus expetiviſſe:* deinde, *quod accepto poculo Paſchali gratias egerit, diſcipulis illud exhibuerit, & inter ſe dividere juſſerit.*

CIIX. In priori per Paſcha non intelligendum eſt novum Novi Teſtamenti Paſcha, id eſt, ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed Paſcha typicum & legale.

CIX. Hoc Paſcha CHRISTVS deſideravit, non, quia Paſcha erat, ſed quia ultimum erat; in quo abrogato veteri Paſchate novum inſtituere volebat; & poſt quod pro ſalute generis humani mortem aditurus erat ad veteris Paſchatis figuram implendam.

CX. Deſideravit CHRISTVS Paſſionem ſuam: non, quod in ſe fuerit levis vel jucunda: ſed quia ineffabili amoris deſiderio ſalutem humani generis ſitivit, quæ per ipſius paſſionem & mortem erat procuranda.

CXI. Huic ſuo deſiderio, quo ultimum hoc Paſcha expetierit, CHRISTVS ἀἰπολεγικῶς ſubjungit: *Dico vobis, poſthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.*

CXII.

CXII. Quidam per *regnum Dei* intelligunt tempus quadraginta dierum, in quibus CHRISTVS cum diſcipulis in corpore glorificato converſatus eſt, hoc ſenſu: *Non manducabo ulterius ex hoc Paſchate, & quibusvis cibis corporalibus, donec per paſſionem, mortem, & reſurrectionem meam compleatur, quicquid ad generis humani redemtionem adhuc peragendum reſtat: tunc enim iterum vobiscum comedam & bibam.* Juxta hanc expoſitionem particula ἕως *donec* acciperetur non excluſive, pro nunquam, ſed incluſive: ut innuat, quod CHRISTVS poſt reſurrectionem iterum ſit comeſturus.

CXIII. Quidam vero particulam ἕως *donec*, excluſive accipiunt, ut negationis ſimplicis vim habeat: hoc ſenſu: *Nunquam amplius hoc typicum Paſcha celebrabo; nunquam inpoſterum corporales cibos vobiscum capiam; ſed per paſſionem & reſurrectionem meam ingrediar in regnum Dei, & ſtatum cœleſtem.*

CXIV. Beda per *regnum Dei* intelligit Eccleſiam, quæ eſt regnum gratiæ, quando *in Lucam cap. XXII.* verba Servatoris ſic circumſcribit: *Nequaquam ultra Moſaicum Paſcha celebrabo, donec in Eccleſia ſpiritualiter intellectum compleatur. Ipſa eſt enim regnum Dei, de quo alibi diſcipulis ait, regnum Dei intra vos eſt. Luc. XVII. 21. in quo regno Dominus hodieque Paſcha impletum manducat, quando ea, quæ Moſes rudi populo carnaliter obſervanda præcepit, in membris ſuis, hoc eſt, in ipſa Eccleſia ſpiritualiter exercet.*

CXV. Verum ſimpliciſſima, & textui maxime propinqua eſt expoſitio, qua per *regnum Dei* intelligitur regnum gloriæ,

CXVI. Ne enim Apoſtoli, audientes hanc ultimam fore cœnam, plus juſto contriſtarentur, ideo CHRISTVS animos illorum erigit; promittens, poſt hanc Paſchalem cœnam aliam longe feliciorem & lætiorem ſecuturam in regno Dei; ad cujus participationem ipſi ſint aſſumendi.

Luc. XXII. 17. CXVII. Alterum, quod ſeorſim Lucas memorat, eſt de poculo Paſchali diſcipulis porrecto.

CXVIII. Auguſtinus *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtar. cap. I.* Euthymius *in cap. XXVI. Matthæi*, & recentiorum nonnulli, non putant hoc loco intelligendum poculum Paſchale, ſed Sacramentale.

CXIX. Sed rectius, credo, ſtatuitur, hoc poculum Lucæ memoratum ab Euchariſtico diſtinctum fuiſſe: quam ſententiam ex Veteribus probant Hieronymus *in Matthæi cap. XXVI.* Beda *in Luc. XXII.* Fulgentius *Quæſt. V. Ferrandi*: ex Pontificiis non pauci, ex noſtratibus Theologis plurimi.

CXX. Non nobis hoc loco ſermonem eſſe de continente, ſed de contento, nemo non intelligit. Nam alias fieri potuit, imo quam ſimillimum vero eſt, idem fuiſſe numero poculum: ſed in priore nihil niſi vinum exhibuit diſcipulis; in poſteriore vero mediante benedicto vino etiam ſanguinem ſuum ipſis bibendum tradidit.

CXXI. De hoc Paſchali poculo ex Antiquitatibus Hebræorum notandum eſt: quod in Paſchali epulo Paterfamilias poculum a ſe delibatum ſive prægustatum tradiderit proximo, ille ſecundo, ſecundus tertio, donec per totam φρατρίαν ſive contubernium circumferretur potio.

CXXII. Eidem poculo hac formula benedixiſſe ferunt

runt : *Benedictus es Domine Deus noſter, Rex mundi, qui fructum vitis creaſti.*

CXXIII. Quidam non unum Paſchale poculum, ſed quatuor fuiſſe ferunt, ad quæ evacuanda quilibet fuerit adſtrictus ; quam in rem laudant ſequentia Rabbi Mardochai. *Inſtituerunt ſapientes, ut obſtrictus eſſet omnis ebibere quatuor pocula in memoriam quatuor redemtionum, & quatuor verborum redemtionis uſurpatorum in hiſtoria liberationis ex Ægypto.*

CXXIV. Poculum illud, cujus Lucas ſolus hoc in loco meminit, primum quatuor illorum fuiſſe conjiciunt, cui CHRISTVS benedixerit communi forte formula jamjam laudata.

CXXV. Appoſitis antecœniis, & paucis ritibus interjectis, propinationem ſecundi poculi factam volunt: quo de hæc habentur in Talmude Babylonico : *Miſcent poculum ſecundum. Et tum filius interrogat patrem, atque ſi filius nondum ſciat rogare, pater eum docet, quantum differat nox hac ab omnibus noctibus. Quod omnibus aliis comedimus fermentum & azymum, hac ſolum azymum; aliis quasvis ceteras herbas, hac amaras: aliis carnem aſſatam, elixatam & coctam, hac duntaxat aſſatam; aliis intingimus ſemel, hac bis.*

CXXVI. Inter hoc & ſequens poculum ipſam comeſtionem Paſchalis agni interceſſiſſe aſſerunt, una cum ſolennibus quam plurimis. Quibus rite peractis, poſt valedictoria agni Paſchalis fruſtula guſtata, prolatum & tertium illud, quo Salvatorem noſtrum CHRISTVM novi fœderis Sacramentum compleviſſe & propoſuiſſe adſtruunt. Quamquam Buxtorffius *in Lexico Talmudico* radice הלל quartum huic fini adhibitum autumat.

ſcriptio preſſius urgeatur, ex eadem ſequi, vix unquam Karræos, ceu de CHRISTO Evangelica Hiſtoria id teſtatur, ante Talmudicos Paſcha celebraſſe, ſed vel cum eis, vel poſt eos. Nunquam enim penes Talmudicos menſis Adar. xxxi. dierum fuit: at bene e Karræorum computo. Neque ad alium, quam trigeſimum non viſæ Lunæ diem Karræorum placita extendenda eſſe verba Eliæ Scripturarii apud Seldenum non obſcure indicant.

LXXXII. Idcirco ſi Karræus is demum merito exiſtimandus ſit, qui ſolam Scripturam ſectetur, neque latum ab ea unguem recedat, CHRISTVM Scripturæ auctorem, acerrimum Karræum ſeu Scripturarium fuiſſe, non immerito dicimus, & ad normam legis divinæ Paſcha tempore plenilunii celebraſſe concludimus.

LXXXIII. Vt igitur id probemus, ſequemur nunc iſtam opinionem, quod Judæi ob concurſum Sabbatorum vitandum Patrum traditiones ſecuti, Paſcha, quod ex præſcripto Legis, die quartodecimo, qui tum in feriam quartam exeuntem, & feriam quintam ineuntem, hoc eſt diei Jovis finem, & diei Veneris initium incideret, celebrandum erat, diſtuliſſe in ſeqventem diem.

LXXXIV. Nimirum docent antiqvitatum Judaicarum peritiſſimi, ſi quando accideret, ut feſtus aliquis dies & uſitatum Sabbatum ſine medio, ſine ullius alterius diei interventu convenirent, & ſeſe mutuo exciperent, ita ut neceſſe eſſet duos continuos dies feſtos agere; tum moris fuiſſe, ut fieret translatio feriarum, & conjungerentur duo feſti dies in unum.

LXXXV. *Non facimus*, ajunt Rabbini, *duo ſabbata continua propter olera, & propter mortuos.* Nempe diebus

bus feſtis neque licitum erat mortuos ſepelire, quia ex contactu mortui pollutio; neque cibos coquere, quia opus ſervile erat. At in calidioribus illis regionibus, vere præſertim & autumno, mortuorum cadavera integrum biduum ſervari non poterant, neque cibi in plures dies parari, præſertim ex oleribus.

LXXXVI. Huic incommodo ut mederentur, translationem, ſive, ut alii appellant, repulſam feriarum excogitarunt & introduxerunt, non quidem convenienter legi divinæ: ſed notum eſt τὸ πατροπαράδοτον apud Judæos poſteriorum temporum admodum invaluiſſe, & vim legis obtinuiſſe.

LXXXVII. Hinc igitur quæſtio & controverſia ſic expeditur. Cum inſtaret Paſſio Domini, ita ferebat ratio menſis, ut magnum & feſtum diem Azymorum mox exciperet Sabbatum uſitatum, atque adeo continue duo Sabbata celebranda eſſent. Judæi idcirco more jampridem recepto, ne duo Sabbata continua celebrare cogerentur, translationem fecerunt, & feſtum cum Sabbato conjunxerunt.

LXXXVIII. Veſtigia hujus opinionis occurrunt apud Rupertum Abbatem Tuitienſem, qui in cap. XXVI. Matthæi ſcribit: *Judæos ex patrum traditione nunquam duo feſta, in quibus nihil operis facere præceptum fuit, continue celebrare ſolitos, quod difficile eſſet mortuorum corpora aut cocta olera in tertium usque diem ſervare in calida illa regione, ac ob id Paſchæ feſtivitatem, quoties in feriam ſextam incidit, in diem ſequentem, videlicet Sabbatum diſtuliſſe.* Et in *Levit. cap. XXXVI.* idem ſcribit Rupertus. *Quando quinta feria Luna decima quarta eveniſſet, agnum quidem eadem nocte Judæi comedebant, ſed ſequentis*

Digitized by Google

tis diei ſolennitatem relinquebant in Sabbatum transferendam.

LXXXIX. At vulgo primus hujus ſententiæ auctor creditur Paulus de ſancta Maria, Carthaginenſis primum, deinceps Burgenſis in Hiſpania Epiſcopus, qui & genere Judæus erat, & Levitico ſanguine deſcendens, & Hebraicæ literaturæ peritiſſimus. Hic enim in *Additamentis ad Lyræ commentaria ſuper caput XXVI. Matthæi*, propoſitam hanc quæſtionem adhibita doctrina Kalendarii Hebræorum, aliisque rituum & cerimoniarum obſervationibus enodare conatus eſt.

XC. Hunc poſtea ſecuti ſunt Paulus Mittelburgenſis, Epiſcopus Foroſempronienſis in ſua *Paulina*, & ex ipſis recentioribus Pontificiis, Onuphrius Panvinius *lib. II. Faſtor.* Cornelius Janſenius *in Concordia Evangelica cap. CXXVIII.* Alphonſus Salmeron *tom. IX. tractat. IV.* Johannes Maldonatus *in cap. XXVI. Matthæi*, Johannnes Hentenius *Præfatione ſuper Euthymium*, Johannes Lucidus *libro de die Paſſionis CHRISTI cap. IX.* Ex Reformatis, Joſephus Scaliger *de Emendatione Temporum lib. II. & VII. & Canon. Iſagog. lib. III.* Iſaacus Caſaubonus *Exercitat. XVI. contra Baronium*, & quem in his *Exercitationibus* ſummis laudibus evehit, Eduardus Livelejus, Anglus, in Academia Cantabrigienſi Profeſſor, in *Opere Chronologico.* Ex Noſtratibus, Martinus Chemnitius, Andreas Oſiander, Matthias Flacius, Johannes Gerhardus, Ægidius Hunnius, Georgius Calixtus, & alii magno numero.

XCI. Maximum huic ſententiæ robur accedit ex Johanne, qui illum Sabbati diem, quo CHRISTUS quievit in ſepulcro, *magnum* vocat *Sabbatum.* Ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου.

XCII.

Digitized by Google

XCII. Non negaverimus quidem etiam feſta alia vocari magna: ſed iſtud non eſt quod venit in controverſiam. Illud quæritur, cur a S. Johanne Sabbatum illud dictum ſit *dies magnus*. Notior autem cauſa hujus appellationis eſſe non videtur, quam quod cum ipſo Sabbato tum temporis feſtum Paſchatos & primus Azymorum dies concurrerent. Quæ concluſio aliter eludi vix poterit, niſi quis probaverit claris teſtimoniis, dies Azymorum, ſecundum, tertium, quartum, quintum, ſextum, quoties in Sabbatum incidebant, hanc vim habuiſſe, ut ipſum redderent diem magnam,

XCIII. Stat a noſtris partibus Beda, dicens: *Erat magna dies illa Sabbati, id eſt, propter ſolennitatem Paſchalem.*

XCIV. Interea magno conatu id egerunt complures viri eruditi, præſertim inter Pontificios, ut hanc de translato Paſchate ſententiam refellerent; dum eandem pro commentitia, heri ac nudius tertius excogitata, & nonniſi ſuppoſititiis Gamalielis cujusdam ſcriptis niti traduxerunt. Verum quid illis reſpondendum ſit, jamdudum docuit Vir quo non doctior alter, Iſaacus Caſaubonus, laudatis, ſed nunquam ſat laudandis *Exercitationibus contra Baronium.*

XCV. Illud dubium non leve eſt, qui, cum CHRISTVS Synedrii decreto ſolus cum ſuis non paruerit, proditor Judas hoc Sacerdotibus & Phariſæis non indicaverit, aut ipſi, cum prætextum criminandi CHRISTVM apud populum anxie quærerent, & perdiu nullum invenirent, hac accuſatione uſi non fuerint.

XCVI. Communiter hic reſpondetur, vel Judam non auſum fuiſſe hoc ad Synedrium deferre, nec Sacerdo-

tes ſuſtinuiſſe id criminis CHRISTO objicere: cum probe noviſſent, Dominum ex præſcripto Legis ſuum Paſcha celebraſſe. Et fortaſſis Sacerdotes, Phariſæi, Scribæ, & reliqui Synedrii Patres, quando decreti ſui auctoritate divinum præceptum ex parte mutarunt, hanc tamen reverentiam verbo Dei habuerunt, ut ſi quis illo ſtare mallet, quam decreto novo obtemperare, impune hoc ipſi eſſet.

XCVII. Nondum tamen hæc omnia ſatisfecerunt Gerardo Johanni Voſſio, ut non hunc ipſum conciliandi Evangeliſtas modum *ſpecioſiorem, quam veriorem eſſe* ſcripſerit *Diſſertationis de Annis JESV CHRISTI parte altera, Diſſert. II.* quæ eſt *de Tempore Dominicæ Paſſionis* §. *XIV.*

XCIIX. Putat igitur Judæos, ante receptos Cæſaris Faſtos, obſervaſſe veros Lunæ motus, & Neomenias attendiſſe ἀπὸ τῆς φάσεως, ſive a viſione ejus prima: Faſtis vero iis ex Auguſti mandato receptis, numeraſſe ſecundum medios Lunæ motus, & ſideris utriusque exitus. Quippe Julius Cæſar æquinoctium, quod ante a Judæis III. Aprilis die ſtatuebatur, fixerat in XXV. die Martii. Quoties igitur decimaquarta Luna primi menſis æquinoctium præverteret Paſchalem diem, non egiſſe, ſcribit, feſtum, ſed exſpectaſſe, donec foret æquinoctium; ac poſt illud demum, ſimul ac Sol ſignum Arietis ingredi cœpiſſet, Paſcha comediſſe. CHRISTUS proinde, ſecundum hanc opinionem Voſſii, ex Lege Moſaica obſervaſſet veſperam diei decimæquartæ Niſan; ſed Judæi proceres, quia tum nec dum foret æquinoctium, diſtuliſſent in diem proximum; ut ita, poſt æquinoctium, feſtum agitaſſent

ſent diem Paſchatis; ſecundum conſuetudinem cœptam, ex quo annum more Romano computarent.

XCIX. Hoc itaque ſi quis ſequi velit, modo id firmiter teneatur, CHRISTVM alio, Judæos item alio die Paſcha celebraſſe, nobis perinde fuerit. Nos quia tam difficilem quæſtionem pro ingenii viribus expedivimus, proximum eſt, ut exponamus, quinam, una cum CHRISTO Paſchalem agnum ederint.

C. Hi fuerunt duodecim Apoſtoli.

CI. Supereſt, ut videamus, quo corporis ſitu CHRISTVS Paſchalem agnum comederit.

CII. Vero autem ſimilius putamus, accubuiſſe menſæ, non ſtetiſſe, nec ſediſſe: quia & alias comedens accumbere ſolebat, & præterea in ultima cœna prius accubuiſſe, inde ad lavandos diſcipulorum pedes ſurrexiſſe, ac his lotis, iterum accubuiſſe dicitur.

CIII. Nonnulli putant J SVM quidem ſtantem ediſſe agnum Paſchalem! ſed eo comeſto, cum alii apponerentur cibi, accubuiſſe ex more, ac tum ſurrexiſſe ad lavandos diſcipulorum pedes.

CIV. Verum, quid attinebat, eum, qui ob ritum Paſchalem ſtaret, ſeſe in lectum recipere cum diſcipulis, ſi continuo ſurgendum foret? Nonne ſatius fuiſſet in ſtando perſiſtere, ac demum poſt lotos diſcipulorum pedes accumbere?

CV. Illud autem propterea comminiſcuntur, ut oſtendant, non receſſiſſe CHRISTVM a primo inſtituto hujus feſti, ubi jubentur Judæi procincti, & baculo inſtructi Paſcha comedere. Sed ficulneum eſſe hoc argumentum, quia hoc præceptum tantummodo pertinuit ad primi Paſchatis obſervationem in Ægypto, & temporibus

bus conſecutis neminem obligavit, tum hoc ipſo capite contra M. Antonium de Dominis, tum ſuperiori, quando de ritibus Paſchalibus in univerſum ageremus, eſt oſtenſum.

CVI. Porro CHRISTVM nec in ultima cœna Paſchali ſediſſe diximus. Obſervarunt nempe ex antiquis Rabbinorum ſcriptis Viri docti, non ſeſſionem, ſed accubitum in hoc epulo fuiſſe neceſſarium.

Luc. XXII. 15. CVII. Præterea duo commemorat Lucas, quæ CHRISTVS in Paſchali cœna egerit: primo *quod teſtificatus fuerit, ſe ardentiſſimo deſiderio hoc ultimum Paſcha cum diſcipulis celebrare hactenus expetiviſſe*: deinde, *quod accepto poculo Paſchali gratias egerit, diſcipulis illud exhibuerit, & inter ſe dividere juſſerit.*

CIIX. In priori per Paſcha non intelligendum eſt novum Novi Teſtamenti Paſcha, id eſt, ipſum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed Paſcha typicum & legale.

CIX. Hoc Paſcha CHRISTVS deſideravit, non, quia Paſcha erat, ſed quia ultimum erat; in quo abrogato veteri Paſchate novum inſtituere volebat; & poſt quod pro ſalute generis humani mortem aditurus erat ad veteris Paſchatis figuram implendam.

CX. Deſideravit CHRISTVS Paſſionem ſuam: non, quod in ſe fuerit levis vel jucunda: ſed quia ineffabili amoris deſiderio ſalutem humani generis ſitivit, quæ per ipſius paſſionem & mortem erat procuranda.

CXI. Huic ſuo deſiderio, quo ultimum hoc Paſcha expetierit, CHRISTVS αἰτιολογικῶς ſubjungit: *Dico vobis, poſthac non edam ultra ex eo, donec compleatur in regno Dei.*

CXII.

CXII. Quidam per *regnum Dei* intelligunt tempus quadraginta dierum, in quibus CHRISTVS cum diſcipulis in corpore glorificato converſatus eſt, hoc ſenſu: *Non manducabo ulterius ex hoc Paſchate, & quibusvis cibis corporalibus, donec per paſſionem, mortem, & reſurrectionem meam compleatur, quicquid ad generis humani redemtionem adhuc peragendum reſtat: tunc enim iterum vobiscum comedam & bibam.* Juxta hanc expoſitionem particula ἕως *donec* acciperetur non excluſive, pro nunquam, ſed incluſive: ut innuat, quod CHRISTVS poſt reſurrectionem iterum ſit comeſturus.

CXIII. Quidam vero particulam ἕως *donec*, excluſive accipiunt, ut negationis ſimplicis vim habeat: hoc ſenſu: *Nunquam amplius hoc typicum Paſcha celebrabo; nunquam in poſterum corporales cibos vobiscum capiam; ſed per paſſionem & reſurrectionem meam ingrediar in regnum Dei, & ſtatum cæleſtem.*

CXIV. Beda per *regnum Dei* intelligit Eccleſiam, quæ eſt regnum gratiæ, quando *in Lucam cap. XXII.* verba Servatoris ſic circumſcribit: *Nequaquam ultra Moſaicum Paſcha celebrabo, donec in Eccleſia ſpiritualiter intellectum compleatur. Ipſa eſt enim regnum Dei, de quo alibi diſcipulis ait, regnum Dei intra vos eſt. Luc. XVII. 21. in quo regno Dominus hodieque Paſcha impletum manducat, quando ea, quæ Moſes rudi populo carnaliter obſervanda præcepit, in membris ſuis, hoc eſt, in ipſa Eccleſia ſpiritualiter exercet.*

CXV. Verum ſimpliciſſima, & textui maxime propinqua eſt expoſitio, qua per *regnum Dei* intelligitur regnum gloriæ.

Digitized by Google

runt: *Benedictus es Domine Deus noſter, Rex mundi, qui fructum vitis creaſti.*

CXXIII. Quidam non unum Paſchale poculum, ſed quatuor fuiſſe ferunt, ad quæ evacuanda quilibet fuerit adſtrictus: quam in rem laudant ſequentia Rabbi Mardochai. *Inſtituerunt ſapientes, ut obſtrictus eſſet omnis ebibere quatuor pocula in memoriam quatuor redemtionum, & quatuor verborum redemtionis uſurpatorum in hiſtoria liberationis ex Ægypto.*

CXXIV. Poculum illud, cujus Lucas ſolus hoc in loco meminit, primum quatuor illorum fuiſſe conjiciunt, cui CHRISTVS benedixerit communi forte formula jamjam laudata.

CXXV. Appoſitis antecœniis, & paucis ritibus interjectis, propinationem ſecundi poculi factam volunt: quo de hæc habentur in Talmude Babylonico: *Miſcent poculum ſecundum. Et tum filius interrogat patrem, atque ſi filius nondum ſciat rogare, pater eum docet, quantum differat nox hac ab omnibus noctibus. Quod omnibus aliis comedimus fermentum & azymum, hac ſolum azymum; aliis quasvis ceteras herbas, hac amaras: aliis carnem aſſatam, elixatam & coctam, hac duntaxat aſſatam; aliis intingimus ſemel, hac bis.*

CXXVI. Inter hoc & ſequens poculum ipſam comeſtionem Paſchalis agni interceſſiſſe aſſerunt, una cum ſolennibus quam plurimis. Quibus rite peractis, poſt valedictoria agni Paſchalis fruſtula guſtata, prolatum & tertium illud, quo Salvatorem noſtrum CHRISTVM novi fœderis Sacramentum compleviſſe & propoſuiſſe adſtruunt. Quamquam Buxtorffius *in Lexico Talmudico* radice :חלל quartum huic fini adhibitum autumat.

CXXVII. Demum ſecutum eſſe quartum tradunt; ita tamen ut non ſolum ulterius nihil quicquam potus libaverint, ſed & inter hoc & tertium bibere prohibitum eſſet. Communiter hoc poculum dictum ajunt כוס הלל *Poculum Hallel*, ſive *laudis*: vel quod eo per cœnam circumlato decantatus fuerit unus ex Pſalmis Davidicis, qui incipiunt a verbo Hallelujah ; vel potius ob hymnum καί' ἐξοχὴν appellatum הלל *Hallel* quo Paſchalem cœnam claudebant: de quo in ſequentibus.

CXXVIII. Dubitamus autem non immerito, an CHRISTI tempore tam ſollicite ſe geſſerint Judæi in numero poculorum Paſchalium : & ſi maxime id factum largiremur, neſcio tamen num illis ritibus CHRISTVS examuſſim uſus ſit. Nobis ſuffecerit, poculum, quod Lucas memorat CHRISTVM accepiſſe, eidem benedixiſſe, diſcipulis, ut inter ſe dividerent, tradidiſſe, Paſchale poculum fuiſſe.

CXXIX. Poculum hoc *CHRISTI* Paſchale vere etiam *Valedictorium* poſſumus nuncupare; quo teſtatus eſt, hoc fore ultimum his in terris convivium , quod in hoc quidem ſtatu, & in mortali corpore cum diſcipulis ſuis celebraturus ſit: ut colligitur ex ſubjecta *ἀπολογία*.

CXXX. Nam diſtributo hoc poculo dixit : *Non bibam de fructu vitis, donec regnum Dei veniat.*

CXXXI. Etiamſi hic iterum per *regnum Dei*, aliqui intelligunt tempus illud, quo CHRISTVS poſt reſurrectionem ſuam inter diſcipulos verſatus; nonnulli etiam Eccleſiam interpretantur; optima tamen & maxime propria videtur illorum interpretatio, qua regnum cœleſtis gloriæ indigitatur. In hoc æterno gloriæ regno *CHRISTVS* cum Apoſtolis & omnibus ſuis fidelibus comedet ac bibet:

non

Digitized by Google

non terrenum aliquem & corporeum cibum vel potum, ſed ſpiritualem & cœleſtem.

CXXXII. Attamen quia S. Petro atteſtante Actor. *cap. X. v. 41. Apoſtoli manducarunt & biberunt cum CHRISTO, poſtquam a mortuis ſurrexerat,* non rectius putamus conciliari Scripturas, quam ſi CHRISTI verba ad hactenus conſuetum bibendi morem, qui erat naturalis, reſtringamus. Nam poſt reſurrectionem edit ac bibit CHRISTVS; ſed novo ac ſupernaturali modo, non ad corporis neceſſitatem, ſed ad veritatem corporis demonſtrandam.

CXXXIII. Non igitur erat, cur Piſcator ſcriberet; *Nuſpiam legi, CHRISTVM poſt reſurrectionem bibiſſe:* nec, cur Barradius nugetur; *Apoſtolos CHRISTO poſt reſurrectionem ſecum conviventi aquam loco vini apposuiſſe.*

CXXXIV. Tandem quia illa prædictio CHRISTI de non amplius bibendo cum Apoſtolis etiam apud Matthæum & Marcum in deſcriptione Cœnæ Dominicæ exſtat, idcirco quidam ſemel tantum ea a CHRISTO dicta ſtatuunt, videlicet ante Euchariſtiæ inſtitutionem.

CXXXV. Probabilior autem illorum eſſe videtur ſententia, qui eadem verba a CHRISTO bis pronunciata eſſe volunt: ſemel quidem ante Euchariſtiæ inſtitutionem, de poculo Paſchali, ſecundum deſcriptionem Lucæ; deinde iterum de poculo Saaramentali, juxta deſcriptionem Matthæi & Marci.

Digitized by Google

CAP. XII.

Quæritur primo, An CHRISTVS poſt comeſtionem Agni Paſchalis aliam vulgarem cœnam celebraverit; deinde Hiſtoria Lotionis pedum Apoſtolicorum excutitur.

I.

AGno a CHRISTO & Apoſtolis comeſto viri quidam celeberrimi, cœnam communem ſeu vulgarem, ac tum demum Sacramentum corporis & ſanguinis Dominici ſubſecutum eſſe, ſcribunt.

II. Quia autem hujus cœnæ veritas ad hiſtoriam inſtitutionis Cœnæ Euchariſticæ exactius cognoſcendam pertinet, non ignobilis quæſtio oritur: An CHRISTVS in Paſchali cœna, & adhuc durante ea, an vero poſt eam penitus peractam atque abſolutam de novo accubuerit, & Sacramentum hocce inſtituerit.

III. Quatuor hic ſunt doctorum virorum ſententiæ. Prima eſt illorum, qui hic duas tantum faciunt cœnas; unam Agni Paſchalis, alteram Cœnæ ſacræ novæ a CHRISTO inſtitutæ poſt penitus abſolutam Paſchalem cœnam; ita ut hæc poſterior priori, non intercedente alia cœna, interveniente tamen pedum Apoſtolicorum lotione ſubiuncta fuerit.

IV. Pro hac ſententia cum alii, tum potiſſimum Johannes Buxtorfius filius decertavit, *Diſſertatione* ſingulari, qua in *de ritibus in prima cœnæ Dominicæ inſtitutione uſurpatis* agit: putatque agnum Paſchalem a Judæis comeſtum in fine cœnæ; cum qua tamen immediate cohæſerit comeſtio Agni, ut hæc novam cœnam non conſtituerit. Et

ut

Digitized by Google

ut hoc evincat, ex Rabbinorum ſcriptis oſtendere laborat, Agnum Paſchalem non niſi a ſaturis potuiſſe comedi; ut nihil poſt agnum cibi capere licitum ac permiſſum fuerit: idque ut ſapor agni in convivarum ore remaneret.

V. Deinde alii triplicem cœnam agnoſcunt: ſed hi iterum in tres claſſes diſtingui queunt. In prima illi ſunt, quibus cœna prima eſt *Paſchalis agni*; altera *Azymorum*, ſed ita ut azyma inſtar menſarum ſecundarum fuerint; tertia *ſanctæ Cœnæ Dominicæ*.

VI. Ad ſecundam claſſem pertinent, qui in prima *Agnum*, in altera *Azyma* ſimpliciter, in tertia cœna *ſacra ſymbola* propoſita tradunt.

VII. Ad tertiam claſſem referuntur, qui pro ſecunda cœna *Azymorum*, communem ſeu vulgarem cœnam collocant: eo quod agnus anniculus non ſuffecerit explendæ fami convivatorum ſingulorum, ſi præſertim familia ampla & numeroſa eſſet.

VIII. Hanc cœnam vulgarem, ſeu communem, poſt Paſchalem cœnam jam olim agnovit B. Auguſtinus *de Conſenſu Evangeliſtarum*, & ſimiliter *Tractatu LV. in Johannem*; eandemque ex Rabbinorum commentariis confirmant Benedictus Arias Montanus *in cap. XXVI. Matth.* & Scaliger *lib. VI. de Emendat. Tempor.* quorum ſententiæ & nos ſubſcribimus.

IX. Nunc ordo flagitaret, ut ad lotionem pedum Apoſtolorum accederemus, modo conſtaret, an hoc loco & non alio potius de eadem agendum eſſet. Nam quia priores tres Evangeliſtæ eam non memorant, ſed ſolum de Euchariſtia ſacra tractant, Johannes autem ſolus pedum lotionem explicat *cap. XIII.* hinc jam olim nata fuit quæſtio: an illa pedum lotio triplicem hanc cœnam præ-

ces-

Digitized by Google

ceſſerit, an ſecuta fuerit; item an ex toto, an ex parte, hoc eſt, num omnes, an vero tantum aliquos illarum actus præceſſerit, vel ſecuta fuerit.

X. Auctor *Sermonis de Ablutione pedum*, qui inter Cypriani ſcripta legitur, ſed ejus genuinus fœtus non eſt, & qui hunc ſequuntur, poſt Euchariſtiæ adminiſtrationem demum diſcipulorum pedes lotos autumant. *Jam*, inquit iſte, *Sacramenta diſtribuerat, jam Judas exierat, cum repente de menſa ſurgens linteo ſe præcinxit.*

XI. At non videtur hoc deſcriptioni Johannis reſpondere: apud quem poſt iſtam lotionem CHRISTVS denuo accubiſſe legitur. Et hoc quod ultimo peregit *CHRISTVS*, fuit Euchariſtiæ inſtitutio, ut manifeſtum ex Luc. *XXII. 20.* & *1. Cor. XI. 25.* ubi poculum ſanguinis ſui μετὰ τὸ δειπνῆσαι diſcipulis tradidiſſe dicitur.

XII. Alii igitur cenſent, ipſi etiam Paſchali cœnæ lotionem præmittendam eſſe, ut ſic δείπνου γενομένου, Joh. XIII. idem ſit quod *cœna parata & inſtructa*, non vero *transacta*.

XIII. Hanc ſententiam etſi ſuam non facit Baronius, ex multis tamen probari poſſe autumat, & ex more inprimis Judæorum, aliorumque populorum, pedes ante accubitum lavandi.

XIV. Sed nec hæc ſententia quadrat Hiſtoriæ ſacræ. Nam primo CHRISTVS lotioni ſeſe accincturus dicitur *a cœna ſurrexiſſe*: nempe, quod jam tum cœnare cœperat. Tum vero illa pedum lotio non tam ex more gentis ad ſordium ablutionem, quam ad ſpiritualis lotionis præfigurationem a CHRISTO inſtituta eſt. Et eſt credibile, jam ante lotos fuiſſe pedes convivatorum priusquam diſcumberent: utut Evangeliſtæ iſtam lavationem

Digitized by Google

nem, tamquam ad propoſitum nihil facientem omiſerint.

XV. Quidam contendunt, Paſchalis agni eſum tum fuiſſe inchoatum, cum CHRISTVS pedes lavaret, nondum tamen finitum & conſummatum. Atque hi phraſin *δείπνου γενομένου* interpretantur, *inchoata jam Agni Paſchalis cœna.*

XVI. Nihil vero cauſæ videmus, cur hac lotione CHRISTVS cœnam Paſchalem interrumpere voluerit.

XVII. Auguſtinus per *τὸ δεῖπνον* apud Johannem intelligit vulgarem cœnam, agni Paſchalis eſui ſubjungi ſolitam: ſed addit eam tantum fuiſſe inchoatam, nondum autem finitam, cum CHRISTVS ad lavandos diſcipulorum pedes ſurgeret.

XVIII. Hæc ſententia, etſi tantis difficultatibus non eſt obnoxia ac ſunt ſunt reliquæ; tamen veriſimilius eſſe credimus, quod *δείπνου γενομένου* deſignet, a finita cœna ſecunda, vulgari ſcilicet illa & communi, ante tertiam, Sacramentalem iſtam, hanc diſcipulorum lotionem factam eſſe.

XIX. Propius nunc accedemus ad ipſam Hiſtoriam Lotionis, quam S. Johannes illuſtri quadam præfatione exornat. *Ante feſtum,* inquit, *Paſchatis* (Judaici) *ſciens JESVS veniſſe horam digrediendi ex hoc mundo ad Patrem: cum hactenus dilexiſſet ſuos, qui erant etiamnum in mundo,* & cum infirmitate carnis luctabantur, nihil remiſit ab illa dilectione, ſed *usque ad finem dilexit eos.*

XX. Et jam *peracta cœna,* communi nimirum illa ſeu vulgari, cœnam Paſchalis Agni excipiente; nihil moratus, quod unus e duodecim Judas Iſcariotes, inſtin-

STVM non depoſuiſſe veſtem cœnatoriam cum lavaret diſcipulos.

XXVI. Et ſane intricatius loquitur Baronius, quando inquit: *Quod dicatur Dominus poſuiſſe non veſtimentum, ſed veſtimenta ſua, cum pedes diſcipulorum lavit, par eſt credere, eum in veſte cœnatoria remanſiſſe.* Quod tamen hic ſit Cardinali ſenſus, quod CHRISTVS epulatus ſit in cœnatoria, cui propria veſtimenta fuerint ſuperinduta, in lotione autem retinuerit veſtem cœnatoriam, poſito veſtimento proprio, ſequentia ejus verba indicant. *Sic igitur,* ait, *cum dicat Evangeliſta, poſt ablutionem pedum JESVM recepiſſe veſtimenta ſua, ſatis ſignificat abſoluta jam cœna, lotisque pedibus diſcipulorum cœnatoriam veſtem exuiſſe, ac propriam induiſſe.*

XXVII. Verum quicquid ſit de mente Baronii, de eo certi ſumus, hanc cœnatoriam CHRISTI veſtem plane eſſe commentitiam. Non enim is luxus CHRISTO & diſcipulis, ut cœnatorias aſſumerent. Quare Baronium ſuæ ſectæ homo Barradius refutat ſcribens: *Cœnatoria veſtis ex hoc loco refellitur: Nam conſtat veſtimentis ſuis amictum Dominum cœnaſſe, eaque ut pedes diſcipulorum lavaret, poſuiſſe, non vero veſtem cœnatoriam.*

XXVIII. Mediocris fortunæ homines contenti erant tunica ſive interiori veſte, quæ χιτὼν in ſcripturis dicitur, & pallio, ſive veſte exteriore, quæ ἁπλῶς *veſtimentum* vel *veſtimenta,* τὸ ἱμάτιον, vel ἱμάτια, vocari ſolet. Cum igitur legimus, CHRISTVM a comeſto Paſchali agno depoſuiſſe veſtem, pallium intelligere convenit: quod eo depoſuit, ut facilius lotionis miniſterium obiret.

nenſes Hieroſolymis detuliſſe in monaſterium ſuum dicuntur anno CHRISTI cIↄ XIV. Vbi & miraculo claruiſſe traditur. Scribit ea de re Leo Oſtienſis *Chronici Caſſinenſis lib. II. cap. XXXI.* Sed & Romæ in S. Johannis Lateranenſis; Namurci; Duaci; Aquisgrani, Leodii, Tornacii, in Salſinenſi Monaſterio particulæ illius lintei aſſervantur. In linteo, quod in Monaſterio S. Cornelii ad Indam habetur pedis veſtigium impreſſum cernitur. Hoc Judæ proditoris eſſe volunt.

XXXIV. Quidam putant Salvatorem ſtantem humero ſaltim quadamtenus inclinato lotionem peregiſſe, utpote in triclinio aliquanto altiori Apoſtolis diſcumbentibus.

XXXV. At auctor ſermonis de ablutione monet, quod *CHRISTVS ex humilitate in genua coram diſcipulis ſuis procubuerit.* Quod non ineleganter exaggerat Simon de Caſſia *lib. XIII.* hunc in modum: *Videte profundiſſimæ humilitatis inſignia, quod divina majeſtas Apoſtolorum pedibus inclinatur, & geniculat ante homines Deus, ante peccatores ſanctitas, ante injuſtos juſtitia, coram mortalibus immortalis, ante creaturam creator, Sol ante ſtellas, lux ante tenebras, dies ante horas. Et lavat genuflexus Rex omnium Regum & Dominus dominantium, ut nullius creaturæ tanta poſſit eſſe humilitas, quæ Salvatoris non ſit ipſa profundior.*

XXXVI. Non contemnenda eſt quorundam conjectura, quod CHRISTVS lotis diſcipulorum pedibus oſcula impreſſerit. Namque id exuberanti amori, quem in hac pedum lotione demonſtrare voluit, optime reſpondet.

Digitized by Google

XXXVII. Venio ad diſcipulos, quorum pedes CHRISTVS lavit. Hic diſputari video, a quonam CHRISTVS lotionis fecerit initium.

XXXVIII. Richardus Montacutius *Origin. Eccleſiaſt. tom. prior. part. poſter.* arbitratur probabile eſſe CHRISTVM a Johanne, qui in ſinu ejus recumbebat, incepiſſe.

XXXIX. Chryſoſtomus *Homil. LIX. in Johann.* & eum more ſuo ſecutus Theophylactus *in h. l.* a Juda lotionis initium factum opinantur, eamque rationem addunt; quod fortaſſis homo impudens ſupra ceteros accumberet.

XL. Quod ſi a Juda lotionem exorſus eſt Salvator, voluit forte ab infimo, immo omnium impuriſſimo, & lavationis maxime indigo incipere, ut vel hoc pacto a nefaria proditione ejus animum revocaret.

XLI. Auguſtinus *Tractat. LVI. in Johannem,* a Petro lavandi exordium fuiſſe factum ſtatuit: atque idem ſentiunt Beda, Ruperttus, Lyra, Pontificii Doctores plerique; qui ex eo quoque Petri primatum ſtabilire conantur: ut ſucceſſorum Petri, ſi diis placet, eminentiam confirment.

XLII. Ambroſius tamen *de Sacramentis lib. III. cap. I.* omnes reliquos diſcipulos ante Petrum lotos fuiſſe exiſtimat: quæ ſententia non admodum eſt improbabilis. Cum enim Evangeliſta prius dixiſſet CHRISTVM cœpiſſe pedes diſcipulorum lavare, & linteo extergere, *Joh. XIII. 6.* poſtea ſubjungit: *Venit ergo ad Simonem Petrum:* ut ita reliquis lotis demum ad Petrum pervenerit, quem item cum laviſſet dicit, *Vos mundi eſtis.*

XLIII.

Digitized by Google

XLIII. At quomodocunque ſe res habuerit, cum ad Petrum veniſſet JESVS, indignum Magiſtri dignitate judicans hoc ſervile munus obire, quantum poterat, illud, ne in ſe exerceretur, declinabat, dicens: *Tu Dominus ſervo lavas pedes? tu immaculatus lavas pedes? tu auctor cœlorum mihi lavas pedes:* prout bene hunc locum circumſcribit Ambroſius. Et ex Theophylacti mente: *Tu lavas pedes meos manibus illis, quibus oculos cæcorum aperuiſti, quibus leproſos mundaſti, quibus mortuos ſuſcitaſti? tu qui hæc majora feciſti, meos ſervi & imperiti, & non manus, neque aliam partem honeſtiorem, ſed pedes, qui extremæ omnium maximè ſordidæ partes ac ignominioſæ habentur.*

XLIV Quamvis igitur Petrus ex animo non prorſus malo ſibi a Domino pedes lavari renuit; tamen CHRISTVS de eo ſic judicat, ac profluat ex ignorantia. *Quod ego facio,* inquit, *tu neſcis nunc, ſcies autem poſtea:* tum ſcilicet, quando pluribus explicavero hujus lotionis ſignificationem: tum, quando S. Spiritus in die Pentecoſtes & deinceps in omnem te ducens veritatem id te docuerit. *Joh. XIII. 7.*

XLV. Quid autem noſter Simon? Non Simonem agebat, hoc eſt, dicto odedientem auditorem; ſed Petrum, ſed durum, & præconceptæ ſententiæ firmiter inhærentem: *in æternum,* inquit, *mihi non lavabis pedes:* id eſt: Nunquam hoc feram, nunquam patiar, nullo modo permittam, ut pedes meos laves. *v. 8.*

XLVI. Hinc ſeveram comminationem reponit CHRISTVS: *Si te non lavero, non habes partem mecum.* hoc eſt: Non tantum excluderis a convictu meo, a conſuetu- *v. 9.*

ſuetudine mea & familiaritate; ſed nec cohæres eris regni cœlorum.

XLVII. Plurimi, iidemque graviſſimi Interpretes, CHRISTVM hoc loco primario & principaliter de ſpirituali & interna ablutione per hanc corporalem & externam præfigurata loqui autumant, hoc ſenſu: *Si non lavero te a peccatis tuis precioſo meo ſanguine, non amplius ex meis unus eris.*

XLVIII. Clariſſimus tamen civis meus, Daniel Claſenius *Exercitat. ad Paſſionem Dominicam lib. I. cap. VI.* ab iisdem diſſentit, & contendit, non aliter hæc verba accipienda eſſe quam de ſubjecta materia, hoc eſt, primo & præcipue de lotione pedum corporali; ſic tamen ut ſenſu myſtico non plane excludatur ſpiritualis lotio.

Joh. XIII. v. 9. XLIX. Petrus audiens, lotionem, quæcunque tandem ſit, ad conjunctionem cum CHRISTO neceſſariam eſſe, non pedes tantum, ſed & manus & caput lotioni offert.

L. Reſpondet CHRISTVS *Qui lotus eſt, non opus habet, niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.*

LI. De horum verborum ſenſu mira eſt inter Interpretes diſſenſio. Nobis illos ſequi placet, qui Servatorem allegoriam putant uſurpaſſe ex communi vitæ uſu depromtam, indicando: Sufficere ſi pedes abluantur: Nam qui in balneis recens ſunt loti, cetera quidem mundi ſunt, ſed quia forte contactu terræ pedes contaminarunt, ut eos iterum abluant, neceſſe eſt.

LII. Per anagogen tamen lotio totius corporis de Baptiſmo accipienda: pedum vero ablutio de affectuum purgatione, & fomite peccati etiam in electis remanente.

LIII.

Digitized by Google

LIII. Jubet igitur Petrum lotione pedum contentum eſſe & quieſcere: *Vos*, inquit, *mundi eſtis: &* propter me in gratia apud Dominum abluti a peccatis: interim mihi parere & obſequi decet, neque quod circa vos ago, impedire. v. 10.

LIV. Quod vero proditorium noviſſet Judæ animum, qui adhuc latebat diſcipulos, addit: *Non eſtis omnes mundi.* v. 11.

LV. Hujus immunditiei cauſa erat, quod pœnitentia & fide in CHRISTVM deſtitutus pravis carnis ſuæ concupiſcentiis indulſerit, ſuggeſtionibus Satanæ locum dederit, & repudiatis magiſtri admonitionibus in proditionis propoſito ſecure perrexerit.

LVI. Cauſæ cur CHRISTVS pedes diſcipulorum laverit, reddi poſſunt variæ. Ipſe CHRISTVS hanc potiſſimum indigitat, ut dilectionis & humilitatis exemplum exhiberet. Quo pertinent verba CHRISTI. *Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſtrum, ac Dominum: & bene dicitis, ſum enim. Si ergo lavi pedes veſtros Dominus, & Magiſter, Vos quoque debetis invicem alii aliorum lavare pedes. Exemplum enim præbui vobis. Non eſt ſervus major domino: neque legatus eſt major eo, qui legavit ipſum. Si hæc noviſtis, beati eſtis, ſi feceritis ea.* v. 12. 13. 14.

LVII. Suo igitur exemplo tam illuſtri humiles nos eſſe docuit CHRISTVS: ſed ſpeciem uſurpavit pro genere. Nam lotione pedum, quod omnium fere miniſteriorum humillimum eſt, omnia exempla & omnia miniſteria humilitatis expreſſa voluit. Cyprian. de Bono Patientiæ: *Dignatus eſt pedes Apoſtolorum lavare, ut, dum circa ſervos talis eſſet dominus, exemplo ſuo doce-*

Digitized by Google

doceret, quales circa compares & æquales debeat eſſe conſervus.

LVIII. Inter myſticas hujus lotionis cauſas præcipua procul dubio fuit ſignificanda peccatorum remiſſio. Quo ſpectant iſta CHRISTI. *Si te non lavero, non habes*
v. 8. *partem mecum.*

LIX. Denique in me recepi aliquid dicturum, quomodo lavandorum pedum ritus in primitivam Eccleſiam pervenerit.

LX. Sane antiquiſſimum priſcæ Eccleſiæ Chriſtianæ ritum eſſe colligimus ex prioris epiſtolæ Pauli *ad Timotheum cap. V.* ubi inter alia viduæ in eccleſiæ miniſterium cooptandæ κριτήρια refertur; *Si Sanctorum pedes lavit.*

LXI. Poſtea in quibusdam Eccleſiis receptum more fuit, ut poſt baptiſmum lavarentur baptizatorum pedes. De hac lotione Ambroſius lib III. de Sacramentis cap. 1. *Aſcendiſti de fonte, quid ſecutum eſt? Audiſti lectionem; ſuccinctus ſummus Sacerdos pedes tibi lavit. Quid iſtud myſterium? Audiſti utique, quia dominus cum laviſſet diſcipulis aliis pedes, venit ad Petrum, & ait ad eum: Tu mihi lavas pedes?*

LXII. Neque tamen id tum temporis in Eccleſia Romana factum. Ambroſius d. l. *Non ignoramus, quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet.*

LXIII. Id quod diſplicuit Ambroſio, qui pergit: *Vide ergo, ne propter multitudinem declinarit. Sunt tamen qui dicant, & excuſare conentur, quia hoc non in myſterio faciendum eſt, non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed*

ſed quaſi hoſpiti pedes lavandi ſint. Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi, quia myſterium eſt, & ſanctificatio: Niſi lavero te, non habebis partem mecum. Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus.

LXIV. Alicubi etſi ipſe ritus lavationis pedum eſt ſervatus, non tamen eo tempore, quo baptiſmus Competentibus collatus, frequentari conſuevit. Auguſtinus Epiſt. CXIX. ad Januarium cap. XIIX. *De lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, ſicut ipſe conſequenter expoſuit; quæſitum eſt, quonam tempore potiſſimum res tanta etiam facto doceretur, & in illud tempus occurrit, quo ipſa commendatio religioſius inhæret. Sed ne ad ipſum Sacramentum Baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in conſuetudinem recipere noluerunt. Nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc ſacratiore tempore commendarent, & a baptiſmi Sacramento diſtinguerent, vel diem tertium octavarum, quia ternarius numerus in multis Sacramentis maxime excellit, vel etiam ipſum octavum, ut hoc facerent, elegerunt.*

LXV. Interdictas tamen reperio has lotiones in Concilio Elibertino anno CCCV. can. XLVIII. ad quæ verba Binius tom. I. Concilior. *Neque cenſeo in hoc Concilio interdictum, niſi tantum, ne fiat a Sacerdotibus.* Non ſine cauſa fortaſſis. Laſcivire enim cœperunt Sacerdotes.

LXVI. In aliquibus Eccleſiis S. Euchariſtiam acceſſuris pedes lavabantur. Nempe mundatione pedum putabant ſignari, mundandas eſſe animas, antequam accedant ad participationem corporis Dominici, ut Rupertus docet *lib. V. de Divinis Officiis cap. XX.* Huc referunt nonnulli iſta Auguſtini Epiſt. CXVIII. ad Januar. cap. VI. *Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus ſit, nihil mihi de hac re cogitanti probabilius occurrit, niſi quia baptizandorum corpora per obſervationem Quadrageſimæ ſordidata, cum offenſione ſenſus ad fontem tractarentur, niſi aliqua die lavarentur; iſtum autem diem potius ad hoc electum, quo Cœna Dominica anniverſarie celebratur.*

LXVII. Inprimis autem homines religioſi piorum hoſpitum, ut & pauperum pedes abluebant. Tertull. ad Vxor. l. 2. c. 4. *Jam vero alicui fratrum ad oſculum convenire? aquam ſanctorum pedibus offerre?* (maritus gentilis Chriſtianam conjugem patietur) Vſuardus in Martyrologio VII. Kl. Julii: *In Alexandria natalis* S. Gallicani *Martyris, qui cum triumphalibus infulis ſublimatus, acceptus eſſet Auguſto Conſtantino, & charus peripſius filiam, nomine Conſtantiam, ac CHRISTI martyres Johannem & Paulum, ad fidem converſus eſt. Hujus ſacræ opinionis fama poſtmodum in toto orbe in tantum excrevit, ut ab oriente & occidente venientes, viderent virum ex patricio & conſule, lavantem pedes pauperum, ponentem menſam, aquam manibus effundentem, languentibus ſolicite miniſtrantem, & cetera ſancta ſervitutis officia exhibentem.* Otto Friſing. Chron. lib. VII. cap XXXV. quo de diverſis ordinibus monachorum agit: *Porta in exteriori atrio poſita eſt, ubi religioſus & timoratus frater jugiter manens, omnes ſupervenientes hoſpites, pere-*

Digitized by Google

peregrinos, pauperes, alacriter & benigne, tanquam ipſum CHRISTVM ſuſcipiens, primo ad oratorium ductis, in cellam hoſpitalem, lotis ante eorum pedibus, ac deinde omnibus humanitatis officiis devote exhibitis, collocat. Zacharias Papa ad Bonifacium ſic ſcribit: *Nam & hoc inquiſivit fraternitas tua, ſi licet ſanctimoniales fœminas, quemadmodum viri faciunt, ſibi invicem pedes abluere tum in cœna Domini, quam in aliis diebus. Hoc Dominicum præceptum eſt, quod qui per fidem impleverit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres unum Dominum habemus, qui in cœlis eſt.* Auguſtinus tractat. LVIII. in Johan. *Faciunt ſibi hoc invicem fratres etiam opere ipſo viſibili, cum ſe invicem hoſpitio recipiunt. Eſt enim apud pleroſque conſuetudo hujus humilitatis usque ad factum quod cernatur expreſſa: unde Apoſtolus, cum viduam bene meritam commendaret, Si hoſpitio, inquit, recepit, ſi ſanctorum pedes lavit. Et apud Sanctos, ubicunque hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt, ſi in illorum numero ſunt, quibus dicitur: Benedicite Domino humiles corde. Multo autem eſt melius, & ſine controverſia verius, ut etiam manibus fiat, nec dedignetur, quod fecit CHRISTVS, facere Chriſtianus. Cum enim ad pedes fratris inclinatur corpus, etiam in corde ipſo vel excitatur, vel ſi jam inerat, confirmatur humilitatis affectus.* Et in concilio Aquisgranenſi *can. CXLI.* exſtat ejusmodi decretum: *Clerici ſi aliis temporibus nequeunt, ſaltem quadrageſima tempore pedes pauperum in competenti lavent hoſpitali.*

LXVIII. Et tale humilitatis ſpecimen ad exemplum CHRISTI poſtea exhibuerunt Magnates utriusque ſexus. De Helena Conſtantini M. matre refert Nicephorus *lib. VIII. cap. XXXI.* Ipſam ſacris virginibus ad epulas vo-

catis *ſuis manibus eſcam appoſuiſſe, malluvium & aquam præbuiſſe, aliaque omnia miniſteria obiviſſe, quæ convivis invitatis exhibere moris eſt.* Imperator Lotharius cum ſua conjuge Richſa aqua calida quotannis pauperum pedes adſperſit, & oſculo veneratus eſt; teſte Petro Diacono in Chronico Caſſinenſi lib. IV. cap. CXXV. Idem feciſſe dicitur S. Everhardus Archiepiſcopus Salisburgenſis, qui pedes pauperum exulceratos lavit: de quo ita Radevicus de vita Friderici I. lib. II cap. LXXIII. *Nec ſufficere credidit, ſi in miniſterio pauperum famulorum uteretur officiis, niſi ipſemet habitu ſuccinctus, manibus ſuis interdum cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam non ſolum lavandis manibus, ſed & pedibus infunderet.* Quod & de Dieterico XXIII. Magdeburgenſium Epiſcopo apud Pomarium legas *in Chronico Magdeburgenſi*. De Thuringiæ Landgravia S. Eliſabetha ſic ſcribit Auctor additionum ad Vſuardum: *Conſtruxit xenodochium, ubi vidua pedes lavabat pauperum manibus propriis abſtergens ſaniem abominabilium infirmorum.* XIII. Kl. Decembr. De Alberto Archiepiſcopo Bremenſi, quem alii Adalbertum vocant, ita M. Adamus Bremenſis lib. III. cap. III. *Humilitas in eo dubia videbatur, quam ſolis exhibuit ſervis Dei, pauperibus & peregrinis, adeo ut ſæpe, antequam cubitum iret, triginta & amplius mendicantibus genu flexo pedes lavaret. Principibus autem ſeculi humiliari nullo modo voluit.* Quæ verba ut pleraque alia Adami in Chronicon ſuum tranſcripſit Albertus Stadenſis ad ann. MXLIII.

LXIX. Nec hodie hic mos in deſuetudinem abiit. Nam Imperator Romanus feria quinta magnæ hebdomadæ pauperum prius calida aqua in balneo perfuſorum pedes

Digitized by Google

pedes lavat publice, eosdem omnibus qui adſunt inſpectantibus cibat, iisque ad menſam miniſtrat, nec non ſingulos nova veſte, ac nummo aureo donat. Auguſta quoque Imperatoris conjux eodem die & tempore in alio quodam ſeparato loco idem humilitatis officium tredecim pauperculis mulieribus præſtat. Regem quoque Galliarum quotannis hanc lotionem obire Franciſcus Gvicciardinus, aliique rerum Gallicarum Scriptores tradunt.

LXX. Idem quoque Reges Angliæ, antequam Pontificii dominatus jugum excuſſerunt, vel per ſe, vel per Eleemoſynarium feciſſe, & tot pauperum quot ipſi annos nati erant, pedes laviſſe, linteoque abſterſiſſe, Richardus Montacutius memorat *Tom. II. Origin. Eccleſiaſt.*

LXXI. Mirum igitur non eſt, quod Pontifex Romanus, qui ſe CHRISTI Vicarium jactitat idem quotannis obſervet, & die Viridium pauperibus quibusdam pedes jam ante lotos & odorifera aqua imbutos lavet, lotos mantili tergat, abſterſos oſculetur: id quod pluribus enarrat Simon Majolus *Dierum Canicular. part. III. Colloq. VI.*

LXXII. Si quæras, quid de hac pedum lotione ſit ſentiendum, diceremus: non plane eam eſſe improbandam, ſi præſertim proximo in caritatis & humilitatis teſtimonium exhiberetur. Atque eo ſpectaſſe puto priſcos Eccleſiæ Doctores, qui hunc ritum exquiſitis verbis commendarunt. At huic lotioni meritum quoddam adſcribere, aut eandem, id quod fecerunt nonnulli, pro Sacramento proprie ſic dicto venditare, aut alias ex ſuperſtitione quadam id officii proſequi, hoc eſt, quod in vitio ponendum eſſe, & cenſuram mereri duco.

LXXIII.

LXXIII. Atque hæc fuerunt, quæ de Lotione pedum dicere propoſuimus. Obſignabimus iſta eleganti precatione Ambroſii, quæ eſt in ejus præfatione libri de Spiritu S. *Veni Domine JESV, exue veſtimenta, quæ propter me induiſti. Eſto nudus, ut miſericordia tua veſtias. Præcinge te propter nos linteo, ut nos tui muneris immortalitate præcingas. Mitte aquam in pelvim, lava non ſolum pedes, ſed etiam caput. Nec ſolum corporis noſtri, ſed etiam mentis veſtigia volo exuere, omnes noſtræ ſordes fragilitatis, ut ego dicam: Nocte exui tunicam meam, quomodo induam eam. Lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos? Quanta iſta majeſtas eſt? Quaſi miniſter pedes famulorum tuorum lavas, quaſi Deus rorem mittis e cœlo. Nec ſolum pedes lavas, ſed etiam, ut tecum recumbamus, invitas, & exemplo nos tuæ dignationis hortaris.* Et mox: *Eſt & quædam aqua, quam mittamus in pelvim animæ noſtræ, aqua de vellere in libro Judicum, aqua de libro Pſalmorum. Aqua eſt ros cœleſtis oraculi. Veniat igitur Domine JESV hæc aqua in meam animam, in meam carnem, ut hujus humore pluviæ noſtrarum convalles mentium atq; intimi cordis arva vireſcant. Veniant in me ſtillicidia tua gratiam immortalitatemque rorantia. Dilue greſſus mentis meæ, ne iterum peccem. Ablue animi mei calcaneum, ut poſſim abolere maledictum, ne morſum ſerpentis interiore pede ſentiam, ſed ſicut ipſe juſſiſti, ſequentibus te, ut ſerpentes & ſcorpiones illæſo poſſim calcare veſtigio. Redemiſti mundum, redime unius animam peccatoris.*

LXXIV. Huic Hiſtoriæ de Lotione pedum adjungit CHRISTVS tacitam proditoris Judæ accuſationem, *verſibus XIIX. XIX. XX.* de qua dubitatur, an ad Hiſtoriam lavationis, an vero ad actionem cum Juda poſtmodo

pecu-

Digitized by Google

peculiariter inſtitutam referenda ſit. B. noſter Gerhardus concinnius eſſe putat, verba illa cum exhortationibus ex pedum lotione deductis immediate conjungere: quod, quando CHRISTVS dicit, *Non de omnibus vobis loquor,* manifeſte oſtendat, ſe in cœpto ſermonis curſu adhuc progredi, ac præmoneat, non omnes ipſos fore beatitudinis illius, de qua in proxime præcedentibus verbis dixerat, *Si hæc noviſtis, beati eſtis, ſi feceritis ea,* participes, cum unus ex eorum numero ſit futurus proditor.

LXXV. Quando CHRISTVS dicit: *Ego ſcio, quos elegerim,* ſenſus eſt; Non ſolum hoc tempore ſcio, quo erga me affecti ſitis animo; ſed etiam ab æterno hoc mihi fuit cognitum ac perſpectum: proinde quando cum Patre & Spiritu S. feci æternum electionis decretum, non elegi vos omnes, ſed eos tantum, quos ex vobis perſeveranter in me credituros prævidi.

LXXVI. Mox quando CHRISTVS hoc factum eſſe dicit, *ut Scriptura impleatur,* mentione prædictionis de hac proditione Judæ in Scripturis factæ & ſeſe & Apoſtolos voluit erigere.

LXXVII. Propheticum illud oraculum, quod CHRISTVS adducit, exſtat Pſalmo XLI. v. 10. & juxta Hebræos fontes ſic ſonat: *Etiam vir pacis meæ, cui fidebam, qui comedebat panem meum, ſuſtulit adverſum me calcaneum.* CHRISTVS quibusdam omiſſis adducit hoc modo Ὁ τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. *Qui comedit mecum panem, ſuſtulit adverſum me calcaneum ſuum.*

LXXVIII. Abutuntur hoc loco, qui, quod CHRISTVS hæc de Juda prædicta eſſe aſſerit, illum fatali qua-

 dam

dam nececeſſitate, imo deſtinato Dei conſilio ipſum tam enormiter peccaſſe contendunt. Non enim ſcripſit illa S. Spiritus, ut neceſſario evenirent; ſed quia eventura erant, ideo ſcripſit. Nec male fecit Judas, quia Scriptura prædixerat, ſed quoniam facturus fuerat mala, ideo Scriptura prædixit.

LXXIX. Hinc exponit CHRISTVS cauſam, propter quam proditionem Judæ ipſis prædicat: videlicet, ut intelligant, nihil quidquam ſibi inſcio vel invito obtingere, ſed omnes futuros rerum eventus, adeoque etiam Judæ proditionem ſibi eſſe perſpectam, atque eo in fide ſua confirmentur, & contra crucis ſcandalum muniantur. Senſus igitur hic eſt. *Prædico hoc vobis, antequam fiat: ut, cum factum fuerit, credatis, quod ego ſim:* videlicet, promiſſus Meſſias, in perſonæ unitate verus Deus, & verus homo; cui nihil eorum deeſt, quæ Meſſiæ obventura eſſe Scriptura prædixit: qui proditionem Judæ, & mortem meam, antequam eveniat, virtute omniſcientiæ prævidèrim ac prædixerim.

LXXX. Denique CHRISTVS commendatione muneris Apoſtolici nefarium proditoris Judæ ſcelus exaggerat, dicens: *Amen, Amen dico vobis, qui recipit, quemcunque miſero, me recipit. Qui autem me recipit, recipit eum, qui miſit me.*

LXXXI, Hæc verba nonnulli exiſtimarunt cum præcedentibus non ſatis apte cohærere; ſed a S. Johanne hoc loco ὡς ἐν παρόδῳ recenſeri; cum CHRISTVS alio tempore & loco in ſermone ad diſcipulos ſuos iis fuerit uſus: videlicet Matth. X. 40. Marc. IX. 37. Luc. IX. 48. Sed non eſt veriſimile, Evangeliſtam in accurata illa ultimæ cœnæ & valedictorii ſermonis CHRISTI deſcri-

ſcriptione vel miſcellanea conſarcinare, vel ea, quæ illius loci non erant, immiſcere voluiſſe.

LXXXII. Varias igitur connexionis hujus rationes excogitarunt Interpretes; quas cum pleraſque omnes B. Gerhardus *Harmonia Chemnitio-Lyſeriana continuata cap. CLXX.* recenſeat, eo lectorem noſtrum amandare, quam multa exſcribere malumus.

Cap. XIII.

Explicatur Hiſtoria inſtitutionis Cœnæ Dominicæ, quæ deſcribitur a Matthæo cap. XXVI. v. 26. a Marco cap. XIV. v. 22. a Luca cap. XXII. v. 19. a Paulo I. Corinth. cap. XI. v. 23. præmittitur quæſtio, An Judas S. Cœnæ factus particeps.

I.

TAcitæ, quam ſuperiori capite vidimus, proditoris a CHRISTO factæ accuſationi S. Johannes proxime & immediate ſubjungit aliam accuſationem manifeſtam: at quia Matthæus *cap. XXVI. v. 21.* & Marcus *cap. XIV. v. 18.* manifeſtationem proditoris Euchariſtiæ inſtitutioni præmittunt, Lucas autem querelam de proditore poſtponit Hiſtoriæ S. Cœnæ; hinc non tantum de ἀκολουθίας ſerie jampridem diſputatum; ſed exinde gravis porro nata eſt controverſia, **an Judas inſtitutioni S. Cœnæ interfuerit, nec ne.**

II. Qui Matthæum & Marcum hic rectum tenuiſſe ordinem, Lucam vero recapitulatione uſum volunt, Judæ

 abitum

Digitized by Google

abitum e cœnaculo ante inſtitutam Euchariſtiam conſtituunt: ex quo prono fluit alveo, nequaquam proditorem ſanctiſſimi Sacramenti factum eſſe participem.

III. In hac ſententia fuerunt olim Tatianus & Ammonius, uterque Alexandrinus, hic in *Canonibus Evangelicis,* quos alii *Harmoniam Evangelicam* vocant, iſte in Opere, quod *Diateſſaron* inſcribitur, Auctor Conſtitutionum Clementi tributarum *lib. V. cap. XVI.* Hilarius in *Matth. Can. XXX.* Rupertus in *Matth. cap. XXVI. & Job. cap. XIII.* Innocentius IV. *lib. III. de Miſſa cap. XIII.* eandemque ſententiam fovent ex Pontificiis, Turrianus, Barradius, Mendoza, Salmeron; ex Calvinianis oppido plurimi, idque ut manducationem oralem indignorum eo commodius impugnent.

IV. Quamvis vero hæc ipſa indignorum manducatio non tam ex Judæ exemplo, quam ex ſevera S. Pauli comminatione, quæ exſtat 1. Corinth. *cap. XI. v. 26. & 29.* probatur; rectius tamen procul dubio ſtatuitur, lotioni pedum Euchariſtiæ inſtitutionem immediate ſubjungendam, proditoris vero manifeſtationem Hiſtoriæ S. Cænæ poſtponendam eſſe. Quo poſito id etiam ponendum eſt, Judam inſtitutioni Cœnæ Dominicæ interfuiſſe, & ſacra ſymbola accepiſſe.

V. Hanc ſententiam magno conſenſu approbant antiqui Eccleſiæ Doctores, Cyprianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Leo, Beda, Rabanus, Bernhardus, Remigius, Hugo de S. Victore, Latini; ut & Græci, Cyrillus Hieroſolymitanus, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Theophylactus, Euthymius; Scholaſtici plerique; Pontificii Doctores, Bellarminus, Janſenius, Baronius, Pererius, Maldonatus: ex ipſis Refor-

formatis Calvinus, Beza, Martyr, Bucerus, Witakerus.

VI. Et ſane, quia Lucas ſtatim poſt inſtitutam Euchariſtiam verba hæc ſubjungit, *Ecce manus prodentis me mecum eſt in menſa, cap. XXII. v. 21.* evidentiſſime ex illis colligitur, Judam adhuc in cœnacnlo fuiſſe, cum CHRISTVS Euchariſtiam inſtitueret: ut id prætereamus, quod Lucas exactior ordinis ſit obſervator, utpote qui poſt Matthæum & Marcum Evangelicam Hiſtoriam ſcripſerit.

VII. Quod ſi vero Judas fuit in cœnaculo, quando CHRISTVS Sacramentum Novi Teſtamenti conderet, neutiquam eſt credibile, eum excluſum fuiſſe ab hoc mandato Magiſtri, *Bibite ex hoc omnes,* & a mandati complemento, *Biberunt ex eo omnes.*

VIII. Vt igitur propius ad Hiſtoriam Cœnæ Dominicæ accedamus, de Tempore Inſtitutionis ſic ſtatuimus, factam eſſe eam poſt eſum agni paſchalis, itemque poſt cœnam vulgarem ſeu communem, nec minus poſt lotionem pedum Apoſtolicorum.

IX. Quapropter quod Matthæus *cap. XXVI. v. 26.* & Marcus *cap. XIV. v. 22.* dicunt, inſtitutam eſſe ἐσθιόντων αὐτῶν, id non eſt ita capiendum, ac ſi vel paſchalis, vel vulgaris cœna adhuc duraverit, cum CHRISTVS Euchariſtiæ inſtitutionem inchoaret. Nam non incommode, præeunte Scaligero *lib. VI. de Emendat. Tempor.* illud ἐσθιόντων αὐτῶν in ſignificatione præteriti accipiendum, ut ſenſus ſit: *cum jam comediſſent.* Nam illud ἐσθιόντων non minus eſſe poterit ſecundus caſus numeri multitudinis ab *Aoriſto ſecundo* formatus, quam a *Præſente Participii.*

X. De

X. De cetero non erimus de temporeinſtitutionis anxie ſolliciti, quamquam idem accurate & harmonice ſe attigiſſe, computaſſe, & inveniſſe putet Hieronymus Vecchiettus Florentinus ab Æpypto, in ſumtuoſo & raro opere, quod domi & expenſis ipſius Auctoris Auguſtæ Vindelicorum prodiit Anno CIↃ IↃC XXI. *de anno primitivo ab Exordio mundi ad annum Julianum accommodato, & de ſacrorum Temporum ratione libris VIII.*

XI. Novum Sacramentum cœna Paſchali adhuc durante CHRISTVS non inſtituit: quia Novum Sacramentum habere locum non videtur, niſi Vetus abrogatum fuerit.

XII. Inſtitutio Cœnæ Dominicæ merito inter præparationes Paſſionis refertur: quia non tantum proxime eandem anteceſſit, ſed eam quoque myſtice ſignificavit.

XIII. Circa ipſam Inſtitutionem quatuor nobis Scriptura exponit. Primum eſt eſt exemplum CHRISTI præeuntis. Alterum ſermo ejus hoc myſterium explicantis. Tertium eſt mandatum præcipientis, ut exemplum ſequamur. Quartum prædictio de non amplius bibendo cum Apoſtolis.

XIV. Auctor hujus Sacramenti eſt CHRISTVS θεάνθρωπος, qui nocte ea, qua traditus eſt, poſt agni Paſchalis eſum in ejusdem locum illud inſtituit, ac primus diſcipulis ſuis adminiſtravit, qui etiam adhuc hodie ſecundum utramque Naturam præſens eſt, quoties juxta ipſius inſtitutionem & ordinationem Sacra Cœna in Eccleſia adminiſtratur, atque ipſemet per manum miniſtrorum Eccleſiæ, ad quos Sacramenti hujus diſpenſatio pertinet, mediante benedicto pane ſuum corpus, & mediante

ante benedicto vino ſuum ſanguinem communicantibus diſtribuit.

XV. In Exemplo CHRISTI duo attendenda: Res terrenæ duplices, & annexi ritus. Res ſunt Panis & Vinum.

XVI. Panis quem ſumſit, & quo uſus eſt Servator mundi, ſine dubio fuit azymus.

XVII. Male igitur Græci *cap. XI.* nobis memorati CHRISTVM fermentato pane uſum cenſuerunt, hodieque ἔνζυμον panem in ſacris ſuis requirentes, Latinorum ἄζυμον non admittunt.

XVIII. Hodie Latini plerique azymum retinent, eundemque triticeum. Ita tamen ut fermentatum quoque uſurpari poſſe non negent.

XIX. Bene Thomas *parte III. ſummæ Theol. Quæſt. LXXIV.* artic IV. *Non eſt de neceſſitate Sacramenti, quod ſit Azymus, vel fermentatus, quia in unoquoque confici poteſt. Conveniens autem eſt, ut unusquisque ſervet ritum Eccleſiæ ſuæ.* Sic Thomas; qui tamen hoc ipſo articulo, & præcedente tertio, male docet, *propriam materiam hujus Sacramenti eſſe panem triticeum*, eumque ad illud conficiendum adeo *neceſſarium, ut ſine eo hoc non perficiatur.*

XX. Vt igitur abſolutæ neceſſitatis non eſt, ut hodie utamur pane azymo; ita orbiculatæ placentulæ, quas *Oblatas* appellamus, ut huic fini aſſumerentur, hodieque in multis Chriſtianorum Eccleſiis retineantur, libertatis Chriſtianæ eſt.

XXI. Orbiculatas has placentulas, quia ex farina & aqua virtute ignis ſubactis pinſuntur, verum eſſe panem, certo eſſe certius ſtatuimus.

XXII.

XXII. Atque id etiam luculenter oſtendit B. Parens meus, M. Caſpar Sagittarius, peculiari Diſſertatione, quæ inſcribitur, de *Phyſica panis Euchariſtici noſtris in Eccleſiis uſitati veritate:* quam anno hujus ſeculi ſexto & vigeſimo, die XXVI. Maji in florentiſſima hac Salana Academia pro Loco in Ampliſs. Facultate Philoſoph. obtinendo habuit. Eandem ut hic memorem, mea in ſanctos Opt. Patris mei manes facit pietas, grataque memoria beneficiorum, quibus in hoc illuſtri Athenæo a ſummis Viris, Majore, Gerhardo, Himmelio, ceteriſque magni nominis Profeſſoribus ornatus eſt, quæque ad beatum exceſſum ſuum ſæpius deprædicare ſolitus eſt.

XXIII. Altera res terrena fuit Vinum, quod *γέννημα τῆς ἀμπέλου* Evangeliſtæ vocant.

XXIV. An rubrum illud fuerit, an album, certo non liquet.

XXV. Quamquam quia rubrum vinum generoſiſſimum fuit in Judæa, non improbabile eſt ad feſti Paſchalis celebrationem ut & ad novæ cœnæ inſtitutionem a CHRISTO fuiſſe adhibitum.

XXVI. Vinum illud aqua fuiſſe temperatum, eſt credibile; quia id & vini Judaici & natura cœli videtur poſtulare. Huc accedit, quod Judæi, ſicut ex illorum Antiquitatibus declarant Viri docti plane neceſſarium duxerint in Paſchali cœna vinum aqua dilutum bibere.

XXVII. Etiamſi forſan CHRISTVS, &, quod ex Juſtino, Irenæo, Cypriano apparet, Chriſtiani veteres mixto, non mero uſi vino, nos tamen ut diluto utamur, non eſt neceſſarium.

XXVIII. CHRISTVS in hoc negocio mentionem facit *ποτηρίου* ſive *poculi*, quod Paulus *ποτήριον τῆς εὐλογίας*,

λογίας, poculum *benedictionis*, & ποτήριον κυρίου vocat, locutione metonymica, & per ellipſin, pro *Vini poculo:* cujus locutionis & Hebræi in hiſtoria & ritibus Paſchatos deſcribendis, ubi de vino illius feſti agunt, meminere.

XXIX. Beda in *in libro de locis ſanctis cap. II.* formam hujus poculi deſcribit, & ſuis temporibus illud Hieroſolymis adhuc fuiſſe aſſervatum memorat. *In platea,* inquit, *quæ Martyrium & Golgatha continuat, exedra eſt, in qua calix Domini ſcriniolo reconditus, per operculi foramen tangi ſolet & oſculari, qui argenteus calix hinc & inde habens anſulas, ſextarii Gallici menſuram capit, in quo eſt illa ſpongia Dominici potus miniſtra.*

XXX. Hoc ipſum etiam Baronio probatur, qui ad annum XXXIV. Num. LXIII. *Non præterimus,* ait, *dicere, quod calix ille, in quo Redemptor noſter JESVS CHRISTVS ſacratiſſimam Eucharistiam conſecravit, ut egregium tantæ rei monumentum a communi uſu ſelectus, ac ſumma induſtria aſſervatus adhuc Bedæ temporibus Hieroſolymis viſebatur.*

XXXI. Verum Bedæ non multum eſſe tribuendum, quando res commemorat priorum Eccleſiæ ſeculorum hominibus incognitas, jampridem obſervarunt viri de Eccleſiaſticis antiquitatibus bene meriti.

XXXII. Inde Lucas Brugenſis fatetur, *incertum eſſe, cujus formæ poculum illud fuerit.* Interim addit aliud, quod magis adhuc incertum pro certo venditat. *Hoc tamen certum eſt,* inquit, *calicem, quo hodie in myſteriis utimur, ejus eſſe forma, cujus fuit vas illud, quo manna Dei juſſu fuit aſſervatum. Exod. XVI. v. 33. prout videre licet ex ſiclo habente una ex latere virgam Aaron, ex altero il-*

Digitized by Google

lud vas, cujus figura ex antiquiſſimo numiſmate ſculpta extat in Bibliis regiis. in cap. XXVI. Matthæi.

XXXIII. Ejusdem eſt farinæ, quod Salmeron *tom. IX. tract. X.* poculum illud adhuc Valentiæ aſſervari ſcripſit. Molina ſe ſuis oculis id vidiſſe, refert Tractat. *I. de dignitate Sacerdotali.* Sed & Romæ, & Duaci in S. Amati monaſterio, & prope Lugdunum in templo Mariæ Inſulanæ, & in Helvetia in Auguſtinianorum aliquo monaſterio CHRISTI poculum oſtenditur.

XXXIV. Chryſoſtomus *Homil. LX. ad populum* Antiochenum ait: *Non erat aureus calix, ex quo ſangvinem proprium CHRISTVS ſuis dedit diſcipulis: precioſa tamen illa erant omnia & tremenda, quoniam erant ſpiritu plena.*

XXXV. Ritus, quibus uſus eſt Servator, vel ad panem vinumque ſimul, vel ad ſolum panem, vel ſolum vinum pertinent.

XXXVI. Commune eſt, quod dicitur, CHRISTVM *benedixiſſe*, ſive *gratias egiſſe.*

XXXVII. Apud Matthæum & Marcum eſt εὐλογήσας, apud Lucam & Paulum εὐχαριστήσας; ſed eodem ſenſu.

XXXVIII. Quod autem hiſce verbis Sacri Scriptores promiſcue utantur, ideo procul dubio factum, quod CHRISTVS in inſtitutione hujus Sacramenti & gratias Deo egerit pro inſtantis redemtionis beneficio; & per gratiarum actionem, adjunctis cum ea precibus, ſymbolis benedixerit, hoc eſt, ea ſanctificaverit, & ad myſticum uſum ſeparaverit.

XXXIX. CHRISTVM ſigno aliquo externo, puta manus impoſitione, vel panis elevatione, aut agitatione in formam crucis, vel ſigno crucis ſuper panem & vinum

num digitis formato benedixiſſe, ex ſacris literis probari non poteſt. Fortaſſis igitur non male Eraſmus: *Benedicere non eſt pingere geſtu manus ſignum crucis, ſed laudes Deo canere, & verba bene ominata dicere.*

XL. Ad panem ſolum pertinet, quod CHRISTVS eum dicatur accepiſſe, fregiſſe, & diſcipulis dediſſe.

XLI. Probabile eſt CHRISTVM panem integrum, non dimidiatum in manus ſumſiſſe.

XLII. Poſtquam panem in manus ſumſerat, eundem dicitur fregiſſe.

XLIII. Scilicet panes Judæorum erant κλαστοὶ, id eſt, apti ad frangendum. Habebant enim panes ſubcineritios, lata, tenui & fragili forma: ſicut azymos formari neceſſe erat, ut in illa ſua denſitate plane percoquerentur: alioqui ſi fuiſſent ſpiſſiores, non percocti fuiſſent ob denſitatem, quæ ſolet eſſe in azymis.

XLIV. Quod Lyranus & Cajetanus exiſtimant, *CHRISTVM miraculoſo quodam modo panem manibus ſuis ſic potuiſſe frangere, ut alii eum cultello incidunt:* id ſolido fundamento deſtituitur.

XLV. Nam, quod id ex eo probant, quod diſcipuli Emauntici ex fractione panis CHRISTVM agnoviſſe dicantur, Luc. XXIV. v. 35. eo ipſo non illius agnitionis efficiens cauſa, ſive argumentum, ex quo Dominum agnoverint; ſed duntaxat tempus, quando illud factum ſit, indicatur.

XLVI. Fractio panis eſt una e rebus adiaphoris a CHRISTO uſurpatis, neç nobis neceſſario ad imitandum propoſitis.

XLVII. Interim non negamus, iſtam panis fractionem in primitiva Eccleſia maxime uſitatam fuiſſe. Imo

Digitized by Google

ab eo ritu, quod frangeretur panis, Vetuſtas totum Sacramentum κλάσιν τοῦ ἄρτου appellavit.

XLVIII. Gothicæ Eccleſiæ, quæ Hiſpanias diu inſederunt, in partes novem hoſtiam diviſerunt; quas certo ordine patinæ imponebant: & cum Domini noſtri in terris agentis hiſtoriam eſſent novem hiſce nominibus complexi, *Corporatio, Nativitas, Circumciſio, Apparitio, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Gloria, Regnum*; fractione panis uſi ſunt ad commemorandam & memoriæ altius imprimendam CHRISTI hiſtoriam. Novem enim partibus fractæ hoſtiæ hæc novem nomina impoſuerunt.

XLIX. Fractum in partes panem CHRISTVS diſcipulis tradidit, ſeu diſtribuit.

L. Fortaſſis unicuique non in os porrexit panis portionem; ſed ſecundum antiquam Ebræorum conſuetudinem fracti panis particulam coram unoquoque poſuit, quod is deinde ſua manu accepit & comedit.

LI. Ad ritus poculi illud referendum eſt, quod idem CHRISTVS acceperit, diſcipuliſque tradens dixerit: *Bibite ex hoc omnes.*

LII. Quo in loco per vocem *Omnes* ſenſu primo non alii intelligi videntur quam Apoſtoli. Quomodo autem hoc mandatum ulterius extendatur, dicetur, cum ad mandatum inſtitutionis fuerit deventum.

LIII. Non male tamen ſub nomine Apoſtolorum intelligi poſſunt, quorum perſonam Apoſtoli tunc ſuſtinebant: hoc eſt omnes ad cœnam accedentes.

LIV. Sequuntur verba, quibus CHRISTVS explicavit hoc myſterium.

LV. De Pane ita apud Lucam: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.*

Digitized by Google

LVI. Non panem dicit corpus ſuum; ſed illud, quod cum pane exhibebat, ſuum corpus eſſe aſſerit.

LVII. Has propoſitiones, quæ ſubjecti loco habent provocabulum demonſtrativum *Hoc,* in caſu recto etiam ſignificans quod per Prædicatum exprimitur, Logici *Exhibitivas* appellare ſolent.

LVIII. Non igitur eſt conjunctio panis phyſica cum Servatoris corpore; ſed Sacramentalis, ut Theologi appellant, Vnio, ex inſtituto CHRISTI præſtans, ut, quod per naturam alioqui non liceret, conſecratus panis cum ſacrato CHRISTI corpore ita conjungatur, ut ſimul accipiantur atque comedantur.

LIX. Et gemina quidem eſt Domini hoc Sacramentum inſtituentis de Vino ſententia, quando de eo apud Matthæum & Marcum ait: *Hoc eſt ſanguis meus.*

LX. Sanguinem autem ſuum, dum apud eosdem Evangeliſtas *Novi Teſtamenti ſanguinem* nuncupat, eundem eo ipſo magis efficacem eſſe oſtendit præ iſtis fœderis antiqui aſperſionibus.

LXI. Apud Lucam *cap. XXII. v. 20.* & Paulum *I. Corinth. cap. XI. v. 25.* hæc verba ſic efferuntur: τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. *Hoc poculum Novum Teſtamentum eſt in ſanguine meo.*

LXII. Maldonatus *in cap. XXVI. Matthæi* negat CHRISTVM hæc verba: *Hic calix eſt Novum Teſtamentum in meo ſangvine,* dixiſſe, putatque Lucam tantum ſententiam verborum CHRISTI, non ipſa verba retuliſſe.

LXIII. Sed nos B. Gerhardo aſſentimur, CHRISTVM quidem in prima S. Cœnæ inſtitutione memoratam a Matthæo & Marco formulam adhibuiſſe; at Lucam ſuam formulam ex Paulo didiciſſe, qui eandem acceperit ab

ab ipſo CHRISTO, in repetitione Inſtitutionis, facta poſt glorioſam in cœlos aſcenſionem in paradiſo.

LXIV. Exactiſſima autem Matthæi & Marci cum Luca & Paulo harmonia eſt. Inde enim atque ideo ſecundum Lucam & Paulum poculum Euchariſticum eſt Novum Teſtamentum in CHRISTI ſanguine, quia ſecundum Matthæum & Marcum in eo nobis exhibetur, & a nobis bibitur CHRISTI ſanguis, qui eſt Novi Teſtamenti ſanguis. Viciſſim inde atque ideo exhibito poculo Euchariſtico apud Matthæum & Marcum CHRISTVS dicit; *Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti*, quia poculum Euchariſticum *eſt Novum Teſtamentum in CHRISTI ſanguine*, qui ex eo bibitur, ut eſt apud Lucam & Paulum.

LXV. Optime hac de re B. Martinus Chemnitius diſſerit libro aureo *de S. Cœna, cap. VIII.* ex quo paucula adſcripſerimus: *Duo ſunt pricipalia in Teſtamento CHRISTI. Primo, quid illud ſit, quod in hac cœna nobis exhibetur, quodque ore noſtro ſumimus. Secundo quorſum nobis illud exhibeatur, ſive, quid CHRISTVS velit, agat & faciat, dando nobis illum cibum & potum: Matthæus igitur & Marcus prius illud luculenter exponunt, quod ſcilicet ſit corpus CHRISTI pro nobis traditum, & ſanguis ipſius pro nobis effuſus. Alterum etiam indicant, dum vocant ſanguinem Teſtamenti. Sed propter brevitatem obſcurius hoc eſt, ideo Lucas & Paulus, imo CHRISTVS ipſe in repetitione inſtitutionis poſt aſcenſionem alterum illud membrum ex profeſſo & clarius explicat, hoc ſcilicet ſe velle & agere, quando nobis ſanguinem ſuum, ut ex poculo cœnæ illum haurimus, exhibet, ut ſcilicet ſanciat, confirmet, & obſignet nobiſcum Novum Teſtamentum. Qua vero re, & quomodo ſanctio, confirmatio & obſignatio illa in cœna Domi-*

nica fiat, Matthæus clare explicat his verbis: Bibite ex hoc omnes. Hoc eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti.

LXVI. Hunc autem ſanguinem, apud Matthæum & Marcum *pro multis*, hoc eſt, ratione meriti pro omnibus, *in remisſionem peccatorum*, ut eſt apud Matthæum, effundendum eſſe dicit.

LXVII. Hæc excepit mandatum, quod partim erat de eo tempore, quo inſtituebat, partim de futuro. De præſenti ſunt illa apud Evangeliſtas: *Accipite, comedite, dividite inter vos.*

LXIIX. De pane eſt: *Accipite, comedite*, de poculo autem, *Bibite ex hoc omnes.*

LXIX. De mandato in poſterum apud Evangeliſtas diſerte nihil eſt expreſſum; ſed clariſſime id nos docuit S. Paulus, cujus hæc ſunt verba I. Corinth. *cap. XI. v. 26. Quotiescunque ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciate donec venerit.*

LXX. Quorum verborum hic eſt ſenſus: *Sacro iſto ritu, quo præivi vobis, & nunc celebrate repræſentationem mortis meæ imminentis, & deinceps etiam memoriam mortis meæ repetite: duretque ea conſuetudo in vobis atque omni Eccleſia, donec rediero, ut vos aſſumam in cœlos, quo iſtic accumbatis, fruituri mecum epulis æternis.*

LXXI. Atque huc etiam pertinent illa CHRISTI verba a S. Paulo memorata: *Hoc facite in mei commemorationem:* quibus verbis primarius cœnæ Dominicæ ſcopus, ſalutaris commemoratio paſſionis & mortis CHRISTI inculcatur.

LXXII. Hoc mandatum CHRISTI excipit actio diſcipulorum mandato CHSISTI obſequentium. Nam, ut Marcus teſtatur, *Biberunt ex eo* (poculo) *omnes.*

LXXIII.

Digitized by Google

Matth. XXVI. 29. Marc. XIV. 25.

LXXIII. Denique aliquid dicendum reſtat de prædictione CHRISTI, quod non amplius ſit bibiturus cum Apoſtolis.

LXXIV. Quia apud Lucam *cap. XXII. v. 8.* ſimilis legitur prædictio, quam vidimus *extremo capite XI.* cum de Paſchali poculo ageremus; hinc nonnulli exiſtimant, ſemel tantum ea CHRISTVM eſſe uſum. Sed nihil vetat, quo minus ſeriei textus inhæreamus, ſtatuentes, CHRISTVM prædictionem illam bis protuliſſe, ſemel quidem poſt exhibitum poculum Paſchale & valedictorium, ut eſt apud Lucam, atque iterum poſt exhibitum poculum Sacramentale, ut eſt apud Matthæum & Marcum.

LXXV. Hic animus erat coronidis loco annectere brevem potiſſimorum rituum hiſtoriam, quibus Chriſtiani Veteres circa S. Euchariſtiam uſi ſunt: jamque etiam non pauca in hunc uſum congeſſeram. At poſtquam in manus venit Viri Clariſſimi, Henrici Rixneri, Prof. Publ. in Academia Julia, ſingularis de hoc argumento liber, omniaque exquiſite ab eodem tractata animadverti, ſatius fore exiſtimavi illum ſtudioſæ Juventuti comendare, quam aliquos in ſuſpicionem adducere, ac ſi in alienam meſſem falcem meam immiſiſſem.

CAP. XIV.

De peculiari actione CHRISTI cum Juda proditore inſtituta. Præter cetera accuratius inquiritur, quomodo S. Johannes in ſinu JESV recubuerit; & qualis fuerit buccella a CHRISTO Judæ tradita.

Hiſto-

I.

HIſtoriæ Inſtitutionis S. Euchariſtiæ Evangeliſta Lucas immediate ſubjungit renunciationem proditoris, menſæ cum CHRISTO accumbentis, quam Matthæus & Marcus per anticipationem Cœnæ Dominicæ præmittunt. Johannes autem, qui Hiſtoriam novi hujus Teſtamenti non deſcripſit, hanc CHRISTI cum Juda inſtitutam actionem poſt pedum lotionem recenſet.

II. CHRISTVS quidem jam ſtatim poſt lavationem pedum tacite perſtrinxerat proditorem, dum non omnes mundos eſſe pronunciavit: ſed quia perfrictæ frontis homo ſanguinarias molitiones callide diſſimulans, menſæ CHRISTI accumbere pergebat, & ſacratiſſimæ Euchariſtiæ communioni ſeſe ingerebat, ideo CHRISTVS non contentus generali illa ac tacita præmonitione, aliam ſubjungit ſpecialiorem, ut vel hoc pacto nefarii proditoris animum inflecteret, & ad frugem perduceret.

III. Quia lotio pedum præceſſit hanc proditoris indicinam, idcirco non eſt dubium, quin hæc poſt Paſchalem, Vulgarem, & Sacramentalem cœnam facta ſit. Quamobrem illud ἐσθιόντων αὐτῶν, apud Matthæum *cap. XXVI. v. 23.* & Marcum *cap. XIV. v. 18.* ſi in præſenti poſitum, non de actu comedendi, ſed de convivio adhuc durante capiendum eſt. Nam menſam nondum penitus fuiſſe ſublatam, intinctæ buccellæ porrectio oſtendit. Quamquam, quod *proximo capite* ex Scaligero monitum, τὸ ἐσθιόντων indefinite poſitum præteritam ſignificationem habere, huc etiam accommodari poteſt.

IV. CHRISTVS igitur, habitis in cœna Paſchali & Vulgari, nec minus inter lavandum pedes, ut & in inſti-

Digitized by Google

tutione Euchariſtiæ, ſermonibus, quando expenderet, quod hoc Sacramentum corporis & ſanguinis ſui in certum argumentum & pignus ſuæ erga Apoſtolos charitatis inſtituiſſet, & quod nihilominus unus ex ipſis eum proditurus eſſet, ***turbatus eſt Spiritu***, velut exhorrens tam deteſtabile ſcelus, quod Judas moliebatur, quam exitum ejus, qui ſuapte malitia ſibi mortem æternam tendebat accerſere. *Joh. XIII. 21.*

V. Non ex infirmitate, ſed ſua ſponte CHRISTUS turbatus fuit ſpiritu. Objecto quidem præſente & conſiderato motus, fuit turbatus; attamen non ſic fuit motus, ut affectus triſtitiæ anteverterit rationem & voluntatem; ſed ratio potius paſſionem in CHRISTO antevertit, quia paſſionis hunc affectum voluntarie, remotum ab omni labe peccati ſuſcepit.

VI. Bene Auguſtinus *Tractat. XLIX.* in Johannem. ***Turbaris tu nolens, turbatus eſt CHRISTVS, quia voluit. In illius poteſtate erat ſic vel ſic affici, & non affici.***

VII. Non ad ſolum appetitum ſenſitivum, quæ eſt Scholaſticorum quorundam opinio, hæc CHRISTI perturbatio ſpectavit, ſed totum CHRISTI occupavit animum.

VIII. Deſignat autem CHRISTVS proditorem ſuum primo generaliter, deinde ſpecialius, ac demum ſpecialiſſime, & ut Philoſophi loquuntur, individualiter.

IX. In generali illa manifeſtatione exponitur, & quibus verbis CHRISTVS fuerit uſus; & quomodo diſcipuli ad ea ſeſe geſſerint.

Luc. XXII. 21. X. Lucas memorat CHRISTVM dixiſſe, πλὴν ἰδοὺ ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης. *Veruntamen ecce manus prodentis me mecum eſt in menſa.*

Qui-

Quibus verbis opponere videtur CHRISTVS intimum ſuum erga diſcipulos amorem, pedum lotione, & exhibitione corporis & ſanguinis ſui in S. Cœna demonſtratum, nefario Judæ facinori, ut ferme ejusmodi habeant ſententiam. Debebat quidem inter nos amor eſſe mutuus; ſed tamen eſt hic nobiſcum in menſa, qui me proditurus eſt his, qui me quærunt ad mortem. Annon igitur hoc eſt indigniſſimum facinus, quod in familiari hujus menſæ conſortio præſens eſt, qui vitam & ſanguinem meum hoſtibus tradet?

XI. Mox JESVS, quod ſimpliciter dixerat, cum aſſeveratione apud Matthæum Marcum & Johannem omnino futurum teſtatur. *Amen, Amen,* inquit, *dico vobis, quod unus ex vobis proditurus eſt me, qui edit mecum.*

XII. Auguſtinus *Tractat. LXII. in Johannem,* myſterium quærit in phraſi ἐξ ὑμῶν, quaſi per eam ſignificetur, Judam non amplius fuiſſe in numero Apoſtolorum, ſed extra illum. *Vnus ex vobis,* (verba ſunt Auguſtini) *numero, non merito; ſpecie, non virtute, commixtione corporali, non vinculo ſpirituali; carnis adjunctione, non cordis ſocius unitate. Proinde non qui ex vobis eſt, ſed qui ex vobis exiturus eſt. Tunc vir Apoſtolicus, nunc vilis apoſtata factus, ex vobis exiturus eſt.*

XIII. Veruntamen ex phraſi iſta vix illud eſt colligere. Hæc enim non eſt excluſiva, ſed tantum diſtributiva, unum aliquem ex cœtu Apoſtolico deſignans.

XIV. His ipſis verbis JESVS demonſtravit, ſe omnino nihil latere, ſimulque eo tangere voluit proditoris conſcientiam, ut reſipiſceret. Vnde Hieronymus *in cap. XXVI.* Matthæi: *Qui de paſſione prædixerat, etiam de proditore prædicit, dans locum pœnitentiæ, ut cum intellexiſſet*

xiſſet ſciri cogitationes ſuas & occulta conſilia, pœniteret eum facti ſui. Et tamen non deſignat ſpecialiter, ne manifeſte coargutus, impudentior fieret. Mittit crimen in numero, ut agat conſcius pœnitentiam.

XV. Sed quid ad hæc diſcipuli? Mœror ingens cœpit animos omnium, impoſſibile exiſtimantium, ut tàm ingentis facinoris cogitatio unius cor ſubiret. Et quia hæſitabant, de quo loqueretur, ideo ſe invicem turbati ac mœſti intuebantur.

XVI. Fortaſſis etiam ex hoc intuitu ſollicitius indagare voluerunt, an ex vultus immutatione aliquod indicium capere poſſent proditorii in corde latentis facinoris. Sæpius enim id contingit, quod Poëta canit:

Heu quam difficile eſt crimen non prodere vultu.

XVII. Noverant quidem undecim Apoſtoli, quod nihil tale contra Dominum cogitarent, ſibi ipſis tamen quaſi diffidentes, *cœperunt inter ſe rogare, quiſnam eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet:* hoc eſt, an alicui ex ipſorum numero ea de re aliquid conſtaret; aut, num quis aliquod hujus rei indicium ſuppeditare poſſet. *Luc. XXII. 23.*

XIIX. Quandoquidem autem nec ex mutuo aſpectu, nec ex colloquio mutuo proditorem liceret inveſtigare, & tamen percuperent tanti criminis ſuſpicione liberari, ad Magiſtrum converſi, ex ordine rogare cœperunt ſinguli *Num ego ſum Domine?* Et eſt admodum credibile, ipſum quoque Judam cum ceteris hac interrogatione uſum. Nam alias quærentibus reliquis per ſuum ſilentium ſe ipſe prodidiſſet. *Matth. XXVI. 22.*

XIX. Huic generali proditoris indicationi ſubjicitur quædam paulo ſpecialior. Nimirum JESVS, ut ceteros diſcipulos mœrore propemodum exanimatos erigeret,

geret, Judæ vero conſcientiam feriret acrius, ſigno certiore notavit ejus facinoris auctorem, ſimulque commonefecit arctiſſimæ familiaritatis, quæ deberet illum a tam veſano ſcelere revocare. *Vnus e duodecim,* inquit, *qui intingit mecum in catino manum, hic me proditurus eſt.* Græca Matthæi ita habent. Ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, οὗτός με παραδώσει.

XX. Τρυβλίον, quod Vulgatus apud Matthæum reddidit *paropſidem,* apud Marcum *catinum,* genus eſt lancis, ſeu vaſis, in quo cibi apponuntur.

XXI. Genuæ eſt videre vas pulcherrimum, ſive ex ſmaragdo, ſive ex alia gemma. Ac ferunt, eampſe lancem eſſe, inquam CHRISTVS manum cum Juda immiſerit. Sed merito id in dubium vocat Johannes Brodæus *Miſcellaneor. lib. V. cap. XIX.* adductus quodam Clementis Alexandrini loco. Vid. etiam Johannes Mariana *lib. X. Rer. Hiſpan. cap. XVIII.*

XXII. Aliam paropſidem precioſam, qua CHRISTVS in ultima cœna uſus fuerit, Lugdunenſes Monachos in Galliis oſtentare accepi. At noſtrum nemo hac in re illis eſt credulus.

XXIII. Ceterum, ſunt qui putant, hanc proditoris renunciationem non diverſam a præcedente eſſe, quæque non tam ad proditorem ſpecialius denotandum, quam ad ſcelus ipſius exaggerandum diſcipulorum interrogationi fuerit ſubjecta: ut hic ſit ſenſus: Non dico, quis in individuo ſit, vel non ſit proditor futurus, nec hoc vobis ſcire convenit; ſed hoc denuo vobis indubitato confirmo, quod jam ante dixi, fore unum ex veſtro conſortio, qui mecum menſæ jam accumbit, & paulo prius ex eadem patina cibum mecum ſumſit.

Digitized by Google

XXIV. Huic ex adverſo oppoſita eſt quorundam Veterum ſententia, qui exiſtimant, cum hæc CHRISTVS diceret, Judam ſolum in paropſide cum CHRISTO manum habuiſſe; quinimo reliquis Apoſtolis manum retrahentibus ipſum ſolum in catinum impudentiſſime manum intuliſſe, ac proinde certo hoc & manifeſto ſigno proditorem omnibus innotuiſſe.

XXV. Denique ſentiunt nonnulli, CHRISTVM his verbis non quidem in individuo deſignaſſe proditorem, tanquam per ſignum aliquod ipſi uni ac ſoli conveniens: (nam alioqui Petrus non habuiſſet opus ex Johanne de proditore ſciſcitari:) neque tamen idem omnino, quod jam ante dixerat, repetiiſſe, atque exaggerandi tantum ſceleris cauſa intinctionem manus adjeciſſe: ſed ſpecialius aliquod proditoris ſignum, quam quale erat prius, Apoſtolis voluiſſe proponere. Et hanc quidem ſententiam, quæ etiam B. Gerhardo placuit, nos quoque ambabus manibus amplectimur.

XVI. Si vero porro quæras, qualenam fuerit ſignum ſpecialius a buccellæ traditione diſtinctum, optime id videtur poſſe colligi ex veteri ritu accumbendi.

XXVII. Perquam ſcilicet eſt vero ſimile, non univerſos, qui majori menſæ accumbebant, ex una paropſide comediſſe, ſed ſolum quaternos vel circiter. Et ſane ſi vel maxime reliqui cibi in una patina communi fuiſſent illati, tamen embamma (de quo hic agere Evangeliſtam autumo) in cœna Paſchali in pluribus una patinis minoribus appoſitum fuit. Significat ergo CHRISTVS unum ex illis vel tribus, vel quatuor, qui in eandem paropſidem panem intinxerint, eſſe proditorem: ex quibus Judam unum fuiſſe, circumſtantiæ oſtendunt.

XXVIII.

Digitized by Google

XXVIII. Quia tamen reliqui diſcipuli nondum exacte cognoverant, de quo tantopere laborabant, & forſan Judas id capere noluit, ſubjecit CHRISTUS quædam, tum ad errorem Judæ pertinentia.

XXIX. Conſolationi diſcipulis fuit, quod ab æterno de morte ſua præfinitum, perque Prophetas prædictum eſſe diceret. Verba Scripturæ ſunt: *Filius hominis vadit*, puta, ad mortem. Additur, *ſecundum quod definitum eſt*, nempe a Patre. Item: *Sicut ſcriptum eſt de eo*, videlicet, per Prophetas. *Matth. XXVI. 24. Marc. XIV. 21.*

XXX. Ad terrendum Judam, & revocandum ab inſania faciebat, quod ait: *Væ homini illi, per quem tradetur Filius hominis. Bonum eſſet illi, ſi non natus fuiſſet homo ille.* Manebit illum ſcilicet, niſi reſipuerit, pro facto tam impio pœna adeo crudelis in inferno, ut præſtiterit illi omnino, nec conceptum in utero fuiſſe, nec in lucem editum. Theophylactus in h. l. *Quod dicitur, bonum eſſe homini illi, ſi nunquam natus fuiſſet; dictum eſt propter pœnam, qua cruciandus erat Judas. Melius eſt enim omnino non naſci, quam ad talem pœnam naſci. Igitur quantum ad fidem attinet, melius videtur omnino, ſi non fuiſſet Judas. Deus quidem illum fecerat & ad bona opera; at quia ipſe in talem incidit malitiam ut apparet, melius erat, ſi nunquam fuiſſet genitus.*

XXXI. Vitæ humanæ tantum eſt bonum, atque ſuavitas, ut omni auro & argento ſit potior: maxima ergo mala eſſe oportet ea, quorum reſpectu ne vita quidem expetenda ſit.

XXXII. Male ex hoc loco collegerunt nonnulli, Judam, fuiſſe ante quam naſceretur, ac melius illi fuiſſe, cum nondum eſſet natus, quam cum eſſet genitus. Qui

craſſus

craſſus error procul dubio inde traxit ortum, quod quidam Originem ſecuti ſtatuerint, *omnes animas fuiſſe ab initio creatas, & pro ſuo quamque merito aut expertem manere corporis, aut in corpus velut in carcerem immitti*, teſte Hieronymo *Epiſt. LIX. ad Avitum, & Epiſt LXV. ad Pammachium.*

XXXIII. Hanc ſpecialiorem proditoris deſignationem tandem excipit plenaria ejusdem, &, ut antea loquebar, individualis demonſtratio.

XXXIV. Cum enim omnes diſcipuli ſtupefacti ſederent & attoniti, nec, quid in proditoris inquiſitione ulterius faciendum viderent, tandem Petrus, qui præ ceteris vehementer cupiebat hac ſollicitudine liberari, certoque noſſe tanti facinoris auctorem, non auſus tamen eſt ipſe percontari JESVM, ſed nutu ſignificavit Johanni, ut is ſciſcitaretur, quisnam eſſet, de quo dixiſſet JESVS.

Joh. XIII. 24.

XXXV. Conjicit Baronius, CHRISTVM & Apoſtolos tribus lectis accubuiſſe; in uno cubaſſe ipſum cum Johanne & Petro, reliquos in duobus jacuiſſe quinos.

XXXVI. Verum quod ad prius, Petrum & Johannem eodem lecto diſcubuiſſe, vix patietur verbum Νεύει. Nam, ſi proximus Johanni fuiſſet Petrus, verbis potuiſſet cum illo agere, ut oculorum nutibus non fuiſſet opus. Quod ad alterum, raro factum legimus, ut quini uno in lecto accubarent, nec ulla ratio ſuadet, ut credamus, tres potius in illo cœnaculo fuiſſe lectos, quam quatuor.

XXXVII. Cur Petrus non alii quam Johanni annuerit, ut ex CHRISTO percontaretur, quis ipſius eſſet proditor, non alia videtur cauſa, quam quod is in ſinu JESV recubaret.

Digitized by Google

XXXVIII. Erat quidem eo ſitu Johannnes CHRISTO proximus; at vero nihil magis his ſignificari verbis, quam quod Johannes CHRISTO proximus aſſederit, & ſinus CHRISTI tantum denotet fluentem ejus veſtem, vel ſpatium, quod ex brachii extenſione,aut complexione comprehendi poterat; in eo Cajetano id affirmanti nequaquam aſſentimur.

XXXIX. Multo minus illi audiendi ſunt, qui Johannis, tamquam piſcatoris alicujus ruſticitati tribuunt, quod non fuerit veritus in ſinu JESV recumbere.

XL. Jacobus Faber Stapulenſis per accubitum in ſinu CHRISTI hoc duntaxat ſignificari putat, quod Johannes propius ceteris Apoſtolis ad CHRISTVM ſeſe inclinaverit, ut propemodum ſinui & pectori ejus videretur incumbere, ſicut facere ſolent, qui aliquem narrantem attentius audire,vel ſecretius quid ex aliquo ſciſcitari cupiunt.

XLI. Attamen, quo minus ei aſſentiamur, ipſe S. Johannes facit, qui recubitum in ſinu CHRISTI, ab inclinatione ad ejus pectus, qua propius ſe ad os CHRISTI admovit, ut ſibi in aurem proditor indicaretur, evidenter diſtinguit. *Joh. XIII. v. 23. & 25.*

XLII. Quidam cenſent, Johannem in hoc accubitu caput ſuum declinaſſe ſupra pectus CHRISTI, & ibi quieviſſe, CHRISTO caput Johannis altero brachio ſuo amplexante; vel cum Johannis caput requieſceret ſuper pectus JESV, brachium ejus dependiſſe ad inferiorem ſinum CHRISTI.

XLIII. A quo non longe abeunt, qui exiſtimant Johannem in ſuo lectulo ea ratione tunc accubuiſſe, ut caput ſuum haberet verſus caput CHRISTI, ac proinde

Digitized by Google

ſinum ipſius facile attingere poſſet, ideoque interrogaturum de proditore, leviter procidendo in pectus CHRISTI incubuiſſe.

XLIV. Equidem in ea ſum opinione, quod hic recubitus in ſinu JESV ex more accumbendi veterum definiendus ſit. Ita enim in ſumendo cibo recumbebant in lectulis, ut quaſi circulum quendam facerent, capitibus quidem ſemper introrſum ad epulas, pedibus vero extrorſum porrectis. Quapropter ſeqvens ſemper in prioris ſinu videbatur recumbere, dum caput ejus quaſi incumbebat pectori ſuperius accumbentis.

XLV. Hinc etiam Latinis non ignotæ ſunt phraſes, *In gremio, in ſinu alicujus recumbere. In gremio ſedere. Educari in gremio.* Plinius lib. IV. Epiſt. XXII. *Cœnabat Nerva cum paucis, Vejento proximus, atque etiam in ſinu recumbebat.* Apulejus lib. VI. Mileſiac. *Accumbebat ſummum thorum maritus, Pſychem gremio ſuo complexus.* Ovidius lib. II. Amorum maleſanorum Eleg. XVIII.

Sæpe mea dixi, tandem diſcede, puella
In gremio ſedit protinus illa meo.

Juvenalis Sat II.

Signatæ tabulæ, dictum feciliter, ingens
Cœna, ſed in gremio jacuit nova nupta mariti.

Julius Capitolinus in M. Antonio Philoſopho: *Educatus eſt in Hadriani gremio.*

XLVI. De hoc Accumbendi Veterum more complures Viri eruditi commentati ſunt, quorum aliquos hic laudare viſum eſt. Conſulat igitur benevolus lector Petrum Ciacconium *libro ſingulari de Triclinio,* & Fulvium Vrſinum *in Additamentis ad eundem,* Dionyſium Lambinum *in Horatii lib. II. Sat. IV.* Juſtum Lipſium *lib. III. Antiqua-*

tiquarum lectionum, & *Commentar. ad Taciti Annal. XIII. cap. XLIII.* Hieronymum Mercurialem *de Arte Gymnaſtica lib. I. cap. II.* Guilielmum Stuckium *Antiquitatum Convivalium lib. II. cap. XXXIV.* Paulum Manutium *in de Quæſitis per Epiſtolas IV.* Martinum de Roa *lib. II. Singularium cap. IX.* Lælium Biſciolam *Horarum Succiſivarum tom. II. lib. XIV. cap. XV.* JuliumCæſaremBulengerum *lib. I. de Conviviis cap. XXIII.* IſaacumCaſaubonum *Exercitat. XVI. Sect. XXII.* Johannem Meurſium *in Gloſſario Græco-Barbaro* voce Ἀκούβιτον. Gvidonem Pancirollum *de Antiquis deperditis, titulo LI.* & Henricum Salmuth *in Commentariis ad eundem*, Johannem Roſinum *Antiquitatum Romanar. lib. V. cap. XXVIII.* & Thomam Dempſterum *in Supplementis ad easdem*, Martinum Chemnicium *lib. II. Harmoniæ Evangel. cap XXVI.* Matthiam Flacium *in Clave S. Script.* voce *Sinus.*

XLVII. Interea, quia per iſtum accubitum CHRISTO proximus erat Johannes, dubium non eſt, quin id peculiaris amoris affectui, quo eum CHRISTVS complectebatur, adſcribendum ſit. Atque hanc ipſam cauſam ſubindicare videtur ipſe Johannes, quando ſtatim addit, quod CHRISTVS hunc diſcipulum dilexerit: qua periphraſi etiam ſeipſum poſtea non ſemel deſcribit. Vide *cap. XIX. 26. cap. XXI. 7. 20. 24.*

XLVIII. Potiſſima hujus amoris cauſa fuit, quod etiam CHRISTVM plus ceteris diſcipulis dilexerit. Nam quod ad Johannis cælibatum confugiunt Pontificii, id locum non meretur.

XLIX. Johannes igitur nutu Petri admonitus, ut ſecreto CHRISTVM interrogaret (id præter textus circumſtantias verbum πυθέσθαι ſubindicat) quis eſſet de-

Digitized by Google

quo loqueretur; capite in ſinu Domini, quo in accumbebat, paululum ſubrecto, & ad pectus CHRISTI inclinato, ſubmiſſa voce interrogabat; *Domine, quis eſt,* qui tantum facinus audebit?

L. Sicut Johannes ſubmiſſa voce, & in ſecreto de proditore fuerat ſciſcitatus; ita quoque CHRISTVS in ſecreto Johanni reſpondet, & in aurem quaſi hæc verba inſuſurrat: (Nam id ex verbis illis, *quod facis, fac citius,*
Joh. XIII. 26. quorum ſenſum nemo diſcipulorum intellexiſſe dicitur, apparet) *Is eſt cui ego intinctam bucellam porrexero.*

LI. Cum hæc dixiſſet JESVS, panem intinxit, & intinctam offulam dedit Judæ Simonis Ischarioth.

LII. Qualis fuerit hæc buccella, & cui fuerit intincta, de eo variant Interpretes.

LIII. Sane non fuit bolus panis Eychariſtici, quæ eſt quorundam ex Veteribus opinio; cum ejus traditio poſt inſtitutam Eychariſtiam facta.

LIV. Quorundam eſt opinio, fuiſſe buccellam delicati alicujus ferculi, honoris & amoris gratia a patrefamilias uni ex convivis oblati.

LV. Alii panis buccellam vino intinctam fuiſſe aſſerunt.

LVI. Valde ratio fugit M. Antonium de Dominis, qui hoc intinctum pro jure carnium habet, ceu dictum *cap. XI. §. 10.*

LVII. Nec minus in errore eſt Abramius, qui *ad Nonni Paraphraſin in cap. XIII.* annotavit, per ψωμίον ſignificari carnis fruſtillum medicatis frugibus conditum.

LIIX. Nos fruſtum panis cenſemus fuiſſe, intinctum in embammate ex intybis & lactucis agreſtibus confecto. Et referri forſan poteſt ad illum morem Judæorum,

rum, quo tortam azymam in tot fruſta, quot accumbebant convivæ, fregit paterfamilias, & ſingula fruſta in trybliúm embammatis herbarum amararum intingens, ſingulis convivis diſtribuit.

LIX. Hoc intinctum poſtquam Judæ fuit exhibitum, nec ſic quidem ad frugem fuit revocatus; ſed diabolus, qui jamtum ejusdem occuparat animum, magis eum invaſit, ut redderetur inſanabilis, eoque tandem iret, quo ipſum pravæ cogitationes immiſſæ a diabolo pertraherent. Recte Didymus Alexandrinus *Opere de Spiritu S.* a B. Hieronymo latine facto: *Introiit* (diabolus Judam) *non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum operationem.*

LX. Nefas eſt docere, CHRISTO ita diſponente Satanam cum porrecta buccella Judam invaſiſſe.

LXI. JESVS ubi videret obſtinatam Judæ malitiam, ipſumque nec pudore, nec metu flecti: jam enim prope discipulis indicatus erat, ablegat eum a convivio, dicens: *Quod facis, fac citius.* *Joh. XIII. 27.*

LXII. Id dictum ſolus Judas ſibi conſcius intellexit, ceteri accumbentes non item. Quidam tamen ſic interpretabantur, ac, ſi ei, qui loculos haberet, præciperet CHRISTVS, ut illa emeret, quibus ad feſtum proxime inſtans opus foret, vel, ut egenis aliquid daret.

LXIII. Re autem vera CHRISTVS loquebatur de exſequendo quamprimum negocio proditionis. Neque tamen eam præcepit, vel approbavit, ſed tantum permiſit, & prædixit, ſimulque tantum facinus ei exprobravit.

LXIV. Præterea, cum Judam accelerare jubet, deſiderium ſuum oſtendit patiendi pro nobis. Hac de re Leo Serm. VII. de Paſſione cap. IV. *Videns Dominus, cui flagi-*

Digitized by Google

flagitio Judas eſſet intentus; Quod facis, inquit, fac citius; Vox hæc non jubentis eſt, ſed ſinentis; nec trepidi, ſed parati: qui habens omnium temporum poteſtatem, oſtendit, ſe moram non facere traditori, & ſic ad redemtionem mundi paternam exſequi voluntatem, ut facinus, quod a perſequentibus patrabatur, nec impelleret, nec timeret.

LXV. Intoleranda illorum eſt ſententia, qui Judæ facinus ab immutabili Dei decreto profectum eſſe ſtatuunt.

LXVI. Præſcivit quidem Deus, ſed non quia præſcitum, fuit factum; ſed quia futurum, præſcitum fuit.

LXVII. Optime hanc in rem Iſidorus Peluſiota lib. I. Epiſt LVI. *Non quia Dominus Judæ voluntatem animique inſtitutum prævidit, idcirco ille in proditionis crimen lapſus eſt: verum quia homo nefarius proditionem parturiebat, ideo is, qui abditos & occultos pectoris motus cernebat, futura tanquam præſentia præmonſtravit.*

LXIIX. Prævidit Deus, cauſas liberas in circumſtantiis ejusmodi, ſi ſibi relinquerentur, in actum talem erupturas: decrevit tamen id permittere, & malum, quod ſic futurum prævidit, ad finem bonum ordinavit: in quo tam ſumma bonitas, quam ſapientia Dei elucet.

LXIX. Vera tamen cauſa, cur Judas Dominum prodiderit, ejus fuit avaritia. Nam quia loculorum cura ei erat commiſſa, *fur erat*, ut inquit Johannes. *cap. XII. 6.* Quo etiam referri poteſt conceptus ob ſermonem CHRISTI, quo unctricem intempeſtive a Juda interpellatam defendebat, dolor: ceu dictum *cap. VIII. §. XLII.*

LXX. At Judas, cum ex ſecreto CHRISTI cum Johanne colloquio, atque inſecuta buccellæ porrectione colligeret, proditionem ſuam Johanni eſſe manifeſtatam,

tam,

Digitized by Google

tam, denuo, quod jam antea una cum ceteris diſcipulis *Matth. XXVI* interrogaverat, quærit. *Num ego ſum Rabbi,* qui te ſit *25.* proditurus? Cui CHRISTVS Hebræa phraſi reſpondet: *Tu dixiſti,* hoc eſt, *Tute ipſe es.*

LXXI. Quidam autumant, hoc ipſo CHRISTVM nec aſſerere, nec negare proditionem Judæ; ſed, quicquid ejus rei ſit, dicentis conſcientiæ committere: ut hæc fere ſit Chriſti ſententia: in tuam ipſius condeſcende conſcientiam, illa veriſſima omnium tibi dictitabit, quid adverſum me moliaris.

LXXII. Verum nos cum illis facimus, qui hac phraſi publice & omnibus audientibus prolata proditorem in publicam lucem productum ſtatuunt. Quapropter etiam in hunc locum cum B. Gerhardo referre malui Judæ quæſtionem, & reſponſum CHRISTI; quam poſt querelam de proditore, cum voto conjunctam, ne unquam eſſet natus.

LXXIII. Vbi ergo Judas videt ſe omnibus eſſe manifeſtatum, ut ad Dominum tradendum conveniret Pontifices ac Seniores, non tantum ex cœnaculo, ſed etiam ex CHRISTI & Apoſtolorum conſortio exivit. Neque enim decebat jam, ut qui ſe totum tradidiſſet Satanæ, ſeque JESV toties præſtitiſſet immedicabilem, amplius intereſſet collegio Sanctorum.

LXXIV. Filius tenebrarum exivit a vera luce, & a lucis filiis ſe ſubduxit ad opus principis tenebrarum; ſic ut ne temporis intempeſtivitate moveretur, quo minus facinus conceptum prorogaret. Hoc enim ſubindicare videtur Evangeliſta, cum dicit: *Erat autem nox.* *Joh. XIII. 30.*

LXXV. Summoto igitur illo, qui ſe fecerat indi- *31.*
gnum

gnum hoc ſancto contubernio, JESVS de glorificatione ſua ad diſcipuſos cœpit loqui.

LXXVI. Per hanc *glorificationem CHRISTI*, proxime imminens ipſius paſſio, eandemque ſecuta glorioſa reſurrectio, aſcenſio & ad dxtram Patris cœleſtis ſeſſio intelligenda venit.

LXXVII. Paſſio CHRISTI etſi hominum judicio erat ignominia ejus, vere tamen ejus erat glorificatio: quia per eandem Satanam & mortem ſuperavit, & humanum genus ſibi accquiſivit.

LXXVIII. Quando CHRISTVS dicit, ſe jam glorificatum eſſe, cum tamen eo tempore nondum paſſus fuerit, nec in cœlos aſcenderit, id de paulo poſt futuro tempore accipiendum eſt. Loquitur enim CHRISTVS in præſenti, propter rei certitudinem. Quo poſſumus referre inſigne dictum Auguſtini, quod in alio argumento affert *lib. XVII. de C.D.* cap. XVIII. *More ſolito tanquam præterita narrantur, quæ futura prophetabantur, quoniam, quæ ventura erant, jam in prædeſtinatione & præſcientia Dei velut facta erant, quia certa erant.*

LXXIX. Glorificatio, quæ in tempore CHRISTO obtigit, ſecundum humanum naturam ipſi obtigit, quia Divinæ naturæ, utpote in ſe ac per ſe immutabiliter glorioſiſſimæ nulla acceſſio gloriæ obtingere potuit.

CAP. XV.

De CHRISTO diſcipulorum ſuorum de primatu contentionem placide componente. Luc. XXII. v. 24.

I. Mani-

Digitized by Google

I.

MAnifeſtationi proditoris Lucas ſubjungit diſcipulorum contentionem de primatu. Hæc hiſtoria quorſum pertineat, diſceptatio eſt inter Scripturæ Interpretes.

II. Quidam non diverſam eſſe volunt ab ea, quam Matthæus *cap. XX. 25.* & Marcus *cap. X. 41.* memorant, ubi Jacobus & Johannes ſeſſionem ad dextram & ſiniſtram CHRISTI ſibi depoſcunt; de qua actum fuit *cap. II.* hujus libri.

III. In hac ſententia ex Pontificiis eſt Maldonatus, *in cap. XXII. Lucæ. v. 24.* ſic annotans: *Hæc Lucas ſuo loco prætermiſſa, hic recordatus commemorat. Nam ex Matthæo cap. XX. manifeſtum eſt, totam ſuperiorem Hiſtoriam de diſcipulorum contentione quis eorum major eſſet, antequam Hieroſolymam ingrederentur, accidiſſe.*

IV. Eandem amplectitur Voſſius, Harmoniæ Evangelicæ *lib. I. cap. XV.* hæc ſcribens: *Ex aliquorum ſententia in eapſe cœna iterum inter diſcipulos de primatu orta contentio fuit. Sic inter alios, Cornelius Janſenius Concord. Evangel. cap. CXXXIII. Colligunt vero hoc ex eo, quod poſt prædicationem proditionis Lucas cap. XXII. interſerit contentionem Apoſtolorum de primatu. Sed tam multa habet ſimilia iſtis, quæ referuntur Matth. XXVI. Marc. XIV. Joh. XIII. ut omnino veriſimile ſit, hanc eandem eſſe hiſtoriam, quam cap. II. contigiſſe diximus in via, cum CHRISTUS Ephrem egreſſus tenderet Hieroſolymam. Nec veriſimile eſt, diſcipulos ſic caſtigatos CHRISTI verbis, iterum eo ambitionis prorupturos.*

V. Verum nos illis potius accedimus, qui diverſas agnoſcunt hiſtorias, idque ob circumſtantiarum diverſi-

tatem. Illa enim ante ingreſſum in Hieruſalem contigit; hæc poſt ingreſſum, nocte iſta, qua traditus eſt. Illa in via, extra Hieruſalem; hæc in Vrbe, in cœnaculo. Illa ex petitione filiorum Zebedæi; hæc ex glorificationis mentione ortum traxit. Illa proprii potiſſimum exempli adductione; hæc præcipue ingentis promiſſi propoſitione compoſita.

VI. Ceteroquin Auguſtinus *de Conſenſu Evangeliſtar. lib. III. cap. III.* huic hiſtoriæ de contentione Apoſtolorum, ut & verbis CHRISTI ad Petrum, *Simon, ecce Satanas expetivit vos cribrare,* præmittit prolixum ſermonem valedictorium a Johanne deſcriptum *cap. XIV. XV. & XVI.* ut & orationem CHRISTI *προσαγώγιον cap. XVIII.*

VII. Non autem vero videtur ſimile, contentionem illam factam poſt ſermones illos CHRISTI, eo quod prædictio negationis Johanni deſcripta *cap. XIII. v. 38.* facta eſt ante prolixum illum ſermonem. Jam quod contentio diſcipulorum anteceſſerit illam negationis prædictionem, colligitur ex Luca *cap. XXII. v. 24. & 32.*

VIII. At dubium videri poterat, an exhortatio ad dilectionem, quam ſolus Johannes *cap. XIII. v. 34.* deſcribit, præmittenda ſit contentioni diſcipulorum a ſolo Luca memoratæ; an vero eidem poſtponenda.

IX. Concinnius videtur, ſi contentioni Apoſtolorum poſtponatur. Quia enim odioſa illa altercatione in caritatis regulas peccarunt, inde forſan CHRISTVS occaſionem ſumſit ad genuinum amorem eos excitandi.

X. De occaſione item hujus altercationis non eſt eadem Doctorum opinio.

XI. Theophylactus *in cap. XXII. Lucæ* exiſtimat, quæ-

Digitized by Google

quæſtionem mutuam, quis inter diſcipulos foret proditor, occaſionem huic diſceptationi dediſſe. Hæc ejus verba ſunt latine facta. *Non ſolum de ſuſpicione proditionis tantopere turbantur, ſed & ex turbatione illa ad contentionem veniunt, contendentes, quis ex ipſis eſſet maximus. Inciderunt autem in hanc litem, quia veriſimile eſt, quod inter ſe dixerit unus alteri, tu proditurus es, & alius alteri, tu proditurus es, & inde eo pervenerunt, ut dicerent, Ego ſum major, & ego ſum major, & ſimilia.*

XII. Omni probabilitate caret, quod Iſidorus Clarius ſuſpicatur, contentionem hanc ad inquirendum proditorem fuiſſe motam. *Cum audiiſſent*, inquit, *unum ex duodecim fore proditorem, arbitrati ſunt, hunc, qui id eſſet auſurus, patraturum hoc facinus gratia imperandi aliis: atque ita quærebant, quis eorum videretur eſſe major, ut aliquo modo deprehendi proditor poſſet.* Nam publice jam manifeſtatus erat proditor per verba CHRISTI, *Tu dixiſti*, ut non opus eſſet, de eo amplius quærere.

XIII. Quapropter prædictionem CHRISTI de glorificatione ſua primariam & principalem hujus contentionis occaſionem fuiſſe arbitramur.

XIV. Poſtquam enim ex prædictione illa didicerant, Dominum & Magiſtrum ſuum brevi moriturum, inde cogitabant Collegium ſuum non poſſe carere capite ac duce; qvapropter inter ſe quærebant, quis loco CHRISTI poſt ipſius mortem aliorum princeps eſſe deberet. Vel etiam, quia prædictionem de CHRISTI morte & reſurrectione non intelligebant, ac, quæ de glorificatione & regno ſuo prædicebat, carnali ſenſu de terreni cujusdam regni propediem inchoandi gloria accipiebant, inde data quæſtioni fuit occaſio, quisnam in illo regno

 poſt

Digitized by Google

poſt Dominum, principem de jure locum obtinere debeat, ac de facto eundem ſit obtenturus.

XV. JESVS autem, quanquam & alias revocarat illos ab hoc affectu, nunc tamen moriturus diligenter repetit & inculcat, dicens: *Nolite tale* quidpiam imaginari in regno cœlorum, quale videtis in regnis mundanis. Longe aliud regni genus illud eſt, quod beneficiis conſtat, non vi: ſpiritualibus præſidiis obtinetur ac defenditur, non violentia: perſuaſione dilatatur, non neceſſitate. Siquidem principes hujus mundi dominium exercent in eos, in quos habent poteſtatem. Non enim perſuadent, ut ament honeſta, ſed metu ſuppliciorum deterrent, ne committant ſcelera: & honorem a ſuis exigunt, etiamſi interdum non promereantur, imo ſæpe, quo propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt a ſuis, & interim magnificis titulis honorantur a populo. Vocantur Principes, Patres patriæ, Servatores, Clementiſſimi, licet poteſtate ſua interdum ſatis inclementer abutantur, & inique premant inferiores. Tale quidem eſt regnum gentium.

XVI. Inter vos autem, quos formo inſtituoque ad regnum Evangelicum, longe diverſa erit ratio. Quo quiſque major erit inter vos, hoc minus ſibi vendicabit violentæ poteſtatis aut gloriæ. Nec enim huc ſpectabit, ut ſuis dotibus, quos accepit a Deo, premat inferiores, ſed ut proſit, ac ſublevet: nec ſibi vendicabit laudem, ſed Deo totam transſcribet. Non, quod non ſit in hoc regno futurus ordo, ſed, ut is, qui delectus eſt ad primatum, aliis dux ſit ad pietatem, & adeo ſerviat omnium commodis, ut videatur eſſe miniſter potius, quam Dominus. Favorem non ambiet, ſed promerebitur animus

ad

Digitized by Google

ad benefaciendum omnibus promptiſſimus: auctoritatem tuebitur vitæ integritas, non ſupercilium, aut faſtus.

XVII. Non pigeat autem vos inter vos eam præſtare modeſtiam, quam Ego vobis præſtiti, qui meo jure poteram mihi dominatum vendicare. Nam illud cogitate, uter major videatur, qui miniſtrat, an qui accumbit? Non, quod revera major ſit, quisquis accumbit: imo, qui convivio accipit alios, hoc ipſo major eſt, quod bene meretur de multis. Et tamen civitatis gratia, ceteris, quos vocavit, accumbentibus, ille obambulat, ſollicitus ne quid cui deſit in convivio, & unius ſollicitudo omnium voluptati proſpicit. Nonne ego me talem geſſi inter vos, quaſi miniſter eſſem omnium veſtrum, de meo miniſtrans, & unus pro omnibus ſollicitus? Quanto magis oportet vos abeſſe ab omni tyrannide & ambitione, qui conditione pares eſtis, qui de meo miniſtratis, qui communem Dominum habetis.

XVIII. Vos igitur de præmio ſecuri, tantum de officio cogitate. Meum erit de dignitate proſpicere. Si fueritis imitatores humilitatis meæ, eritis & gloriæ conſortes: ſi fueritis afflictionum ſocii, eritis & immortalitatis. Et hactenus permanſiſtis in afflictionibus meis, quibus Pater cœleſtis voluit exploratam ac ſpectatam eſſe meam obedientiam. Quod ſi præſtiteritis iſthoc animo, nec vos piguerit interim imitari meam humilitatem, quo magis proſitis omnibus: Ego viciſſim efficiam, ut olim ſitis participes gloriæ regni mei.

XIX. Quemadmodum enim mihi regnum paratum eſt a Patre; ita & Ego provectus ad regni dignitatem, vobis mea veſtigia ſectantibus parabo regni conſortium, ut, qui hic non quæſiſtis honorem, ſed geſſiſtis vos, ut

Digitized by Google

omnium miniſtros, ſedulo diſpenſantes doctrinam Evangelicam, in regno meo non jam velut miniſtri, ſed velut honorabiles filii Dei accumbatis ad menſam meam. Et, qui nunc mea cauſa pro contemtiſſimis habemini inter Judæos, *tunc velut primores ſedebitis ſuper duodecim thronis, judicantes duodecim tribus Iſrael.*

XX. Atque hæc eſt verborum CHRISTI paulo uberior expoſitio, quam, ne quid celem, magni nominis, nec minoris doctrinæ Theologo Polycarpo Lyſero debeo, qui *Paſſionem Domini noſtri JESU CHRISTI ſecundum quatuor Evangeliſtas,* cum exeunte ſeculo ſuperiori Electoralis Aulæ Dresdenſis Concionatorem ageret, doctâ *Paraphraſi* expoſuit. Quo minor mole eſt libellus, eo eſt elegantior, eo magis eſt ſuccinctus atque perſpicuus magis. Dignum eſt aureolum ſcriptum, quod omnium Theologiæ Studioſorum manibus diligentiſſime verſetur.

XXI. Interea relegemus veſtigia retro, & de nonnullis vocibus in hac hiſtoria occurrentibus non inutiliter, ceu ſpero, aliquid monebimus.

XXII. Et primo quidem non placet, quod Beda in h. l. exiſtimat, *non eſſe incredibile, contentionem humilitatis potius fuiſſe, quam ſuperbiæ, quod certando ſe invicem honore prævenerint.* Nam illud plane non fert φιλονεικίας vocabulum, quod *rixam, jurgium, & contentionem, pervicaciam* item, & *pravam æmulationem* denotat. Non quidem me fugit plane, quod apud Thucydidem, Xenophontem, & alios, interdum in bonam partem accipiatur verbum φιλονεικεῖν: ſed circumſtantiæ oſtendunt, hoc loco hanc vocem non niſi in pejorem partem accipi. Neque enim de re quapiam gravi, & ipſos decente ſed de πρω-

τεία

Digitized by Google

θεία ſeu primatu toties ipſis interdicto contendebant. Deinde etiam ipſius CHRISTI commonefactio evincit, quod hæc φιλονεικία fuerit in vitio.

XXIII. Alterum eſt, quod Bellarminus, aliique Pontificii, fruſtra in reſponſo CHRISTI Eccleſiaſticæ ſuæ dominationis præſidium quærant. Vt enim ex hoc loco exſculpant, CHRISTVM Apoſtolis, & eorum in docendo ſucceſſoribus nequaquam politicum imperium abſolute, ſed tyrannicum duntaxat dominatum derogare, vocem κυριεύειν una cum compoſito κατακυριεύειν, quo Matthæus cap. XXII. v. 25. uſus, non niſi de illegitimo dominatu accipiendam eſſe contendunt.

XXIV. Nam facile oſtendi poteſt, tam ſimplex, quam compoſitum verbum etiam de legitimo imperio accipi. Et illud quidem de imperio mariti in uxorem, Geneſ. III. v. 16. uſurpant Septuaginta; ac Paulus ſibi & reliquis Apoſtolis, quos nemo jure accuſare poterat affectatæ tyrannidis, derogat, *II. Corinth. I. v. 24.* Sed & iidem LXX. Patres non raro vocem κατακυριεύειν de mitiori poteſtate uſurparunt. Certe de CHRISTO, a quo tyrannicus dominatus ac abuſus poteſtatis eſt alieniſſimus, Pſalmo LXXII. v. 8. & Pſalmo CX. v. 3. idem verbum adhibuerunt.

XXV. Poſtea non immerito quæritur, quid ſibi velit CHRISTVS quando dicit: καὶ οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν εὐεργέται καλοῦνται. *Et qui poteſtatem habent, Evergetæ vocantur.*

XXVI. Eruditorum quorundam interpretum eſt conjectura, quod hac voce CHRISTVS voluerit vim & ſignificationem Hebraicæ vocis נדיבים exprimere, qua Hebræi Reges & Principes appellant; eo quod deceat

p..i

Digitized by Google

Principes munificentia & liberalitas. נדיב enim proprie eſt, qui *munificus eſt*, at *cum judicio*; unde opponitur ei נבל id eſt, *Stultus*, *Eſaiæ. cap. XXXII. v. 5.* eo quod hic modum neſciat *in judicandis* divitiis: ſive *ſordidus* dicatur, ſive *prodigus*; ut Brentius *Commentariis in Eſaiam* explicat.

XXVII. Itaque ex uſu ſeculi ſui CHRISTVS locutus generaliter de magnatibus, qui נדיבים, id eſt, εὐεργέται vocabantur, eo quod Principum ſit beneficentia eſſe liberales: quod ideo ad ſuos Reges tranſtulerunt Ægyptii, ut *Evergetæ* dicerentur; quorum unus Philadelphi ſucceſſor fuit: cujus in *præfatione libri ſui* Syracides mentionem injecit; ubi Johannes Druſius *in Notis* monet, eo reſpexiſſe CHRISTVM.

XXVIII. Vulgo *Evergetas* duos in Ægypto regnaſſe tradunt. Primus eſt is, quem Philadelphi ſucceſſorem fuiſſe diximus. Alter eſt Philometoris filius, *Phyſcon* alio nomine dictus, quem & *Evergetam ſecundum* ſolent appellare. Atque is tamen etiam κακεργέτης fuit dictus. Sic enim Athenæus *lib. XII.* Πτολεμαῖος ὁ ἕβδομος Αἰγύπτου βασιλεύσας, ὃν αὐτὸν μὲν Εὐεργέτην ἀνακηρύττων, ὑπὸ δὲ Ἀλεξανδρέων κακεργέτης ὀνομαζόμενος. Nec mirum, quod hoc nomine potius, quam *Evergetæ* dignus fuerit habitus, cum omne ejus imperium nefariis facinoribus & flagitiis inquinatum legamus. Vide Juſtinum *lib. XXXVIII. cap. VIII.* & Epitomen Livianam LIX. Verum Scaliger *in Euſebium num. M DCCCCII.* tres Ægypti Reges *Evergetæ* nomen habuiſſe oſtendit.

XXIX. *Agriaſpas*, Perſiæ gentem, *ex quo Cyri exercitum frigore victusque penuria affectum tectis & commeatibus juverant*, Evergetas dictam, Diodorus Siculus, Curtius

tius & Arrianus auctores ſunt. Perſæ *Oroſangas*, hoc eſt, *Beneficos* appellabant, qui Regem regnumve inſigni aliquo beneficio demeruiſſent: de quo hic pluribus agendi non eſt locus. Monuerunt id Barnabas Briſſonius *de Regno Perſarum lib I.* Deſiderius Heraldus *Adverſarior. lib. I. cap IX.* Matthias Berneccerus *ad Juſtini lib. XII. cap. V.*

XXX. Denique, quando CHRISTUS dicit, Apoſtolos in CHRISTI regno comeſturos & bibituros, ſeſſuros item ſuper thronis, ac judicaturos duodecim tribus Iſrael; id nec de manducatione & bibitione corporali capiendum eſt, ſed de ſpirituali; nec cogitandum de externis ſedibus vel thronis: ſed de ſummo id honore intelligendum, quo Apoſtoli reliquos regni cœleſtis cives non ſolum ſint præceſſuri, ſed etiam una cum Rege certo modo judicaturi, ac recturi.

XXXI. Theophylactus in hunc locum: *Comedere & bibere dixit, non quod edulia illic ſint poſita, neque quaſi ſenſibile quoddam regnum ſit. Ipſe enim per ea, quæ Sadducæis locutus eſt, docet, quod converſatio, quæ illic, Angelica ſit futura.——Ne quis igitur erret, audiens hic, edatis & bibatis ſuper menſam, ſed cogitet, quod hoc dictum ſit ex metaphora eorum, qui a Regibus honorantur.* Et mox: *Ubi thronos & ſedes audieris, non thronos intellige, ſed gloriam & honorem. Non enim creaturæ eſt ſedere, ſed ſanctæ Trinitatis, increati & Regis & omnium Dei; creaturæ autem tanquam ancillæ eſt ſtare, idque cum corporaliter dicimus ſedere & ſtare.*

CAP. XVI.

Quomodo CHRISTVS ſuam paſſionem denuo prædixerit, novum præceptum de amore mutuo diſcipulis inculcaverit, trinam negationem Petri, & reliquorum Apoſtolorum infortunium prædixerit, qui hoc non intellecto duos gladios in medium protulerint.

I.

CONtentione de primatu compoſita de nonnullis CHRISTVS cum diſcipulis locutus eſt. Primo prædicit denuo ſuam paſſionem & mortem; deinde formam præſcribit inter ſe invicem vivendi; tertio Petrum confidentius agentem de lapſu ſuo præmonet, quarto omnibus diſcipulis imminens periculum prædicit. De iis hoc capite diſpiciemus.

Joh. XIII. 33. II. Ad prius membrum hæc ſpectant. *Filioli adhuc pauliſper vobiscum ſum. Quæretis me, & ſicut Judæis dixi, Quo ego vado, vos non poteſtis venire; ita & vobis dico nunc.*

III. Per *modicum illud*, quo ſe cum ipſis futurum dicit, intelligit exiguum illud temporis ſpatium, quod inter hanc prædictionem & ſuam in horto captivitatem erat interjectum.

IV. Huic prædictioni de ſuo abitu ſubjicit duo ejusdem conſequentia. Primo, quod Apoſtoli eum jam digreſſum ſollicite ſint quæſituri. Secundo, quod non poſſint eo venire, quo ipſe ſit abiturus.

V. CHRI-

Digitized by Google

V. CHRISTUS Apoſtolis, dilectis ſuis filiolis prædicit, quod in triduo mortis ſerio ac ſedulo ſe tanquam alterum Parentem ſint quæſituri, & prioris converſationis familiaritatem deſideraturi.

XI. Apoſtoli tum temporis non poterant eo venire, quo vadebat CHRISTVS, hoc eſt, pro CHRISTO, & cum CHRISTO mori: tum propter carnis imbecillitatem; tum propter Dei ordinationem, qui eorum opera in Evangelii per totum orbem prædicatione prius uti conſtituerat, antequam ad mortem raperentur.

VII. Quando CHRISTVS Judæis pertinaciter incredulis dicit Johannis *cap. VII. 34. Quæretis me, & , quo ego vado, vos non poteſtis venire:* comminatur illis æternum exitium, quod in extremis ſuis anguſtiis fruſtra alium Meſſiam ſint quæſituri, & in peccatis ſuis morituri, cum verum Meſſiam benigne ſua beneficia ipſis offerentem per incredulitatem proterve repudiaverint.

VIII. Quando vero CHRISTVS diſcipulis ſuis eadem verba inculcat, tunc paſſionem & mortem ſuam proxime imminentem ipſis prædicit, contra futurum ſcandalum ipſos munit, admonetque eos, ut tædium moræ patienter ferant, in curſu vocationis conſtanter perſeverent, ac certi ſint, fore ut abſoluto vocationis ſuæ curſu magiſtrum ſuum per mortem in cœleſtem gloriam ſequantur.

IX. Eadem igitur verba CHRISTVS hoc loco repetit, quæ Judæis propoſuerat, ſed diverſa διανοίᾳ.

X. Alterum, quod CHRISTVS cum diſcipulis loquebatur, eſt, quod eos ad mutuum amorem & concordiam adhortatur. Verba hæc ſunt. *Præceptum novum do vobis, ut diligatis vos mutuo, ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* *Joh. XIII. 34.*

Digitized by Google

XI. *Novum* hoc dicitur *præceptum,* quia CHRISTVS non ſolum a corruptelis Phariſaicis illud repurgavit, ſed etiam novo ac ſingulari ſuo exemplo nobis commendavit: quam rationem ipſe CHRISTVS ſuppeditare videtur, quando inquit: *Sicut dilexi vos, ita & vos invicem diligatis.*

XII. Novum etiam fortaſſis vocari poſſit, quod moribus ſeculi antiquatum, nec a Judæis recte & perfecte intellectum nunc a ſeſe renovetur.

XIII. Novum item vocat, quod præ variis legis Moſaicæ conſtitutionibus & ceremoniis hoc unum ſingulariter exigat, & inſtar reliquorum omnium eſſe velit.

XIV. A quo non abit Daniel Heinſius, quando *Exercitat. in Johann. cap. XIII. novum* accipit pro *magno* & *eximio:* quo ſenſu apud Virgilium *Eclog. IV.* Servius *nova carmina* interpretatur *magna & miranda.*

XV. Non igitur eſt veriſimile, eum eſſe ſenſum, quem Cyrillus cum reliquis Græcis eſſe vult, nempe, cum lex juſſerit, ut proximum diligamus ſicut nosmet ipſos, nunc jubere CHRISTVM, ut plus diligamus, quia jubeat ita nos mutuo diligere, ſicut nos ipſe dilexit, qui nos plus dilexerit, quam ſemet. Nam neque lex exiſtimanda eſt tale præceptum caritatis præteriiſſe, utique ſi per noſtram mortem aliquid ad æternam proximi ſalutem conferre liceat. Et ſane ſi nobis id præſtari velimus, ut per alterius mortem ab æterno præſertim exitio redimamur; id etiam ex præſcripto legis præſtare teneremur proximo: atque id præſtando proximum diligeremus, ut nosmetipſos.

XVI. Neque favet hic locus Pontificiis, quando

CHRI-

CHRISTVM pro novo legislatore habent, qui conſilia perfectionis legi Moſaicæ addiderit.

XVII. Nec pro Socinianis facit, qui CHRISTVM non ideo veniſſe volunt, ut legem pro nobis impleret, ſed ut nova præcepta ab omnibus hominibus obſervanda legi adderet. Orthodoxi enim nihil noverunt de lege Evangelica; qua appellatione diſcrimen legis & Evangelii tollitur.

XVIII. Tantopere autem amorem mutuum commendat CHRISTVS, ut etiam oſtendat, ſi ſic ſe dilexerint, luculentum omnibus hoc ſignum fore, quod veri ſint diſcipuli ſui: quippe quorum præcipuum ſit officium, magiſtrum imitari. *Joh. XIII. 35.*

XIX. Hoc CHRISTI de mutuo amore monitum hac mundi ad interitum ruentis ſenecta, e plerorumque, qui CHRISTI ſectatores eſſe & videri volunt, cordibus eradicatum eſſe, experientia quotidiana teſtatur.

XX. De S. Johanne Evangeliſta memorabile eſt, quod refert Hieronymus in cap. VI. Epiſt. ad Galatas: *Cum Epheſi moraretur,* inquit, *plenus dierum, ita ut vix inter manum diſcipulorum ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura verba vocem contexere, nihil aliud proferebat, quam, Filioli diligite vos invicem. At cum diſcipuli tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, rogarent: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? dignam Johanne ſententiam reſpondit, quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit.*

XXI. Nunc tertio loco de lapſus Petri prædictione eſt agendum, quam Lucas *cap. XXII. 31.* & Johannes *cap. XIII. v. 36* referunt.

XXII. Auguſtinus quidem *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtar. cap. II.* exiſtimat, prædictionem iſtam, quam

Digitized by Google

Johannes deſcribit, diverſam eſſe ab ea, quam Lucas commemorat. Verum rectius alii Veterum & Juniorum unam & eandem eſſe ſtatuunt.

XXIII. Occaſio autem prædictioni exinde data fuit, quod cum CHRISTVS dixiſſet, *Quo ego vado, vos pervenire non poteſtis.* Petrus CHRISTVM interrogavit, *Domine quo vadis?*

Joh. XIII. 36.

XXIV. Quod ceteris tacentibus ſolus Petrus CHRISTVM allocutus, cauſam Veteres afferunt non unicam. Cyrillus ait, ceteros Apoſtolos honorem illi habuiſſe, tanquam majori, ætate videlicet, ut nonnulli exiſtimarunt, vel ordine. Nam ordo fuiſſe videtur inter Apoſtolos; non principatus, non dominatio, ac ne προστασία quidem tum ulla. Itaque Cyrillus Petri modeſtiam laudat, quod loqui pro omnibus voluerit, & non erubuerit fateri ignorationem, ex qua oriebatur interrogatio.

XXV. Alia cauſa fuit vehemens Petri amor erga Dominum: nam & cupiditate ſequendi impulſum hoc a Domino quæſiviſſe Petrum, ex ſequentibus colligitur, & idem Cyrillus & Auguſtinus obſervant. Nempe diſcruciabat animum amantis, quod cum JESVS divelleretur ab amicis, negaret ſimul ſequendi facultatem. Eſt enim ingens ſolatium, ſi quem vere diligas, in omnem fortunam, quoquo ſe verterit, perſequi.

XXVI. Tertiam cauſam faciunt Patres, arcanum Dei conſilium, corrigendi præceps ingenium Petri, quo redderetur ipſe aptior miniſterio inſigni, cui erat deſtinatus. Vt enim mature corrigeretur, permiſit divina providentia, ut ſermonem primus arriperet.

XXVII. JESVS autem Petro reſpondens, quod antea dixerat, *Quo ego vado, non poteſtis venire,* hoc loco ſic decla-

declarat, , ut non ſimpliciter & abſolute τὴν ἀκολούθησιν Petro neget, ſed tantum hoc tempore, atque interim ſpem faciat, fore ut progreſſu temporis ſequatur.

XXVIII. Petrus nondum intelligens, quid ſibi vellet ſermo JESV, cum de morte ſentiret ſua, ad quam perferendam diſcipuli nondum eſſent idonei. *Domine,* inquit, *quare non poſſum nunc te ſequi?* Quid periculorum pro te recuſem pati, qui *paratus ſum animam meam pro te ponere,* hoc eſt, tui loco mortem ſubire? Joh. XIII. 37.

XXIX. Hanc vocem viribus fortiorem expreſſerat ſincerus quidem, ſed humanus adhuc, nec ſibi ſatis dum notus amor. Vnde Cyrillus in h. l. *Magna quidem laude dignus eſt ejus amor erga CHRISTVM, ex quo flagrantia hæc verba proficiſcebantur, velut ex fornace, ſed virium ſuarum imbecillitatem non expendebat, quam animadvertere, auxiliumque divinum implorare oportuerat.*

XXX. Ad hæc CHRISTVS: *Animam tuam pro me pones?* Quæ interrogatio vim negandi habet, hoc ſenſu: Tunc pro me vitam hoc tempore impenderes? Nequaquam hoc facies, etiamſi confidentius illud promittas.

XXXI. Poſtquam negaverat CHRISTVS, Petrum pro ſe animam poſiturum, aperit ei imminens periculum: Luc. XXII. 31.
Simon, Simon, inquiens. Ἰδοὺ ὁ Σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον. *Ecce Satanas expetivit vos cribrare, ſicut triticum.* Quorum verborum hic eſt ſenſus: Satanas poſtulavit, ut vos non ſolum agitaret & concuteret, velut triticum, ſed etiam diſpergeret ac perderet, ut tentationibus ex morte mea orituris fidem vobis penitus excuteret, ſicque gratia Dei & æterna ſalute excidatis.

XXXII.

XXXII. Petrum non propterea ſolum alloquitur JESVS, ac reliquorum Apoſtolorum caput atque principem; ſed quia is ſolus quæſierat, *Domine, quo vadis?* & quia gravius peccaturus erat ceteris.

XXXIII. Ingenti huic periculo nunc CHRISTVS ſubjicit mali remedium, & periculo opponendum ſolatium, efficaces ſuas pro Petri fide & ſalute preces. *Ego,* inquit, Dei Filius, Mediator ac Redemptor generis humani, *rogavi pro te* cœleſtem Patrem, *ne* in illa Satanæ tentatione, *fides tua deficiat,* ne, vel prorſus a me deſciſcas, vel propter lapſum, quem commiſſurus es, in deſperationem ruas.

Luc. XXII. v. 32.

XXXIV. Quod pro Petro CHRISTVS orat, non eſt tribuendum infirmitati Filii Dei, ſed œconomiæ, quod ut unicus a Patre conſtitutus Mediator oret. Cumque ſit mediator & exorator noſter ſecundum utramque naturam, ideo notandum, quod in oratione ſe humiliet, ut verus homo, quo reſpectu eſt Patre minor; ſed ut Dei Filius orationi ſuæ addat robur ac pondus, atque orationem dignam reddat, quæ exaudiatur, quo reſpectu eſt Patri æqualis, & unum cum Patre.

XXXV. Non tamen ex illa CHRISTI *θεανθρώπου* oratione concludendum, ac ſi eadem in ipſo actu abnegationis fidem ſalvificam Petri quodammodo ſervaverit. CHRISTI preces non ſervaverunt Petri fidem, ſed eandem ad tempus per lapſum totaliter amiſſam, ne finaliter amitteret, per preces ſuas impetravit.

XXXVI. Demum Petro a JESV in mandatis datur, ut confirmet fratres. *Et tu, quando converſus fueris, confirma fratres tuos:* hoc eſt, Apoſtolos, ac omnes fideles, tentationibus Satanæ, mundi & carnis exagitatos, per-

Digitized by Google

perſecutionibus tyrannorum oppugnatos; inprimis autem in peccata graviora lapſos, non ſolum verbis, ſed & exemplo tuo conſolare, ne in deſperationem cadant.

XXXVII. Cum autem Petrus adhuc ſe paratum eſſe
diceret, qui cum CHRISTO in carcerem & ad mortem *Luc. XXII.*
iret, diſertam CHRISTVS abnegationis prænunciatio- *33.*
nem etiam cum ſancta aſſeveratione ſubjungit, dicens:
Amen, Amen, dico tibi, non canet hodie gallus, donec ter ab- *Luc. XXII.*
neges te noſſe me. Hac ipſa nocte, antequam circa ejus *34.*
medium gallus vocem ediderit, me negabis, & quidem *Joh. XIII.*
diſtinctis tribus vicibus. Liuthprandi verba afferam ex *38.*
Hiſtor. lib. IV. cap. XIII. *O ſancte Petre, melius quam tu noverit te, qui fecit te. Tu profiteris, quemadmodum putas, veram fidem: ſed qui priusquam fiant, omnia novit, ter ſe negaturum te eſſe prædixit.*

XXXVIII. Poſteaquam CHRISTVS arrogantem illam ſui fiduciam Petro exemerat, mox eandem doctrinam etiam reliquis applicat, & adverſus certamen, quod inſtabat, diligenter armat. Nam comparationem inſtituit inter conditionem, quam hactenus ſatis lætam, & felicem habuerant, & duriorem, ac periculoſam magis, quam nunc & in poſterum habituri erant.

XXXIX. *Cum miſi vos,* (ſunt verba CHRISTI) ad
prædicandum Evangelium regni per Judæam, memini- *Luc. XXII.*
ſtis, quales vos emiſerim, deſtitutos nimirum iis omni- *35.*
bus, quæ vulgus ad iter faciendum putat neceſſaria, atq; adeo nullo commeatu inſtructos, *ſine loculo* (βαλαντίου) ad reponendam pecuniam, *ſine pera* ad cibum recondendum, *ſine calceamentis*, ad tuendos pedes. Scire tamen pervelim, *Num quid vobis defuerit.*

Digitized by Google

XL. Reſpondent diſcipuli : *Nihil nobis defuit.* Quamvis enim nulla re ad iter faciendum commoda, imo neceſſaria inſtructi eſſent, tamen nihil ipſis defuit : quia quicquid ad victum cultumque corporis erat neceſſarium, ſuppeditabant ii, quibus Evangelium prædicabant. Vid. Luc. *cap. X. v. 7. 8.*

XLI. Pergit Dominus: Ad primam Evangelii prædicationem iviſtis expediti, nulloque commeatu inſtructi; ſed tamen meo præſidio nihil vobis defuit. Id ſatis erat vobis, cum nulla gravis immineret calamitas. Poſthac ad duriora paranda vobis eſt animus.

Luc. XXII. 36. XLII. Nam ſi *quis* forte nunc *crumenam habet,* non abjiciat illam, ſed *aſſumat, ſimiliter & peram.* Quod ſi *cui hæc deſunt,* quæ poſſent abjici, & quibus absque incommodo carere poteſt, *vendat is tunicam ſuam, & emat gladium.*

XLIII. Totus hic ſermo ænigmaticus eſt, & ſymbolicus. Neque enim præcipit, neque auctor CHRISTVS eſt diſcipulis, ut aliter ſe jam gerant, quam olim eos inſtruxerat, ut jam de ſacculo pecunia referto, & pera obſonio ſuffarcinata ſibi proſpiciant, utque gladios coemant, quibus hoſtes adoriantur, vel vim vi repellant: ſed ſymbolice tantum deſignat, conditionem temporis proxime inſtantis prorſus contrariam fore conditioni temporis præteriti.

XLIV. Fere igitur verba CHRISTI hunc habebunt ſenſum : Pridem equidem, quamdiu me præſentem habuiſtis, ita molliter & commode egiſtis, non tantum cum lateri meo adhærebatis, verum etiam ſi quando absque omni viatico, commeatu & armis ad Evangelium prædicandum ablegabamini, ut nihil omnino vobis deeſſet

Digitized by Google

eſſet, nec quicquam adverſi pateremini: at nunc alia inſtant tempora, aliaque impoſterum vivetis ratione, ut opus ſit crumenam & peram tollere; imo ea imminet perſecutio & periculum, mihi primum, deinde vobis, ut ſi rem humana ratione putare velimus, & ſi humanis adeo præſidiis utendum foret, conſultum videri queat, vendere pallium, & emere gladium.

XLV. Mox CHRISTVS cauſam immutati temporis tranquilli in turbulentum ſtatum exponere, videlicet imminentem ſuam paſſionem & mortem in Scriptura prædictam. *Dico enim vobis*, inquit, præter reliqua Prophetarum vaticinia, quæ hactenus jam tum in me impleri vidiſtis, *adhuc illud* quoque *oportet in me impleri, quod ſcriptum eſt* Eſaiæ cap. LIII. v. 12. *& cum iniquis deputatus eſt.* *Luc. XXII. v. 37.*

XLVI. Impletum hoc fuit vaticinium, quando CHRISTVS tanquam facinoroſus in horto Oliveti captus, vinctus, & in Vrbem captivus fuit ductus: quando in atrio Pontificis, in prætorio Romani Præſidis, in aula Regis Herodis variis contumeliis & injuriis affectus, Barrabæ latroni comparatus, imo illo deterior habitus: omnium vero maxime, quando ad ſupplicium ductus medius inter duos latrones, tanquam latronum primipilus crucifixus fuit.

XLVII. Huic Prophetico vaticinio ſubjungit CHRISTVS. *Etenim ea, quæ ſunt de me* (ſcripta) *finem habebunt:* hoc eſt: Non mirum vobis videri debet, vaticinium illud Eſaiæ de mea paſſione & crucifixione in me impleri, cum omnia, quæ de me per Prophetas ſunt prædicta, impleri oporteat.

Digitized by Google

XLVIII. Hunc ſermonem cum non intelligerent Apoſtoli, & ſuſpicarentur, Dominum admonuiſſe, ut gladium haberent paratum ad repellendam vim imminentem, reſpondent: Non eſt, quod nos moneas, ut crumenæ, peræ, & ipſius tunicæ venditione de gladiis nobis proſpiciamus, *Domine, Ecce duo* præſto ſunt *gladii hic*, quibus hoſtilem violentiam a te & nobis fortiter repellamus.

XLIX. Sed unde, dixeris, gladii in collegio Apoſtolorum? Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius exiſtimarunt ex mactatione agni Paſchalis ſuperfuiſſe: quam opinionem fortaſſis hauſerunt ex eo, quod μάχαιρα non ſolum ſignificet gladium, ſed etiam cultrum quemvis grandiorem.

L. Cyrillus *lib. II. in Johannem cap. XXXV.* autumat, tum propter defenſionem, tum propter feras in Judæa frequentes gladiis fuiſſe accinctos.

LI. Quidam ſtatuunt, gladios hoſce ſtudioſe ab Apoſtolis jam olim fuiſſe comparatos occaſione prædictionis de imminentibus periculis.

LII. Verum ſimpliciſſima, ceu reor, eſt opinio, Apoſtolos audientes de gladiis CHRISTVM loqui, duas rubiginoſas machæras in domo illa, in qua agnum Paſchalem comederant, alicubi inveniſſe, ac CHRISTO monſtraſſe.

LIII. In hoc tam craſſo affectu reliquit JESVS tum temporis diſcipulos, ſermonem hunc in horto demum abſoluturus, quando Petrum gladio pugnantem acriter reprehendit, & diſerte docet, ipſos ex ſolius Patris conſilio pendere, & hujus conſilio atque decreto ſeipſos & cau-

Digitized by Google

cauſam hanc committere debere. Contentus ergo fuit dicere. *Sufficit*, ſive *ſatis eſt*.

LIV. Quidam hoc referunt ad gladios, hoc ſenſu: Non opus eſt, ut de pluribus gladiis ſitis ſolliciti; neque enim eos ad defenſionem noſtrum requiro; ſed tantum ut hoſtes intelligant, me, ſi voluiſſem, gladio defendi potuiſſe, ad quod ſufficiunt hi duo gladii.

LV. Quidam hoc εἰρωνικῶς a CHRISTO dictum accipiunt, ac ſi iis exprobrare velit craſſam ignorantiam, qui putarent duos gladios defenſioni ſatis eſſe, cum vix centum ſufficerent.

LVI. Sed rectius dicetur, CHRISTVM verbis hiſce ſermonem abrumpere, ac diſcipulorum abſurditatem modeſte refrænare, dicendo: Satis eſt verborum hac de re; ſatis pro tempore eſt de his dictum.

LVII. Quapropter ex hoc ſermonis genere nequaquam concludendum eſt, ac ſi CHRISTVS jus gladii eodem & poteſtatem ſecularem ſuis miniſtris commendaverit.

LVIII. Male igitur Gregorius IX. in Epiſtola ad Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum excuſa cum aliis Epiſtolis Romæ anno CIↃ IↃ LXXXVII. curante Gerardo Voſſio: *Illud tantum adjicimus, quod utrumq; gladium ad Romanum Pontificem pertinere, ex Evangelica lectione tenemus. Etenim loquente JESV diſcipulis de acquiſitione gladii ſpiritualis, illi duos ibi poſitos oſtenderunt, quos Dominus dixit ſufficere ad cobibitionem videlicet ſpiritualis & temporalis offenſæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem: attende quod in Matthæi Evangelio Dominus dicat Petro: Converte gladium tuum in locum ſuum; dicendo Tuum, materialem ſigni-*

Digitized by Google

gnificavit gladiū, quo percuſſit ille ſervum Principis ſacerdotum. De ſpirituali vero nemo venit in dubium: cum ei, id eſt, Petro, per cujusdam ſpecialitatis apicem ligandi atque ſolvendi commiſerit poteſtatem.

LIX. His veſtigiis inſiſtit Bonifacius VIII. Pontifex Romanus, qui ad finem tertii decimi ſeculi Romæ imperans, itidem verba hæc detorſit, quando ex illis corporalem & ſpiritualem gladium ſibi utpote Eccleſiæ Monarchæ ac Petri ſucceſſori datum eſſe aſſerit. Sic enim loquitur in Corpore Juris Canonici Extravag. de Major. & Obed. cap. I. *In Eccleſia ejusque poteſtate duos eſſe gladios, ſpiritualem videlicet & temporalem, Evangelicis dictis inſtruimur. Nam, dicentibus Apoſtolis, Ecce duo gladii hic, in Eccleſia ſcilicet cum Apoſtoli loquerentur, non reſpondit Dominus, nimis eſſe, ſed ſatis. Certe qui in poteſtate Petri temporalem gladium eſſe negat, male verbum attendit Domini proferentis. Converte gladium tuum in vaginam. Vterque ergo eſt in poteſtate Eccleſiæ, ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis. Sed is quidem pro Eccleſia, ille vero ab Eccleſia exercendus. Ille Sacerdotis, is manu Regum & militum, ſed ad nutum & patientiam Sacerdotis.* Tangit hoc Crantzius Vandaliæ lib. VIII. cap. II. *Jam,* inquiens, *Pontifices in eam venerant majeſtatem (quam Principes ſeculares dicunt præſumtionem) ut Reges crearent, citantes verbum Petri: Ecce duo gladii hic. Contra quod Principes verbum æterni Pontificis, mitte gladium tuum in vaginam, de gladio carnali, humano & ſeculari interpretantur.* Idem tamen minus pie lib. X. c. XLIX. Metrop. *Talibus opus eſt Pontificibus per vices, qui poſtquam Eccleſia gladium temporalem accepit, deſtringant: ni facerent, quæ eſt audacia militarium, non ſinerent*

Digitized by Google

rent Eccleſiis vel unum manſum (agri portionem) *pacificum. Nam gladius ille ſpiritualis, ſi ſolus ſit, multis contemtus eſt. Si acceſſerit alter, erit ut duplici manu pugnans facilius ſuperet: quomodo olim Benjamitæ, viri gemini, utraque manu pro dextra, ut ſcribitur, utentes Judic. XX.*

LX. Bernhardus quidem *lib. IV. ad Eugenium cap. IV.* innuere videtur, ad Romanum Epiſcopum pertinere jurisdictionem coactivam, quam ſub metaphora temporalem gladium appellat, non modo ſuper clericos, verum etiam ſuper laicos, cum dicit: *Quem tamen gladium qui tuum negat, non ſatis mihi videtur attendere verbum Domini, ſufficit.* Et in fine concludens, inquit: *Vterque ergo Eccleſiæ & ſpiritualis gladius & materialis.*

LXI. Lectu non indignus eſt Marſilii Patavini *adverſus uſurpatam Romani Pontificis Jurisdictionem* liber, qui *Defenſorium Pacis* inſcribitur, ad Imp. Ludovicum Bavarum a tribus Romanis Pontificibus indigna perpeſſum ſcriptus circa annum Domini CIↃCCC. XXIII. ſed anno CIↃ IↃ XXII. demum editus. *Parte II. bujus libri cap. XXVIII.* ad illa Bernhardi ita reſpondet Auctor: *Cum reverentia, nec minus cum admiratione dicendum, quod idem ipſe Bernhardus ſibi de hac materia diſſonet, quin imo contrarie pronunciavit aperte: inquit enim de hac auctoritate ſeu poteſtate loquens, ubi ſupra immediate. Quid tu denuo* (Papa ſcilicet) *uſurpare gladium tentes, quem ſemel juſſus es reponere in vaginam? Conſtat autem, quod quis uſurpat, ad ſuam auctoritatem minime pertinere. Sed dicet Bernhardus, aut ejus Interpres, juxta id quod dixit in fine ſermonis hujus, quod quamvis auctoritas jam dicta ad Sacerdotem pertineat, tamen executio per ipſum fieri*

non

non debet, quod exerere materialem gladium dixit. Verum reſponſio hæc non eſt ad intentionem Scripturæ. Non ſolum enim hanc gladii materialis extractionem CHRISTVS a ſe negavit, verum etiam & judicium id, atque præceptum de illo exercendo, dum dixit Lucæ XII. petenti ab ipſo tale judicium. Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem ſuper vos. &c.

LXII. Et poſtea eodem capite. *Quibus etiam adjungendum, cum reverentia, ſemper convenientiorem eſſe aliorum ſanctorũ expoſitionem ſuper hunc locum. Fuit enim (ut omnes concordant) locutio CHRISTI metaphorica, dum dicentibus diſcipulis, Ecce duo gladii, reſpondit Dominus, Satis eſt. Vnde Chryſoſtomus: Equidem ſi humano volebat eos uti præſidio, nec centum ſufficerent gladii. Quod ſi nolebat eos uti humano ſubſidio, etiam duo ſupervacui ſunt. Vnde apparet verborum CHRISTI ſenſum fuiſſe myſticum.* Sequuntur plura in hunc ſenſum, quæ omitto: puto enim hæc ſufficere. Vnum hoc fortaſſis eſt monendum, quod bona pars ſequentium, qui contra poteſtatem Papæ ſcripſerunt, in hujus Marſilii meſſem falcem ſuam immiſiſſe videantur: quod alibi, ſi vitam Deus dederit, oſtendemus pluribus.

LXIII. Ceteroquin, quod ad Bonifacium Papam attinet, quod ille verbis docuit, id etiam reipſa implevit. Cum enim in primo Jubilæo Anno CIϽ CCC ab ipſo celebrato Albertus Imperator per legatos electionis ſuæ confirmationem peteret, primo iſtius ſolennitatis die in Pontificialibus prodiens Apoſtolicam benedictionem populo impertitus eſt; poſtero autem die habitu imperiali & infula Cæſarea inſignis gladium evaginatum ſibi præferri juſſit, & ubi conſediſſet, alta voce clamavit: *Ecce duo gladii*

dii hic. Vide Crantzium *lib. VIII. Saxon. cap. XXXVI.* & Centurias Magdeburg. *Lib. XIII. cap. X.*

CAP. XVII.

De longo ſermone, quem ab inſtitutione Cœnæ habuit CHRISTVS cum diſcipulis, dum menſæ accumberetur, ut refertur Joh. cap. XIV.

I.

SEquitur longus ille CHRISTI ſermo, quem ab inſtitutione Cœnæ Eucharistcæ habuit ad diſcipulos. Eſt vero iſte bipartitus. Ex parte enim habitus CHRISTO menſæ adhuc cum diſcipulis accumbente; ex parte autem poſtquam pariter a menſa ſurrexiſſent, ſive id in eodem cœnaculo, ſive in via factum ſit. Hoc nempe colligi poteſt ex illis poſtremis verbis cap. XIV. *Surgite, abeamus hinc.*

II. Prior illa pars tota eſt in eo, ut animi diſcipulorum formarentur, ac firmarentur adverſus futuram tentationem. Ea continetur Johannis *cap. XV.* Partem alteram habemus duobus capitibus ſequentibus.

III. Ac initio quidem quartidecimi capitis petit *Joh. XIV. 1.* CHRISTVS, ut ne perturbarentur animo, ſed uti Deo Patri credant, ita etiam in ſe fiduciam collocent.

IV. Poſtea, ut perturbari deſinant, toto capite conſolatur diſcipulos, idque a ſeptem bonorum generibus.

V. Horum primum eſt deſumtum a multis in regno cœleſti habitaculis. *v. 2.*

VI. Ne vero videatur eos inani ſpe lactare, addit, aliter ſi foret, nec hoc fuiſſe celaturum. Addit, ſe vadere ad hæc loca iis paranda. Subjicit deinde, ſe, ubi ab iis receſſerit, velle ad eos reverti, ut ipſe eos aſſumat, quo fuerat prægreſſus.

VII. Hinc concludit, ex iis, quæ dixerat, ſcire jam diſcipulos & quo iret, & viam qua iret. Dixerat enim, ſe vadere ad domum Patris. Dixerat quoque, ſe modicum apud eos manſurum; quo paſſionem ſuam indicabat & mortem.

VIII. Et quamquam non omnes perfecte viam, per quam ad Patrem iret, ſciebant; ſcire tamen ex tot concionibus CHRISTI debuiſſent.

v. 5. 6. IX. Hac occaſione, Thomæ, quod ingenio eſſet tardiori, ſive dolor aciem mentis præſtingueret, nec quo vadat CHRISTVS, nec viam ſe ſcire perhibenti, ſeipſum viæ exemplum, doctorem veritatis, & datorem eſſe vitæ ſignificavit.

X. Nec CHRISTVS ſolum eſt *via, veritas, vita*; ſed & ſolus eſt illa. Vnde continuo ſubdit, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.*

XI. Hinc rationem affert, cur Patrem non norint. Eſſe enim hoc inde, quod neque CHRISTVM recte norint.

XII. Nec tamen omnem iis notitiam Patris adimit. Nam cognoſcere eum, & vidiſſe ait: nempe in imagine ejus Filio. Sed neſciebant, eum eſſe characterem Patris. Viderant, ſed non recte viderant; cognoverant, ſed perf[illegible]n cognoverant, quia neſciebant, eum, quem vide[illegible]oſcerent, characterem eſſe vivamque imagi[illegible]ui: eoque & Patrem in filio cognoſci.

XIII.

XIII. Philippus, quia non caperet, Deum eſſe ab iis viſum (nam non niſi externam & carnalem viſionem animo agitabat) petit a CHRISTO, ut Deum ſibi oſtendat, id ſibi & ceteris collegis ſufficere indicans. *Joh. XIV. v. 8.*

XIV. Quamobrem CHRISTVS quodammodo cum eo expoſtulat, quod cum tamdiu cum illis converſatus eſſet, nondum tamen ab eo cognoſcatur. *v. 9.*

XV. Tum explicat, quomodo videri Pater poſſit. Nempe in Filio, tanquam viva patris imagine. Verba CHRISTI ſunt: *Qui videt me, videt Patrem.* Quæ cum dixiſſet, ſubdit, liquere exinde, quam abſurdum ſit hoc poſtulatum Philippi: *Oſtende nobis Patrem.*

XVI. Hinc, quod dixerat, ſi videatur ipſe, etiam Patrem videri, eo illuſtrat, quod & ipſe ſit in Patre, & Pater item in ſe. Et ne diſcipulis hic ſermo videretur durior, addit, ſed non dicere iſta ex ſe, ſed e mandato Patris, ad cujus gloriam omnia dicat & faciat.

XVII. Hoc dicto, ut & ſuperioribus efficaciter refelluntur Sabellii & Arii hæreſes. Nam quod ad Sabellium, & ejus ſectatores, qui diverſitatem perſonarum ſublatam voluerunt, quia Pater & Filius nominantur, utique diverſitas perſonarum intelligitur: nemo enim ſibiipſi Pater eſt, nec quis recte dicitur in ſemetipſo eſſe. Contra Arianos facit, quod niſi una eademque numero Patris & filii foret natura, neque CHRISTI cognitio neceſſario inferret cognitionem Patris, nec qui videt Filium, hoc ipſo videret Patrem, nec proprie poſſet dici Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre.

XVIII. Porro arctiſſimam ſui, & Patris conjunctionem, qua ipſe in Patre, Pater item in ſe ſit, comprobat ex *Joh. XIV. v. 10.*

 operi-

Digitized by Google

VI. Ne vero videatur eos inani ſpe lactare, addit, aliter ſi foret, nec hoc fuiſſe celaturum. Addit, ſe vadere ad hæc loca iis paranda. Subjicit deinde, ſe, ubi ab iis receſſerit, velle ad eos reverti, ut ipſe eos aſſumat, quo fuerat prægreſſus.

VII. Hinc concludit, ex iis, quæ dixerat, ſcire jam diſcipulos & quo iret, & viam qua iret. Dixerat enim, ſe vadere ad domum Patris. Dixerat quoque, ſe modicum apud eos manſurum; quo paſſionem ſuam indicabat & mortem.

VIII. Et quamquam non omnes perfecte viam, per quam ad Patrem iret, ſciebant; ſcire tamen ex tot concionibus CHRISTI debuiſſent.

v. 5. 6. IX. Hac occaſione, Thomæ, quod ingenio eſſet tardiori, ſive dolor aciem mentis præſtingueret, nec quo vadat CHRISTVS, nec viam ſe ſcire perhibenti, ſeipſum viæ exemplum, doctorem veritatis, & datorem eſſe vitæ ſignificavit.

X. Nec CHRISTVS ſolum eſt *via, veritas, vita*; ſed & ſolus eſt illa. Vnde continuo ſubdit, *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.*

XI. Hinc rationem affert, cur Patrem non norint. Eſſe enim hoc inde, quod neque CHRISTVM recte norint.

XII. Nec tamen omnem iis notitiam Patris adimit. Nam cognoſcere eum, & vidiſſe ait: nempe in imagine ejus Filio. Sed neſciebant, eum eſſe characterem Patris. Viderant, ſed non recte viderant; cognoverant, ſed perfecte non cognoverant, quia neſciebant, eum, quem viderent & cognoſcerent, characterem eſſe vivamque imaginem Patris ſui: eoque & Patrem in filio cognoſci.

XIII.

XIII. Philippus, quia non caperet, Deum eſſe ab iis *Joh. XIV. v. 8.*
viſum (nam non niſi externam & carnalem viſionem animo agitabat) petit a CHRISTO, ut Deum ſibi oſtendat, id ſibi & ceteris collegis ſufficere indicans.

XIV. Quamobrem CHRISTUS quodammodo *v. 9.*
cum eo expoſtulat, quod cum tamdiu cum illis converſatus eſſet, nondum tamen ab eo cognoſcatur.

XV. Tum explicat, quomodo videri Pater poſſit. Nempe in Filio, tanquam viva patris imagine. Verba CHRISTI ſunt: *Qui videt me, videt Patrem.* Quæ cum dixiſſet, ſubdit, liquere exinde, quam abſurdum ſit hoc poſtulatum Philippi: *Oſtende nobis Patrem.*

XVI. Hinc, quod dixerat, ſi videatur ipſe, etiam Patrem videri, eo illuſtrat, quod & ipſe ſit in Patre, & Pater item in ſe. Et ne diſcipulis hic ſermo videretur durior, addit, ſed non dicere iſta ex ſe, ſed e mandato Patris, ad cujus gloriam omnia dicat & faciat.

XVII. Hoc dicto, ut & ſuperioribus efficaciter refelluntur Sabellii & Arii hæreſes. Nam quod ad Sabellium, & ejus ſectatores, qui diverſitatem perſonarum ſublatam voluerunt, quia Pater & Filius nominantur, utique diverſitas perſonarum intelligitur: nemo enim ſibiipſi Pater eſt, nec quis recte dicitur in ſemet ipſo eſſe. Contra Arianos facit, quod niſi una eademque numero Patris & filii foret natura, neque CHRISTI cognitio neceſſario inferret cognitionem Patris, nec qui videt Filium, hoc ipſo videret Patrem, nec proprie poſſet dici Pater eſſe in Filio, & Filius in Patre.

XVIII. Porro arctiſſimam ſui, & Patris conjunctio- *Joh. XIV. v. 10.*
nem, qua ipſe in Patre, Pater item in ſe ſit, comprobat ex

Digitized by Google

operibus mirandis, quæ non niſi a ſolo Deo poſſint proficiſci. *Pater*, inquit, *qui in me manet, ipſe facit opera.*

XIX. Nempe CHRISTVS, quatenus homo, nihil faciebat proprium aut peculiare, quod non ipſi ſuppeditaret Pater. Nam ſecundum humanitatem, ſicut a ſe ipſo non erat, ita nec operabatur.

XX. Vt autem illam mutuam inhabitationem, ſive, ut Damaſcenus *lib. I. de fide cap. II.* appellat, περιχώρησιν eo magis inculcet, quod antea per interrogationem dixerat, nunc ſimpliciter profert. *Credite*, ait, *mihi, me in Patre,*
v. 11. *& Patrem in me eſſe: Sin minus*, id eſt, ſi mihi non creditis, nihil non divinum, neque id ex me, ſed ex Patre, dicenti, ſaltem *propter ipſa opera*, tam miranda, & omnem naturæ vim exſuperantia, *mihi credite*, Patrem in me eſſe, perque me, ut vos credatis mihi, operari, quæ fieri non poſſunt, niſi a Deo.

XXI. Hactenus de ſolatio primo. Sequitur alterum, a miraculis, quæ in CHRISTVM credentes ſint facturi, petitum.

XXII. Dixerat antea de mirandis ſuis operibus. Ex occaſione dicit, credentes in ſe & ipſos paria facturos, at-
v. 12. que etiam majora. *Amen, Amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora faciet.*

XXIII. Hæc promiſſio in ſenſu literali & proprio non pertinet ad omnes omnium temporum fideles: nam innumeri ſunt ac fuerunt fideles, qui nulla operati ſunt miracula: ſed ſpectare videtur tantum ad Apoſtolos, & alios quoſdam credentes in Eccleſia primitiva, per quos Evangelii prædicatio in totum terrarum orbem propagabatur. Quod enim hodie non fiant, eſt propter neceſſitatis ceſſationem, cum Evangelica doctrina ſatis in orbe toto confirmata ſit.

XXIV.

Digitized by Google

XXIV. Dicis: quomodo miniſtri majora patrare potuerunt miracula ipſo Domino, a quo omnem poteſtatem faciendorum miraculorum acceperunt?

XXV. Reſpondetur, hoc non intelligendum eſſe ratione qualitatis & præſtantiæ miraculorum in ſe conſideratorum; ſed primo reſpectu copioſioris numeri, deinde objecti amplioris, tum uſus etiam latioris. Apoſtoli enim numero plura miracula fecerunt, quam ipſe CHRISTVS. Iidem etiam totum terrarum orbem ſuis operibus peragrarunt, cum CHRISTVS fere tantum in Judæa miraculoſa ſua opera fecerit conſpicua: unde ſequitur ad oppido plures etiam fructum miraculorum Apoſtolicorum perveniſſe.

XXVI. Promiſſioni ſuæ de miraculis hanc addit rationem, *quod ad Patrem vadat.* Significat eo ipſo, ſe hactenus in humili ſtatu fuiſſe in carne mortali, cui non conveniat tanta gloria per miracula. At poſtquam ſederit ad dextram Dei, magis ſe per eos gloriam declaraturum.

XXVII. Monet autem CHRISTVS, ut tam miraculorum patrandorum poteſtatem, quam alia bona in ſuo nomine a Patre petant, certoque fore pollicetur, ut eorum preces exaudiantur. *Et quodcunque petieritis in nomine meo,* id eſt, fiducia bonitatis, potentiæ, & meritorum meorum, *hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* Vt altius animis inhæreant, & diſcipulorum ſpem firmaret magis, repetit promiſſum de exaudiendis precibus. *Joh. XIV. v. 13.*

XXVIII. Poſt illa poſcit JESVS, ut, ſi vere ſe diligant, hoc obſervatione mandatorum ejus demonſtrent. *Joh. XIV. 15.*

XXIX. Tertia hinc ſequitur conſolatio a promiſſione Spiritus Paracleti. *Ego vero,* inquit, *rogabo Patrem*
v. 16. (ἐρωτᾷν hoc loco non more Græco pro *interrogare*, ſed Romano, pro *precari, orare*, ſumitur) *& is* exoratus, *Paracletum,* hoc eſt, conſolatorem, patronum ſive *alium*, ſcilicet pro me, (advocatum) & alium etiam a me, non natura quidem, ſed ſubſiſtentia & perſona, *dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum,* hoc eſt, phraſi Hebræa, per totum vitæ veſtræ tempus.

v. 17. XXX. Mox deſcribit illum Paracletum, & vocat *Spiritum veritatis*, quod ſit auctor & doctor veritatis, *quem mundus,* hoc eſt, homines mundani, carnalibus & mundanis cogitationibus addicti, quamdiu tales ſint, *recipere non poteſt, quia non conſpicit eum, nec novit eum*, hoc eſt, prorſus alienus eſt ab eo, ipſius ductum & afflatum nihili facit, & non intelligit: *Vos autem noſtis eum*, quid ſibi velit, quid doceat, quid operetur, intelligitis, &
Joh. XIV. magis in poſterum magisque intelligetis, *quia apud vos*
v. 18. *manet, & in vobis erit,* & eſſentia & gratia ſua, animos veſtros afflatu ſuo gubernaturus.

XXXI. Quarto loco conſolatur Apoſtolos reditu ſuo. Verba ſunt iſta: *Non relinquam vos orbos,* & veluti pupillos patre deſtitutos; *redeo ad vos,* vel mox poſt mortem tertio die reſurgens, vel ſecundo & glorioſo adventu, ut Cyrillus & Auguſtinus interpretantur: quamquam Voſſio id diſplicet.

v. 19. XXXII. *Adbuc paululum* temporis ſupereſt, *& mundus me non amplius conſpiciet*, ſcilicet, poſtquam mortuus & ſepultus fuero: *Vos autem conſpicietis me;* cum poſt reſurrectionem meam, quando vobis apparebo, tum extremo die.

XXXIII.

XXXIII. Verum, inquies, extremo die mundus quoque & impii videbunt CHRISTVM. Reſpondetur: quia ut ſeverum judicem, ſine viſione beatifica, in pœnam & condemnationem ipſum ſunt viſuri, perinde illis fuerit, ac ſi non viderint.

XXXIV. Addit deinde fructum mortis & reſurrectionis ſuæ his in verbis: *Quia ego vivo, & vos vivetis.* v. 19.
Id eſt, quia ego pro vobis brevi quidem moriar, ſed non manebo in morte, verum ad vitam reſurgam, ideo ex mea reſurrectione ad vos quoque redundabit vita, qua me viſuri eſtis viſione non interrumpenda, & qua in æternum perfecti ac beati eritis.

XXXV. *In illo die vos cognoſcetis me eſſe in Patre meo,* v. 20.
& vos in me, & me in vobis eſſe. Qui per *diem illum* tempus reſurrectionem conſecutum intelligunt, Spiritus S. viſibili modo ſuper Apoſtolos effuſi beneficio tanta myſteria cognituros ſtatuunt. Alii vero de ſecundo adventu Dominum potiſſimum loqui cenſent, eo quod tum non amplius per ſpeculum & ænigma, ſed a facie ad faciem Deum viſuri ſint Apoſtoli cum reliquis fidelibus.

XXXVI. Quinta conſolatio petitur a triplici promiſſione, quam facit, uti non omnibus, ita nec ſolis diſcipulis, verum univerſis ſe diligentibus, hoc eſt, mandata ſua non reſpuentibus, ſed ſervantibus. Prima promiſſio eſt dilectio Patris. Altera, dilectio ſua. Tertia, manifeſtatio ſui.

XXXVII. *Qui habet mandata mea,* ὁ ἔχων τὰς ἐν- *Joh. XIV.*
τολάς μου, qui firmiter tenet mandata mea, qui iisdem fi- v. 21.
dem habet, atque in intimum pectus admittit, *& obſervat illa, is eſt, qui me diligit. Qui habet,* ait Auguſtinus in h. l. *in memoria, & ſervat in vita; qui habet in ſermoni-*

bus

bus & ſervat in moribus; qui habet audiendo, & ſervat faciendo: aut qui habet faciendo, & ſervat perſeverando. Ipſe eſt, inquit, qui diligit me. Opere eſt demonſtranda dilectio, ne ſit infructuoſa nominis appellatio.

XXXVIII. Nunc ſequitur, quæ bona maneant diligentem. *Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo,* quod eſt primum: alterum eſt, *Et ego diligam eum:* tertium, *Et ego manifeſtabo ei me ipſum.*

XXXIX. Per *manifeſtationem* hic non videtur intelligi corporalis illa apparitio poſt reſurrectionem, quippe quæ paucis contigerit; ſed primo plenior ſui cognitio, in hac vita per Spiritum S. interveniente verbo, credentibus in CHRISTVM tributa; deinde perfectiſſima illa, & beatifica CHRISTI in altera vita viſio.

XL. Sed quomodo dicit: *Qui diligit me, diligetur a Patre meo?* Num ergo nos Deum diligendo prævenimus, aut noſtrà dilectio, dilectionis, qua Deus nos proſequitur, cauſa eſt?

XLI. Nequaquam. *Perverſa eſt iſta ſententia,* inquit Auguſtinus Tractat. LXXIV. in Johannem. Et Tractat. CII. in Joh: *Num ideo nos Deus amat, quia nos amamus? an potius, quia ille amat, ideo nos amamus? Ex Epiſtola ſua idem Evangeliſta reſpondeat. Nos diligimus, inquit, quia prior ipſe dilexit nos. Hinc ergo factum eſt, ut diligeremus, quia dilecti ſumus. Prorſus donum Dei eſt diligere Deum, quoniam ipſe ut diligeretur, dedit, qui non dilectus dilexit. Deus in nobis non faceret, quod amaret, niſi antequam id faceret, nos amaret.*

XLII. Non ergo loquitur CHRISTVS de primis dilectionis divinæ effectis, de gratia vocationis, converſionis, juſtificationis, regenerationis, illuminationis, condona-

Digitized by Google

donationis peccatorum &c. hæc enim divinæ dilectionis opera atque effecta noſtra dilectione ſunt priora; ſed de novis,ac primam converſionis gratiam ſequentibus effectis. Nam cum præventi a dilectione Dei viciſſim diligimus,tum noſtra dilectione, auctiori dilectioni, aut potius inſignioribus divinæ dilectionis erga nos edendis argumentis ſive ſignis occaſionem & anſam præbemus; nequaquam tamen etiam hoc pacto noſtra dilectione dilectionem Dei meremur.

XLIII. Judas, non ille Iſcariotes, ſed Jacobi frater, qui Matthæi *cap. X. v. 3.* Lebbæus, & Thaddæus cognominatur, cum animo regnum CHRISTI terrenum conceepiſſet,quod ſuo ſplendore & magnificentia in omnium mortalium oculos eſſet incurſurum, nequit capere, quid rei ſit, quare Servator non indifferenter univerſo mundo, ſed peculiariter Apoſtolis ipſum diligentibus ſui manifeſtationem promittat, atque ea de re Servatorem interrogat his verbis: *Domine, quid factum eſt* (pro *quid ſit,* more Hebræo) *quod manifeſtaturus es nobis te ipſum, & non mundo?* *Joh. XIV. v. 22.*

XLIV. CHRISTUS reſpondet, eo ſe mundo non manifeſtare, quia non diligatur a mundo, ſermoneſque ſuos non obſervet. Sed ſi quis ſe diligat, quales ſoli ſunt illi, qui mandata ejus obſervant, & ſe, & Patrem, ad eum venturos, & velle apud eum divertere, imo habere domicilium.

XLV. *Si quis,* inquit, *diligit me, ſermonem meum ſervabit: & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus,* tamquam amici amicum inviſere ſolent. Et neutiquam feſtinum meditabimur abitum, *ſed apud eum habi-* *v. 23.*

Hh *tabimus,*

tabimus, divina ſcilicet gratia, quam excipiet alterius vitæ gloria.

v. 24. XLVI. *Qui non diligit me, ſermones meos non obſervat.* Quibus verbis præterquam quod cauſam indicat, quare ſe mundo manifeſtaturus non ſit, nempe, quod cum mundus ipſum non diligat, ſermones quoque ejus non obſervet; diſcipulos etiam ad ſinceram ſui dilectionem inſtigat, quam multi temere jactant, cum frigere illam liquido videamus ex mandatorum Dei neglectu.

XLVII. Vt autem ſermonibus illis ſuis majorem apud diſcipulos auctoritatem conciliet, addit, illos ſuos non eſſe, ſed Patris, a quo in mundum miſſus ſit.

XLVIII. Sextum inde ſolatium ſubdit de mittendo Spiritu S. ut doceat eos cuncta, quæ nunc non intelligant.

XLIX, Cogitare poterant, iis, quæ CHRISTVS reſpondiſſet, non clare expediri quæſtionem, quam moviſſet Judas. Potuerunt etiam alia id genus ſciſcitari, Joh. XIV. v. 26. ut omnis ſibi ſcrupulus eximeretur. Verum CHRISTVS, qui ſciret, quorum nec dum forent capaces, hoc pacto cogitationi iſti occurrit. *Hoc locutus ſum vobis, apud vos manens,* hoc eſt, pro veſtro captu, & breviculo tempore, quo vobiſcum ſum verſatus, hæc apud vos diſſerere volui: *Paracletus autem, Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo*, hoc eſt, propter me, vel loco meo, *ille vos docebit omnia,* quæ nunc a me abituriente uberius explicari, nec a vobis propter ruditatem veſtram exactius intelligi poſſunt, *& in memoriam vobis revocabit omnia, quæ dixi vobis.*

L. Potuiſſent Apoſtoli per Spiritum S. ab integro, & de novo velut omnium ignari adhuc doceri: ſed divino conſi-

conſilio factum eſt, ut doctrina CHRISTI publice ab eo propoſita Spiritus S. doctrinam præcederet, ac Spiritus S. doctrinam CHRISTI ſuggerendo ipſos doceret, ut ſic manifeſtum fieret, doctrinam Spiritus S. non eſſe a doctrina CHRISTI ſeparandam, ac doctrinam CHRISTI non poſſe ſine Spiritus S. illuminatione & ſuggeſtione ſalutariter percipi.

LI. Atque hinc etiam patet, quod Apoſtoli circa doctrinam CHRISTI, & Evangelia ſcribenda errare non potuerint. Neque vero ſcribi potuiſſet Evangelica Hiſtoria, niſi Spiritus S. tot Domini dicta & facta hominibus alioquin illiteratis & rudibus in memoriam revocaſſet.

LII. Septima ſequitur conſolatio, a pace, quam hactenus conceſſiſſet diſcipulis, ac deinceps eſſet relicturus. *Luc. XIV. 9. 27.* *Pacem meam,* inquiens, *relinquo vobis, pacem illam meam do vobis.* Quæ videntur deſumta ex Hebræa valedicendi formula. Vt enim Latini *Vale,* ita Hebræi שלום dixere, hoc eſt, *pacem,* ſive *ſalutem.*

LIII. Pax CHRISTI, quam a pace mundi diverſam eſſe docet, includit in ſe pacem cum Deo, ſive reconciliationem hominis cum Deo; pacem hominis in ſeipſo, hoc eſt, tranquillitatem animi, ſive compoſitionem affectuum, hominem in diverſa rapientium; pacem hominis cum proximo, ſive mutuam hominum concordiam: e quibus poſterior ſemper e priori naſcitur. Ex agnitione enim exhibitæ gratiæ divinæ, initæque reconciliationis, oritur tranquillitas mentis & conſcientiæ; hinc vero accedente gratia Spiritus S. conſequitnr affectuum moderatio, & dominium, ne turbent mentem, & in transverſa

Digitized by Google

verſa abripiant; & hæc ubi fuerint, facile ſervetur mutua hominum inter ſe concordia.

LIV. Hinc exponit CHRISTVS quo pacto ſuam pacem det diſcipulis, his verbis: *Non quomodo mundus dat, ego vobis;* ſupple, *pacem meam do.* Dat enim & aliam pacem, & alio modo, & alio fine. Pacem, quam CHRISTVS dat, mundus nec novit ipſe, nec habet, & dare propterea non poteſt: pacem autem temporalem, quam dare ſolet, non tam impertiendo dat, quam precando, & vovendo; nam ſæpe hæc ipſa vel mundo maxime invito eripitur & evertitur: CHRISTVS vero pacem dat, non ſolis verbis bene precando, ſed reipſa tanquam auctor ejus. Denique quam pacem mundus dat, ea intentione dat, ut moleſtia litium & bellorum liberati molliter & ſecure agamus, & bonis externis perfruamur: CHRISTVS vero dat pacem, ut Deo reconciliati in mediis etiam fortunæ malis tranquille vivamus, & in Deo lætemur.

LV. Poſt ſeptem iſta ſolatii argumenta concludit CHRISTVS, quod antea propoſuerat, ac præcipuum etiam repetit argumentum, de ſuo videlicet reditu.

℣. 28. LVI. *Ne turbetur cor veſtrum,* miſeratione mei; neque *formidet,* ſollicitudine de vobis, quia neſciatis quid de vobis ſit futurum. *Audiviſtis, me* paulo ante *dixiſſe vobis: Abeo, & redeo ad vos.* Non igitur eſt, quod turbemini ob diſceſſum ejus, qui majore cum gaudio ad vos eſt reverſurus.

LVII. Vt magis vero dolorem abſtergeat diſcipulis, addit: *Si diligeritis me,* quantum ac quomodo oporteret, non tam ob abitum hunc in luctu & ſqualore eſſetis, ſed *gauderetis utique,* & mihi gratularemini, *quod dixerim,*

vado

vado ad Patrem. Nam Pater major me eſt: ut omnino me ad Patrem evecto, plus tutelæ ac præſidii ſitis habituri, quam in ſola corporis mei præſentia.

LVIII. Non immerito autem hoc in loco quæritur, qua ratione Pater Filio major dicatur. Et ſane hoc dicto olim Ariani ad impugnandam Filii divinitatem haut ſegniter abuſi ſunt.

LIX. Quidam ſtatuunt, a CHRISTO hoc dictum eſſe ſecundum exiſtimationem, quam de ipſo tunc temporis habebant diſcipuli, nondum plane intelligentes ipſum Patri eſſe æqualem. Atque ita Chryſoſtomus *Homil. LXXV. in Joh.* quem, pro more ſuo ſequuntur Theophylactus & Euthymius. Vide etiam Iſidorum Peluſiotam *lib. III. Epiſt. CCCXXXIV.* & Auguſtinum *lib. I. de Trinitate cap. IX.*

LX. Sed durum eſt ſtatuere, Apoſtolos, quorum nomine Petrus reſponderat Matth. XVI. v. 16. *Tu es CHRISTUS, Filius Dei vivi,* & Johan. VI. v. 69. *Nos credidimus, & cognovimus, quod ſis CHRISTUS, Filius Dei,* quique tot concionibus & miraculis de CHRISTI divinitate convicti erant, tunc temporis CHRISTUM, merum hominem, & Patre ſimpliciter minorem judicaſſe: qua ratione in principali & fundamentali articulo fidei a vero aberraſſent.

LXI. Nonnulli propterea CHRISTUM ſe Patre minorem dicere exiſtimarunt, quatenus hic Deitatis fons, principium ac origo ſit, Ita Athanaſius *Orat. II. contra Arianos,* Gregorius Nazianzenus *lib. III. de Theologia,* Cyrillus *Theſauri lib. II. cap. III.* Hilarius *lib. IX. de Trinitate.* Damaſcenus *lib. IV. de Orthodoxa Fide cap. XIX.*

Digitized by Google

LXII. Verum, quamvis ratione principii & originis ſano ſenſu Pater *prior* poſſet dici Filio, *major* tamen proprie loquendo dici non poteſt: tum vero eſſentiæ in Patre & Filio unitas non permittit, majorem Patrem Filio ſecundum Divinam Naturam ſtatuere.

LXIII. Simpliciſſime ergo hic locus exponendus eſt de CHRISTO, ſecundum Humanam Naturam, ſecundum quam in ſe conſideratam CHRISTVS Patre minor eſt. In hunc ſenſum Auguſtinus lib 1. de Trinitate cap. VII. *Scriptura non immerito utrumque dicit, & æqualem Patri Filium, & Patrem majorem Filio. Illud enim propter formam Dei, hoc autem propter formam ſervi, ſine ulla confuſione intelligitur.*

LXIV. v. 29. LXIV. Hæc cuncta ait CHRISTVS a ſe dicta eſſe, quo facilius credantur, quando fuerint impleta. Ac deinde ſubjungit, velle nunc ſe in ea temporis anguſtia finem facere ſermonis, quia appropinquaret Princeps mundi,
v. 30. ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων diabolus ſcilicet, qui per ſatellites ſuos, proceres Judæos, & per miniſtrum Judam ſe ſtudeat apprehendere. Nec tamen diabolo quicquam in ſe juris eſſe aſſerit, quod omnis peccati ſit expers.

LXV. Sed quia Patri placeat, ſua morte humanum genus redimi, ideo Patris voluntati obſequentem mortem ſe ſubire tradit. *Vt norit mundus Patrem a me diligi, & quod faciam, uti mihi præcepit.*

LXVI. Proprie quidem loquendo non moriebatur JESVS, ut hoc mundus cognoſceret, ſed ut mundum ipſum redimeret: Verum hinc conſequens erat, ut ejus erga Patrem dilectionem mundus cognoſceret. τὸ ἵνα igitur hoc loco non cauſæ, ſed ut alibi ſæpe, conſequentiæ ſignum eſt.

LXVII.

Digitized by Google

LXVII. His dictis monuit diſcipulos, ut, qui hactenus accubuiſſent menſæ, de ea ſurgerent. *Surgite*, verba ſunt CHRISTI, *abeamus hinc*, & obviam procedamus Principi hujus mundi, quandoquidem ſecundum voluntatem Patris mei moriendum eſt.

Cap. XVIII.

De alterius longi ſermonis CHRISTI, ſeu in cœnaculo inter ſtantes, ſeu in via inter eundum habiti, parte priori, quæ refertur Johannis cap. XV.

I.

SEquitur hinc ſermo CHRISTI alius; quem *Cygneam* CHRISTI *cantionem* merito appellaverimus.

II. Sed utrum habitus ſit in cœnaculo inter ſtantes (ut ſolent amici, qui ægre alter ab altero divelluntur, a menſa etiam continuare ſermones) an in via, non ſatis in aprico eſt.

III. Quibus prior placet ſententia, arbitrantur quidem ſurrexiſſe omnes de menſa, ſed non continuo exiiſſe, verum prius CHRISTVM hanc orationem habuiſſe.

IV. Inter hanc, & alteram, media eſt, quod CHRISTVS ob timorem metumque diſcipulorum in alium domus ſecretiorem locum ſe receperit, ac ibidem concionem abſolverit.

V. Qui ſermonem putant in via habitum, ex eo id evincere laborant, quod CHRISTVS non ſolum de menſa ſurgi, ſed etiam exlri juſſerit. Illis vero, qui putant tam longum ſermonem nequaquam viæ convenire, nec potu-

Digitized by Google

potuiſſe CHRISTVM ab omnibus diſcipulis inter eundem exaudiri, reſponderi forſan poſſet, ſufficere, ſi CHRISTVM audiverint ii, qui cum eo ordine præcederent, uti Petrus, Jacobus & Johannes, quorum tertius hæc exaravit, uti audierat.

VI. Continetur hic ſermo *cap. XV. & XVI.* Johannis. Priori capite tria facit CHRISTVS. Primum comparationem inſtituit inter Patrem & vinitorem; ſe & vitem; diſcipulos, & palmites. Deinde adhortatur ad obſervationem mandatorum, ac præcipue dilectionis mutuæ. Denique conſolatur ſuos adverſus mundi odium.

VII. Vnde occaſio CHRISTI nata ad vitem divertere, non eadem eſt interpretum opinio.

VIII. Qui in via CHRISTVM hunc ſermonem habuiſſe cenſent, eum ex conſpectu vitis alicujus inter prætereundum permoveri potuiſſe opinantur. In hac ſententia præter alios eſt etiam Janus Cornarius, qui *lib. III. de Re Vinitoria* ſic ſcribit. *Cum CHRISTVS eo ipſo tempore, quo hunc ſermonem habuit, juxta vineta montis olivarum incederet, & quantopere Spiritus S. hac ſtirpe paſſim in tota Scriptura delectatus eſſet, noſſet placuit tum quoque ex ea imaginem mutuari; ut ſimilem ſe viti oſtenderet.*

IX. Sed ut hoc eludant illi, qui in cœnaculo CHRISTVM ultima verba feciſſe tradunt, vitem quandam circa domum illam, in qua commorabatur JESVS, plantatam conjiciunt, ejusdemque palmites ad ipſum usque cœnaculum aſſurrexiſſe, & propter accenſas in cœnaculo lampades a CHRISTO & Apoſtolis fuiſſe obſervatos.

X. Sed hæc omnino ſunt incerta. Fortaſſis ergo prima occaſio eſſe potuit, quod in Cœnæ inſtitutione dixerit

xerit CHRISTVS, vinum eſſe ſui ſanguinem. Nam a vino ad palmites vitemque, ut & ipſum vinitorem commode potuit aſcendi.

XI. Nihil tamen vetat, quo minus etiam dicamus, CHRISTVM ex abrupto ſermonem fuiſſe exorſum, ut in allegoria de vite ſumta diſcipulos de myſteriis quibusdam doceret: ſicut alias ſolebat parabolis a re ruſtica petitis & Apoſtolos, & auditores alios inſtruere.

XII. Patrem CHRISTVS comparat agricolæ, ſeſe autem viti. *Ego ſum*, inquit, *vitis illa vera*. Non ſum fera tis, ſed neque illa vulgaris, verum ἀληθινὴ illa. Quippe longe melius nomen vitis mereor, quia excellentius in me conſpicitur, quicquid in vite laudatur. Joh. XV. v. 1.

XIII. Quando CHRISTVS Patrem vocut γεωργὸν *agricolam*, intelligendus is, qui proprie eſt ἀμπελουργὸς, *vinitor*.

XIV. Appoſite vero CHRISTVS *vitem* ſe dicit potius, quam aliam quandam arborem. Vitis enim cum lignum habeat deſpectiſſimum, præſtantiſſimum tamen & dulciſſimum præ reliquis omnibus profert fructum. Ita quoque Servator pro contemtiſſimo & abjectiſſimo virorum habitus, precioſisſimum paſſione & morte ſua fructum, æternam ſalutem nobis promeruit.

XV. Deinde, ut circa vites colendas maximum & præcipuum eſt agricolarum ſtudium, ita quoque æterni Patris in exorando & glorificando Filio ſuo.

XVI. Denique ut vitis ſolet amputari, ita a corpore CHRISTI inutilia & infrugifera ſarmenta tolluntur. Joh. XV. v. 2.

XVII. Et hanc rationem convenientiæ proſequitur CHRISTVS, cum addit: *Omnem palmitem in me non ferentem fructum:* id eſt, ii qui meo corpori externa ſocieta-

Digitized by Google

te Eccleſiæ conjuncti ſunt, eandem cum piis fidem profitentur, iisdem utuntur Sacramentis, non agunt tamen veram pœnitentiam, neo veram in me habent fidem, nec per charitatem & bona opera eandem teſtantur, *tollit* vinitor cœleſtis, amputat, ac pro ſarmento habet, gratia privatum extra communionem quam mecum habuit, ponit: non ſecus ac vinitor aridos & exſuccos palmites ad radicem usque exſcindere & amputare ſolet. *Qui* autem præditus fide, per charitatem efficace, *fert fructum, purgat,* (*καθαίρειν* hic eſt *vitem pampinare*) hoc eſt, cum rebus adverſis pro nomine meo perferendis exercet, & radices malarum cupiditatum magis magisque exſcindit, *ut plus fructus ferat:* ſicut vinitor frugiferorum quoque palmitum luxuriantes extremitates amputare ſolet, ut plus roboris ſumant & plus fructus ferant.

v. 3. XVIII. Hæc generatim ita dicta accommodat deinde diſcipulis, & per conſequens, omnibus fidelibus: quos ait jam eſſe purgatos, propterea quod fidem haberent Evangelio. *Jam vos,* inquit, palmites utiles eſſe certum eſt, quia *puri eſtis, propter ſermonem, quem locutus ſum vobis;* id eſt, Evangelicam meam doctrinam, cui credidiſtis.

XIX. Dicuntur Apoſtoli *mundi,* non quod omni prorſus peccato carerent: ſed tum propter antegreſſam ab errore incredulitatis liberationem, & a peccatis mortalibus mundationem; tum propter peccatorum in carne adhuc hærentium & infirmitatum reſiduarum non imputationem, &, ut ita dicam, obtectionem, veterisque Adami quotidianam internecionem.

XX. Auguſtinus Tractat. LXXX. in Johannem: *Mun-*

Mundat Deus mundos, hoc eſt fructuoſos, ut tanto ſint fructuoſiores, quanto fuerint mundiores.

XXI. Ex eo, quod ſe *vitem* eſſe dixerat, ac diſcipulos comparaverat palmitibus, colligit, iis curandum eſſe, ut ſint in CHRISTO, & tum ſe quoque in illis manſurum: *Manete in me,* per fidem ſcilicet, *& ego in vobis,* ſcilicet manebo, per gratioſam & myſticam inhabitationem. *Joh. XV. v. 4.*

XXII. Non ſomnianda hic eſt cum Weigelianis ſubſtantialis quædam unio, qua CHRISTUS ſecundum ſubſtantiam ſic cum ſubſtantia fidelium miſceatur uniaturque, ut homo fidelis quaſi ipſe CHRISTUS evadat, aut ſubſtantiæ ipſius corporaliter ſit particeps. Nam illa inhabitatio CHRISTI eſt ejus præſentis & in fidelium cordibus inhabitantis ſpecialis gratia & operatio.

XXIII. Ut autem in CHRISTO maneant, ideo curandum eſſe monet, quia ut palmes à ſe ipſo non profert fructum; ſed tum demum, ſi ex vite ſuccum hauriat vitalem: ita nec ipſi quicquam boni poſſint, niſi ſibi ſint inſiti.

XXIV. Jam porro ſimilitudinem ad ſe & diſcipulos ſuos accommodans: *Ego:* inquit, *ſum vitis, vos palmites.* Et ſicut ante ad manendum in ſe, cohortatus fuerat, argumento ſumto ex negatione fructus eorum, qui non manent: ita nunc ad idem cohortatur promiſſione fructus ferendi ab eis, qui manent. *Qui manet in me, & in quo ego* maneo, (quæ duo ita conjuncta ſunt, ut ſeparari non poſſint) *hic* ſolus fert fructum multum: *nam ſine me,* ſive ſeparati a me, id eſt, ſi a me vitam, & vim agendi non acceperitis, *nihil poteſtis facere.* *v. 5.*

Digitized by Google

XXV. Hactenus ad manendum in ſe cohortatus eſt, negatione fructus in non manentibus, & promiſſione fructus in manentibus: nunc pergit idem urgere, oſtendendo mala, quæ con ſeqvantur non manentes.

Joh. XV. v. 6. XXVI. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras, ſicut palmes, & areſcet, & colligunt eos, & in ignem conjiciunt, & ardent.* Hoc eſt, impii & infideles, qui in me non manent, & in quibus proinde & ipſe non maneo, igni infernali mancipabuntur. Sicut enim ſarmenta, & quæ a vite reſecta ſunt, uſibus hominum alio modo non poſſunt inſervire, niſi ut in ignem conjiciantur; ita quoque qui in CHRISTO non manſerint, nihil aliud exſpectent, quam ut igni tradantur.

XXVII. Atque hæc de parte capitis prima, qua Pater, CHRISTVS, diſcipuli cum vinitore, vite, & palmitibus comparantur: idque ut inde intelligeretur, quam neceſſarium ſit, ut CHRISTVS inhabitet in nobis per ſuam gratiam, & efficacem Spiritus S. operationem, ac nos ei fide viva inhærentes fructus dignos fidei proferamus. Quomodo item, qui CHRISTVM repudiant, quia extra CHRISTVM non eſt vita, tandem puniendi ſint morte æterna.

Joh. XV. v. 7. XXVIII. Altera capitis pars eſt adhortatio ad obſervationem mandatorum Dei, ac potiſſimum dilectionis mutuæ. Primum argumentum petitur a promiſſione exauditionis. *Si manſeritis in me*, per fidem, *& verba mea in vobis manſerint*, id eſt, in animo & voluntate, in memoria & affectu, quem ſubjicietis Dei mandatis, non tantum fructum multum feretis, ſed hoc quoque longe am pliſſimum vobis dabitur, *Quicquid volueritis, petite, & fiet vobis.* Nihil enim in me manentes, ſecus quam

Pa-

Pater vult, deſideraveritis aut petieritis: neque, quia Patri eritis clariſſimi, quicquam petetis, quod ille ſit negaturus.

XXIX. Deinde altera, imo gemina affertur cauſa, cur debeant obſervare verba, ſive mandata CHRISTI. Videlicet quia inde gloria Dei augebitur, & cunctis apparebit, eos eſſe genuinos CHRISTI diſcipulos.

XXX. *In hoc glorificabitur Pater meus* (Aoriſtus ἐδοξάσθη pro futuro ponitur) *ut fructum multum feratis*, id eſt, ſi fructum multum attuleritis (ἵνα hic non cauſam, nec conſequentiam, aut eventum ſignificat, ſed conditionem, qui effertur per *ſi*) *& eritis diſcipuli mei.* Sententia eſt: Si homines viderint, vos non ſolum nomine, ac profeſſione, ſed opere etiam, eſſe diſcipulos CHRISTI, Patris nomen celebre ac illuſtre reddetur, & provocabuntur homines ad ipſum laudandum, & magnifice de ipſo ſentiendum. *Joh. XV. v. 8.*

XXXI. Tertium argumentum, quo hortatur CHRISTVS ad mutuam dilectionem, deſumit a ſuæ dilectionis exemplo. *Sicut dilexit me Pater, ita & ego dilexi vos: manete, in dilectione mea.* *v. 9.*

XXXII. Hugo Grotius, Voſſius, & alii nonnulli illud *ita*, potius antē *manete*, reponendum cenſent, hoc pacto: *Sicut dilexit me Pater, & ego diligo vos: ita & vos manete in dilectione mea:* ut geminum Patris & Filii exemplum ad imitandum proponatur.

XXXIII. Subjungitur modus, quo detur manere in CHRISTO. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea.* *v. 10.*

XXXIV. Et ne dura videri queat conditio, exemplum in ſe proponit, qui non alia ratione maneat in charitate

Digitized by Google

ritate Patris, quam obſervando mandata ejus. *Sicut ego,* inquit, *Patris mei præcepta,* quæcunque mihi pro hominum ſalute injunxit, *ſervavi,* & hac ratione *maneo in ejus charitate:* ita & vos perſiſtite in dilectione mei, & præſtate, quæ præcepi.

XXXV. Quartum argumentum, cur diſcipulos adhortetur ad dilectionem mutuam, petitur a fine eo, quod quo gaudio CHRISTVS gauderet in dilectione Patris, eodem diſcipuli gaviſuri ſint. CHRISTI verba ſunt hæc: *Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis maneat.* *Joh. XV. v. 11.*

XXXVI. Quid per *gaudium CHRISTI* intelligatur, varie a variis interpretibus exponitur. Nos ſalvis aliorum ſententiis, accipimus pro gaudio, quali ipſe in Patre gaudebat. Quia enim Apoſtolos hortatus erat, ut ſicut ipſe in Patris, ita illi in ipſius manerent charitate, & eadem ratione manerent: Commode igitur ſubjicit, ſe hæc dixiſſe, ut, quo gaudio ipſe in Patre gauderet; ejusmodi illi gauderent in ipſo.

XXXVII. Verbis ſubſequentibus, *ut gaudium veſtrum impleatur,* ſignificare videtur, verba hæc ſua iſthoc tempore non ita gignere ſolatium: ſed magno gaudio fore, ubi CHRISTVM viderint a reſurrectione; majori, ubi miſſus fuerit Spiritus S. maximo, ubi ſecum in cœleſtia eos gaudia transtulerit.

XXXVIII. Quia vero hoc gaudium mentis ſpirituale naſcitur ex obſervatione mandatorum CHRISTI, hac occaſione illud de mutua charitate mandatum repetit, quod ſciebat nunquam ſatis inculcari, nunquam ſatis commendari poſſe. *Hoc eſt,* inquit, *mandatum illud meum,* quod maxime omnium commendatum cupio & quo *Joh. XV. v. 12.*

ſer-

ſervato, reliqua, quæ illo fere continentur, ſervari minori poterunt negocio, ut diligatis invicem.

XXXIX. Atque id iterum ſuo facit exemplo: *Prout dilexi vos.* Toties enim ſuam dilectionem proponit in exemplum, quod ea major ſit alia nulla: quippe qui vitam ſit impenſurus pro amicis: quo in hominibus nullus luculentior eſt amoris gradus. v. 13.

XL. Sed dicis, quomodo hoc effatum CHRISTI convenit cum illo Pauli, qui ad Rom. cap. v. CHRISTVM pro nobis tanquam inimiciſſimis vitam ſuam poſuiſſe aſſerit?

XLI. Reſpondetur, Dominum animam ſuam pro amicis, & pro inimicis ſuis poſuiſſe. Pro *amicis* quidem, quia illos, pro quibus mortuus eſt, ut amicos dilexit: pro *inimicis* vero, quia ab illis non diligebatur. Pro *inimicis* mortuus eſt, quia tales per naturam erant omnes homines, juxta carnis corruptionem; pro *amicis* vero, quia tales facti ſunt per CHRISTI reconciliationem.

XLII. Hanc explicationem jam olim attulit Bernhardus Serm. IX. in Pſalm. XV. *CHRISTVS non aliter pro amicis mortuus eſt, niſi pro acquirendis, videlicet ut amicos faceret ex inimicis. Cum enim adhuc inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo, per ſanguinem Filii ſui. Aut potius pro jam amicis, etſi non quidem amantibus, ſed tamen jam amatis. In hoc eſt enim gratia, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed prior ipſe dilexit nos. Vis noſſe quam longe prior? Eligit nos in CHRISTO ante jacta mundi fundamenta. Quomodo ergo non dilecti jam tum in illo, quando electi in illo? Quomodo non ei grati, in quo ſumus gratificati? Sic ergo CHRISTVS ſecundum tempus quidem pro impiis*

Digitized by Google

impiis mortuus eſt, ſecundum prædeſtinationem autem pro fratribus & amicis.

XLIII. Quia vero CHRISTUS proxime diſcipulos ſuos vocarat amicos, pro more ſuo Dominus ex ipſo vocabulo occaſionem ſumit inſtituendi eos, iterumque commonefaciendi, quomodo amici eſſe poſſint. *Vos*, inquit, *amici mei eſtis*, & in mea amicitia perſeverabitis,
Joh. XV. v. 14. *ſi feceritis, quæcunque ego præcipio vobis.* Hoc eſt. Tunc demum reipſa veros meos amicos vos eſſe declarabitis, ſi credentes me eſſe promiſſum Meſſiam, fide mea beneficia amplexi fueritis, inque ea ad finem vitæ perſeveraveritis, ac ſi mutuo vos dilexeritis, atque ex dilectione erga me & proximum, Evangelium meum juxta vocationem veſtram prædicaveritis.

15. XLIV. Mox reddit cauſam, quare *amicos* eos appellaverit: ut ita ſummam ſuam erga ipſos charitatem ob oculos ponat, & ad redamandum magis magisque invitet. *Non amplius dico vos ſervos*, hoc eſt, ſervorum loco vos non habebo: etſi enim revera ſervi ſitis, non tamen non niſi pro amicis vos reputabo.

XLV. Rationem vero, ex qua illis conſtet ipſos haberi pro ſuis amicis, hanc ſubjungit, quod omnem iis expoſuerit Patris cœleſtis voluntatem; cum alias ſervi non ſoleant eſſe gnari, quid occulti conſilii agitet Dominus; ſed contenti ſint exſequi ea quæ is juſſerit.

XLVI. Ne vero diſcipuli ob tantam dignitatem, quod CHRISTI ſint amici, inſoleſcant, aut efferantur,
v. 16. addit: non ſe ab iis eſſe electum, ſed eos a ſe electos. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, tum ad fidem & æternam vitam; tum ad munus Apoſtolicum. Utraque enim electio optime hic locum habere & conjungi poteſt.

XLVII.

XLVII. Duplici autem fine eos a ſe electos eſſe dicit, uno, ut fructum poſſent proferre ad utilitatem ſui, & gloriam Dei; altero, ut quæcunque ſalutaria ſibi poſcerent a Deo, ea impetrarent. *Et conſtitui vos*, ego confirmavi vos tum in fide, tum in munere Apoſtolico, *ut abeatis* in univerſum mundum, prædicaturi Evangelium omni creaturæ, *& fructum feratis, & fructus veſter maneat*, talisque ſit, de quo gaudere queatis; multis gentibus ad vos per fidem converſis. Vnde porro fiet, ut quicquid petieritis a Patre in nomine meo, vobis ſit daturus.

XLVIII. Hinc univerſe concludit præcepto breviſſimo ac ſuaviſſimo, ut ſe invicem diligerent. *Joh. 15. v. 17.*

XLIX. Atque hactenus de ſecunda parte hujus capitis; quæ præcipit obſervationem mandatorum, ac potiſſimum dilectionis mutuæ.

L. Tertia capitis parte a dilectione mutua tranſit CHRISTVS ad odium mundi; idque commode omnino, quia mutua dilectione odium mundi exſuperandum eſt; non vero ob odium mundi ab amore CHRISTI recedendum.

LI. Et primum quidem conſolationis argumentum petit ab exemplo ſuo. *Si mundus vos odit, ſcitote, quod me priorem vobis (πρῶτον ὑμῶν)* hoc eſt, *ante vos*, vel etiam, ut nonnulli volunt, *primum veſtri*, hoc eſt, doctorem veſtrum, ac dominum, odit. *v. 18.*

LII. Alterum argumentum eſt cauſa ejus odii. Illa eſt, quod mundus non poſſit non odiſſe, quos CHRISTVS a mundo ſecreviſſet. *Si ex mundo eſſetis*, id eſt, ex numero hominum mundana curantium, Deumque, & viam ſalutis aſpernantium, *mundus, quod ſuum eſt*, qui ſibi ſunt ſimiles, *amaret*, *Sed quia elegi vos ex mundo*, &, tam per *v. 19.*

Digitized by Google

fidem, quam per vocationem ad Apoſtolicum munus a ceteris mundi amaſiis ſegregavi, *propterea odit vos mundus.*

LIII. Sententia igitur CHRISTI hæc videtur: Etſi futuri ſint mundo exoſi, non propterea animum abjicere debere, ſed cogitandum iis eſſe, hoc odium eos ſuſtinere, quia CHRISTVS ad hoc eos ſegregaverit a mundo: tum etiam non poſſe aliter eſſe, quin eos oderit mundus, cum ſimile capiatur ſimili, Apoſtoli autem ſint disſimiles mundanis.

Joh. XV. v. 20. LIV. Tertium argumentum ſumitur a proverbiali gnoma; Non eſſe ſervum majorem domino. *Mementote ſermonis illius, quem ego dixi vobis,* hac ſcilicet ipſa veſpera, cum poſt cœnam veſtros pedes laviſſem: *Non eſt ſervus major domino:* quam quidem ſententiam ſic uſurpabam, ut vos inſtituerem, ne pigeret facere, quod ipſe prior feciſſem: at nunc eam repeto, ut ne recuſetis pati, quæ ipſe prior paſſus fuerim.

LV. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur:* Sed noſtis quomodo me ſint perſecuti, quid igitur vobis exſpectandum ſit, in aprico eſt. *Si ſermonem meum obſervaverunt, & veſtrum obſervabunt.* At quemadmodum non ſervaverunt meum, ſic nec veſtrum ſervaturi erunt ſermonem.

LVI. Quartum eſt argumentum ab odii & perſecutionis cauſa. Ea dicitur eſſe odium CHRISTI, *Sed hæc*
v. 21. *omnia,* quæ vobis ad meum exemplum evenient, *facient vobis,* non ob aliqua veſtra flagitia, ſed *propter nomen meum,* odio mei, ſive propter me.

LVII Cur autem oderint CHRISTVM, ratio affertur, ignorantia ejus, qui miſerat CHRISTVM. *Quia non*

non noverunt eum, qui miſit me. Præ ambitione, & aliis carnis affectibus ita ſunt excæcati, ut non attendant ad Patrem, a quo miſſus ſum in mundum. Nam ſi hunc recte cognoſcerent, intelligerent utique ex verbis & operibus meis, me a Deo miſſum eſſe.

LVIII. Ne autem videretur ea ignorantia peccatum minuere, iſtosque excuſare, e verbis & operibus ſuis oſtendit, omni eos carere venia & excuſatione. Absque iis foret, pro tanto negat peccato fuiſſe habendum, quod neſcirent, a quo miſſus eſſet. *Si non veniſſem, & locutus eſſem eis, peccatum non haberent,* id eſt, tantum non haberent, quantum nunc habent, veritate contumaciter repudiata. *Nunc autem non habent, quod prætexant peccato ſuo.* v. 22.

LIX. Quintum argumentum eſt ab odii hujus fœditate; quod bifariam comprobat. Prius ex eo, quod non CHRISTVM modo oderint; ſed pariter Patrem, qui eum miſit. Alterum eo, quod miraculis tam illuſtribus aliud potuerint edoceri.

LX. Audiamus Scripturæ verba: *Qui me odit, etiam Patrem meum odit.* v. 23. *Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit,* v. 24. id eſt, tanta cum facilitate, tanta cum auctoritate, tot, & tam crebro, ac tam familialiter, ſecundum prædictionem Prophetarum, *peccatum non haberent* tantum, quantum nunc habent. *Nunc autem & viderunt* miraculoſa mea opera, & nihilominus *oderunt tum me, tum* ex conſequenti *Patrem meum,* in quem injuria redundat.

LXI. Addit deinde ſermoni ſuo pondus ex eo, quod jam olim id prædictum fuerit a Davide: *Sed ut impleatur* Joh. XV. v. 25. *ſermo* (*Vt* hoc loco conſequentiam notat, non cauſam.

Non enim ad CHRISTVM odio habendum impulſi ſunt; neque id ipſi intenderunt, ut Scriptura impleretur, ſed ex eorum odio conſecutum eſt, ut, quod prædixit Sp. S. impleretur) *qui in lege ipſorum ſcriptus eſt: Oderunt me gratis,* id eſt, immerito.

LXII. Per *Legem* hoc loco non intelligitur lex Moſaica, ſed universa Sacra Scriptura; qualis tum exſtaret. Vti etiam ſumitur Joh. X. 34. & *I.* Corinth. *XIV. 21.* ubi ex lege citatur, quod legitur apud Prophetam Eſaiam. Similiter enim, quod hic memoratur, eſt ex Pſalmo *XXXV. v. 19.* & *LXVIII. v. 5.*

LXIII. Sextum eſt argumentum a duplici teſtimonio adverſus hoſtile odium. Prius eſt Spiritus Paracleti, quem miſſurus eſſet. *Cum autem venerit Paracletus ille,*
v. 26. *quem ego mittam vobis a Patre, Spiritus ille veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtabitur de me,* quis ego ſim, & quam inique agant, qui me oderunt.

LXIV. Quia CHRISTVS de Spiritu S. hoc loco ſimpliciter dicit, *quod a Patre procedat,* nulla ſui facta mentione, ideo Græci mediæ ætatis a ſolo Patre procedere Spiritum S. opinati ſunt. Sed quia CHRISTVS jam ante dixerat; *Quem ego mittam vobis a Patre,* & hæc miſſio æqualem cum Patre auctoritatem indicet, & poteſtatem, atque adeo æterna proceſſio ex eo fluat, non habent, quod præſidii in eo loco quærant Græci.

LXV. Alterum teſtimonium eſt ipſorum Apoſtolorum; quibuscum, ex quo cœpiſſet prædicare, ſemper eſſet converſatus, ut omnium, quæ vidiſſent, & ex eo audiviſſent, teſtes eſſent certiſſimi.

LXVI. Atque hactenus ea ſermonis CHRISTI pars, quam exhibet Johannes *cap. XV.*

CAP.

CAP. XIX.

De ſermonis ejusdem, ſive in cœnaculo, ſive in via habiti, parte altera, quæ refertur Johann. cap. XVI.

I.

QVatuor hac ſermonis parte facit CHRISTVS. Primum diſcipulis prædicit adverſa, quæ obſervatura eſſent a diſceſſu ſuo. Deinde ſtudet mederi eorum mœrori. Tertio tranſit ad ſolatium illud a reditu ſuo deſumtum. Demum diſcipulorum diſperſionem prædicit.

II. Ac initio primæ partis aperit, cur tam multa hactenus adduxerit de malis, quæ diſcipulos manerent. Atque ait, hoc ideo a ſe factum, non, ut mœſtiores reddat, ſed quo minus offendantur, ubi hæc inciderint. Verba ſunt CHRISTI. *Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini.* *Joh. XVI. v. 1.*

III. Sententia ferme hæc eſt. Facile poſſetis exiſtimare, vel iſta, quæ vobis impendent, mihi fuiſſe incognita, vel, me vobis imponere voluiſſe, & triſtibus occultatis tantum læta irrito eventu promiſiſſe. Nunc autem a me præmoniti, tantum abeſt, ut, cum evenerint, ullam de me dubitandi, animive abjiciendi occaſionem habeatis; ut potius mala præviſa & præmeditata majore conſtantia ſitis excepturi, & meam omniſcientiam, fidem & veritatem agnituri.

IV. Inde proponit exempla aliqua perſecutionum, quas eſſent paſſuri, eaque duplicia, Ignominiæ & Suppliciorum.

v. 2. V. Ad ignominiam pertinet, quod eos forent relegaturi a cœtu ſuo, qui συναγωγὴ dicebatur. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς, *Movebunt vos ſynagogis.*

VI. Erat hoc pœnæ genus, quo quis a ſacris arcebatur publicis.

VII. Dum enim a Judæorum e Babylone reditu, Judaici ſtatus neceſſitate ita poſtulante, Scholæ erigerentur & Synagogæ, ſub profanis autem Principibus magna & intolerabilis morum invaleſceret licentia, pii & cordati viri effrænem morum & vitæ improbitatem pia hac diſciplina duxerunt coercendam, ut præfractos legum transgreſſores e Synagogis publicis ejicerent, &, ut morbida membra, ab Eccleſia abſcinderent. Qui ſic ejiciebantur, ἀποσυνάγωγοι γίνεσθαι, id eſt, a cœtu publico alieni fieri dicebantur.

VIII. Hac autem pœna abuſi poſtea primores Judæorum, contra eosdem nonnunquam ſævierunt, qui cœleſtem amplexi veritatem, additamentis Patrum contradicerent, aut alias malis Synedrii conſiliis factisque jure ſe opponerent.

IX. Ad hunc Johannis locum reſpexit Photius, quando Epiſt. CXVI. (edit. Londin. anno LI.) ſcribit: ὥσπερ τοὺς τοῦ δεσπότου μαθητὰς τὸ μισόχριστον τῶν Ἰουδαίων συνέδριον ἀποσυναγώγους ποιήσαντες, οὕτως καὶ νῦν οἱ τῶν Ἰουδαίων μιμηταὶ τοὺς τῶν Ἀποστόλων ζηλωτὰς ἀποσυναγώγους ποιήσαντες. *Sicuti CHRISTI odio flagrans Judæorum Synedrium Domini diſcipulos movebat Synagogis; ita nunc etiam Judæorum æmuli Apoſtolorum imitatores excommunicant.*

X. Deſignat Photius procul dubio iſta tempora, quo circa cultum imaginum in tantum excreverunt diſceptationes, ut diſſidentes ſe invicem excommunicarent.

XI. Ce-

XI. Ceterum uti apud Judæos alia major, alia minor erat excommunicatio, (qua de præter ceteros exacte diſſeruit Joh. Seldenus *libro I. de Synedriis Ebræorum cap. VII.*) ita hoc Chriſtiani veteres imitati ſunt; quibus pœna levior *Abſtentio;* qua a cœna arcebantur ad tempus præfinitum; gravior autem Ἀνάθημα, cum ſine ulla temporis præfinitione abſcinderentur: ſic tamen, ut is, qui pœnitentia duceretur, non ſemper a ſacris excluderetur, præſertim in vitæ extremis.

XII. Ad ſupplicia vero hæc pertinent: *Imo veniet tempus, cum quisquis vos interemerit, putet ſe cultum præſtare Deo.* Tanto in periculo verſabimini, ut non ſolum impune occidamini, ſed, qui id fecerint, in ſcelerata hac mente ita ſibi ſint placituri, ut videantur ſibi eo acceptum Deo cultum præſtare.

XIII. Tanti odii affertur cauſa, quod neque Patrem, neque CHRISTUM noverunt. *Et hæc facient vobis,* non, quod meriti ſitis, ſed ex ignorantia, eaque voluntaria; *quia non noverunt Patrem, neque me,* hoc eſt, agnoſcere nolunt. *Joh. XVI. v. 3.*

XIV. Deinde exponitur, cur ea mala hac ultima concione prædicat diſcipulis, antea vero de iis ſiluerit. Nempe nunc ſe ea ait exponere, ut recordarentur dictorum, quando contingent: at reticuiſſe antea, quia, dum ſecum haberent CHRISTVM, nihil magnopere attineret ea ſcire: ſed nunc ſcito iis eſſe opus, quandoquidem ſuus diſceſſus inſtaret. *v. 4.*

XV. Etiamnunc apud eos erat CHRISTVS, cum hæc diceret, quomodo ergo dicit: *quia vobiſcum eram?* Reſpondetur. Erat quidem, ſed mox quaſi diſceſſurus; ac ideo loquitur, quaſi jam diſceſſiſſet.

XVI.

XVI. Dicis. Jamdudum CHRISTVS perſecutiones prædixerat Apoſtolis, cum eos ad prædicandum ablegaſſet. Matth. *cap. X. v. 16.* Luc X. v. 3. qui ergo ſe ab initio hæc ipſa non prædixiſſe cenſendus eſt?

XVII. Reſpondetur: Conjunctim videntur accipienda, quæ de perſecutionibus, & affuturo Spiritu S. dicuntur; ut ſenſus ſit: Perſecutiones quidem vobis jampridem prædixi, ſed eventuras demum poſt meum a vobis diſceſſum; & tum miſſum iri Paracletum, qui meo loco vos conſoletur, & adverſus tanta mala confirmet ac ſuſtentet: id hactenus diſtincte & dilucide nunquam expoſui: neque vero opus erat, quamdiu me præſente, nec calamitates experiebamini, nec alio Paracleto indigebatis.

Joh. XVI. v. 5. XVIII. Hinc accedit CHRISTVS ad partem capitis alteram, qua in luctum & mœrorem diſcipulorum ſtudet minuere. Ac primum ſignificat, unde eorum mœror ſit; nempe a ſermone de diſceſſu ſuo. *Nemo ex vobis interrogat me, Quo vadis?*

XIX. Non ſimpliciter negat Dominus, quod interrogarint: nam & Petrus & Thomas antea quæſiverant, quo vaderet; ſed, cum ſciret, eos minime aſſecutos eſſe omnia, quæ ipſius abitum attinerent, & in multis adhuc hærerent, invitat eos ad familiariter de ſingulis interrogandum. *Sed quia hæc,* de diſceſſu meo, & veſtris afflictionibus

v. 6. *locutus ſum vobis, triſtitia implevit,* & penitus occupavit *cor veſtrum,* ut non libeat quicquam interrogare.

v. 7. XX. Exinde ſolatur eos, quod ipſis diſceſſus ille ſit ſalutaris: quia, absque eo foret, non poſſet illis mittere Paracletum. *Sed ego* medicinam veſtro dolori facturus, *veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego abeam. Si*

enim

enim ego non abiero, Paracletus ille non veniet ad vos. *Joh. XVI.*
Quod ait, *ſe dicere veritatem*, hoc ipſo tum attentionem *v. 7.*
parat, tum fidem conciliat. Quod dicit, *Paracletum non venturum, niſi ipſe abierit*, id ita intelligendum, quod ſtatutum ſit a Patre, non prius venturum Paracletum, quàm CHRISTUS in cœlos aſcenderit.

XXI. Hujus Paracleti effectus affertur triplex. Primus eſt ratione mundi; alter ratione Apoſtolorum; tertius ratione ipſius CHRISTI.

XXII. Primus ille effectus tria itidem continet. Nam, *cum venerit ille Paracletus, arguet*, hoc eſt, certis *v. 8.*
argumentis convincet *mundum* de his tribus, *de peccato, de juſtitia, & de judicio.*

XXIII. Et *de peccato* quidem convincet mundum, *v. 9.*
eo quod non credunt in me. Hoc eſt, peccatum infidelitatis ita illis ob oculos ponet, ut negare & tergiverſari amplius non poſſint, ac ſimul eos ob hoc ipſum peccatum in reliquis quoque peccatis manere demonſtrabit.

XXIV. Proximum eſt, quod Spiritus mundum arguet de juſtitia. *De juſtitia vero*, id eſt, juſtitiam meam, *v. 10.*
ſive me juſtum eſſe, & in me credentes juſtificare poſſe, demonſtrabit, *eo quod ad Patrem glorioſe abeam, & me* ad dextram Patris conſidentem *amplius* in ſtatu humilitatis, ſive infirmitate carnis circumdatum *non conſpicietis.*

XXV. Tertium, de quo Spiritus arguet, *judicium* *v. 11.*
eſt: quo diabolus, qui cauſa fuit, cur CHRISTUS adjudicaretur morti, ipſe regno ſuo exuetur. *De judicio autem* convincet mundum, ſive, id ob oculos ipſi ponet, & demonſtrabit, *eo quod princeps hujus mundi*, diabolus *judicatus*; hoc eſt, condemnatus *ſit*, ſive exutus imperio, quod propter peccatum in genus humanum ſibi vendicabat.

XXVI. Hæc pauca verba, etſi prima fronte paulo obſcuriora videntur, ſummam tamen totius Apoſtolicæ doctrinæ continent. Proponitur enim in iisdem, mundum in peccato eſſe, & in peccato manſurum, niſi credat in CHRISTUM; quæ incredulitas peccatum tantum ſit, ut eo manente aliud nullum tolli queat. Juſtitiam itaque, qua tollatur peccatum, quærendam in fide CHRISTI jam conſidentis ad dextram Patris ſui. Per ipſum autem hoſtem juſtitiæ ejus Diabolum jam condemnatum eſſe, & porro cum principe ſuo mundum condemnatum iri.

XXVII. *Princeps hujus mundi* dicitur Diabolus, quia paſſim in impiis, ſive mundo addictis hominibus imperium obtinebat.

XXVIII. Altera Paracleti utilitas, quod diſcipuli, multorum adhuc ignari, ab iſto docebuntur, tanquam a Spiritu veritatis: ut qui ſolus vere edoceat doctrinam ſalutarem; nec aliud loquatur, hominique inſpiret, quam quod a Patre & Filio accepit: qui etiam iis futura ſit annunciaturus.

Joh. XIV. 12. XXIX. *Adhuc habeo multa, quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare.* Tranſiturus Salvator ab officio, quod Spiritus S. circa mundum adminiſtraturus eſſet, ad ea officia, quæ circa Apoſtolos peculiariter exſecuturus ſit, utitur quadam præteritione, in qua cauſam exponit, cur de myſteriis illis, de quibus loqui cœperat, nolit in præſentia pluribus agere, quod eorum nondum ſatis ſint capaces.

v. 13. XXX. *At cum venerit Paracletus, Spiritus ille veritatis, is ducet vos in omnem veritatem:* quanta ſcilicet vobis cognitu opus erit: & ducet vos via legitima, ac recto ordine, accommodate ad veſtrum captum, ſingula ſuo loco & tem-

Digitized by Google

& tempore proponens, ut fidus magiſter diſcipulum ſuum manu ſolet ducere.

XXXI. Hoc loco olim multi ſunt abuſi, & adhuc abutuntur hodie ad errorum ſuorum commendationem, ac ſi, quorum hic Servator meminit, ea eſſent, quæ a Scripturis aliena illi comminiſcuntur. Vnde Auguſtinus *Tractat. XCVII. in Johannem*, recte monet, hunc locum commune eſſe hæreticorum refugium. *Omnes*, inquit, *inſipientiſſimi hæretici, qui ſe Chriſtianos nominari volunt, audacias figmentorum ſuorum, quas maxime abhoret ſenſus humanus, hac occaſione Evangelicæ ſententiæ colorare conantur, ubi Dominus ait: Adhuc multa habeo vobis dicere, quaſi hæc ipſa ſint, quæ tunc diſcipuli portare non poterant, & ea docuerit Spiritus S. quæ palam docere atque prædicare quantalibet feratur audacia, Spiritus erubeſcit immundus.*

XXXII. Videtur autem Auguſtinus intelligere Gnoſticos, quorum abominandos furores recenſet *Hæreſi LXXIX.* atque idem præſtant Irenæus, Euſebius, Epiphanius, Philaſtrius, *de Hæreſibus.*

XXXIII. Tertullianus etiam ex doctrina Montani ſecundas nuptias contra doctrinam Pauli damnans, libro, quem *de Monogamia* ſcripſit, ad Servatoris verba provocat. Merito ergo Tertullianus Auguſtini cenſuram meruit, quando *lib. de Hæreſibus* ſic ſcribit: *Ideo Tertullianus factus eſt hæreticus, quia tranſiens ad Cataphrygas, quos antea deſtruxerat, cœpit etiam ſecundas nuptias contra Apoſtolicam doctrinam tanquam ſtupra damnare.* Hinc & Hieronymus *Commentar. in Epiſt. ad Titum,* Tertulliani librum *de Monogamia* vocat *hæreticum;* *& contra Eccleſiam ſcriptum* dicit in *Catalogo de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

 XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. Neque Tertullianus tantum ſecundas nuptias damnavit, ſed & primis quoque nuptiis fuit iniquior. Ita enim libro *de Exhortatione Caſtitatis* cap. IX. *Ergo jam & primas, hoc eſt, unas nuptias deſtruis? Nec immerito, quoniam & ipſæ ex eo conſtant, ex quo ſtuprum, nec per aliud fit marita, niſi per quod & adultera. Et cum hæc etiam de primis & unis nuptiis prætendi ad cauſam continentiæ poſſint, quanto magis de ſecundo matrimonio recuſando præjudicabunt.* Et libro de Monogamia: *Illud amplius dicimus, etiamſi totam & ſolidam virginitatem ſive continentiam Paracletus* (Montanum intelligit) *hodie determinaſſet, ut ne unis quidem nuptiis fervorem carnis deſpumare permitteret, ſic quoque nihil novi inducere videretur, ipſo Domino ſpadonibus regna cœlorum aperiente.*

XXXV. Felix Manichæus per illa πολλὰ intellexit doctrinam *de ſtructura mundi, de diebus ac noctibus*, aliaque ejus farinæ. Sed bene reſpondet Auguſtinus lib. I. contra Felicem cap. X. *In Evangelio non legimus Dominum dixiſſe, mittit vobis Paracletum, qui vos doceat de curſu Solis & Lunæ. Chriſtianos enim facere volebat, non Mathematicos.*

XXXVI. Hæreticorum iſtorum veſtigiis gnaviter inſiſtunt Pontificii, qui ex hoc loco traditiones ſuas confirmare ſatagunt. Quibus reſpondemus verbis Auguſtini: *Cum Evangeliſtæ tacuerint, quis noſtrum dicat iſta vel illa fuiſſe: aut, ſi dicere audeat, unde probabit? Quis tam vanus, aut temerarius, qui, etiamſi vera dicat, ſine ullo divino teſtimonio affirmet ea eſſe, quæ Spiritus S. per Evangeliſtas ſcirbere voluit.*

XXXVII. Quapropter id tenenum eſt, *multa* hæc non

non diverſa fuiſſe ab his, quæ Dominus præſens docuerat, ſed eorundem pleniorem & clariorem explicationem.

XXXVIII. Tertia Paracleti utilitas redit ad CHRISTVM, quem ille clarum reddet ac glorioſum. *Ille me glorificabit*, hoc eſt, gloriæ meæ amplificandæ operam dabit, in vobis præcipue, & per vos. *Joh. XVI. v. 14.*

XXXIX. Jure autem merito meæ gloriæ ſtudebit, *quia de meo accipiet*, hoc eſt, quia de mea ſcientia, quæ mihi eſſentialis eſt, per æternam proceſſionem novit, quicquid novit.

XL. *Omnia quæ Pater habet*, quæ modo rationem filiationis non evertunt, & cum hac ſtare poſſunt, *mea ſunt: propterea* recte *dixi, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis.* *v. 15.*

XLI. Spiritus S. doctrinam ſuam dicitur accepturus a CHRISTO: non, quaſi non accepturus a Patre, ſed quia omnia Patris etiam ſunt Filii.

XLII. Tertia capitis parte tranſit CHRISTVS ad ſolatium aliud, nempe a reditu ſuo poſt puſillum. Verba CHRISTI ſunt: *Puſillum & non videbitis me, & iterum puſillum, & videbitis me, quia ego vado ad Patrem.* *v. 16.*

XLIII. Duplicem hæc verba ſenſum poſſunt admittere. Primo quidem, *poſt puſillum temporis moriar, & e conſpectu veſtro removebor, ut me non posſitis videre; atque iterum poſt puſillum temporis reſurgam, ac vobis reducem me ſiſtam, ut iterum me videre poſſitis.* Deinde, *puſillum temporis erit ad meam usque in cœlos aſcenſionem, poſt illud non amplius me videbitis, & iterum puſillum temporis erit a mea ſcilicet aſcenſione usque ad reditum in die judicii, & tunc videbitis me.* Vtramque expoſitionem affert Augustinus *Tractat. CI. in Johannem;* poſteriorem autem

 priori

priori præfert: in quo eum ſequuntur ex veteribus Beda, ex recentioribus Maldonatus & Janſenius.

XLIV. Verum prior magis probatur Chryſoſtomo, Cyrillo, & Græcis fere omnibus: & B. noſter Gerhardus non dubitat expoſitionem illam *propriam & principalem* appellare.

XLV. Interea utrique expoſitioni conveniunt, quæ ſubjunguntur: *quia ego vado ad Patrem.* Nam Servator, cum mortem ſuam denotare vult, hoc loquendi modo uti ſolet: utpote Matth. *cap. XXVI. v. 24.* Sed & *vadere ad Patrem* etiam aſcenſionem denotat: ut cum dicit: *Aſcendo ad Patrem meum* Joh. *cap. XX. v. 27.* quin eo potiſſimum ſenſu hoc ipſo capite accipi debet verſus XXVIII. *Prodii a Patre, & veni in mundum; iterum relinquo mundum; & vado ad Patrem.*

Joh. XVI. v. 17. XLVI. Sed diſcipuli, partim ob mœrorem, partim ob tam inopinata, quæ audirent, non capiebant, quæ CHRISTVS diceret. Quare illorum aliquot inter ſe colloqui cœperunt, quid hoc ſibi velit, quod diceret, ſe jam vadere ad Patrem, & puſillum duntaxat cum illis fore. Ex timore non audent interrogare Dominum,

v. 19. ſed capitibus inter ſe collatis ſecreto ſententias conferunt, an forte ipſorum unus ſententiam fuerit aſſecutus.

XLVII. Hinc CHRISTVS ſpiritu divino edoctus quod diſcipuli ipſum interrogaturi eſſent de ſenſu ſuorum verborum; non putavit ſibi ceſſandum, donec rogaretur, ſed boni fungens magiſtri officio, prior interrogando occupat: ac continuo eos ſolatur eo, quod licet ex paſſione & morte ſua ingentem ſint percepturi luctum, mundo interim

Digitized by Google

terim gaudente; mox tamen eorum triſtitia ſit convertenda in lætitiam; ut ſimile hic ſit futurum, ac in muliere pariente, quæ in partu quidem ingentem ſuſtinet acerbitatem, ac cruciatum; ſed, ubi prole feliciter fuerit aucta, abſterſo omni dolore, concipit gaudium. *Joh. XVI. v. 21.*

XLVIII. Solet Scriptura vehementes anxietates doloribus parturientium comparare, ſic ut exinde facile conjectura aſſequi poſſimus, quantis in anguſtiis puerperæ verſentur. Quapropter non ſine cauſa Medea apud Euripidem dixit, ſe malle ter ſub clypeo in acie dimicare, quam ſemel parere. Ceterum hoc in loco a Servatore non tam ad expimendam doloris magnitudinem parturientis exemplum proponitur, quam ad declarandam doloris & voluptatis viciſſitudinem.

XLIX. Quod quædam mulieres adhuc poſt partum dolores graves ſentiant, raro fit, & plerumque dolores partum antegreſſi eos qui poſt partum ſentiuntur, ſuperant. Accipienda igitur ſunt verba Servatoris ὡς ἐπὶ τὸ πλύ.

L. Atque ſic libenter conceſſerimus, quod de his poſt partum doloribus ſcribit Sennertus *libro IV. Medicinæ Practicæ*, qui eſt de Morbis Mulierum, part II. ſect. VII. cap. V. *Dolores poſt partum puerperis valde moleſti ſunt, & ſæpe non minus eas, quam partus dolores excruciant, & vires valde dejiciunt.*

LI. Eleganter Hieronymus *Epiſt. V.* ad Virginem. *Aptiſſime ad comparationem præſentium tribulationum & futurorum gaudiorum prægnantis mulieris* (CHRISTVS) *induxit exemplum: quæ quamvis cauſam partus non abſque ingenti ſciat dolore tranſire, tamen, quia aviditate nimia liberos cupit, doloris tormentum ſpernit, dum quod ſatis diligit, concupiſcit, & ante gaudet ex prole, quam contri-*

ſtatur

ſtatur ex partu, nec recuſat fœcunditatis exordia, quamvis certa ſit, ea non absque magnis angoribus eventura, quoniam dum magis gaudium cogitat, triſtitiæ cauſas amplectitur: ſic & in omnibus pœne rebus humanis difficilis poteſt eſſe lætitia, niſi triſtitia ante præceſſerit, & amaritudo præeuntis doloris commendat amplius gaudia ſecutura.

Joh. XIV. v. 23. LII. Felicitatem læti illius temporis, quo gaviſuri ſint diſcipuli conſpecto iterum CHRISTO, eo commonſtrat, quod, qui nunc ſe torqueant, quod multa in ſuis verbis non intelligant, & propterea opus habeant ipſum interrogare; tunc non amplius eo modo ſint interrogaturi, ſicut paulo ante fecerant.

LIII. Hæc CHRISTI pollicitatio impleta fuit, tum in CHRISTI poſt reſurrectionem ſuam apparitione, tum in Spiritus S. effuſione.

LIV. Poſtea omnium, quæ peterent, impetrationem denuo promittit, identidem eam inculcans, & nunc etiam ſolida ſua aſſeveratione confirmans. *Amen, Amen, dico vobis, quæcunque petieritis*, nempe ſecundum voluntatem Dei, impellente vos ad preces legitime concipiendas Spiritu S. *in nomine meo dabit vobis.*

LV. Sed quomodo id intelligendum eſt, quod
v. 24. CHRISTVS dicit, Apoſtolos hactenus *in nomine ſuo*, nihil petiiſſe? in varias ſententias abeunt interpretes. Nobis placet Megalandri Lutheri veſtigiis inſiſtere, qui per *Nomen CHRISTI* intelligit omne id, quod ad mediatorium ipſius officium pertinet. Hoc quia tum temporis cum hæc CHRISTVS diceret, nondum per paſſionem, mortem, & reſurrectionem expleverat, diſcipulos præmonet, ut in poſterum certo ſtatuant, ſe omnia ad redemtionis opus neceſſaria plene peregiſſe, ac ipſos Deo recon-

reconciliaſſe, ut preces in nomine CHRISTI factæ ipſi ſint gratæ, & ab ipſo exaudiantur. Eſt itaque, ac ſi dicat. Hactenus nondum experti eſtis vim & efficaciam mei meriti; ſed peracto in cruce ſacrificio & conſummato redemtionis opere rectius intelligetis; & tum *petite* & virtutem mei meriti in exauditione precum experiemini. *Accipietis enim quæ petitis, ut,* quando petentes acceperitis, *gaudium ſit perfectum,* ſive perficiatur.

LVI. Euthymius in hunc locum: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum: hoc eſt, ut, poſtquam cognoveritis, quanta poſſit nomen meum, gaudium habeatis perfectum ſive copioſius.*

LVII. Finem huic ſermoni impoſiturus fatetur CHRISTVS, ſe hactenus ſermone tali fuiſſe uſum, qui etſi in ſe non ſit obſcurus ac difficilis, Apoſtolis tamen (ob connatam in rebus fidei cœcitatem, præconceptæ opinionis de regno ſuo terreno falſitatem, ob triſtitiæ ac mœroris gravitatem) ita viſus ſit. At promittit ſimul diſcipulis, quibus omnia in hac concione videbantur obſcura & parabolica, clariorem intelligentiæ lucem brevi ſecuturam.

LVIII. *Hæc in proverbiis* (ἐν παροιμίαις) *locutus ſum vobis,* id eſt, loqui vobis viſus ſum: *ſed veniet tempus, cum* Joh. XVI. v. 25.
jam *non amplius in proverbiis,* hoc eſt, ſermone, qui vobis obſcurus & ænigmaticus videatur, *loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis;* tum in apparitione mea poſt reſurrectionem, tum miſſo in vos Spiritu S. qui meo loco vos inſtituat & doceat. *In illo die,* nempe ubi jam v. 26.
acceperitis Spiritum S. & perfecta omnium myſteriorum, tum Patris meique cognitione inſtructi eritis, *in nomine meo,* fiduciam in meritum meum ponentes, *petetis.*

Digitized by Google

LIX. Præterea, cum antea dixiſſet, impetraturos a Patre, quicquid in nomine ſuo petierint, adjungit nunc,
Joh. XVI. v. 27. tantum eſſe amorem Patris erga ipſos, ut ſponte etiam, intercedente nemine paratus ſit eos exaudire. *Et non dico vobis, quod ego rogaturus ſim Patrem pro vobis. Ipſe enim Pater amat vos.*

LX. Non negat hoc in loco CHRISTVS, ſe pro nobis advocatum, ac deprecatorem fore: nam aliud nos Epiſtola *ad Hebræos cap. VII. v. 25.* Epiſtola *ad Romanos cap. VIII. v. 34.* Johannes Epiſt. *I. cap. II. v. 1.* docent: ſed dicit ſolum, ſe nolle nunc de iſthoc loqui: quia longe majus eſſet, quod velit ſubjicere: puta, quod tantus ſit amor Patris erga nos, ut, ſe etiam non intercedente, ultro nobis daturus ſit, quæ petimus.

LXI. Hujus vero amoris Dei erga diſcipulos gemina affertur ratio: quod ipſi amarent Filium, & quod eum crediderint exiiſſe a Patre, hoc eſt, verum Dei Filium eſſe.

LXII. Quin arrepta, uti ſæpe facere ſolet, ex ultimo verbo occaſione, quod dixerat, uberius declarat, & confirmat, quaſi diceret: Neque falſo aut temere credidiſtis me a Deo prodiiſſe: *Prodii* vere *a Patre,* cum humanam naturam aſſumſi, *& veni in mundum* cum a Maria naſcerer.
v. 28. *Iterum* (ex adverſo, e contrario) *relinquo mundum,* peractis iis, quæ ad redemtionem generis humani fieri oportet, *vado ad Patrem* per meam in cœlos aſcenſionem.

LXIII. Seqvitur quarta capitis pars, qua diſperſionem diſcipulorum prædicit. Quod fit ejuſcemodi occaſione. Cum illa CHRISTVS dixiſſet, quæ diſcipuli ſe capere negarent; in primis illud, *Pauliſper me non videbitis, pauliſper videbitis:* multa his ſubjecit ad eorum lucem,

cem, quæ ſolatio eſſent futura a diſceſſu ſuo, clareque addidit, *ſe exiiſſe a Patre in mundum, & nunc e mundo exiturum ad Patrem.* Jamque tandem diſcipuli perſuadentes ſibi, ſe omnia ſatis intellexiſſe, in hæc prorumpunt verba: *Ecce nunc aperte loqueris, nec proverbium ullum dicis:* Joh. XVI. v. 29.
Promittis venturum tempus, quo nobis ſine proverbiis aperte de te & Patre tuo loqueris: at nunc hoc ipſum præſtas. *Nunc,* quoniam aperte declaras te Filium Dei v. 30.
eſſe, ac id porro teſtatum facis cognoſcendo cogitationes noſtras, & in apricum protrahendo, *ſcimus te ſcire omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget,* de obſcuris, quæ ſibi a te expoſita cupit, quippe qui prius etiam quam rogeris, ea enuncies; quod jam ſumus experti. *In hoc,* ſive hoc argumento *credimus,* ſive, in fide noſtra, quæ antea non parum vacillabat, confirmamur, *te a Patre exiiſſe.*

LXIV. CHRISTUS, qui ſciret, quam infirma eſſet illorum fides, pro more & amore ſuo exiſtimavit, illam præſumtionem, vel ſui ignorantiam caſtigari oportere. Proinde eos in hanc mentem affatur: Itane jam *creditis in me?* Vel etiam, ſine interrogandi nota: *Nunc* dum in tuto eſtis, jam *creditis in me,* ſive credere vos profitemini. Qualis vero ſit iſta fides, mox erit in aperto, ubi periculum ingruet. *Ecce inſtat tempus, & jam advenit:* mox enim aderit proditor cum cohorte, ut me capiat, *cum* vos metu exanimes, *diſpergemini unusquisque ad propria,* non quidem ad proprias domos, quas non habebant, utpote qui omnia reliquerant, aut certe prope Jeruſalem non habebant; ſed ad ſingula latibula. Non enim tantum fugam deſignat, quæ etiam compoſita eſſe poteſt; ſed confuſam diſſipationem, qua diſperſi ſe proripiant, quo quemque metus & impetus tulerit. v. 31. v. 32.

LXV. Facile igitur exiſtimandum eſt, fabulas ſapere, quod Adrichomius *in Theatro terræ Sanctæ, cap. de Jeruſalem num. CCXXVI.* memorat; circa Hieroſolymam verſus meridiem in monte quodam monſtrari cavernas, in quibus ex veterum traditione octo Apoſtoli tempore paſſionis Dominicæ delituerint, non procul a fovea Jeremiæ, in qua deſtructionem Hieroſolymæ per Chaldæos factam lugens Threnos ſuos conſcripſerit.

LXVI. Porro etſi diſcipuli, *ſolum* relicturi erant Dominum, id eſt, quantum in ipſis erat, omni ope deſtitutum, tamen ſe ſolum non futurum prædicit, quod Pater ſecum ſit, a quo ſeparari nequeat.

Joh. XVI. v. 33. LXVII. Jamque CHRISTVS finem facturus orationi prolixæ, concludit eo, quod cuncta hæc præcipue de præſidio Paterno dixiſſet, ut confiderent in CHRISTO, ac per, & propter eum, in mediis mundi periculis animis forent tranquillis. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis,* hoc eſt, in maximis etiam periculis mentem immotam atque imperterritam. *In mundo afflictionem habebitis,* mundus, cum ſuo principe Diabolo vos oppugnabit, ſed *confidite, ego devici mundum,* id eſt, Diaboli & mundi potentiam ita debilitavi & fregi, obediendo Patri usque ad ignominioſam mortem crucis, ut contra vos efficere nihil quicquam poſſit.

CAP. XX.

Explicatur oratio CHRISTI ἱερατικὴ, quæ refertur Johannis cap. XVII.

I. Poſt-

Digitized by Google

I.

POſtquam CHRISTUS mortem aditurus ſolatus eſt ſuos, eosque ſalutaribus monitis inſtruxit, ferventiſſimas ad Deum preces fudit.

II. De tempore & loco, ubi CHRISTUS has preces habuerit, controvertitur. Rupertus Abbas Tuitienſis *Commentar. in Johan.* putat CHRISTUM in horto Gethſemane habuiſſe, cum ſudavit ſanguinem: Johannem autem prolixius, quam ceteros Evangeliſtas iſtam precationem deſcripſiſſe, quod una cum Petro & fratre ſuo Jacobo interfuerit, & verborum CHRISTI extiterit αὐτήκοος, & ἀγωνίας iſtius αὐτόπτης. Statuit ergo eandem eſſe orationem cum ea, quam in horto ad montem Oliveti fuſam reliqui Evangeliſtæ deſcribunt.

III. Verum quia Johannes diſerte teſtatur *cap. XVIII. v. 1.* quod demum habita hac oratione CHRISTUS torrentem Kidron fuerit transgreſſus, liquido apparet, diverſas eſſe has preces ab iis, quas in horto fudit.

IV. Hugo Grotius hanc orationem a CHRISTO dictam cenſet in templi conſpectu, cum id tranſiret, & paululum ſubſiſteret. Cui ſententiæ ſubſcribit Voſſius *Harmoniæ lib. I. cap. XIX.*

V. Auguſtinus autem *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum*, & plurimi alii ex Veteribus & recentioribus non ſolum valedictorium CHRISTI ſermonem, ſed & hanc orationem ad cœleſtem Patrem in ipſo cœnaculo Hieroſolymitano habitam fuiſſe ſtatuunt.

VI. Caſaubonus tamen ſemoto a diſcipulis loco eandem recitaſſe conjicit. Ita enim ſcribit *Exercitat. XVI. ſect. LXII. Obſervant Veteres, CHRISTUM quoties*

Digitized by Google

majore contentione orare Patrem voluit, ſolitum a diſcipulis ſecedere, & orare κατὰ μόνας, ſeorſim, ut loquuntur Evangeliſtæ. Cogitent igitur magni Theologi, an eum morem tenuerit, cum illam admirabilem orationem concepit. Nam quod a Johanne deſcripta eſt, non probat hoc, omnibus audientibus eam eſſe habitam: potuit enim Spiritus S. verus Evangeliorum auctor Johanni eam dictaſſe.

VII. At quia hoc in loco Johannes non teſtatur CHRISTVM a diſcipulis ſeceſsiſſe, non ſatis cauſæ videmus, cur ad has conjecturas deſcendamus. Vnde Caſaubono Auguſtinum opponimus *Tractat. CIV. in Johan.* ſcribentem: *Eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti Magiſtri non ſolum apud ipſos ſermocinatio, ſed etiam ipſius pro ipſis apud Patrem oratio diſcipulorum eſt ædificatio. Et ſi illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profecto & noſtra, qui fueramus conſcripta lecturi.*

VIII. Notandus autem eſt CHRISTI precantis ritus, quod ſcilicet oculos in cœlum elevaverit: non quod Deus cœlo ſit incluſus, nec quod CHRISTVS longe a Patre ſit remotus; ſed ut potentiam & majeſtatem Dei, quæ maxime in cælis elucet, oſtenderet, & verum orationis objectum exſerto quaſi digito monſtraret, quod non ſunt idola manu facta, ſed æternus Deus, cœli & omnium quæ cœli continentur ambitu omnipotens conditor.

Joh. XVII. v. 1.

IX. Sicut alias in Veteris & Novi fœderis libris hujus ritus inſignia extant exempla, ita eadem Chriſtiani veteres ſtudioſe imitati ſunt. Tertullianus in Apologetico cap. XXX. *Precamur,* inquit, *ſuſcipientes, nudoque capite.* De S. Martino, Epiſcopo Turonenſi auctor eſt Sulpicius Severus, quod oculis & manibus in cœlum elevatis invi-

invictum ab oratione ſpiritum non relaxaverit, & cum a presbyteris, qui in morbo ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret, *Sinite*, inquit, *ſinite me fratres, cœlum potius reſpicere, quam terram, ut ſuo jam itinere iturus ſpiritus ad Dominum dirigatur.* De Conſtantino M. in ejus vita *lib. IV.* memorat Euſebius, quod imaginem ſuam aureis nummis ita curaverit inſculpi, ut paſſis manibus inſtar precantis cœlum contueri videretur. In ipſis vero regiis per quaſdam januas in tabellis, quæ ſummis veſtibulorum partibus affixæ erant, erecto ſtatu pictum dicit Conſtantinum, ſurſum in cœlum contemplantem, & precantis forma manus attollentem.

X. Hoc ipſo igitur ritu teſtabantur antiqui Chriſtiani, ſe a mundo & carnalibus deſideriis abſtractos devota mente quaſi Deo affixos eſſe, & familiare cum ipſo habere colloqvium. Hinc Chryſoſtomus Homil. LXXIX. in Johannem: διὰ τούτου παιδευόμεθα τὸ ἐκτενὲς τὸ ἐν ταῖς δεήσεσιν, ἵνα καὶ ἑστῶτες ἀναβλέπωμεν, μὴ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς σαρκὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς διανοίας. *Propterea docemur de attentione in precibus, ut & ſtantes ſuſpiciamus, non ſolum oculis carnis, ſed & mentis.*

XI. Sonoram precationis enunciationem vox εἶπε videtur declarare. Vnde Auguſtinus Tractat. CIV. in Joh. *Poterat Dominus noſter unigenitus & coæternus Patri in forma ſervi, & ex forma ſervi, ſi hoc opus eſſet, orare ſilentio: ſed ita ſe Patri exhibere voluit precatorem, ut meminiſſet, noſtrum ſe eſſe doctorem.*

XII. Ipſa porro CHRISTI oratio tribus potisſimum conſtat partibus. Primo Patrem orat pro ſui ipſius glorificatione. Secundo Apoſtolis expetit in veritate con-

conſervationem & ſanctificationem. Tertio ceteris fidelibus, qui per Apoſtolorum ſermonem erant credituri, gratioſam, & glorioſam ſui unionem exoptat, & impetrat.

Joh. XVII. v. 1. XIII. Partem primam ita exorditur CHRISTVS: *Pater, venit hora: clarifica (glorifica) Filium tuum.* Per *horam* hoc loco primario intelligitur tempus, quo amarus ille calix paſſionis eſſet bibendus: puta, cum damnandus, illudendus, cruciatus ac mors abjectisſima ſubeunda. Secundario per *horam* deſignatur tempus glorificationis, quod paſſionem & mortem ſtatim inſecutum eſt.

XIV. Beda Commentat. in h. l. *Non credatur hæc hora fato urgente veniſſe, ſed Deo potius ordinante; Nec ſiderea neceſſitas CHRISTI connexuit paſſionem. Abſit enim ut ſidera mori cogerent ſiderum conditorem. Non itaque CHRISTVM tempus, ut moreretur, impegit, ſed tempus CHRISTVS, quo moreretur, elegit, qui etiam tempus, quo de virgine natus eſt, cum Patre conſtituit, de quo ſine tempore natus eſt.* In eundem ſenſum Strabo Fuldenſis in Gloſſa Ordin. ad h. l. *Venit hora non urgente fato, ſed diſponente Deo, qui ſine tempore ordinavit omnia, quæ fiant per tempora ordine congruo.*

XV. Cum autem CHRISTVS *horam veniſſe commemoret, & clarificari petat, quomodo niſi ſecundum carnis aſſumtionem locutum eum convenit æſtimari? Nam nec ulla ſibi temporum præſcripta momenta divinitas habet, nec clarificatione indiget lumen æternum.* Ambroſius *lib. V. de fide cap. II.*

XVI. Vtique clarificatione non indiget Deus. Quod tamen ut rectius intelligatur, ſciendum eſt, glorificationem iſtam dupliciter poſſe accipi. Primo *Pater Filium glo-*

glorificat, addendo ei gloriam & claritatem, quam prius non habuit, quod ipſum Filio convenire non poteſt, niſi quatenus humanam habet naturam. Secundum hanc igitur glorificatus eſt CHRISTVS accepta immortalitate, quando evectus eſt in cœlos ad ſeſſionem in dextram Patris. Secundo *glorificat Pater Filium*, gloriam ejus per miracula, per Apoſtolorum prædicationem, & Spiritus S. efficaciam hominibus manifeſtando: qui modus glorificationis non tantum ei convenit, qua homo eſt, verum etiam qua Deus.

XVII. Quin quod eodem modo Filius quoque ipſum Patrem glorificet. Nam, ut intelligatur, petiiſſe gloriam ſuam propter gloriam Patris, & quod omnis gloria Filii in Patrem redundet, propterea ait: *Glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet:* Ex gloria enim Filii Patris gloria orbi innotuit, & manifeſta facta.

XIIX. Inde ex mutua hac glorificatione quidam ex Veteribus Patris & Filii ὁμοουσίαν ſtabilire non dubitarunt. Hilarius lib. III. de Trinitate. *Expoſtulatio clarificationis dandæ viciſſimque reddendæ nec Patri quicquam adimit, nec infirmat Filium, ſed eandem Divinitatis oſtendit in utroque virtutem, cum & clarificari ſe Filius a Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur a filio, ſed hæc in Patre & Filio virtutis unitatem per viciſſitudinem dandæ & referendæ clarificationis oſtendunt.*

XIX. Poſtea fructum hujus glorificationis recenſet, qui redundaturus ſit in omnes homines. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis: ut, quotquot dedidiſti ei, det eis vitam æternam.* *Joh. XVII. v. 2.*

XX. Particula καθὼς hoc loco non συγκριτικῶς, ſed αἰτιολογικῶς accipienda, & rationem denotat, ob quam

Nn Pater

Digitized by Google

ſtatur ex partu, nec recuſat fœcunditatis exordia, quamvis certa ſit, ea non absque magnis angoribus eventura, quoniam dum magis gaudium cogitat, triſtitia cauſas amplectitur: ſic & in omnibus pœne rebus humanis difficilis poteſt eſſe lætitia, niſi triſtitia ante præceſſerit, & amaritudo præeuntis doloris commendat amplius gaudia ſecutura.

Joh. XIV. v. 23. LII. Felicitatem læti illius temporis, quo gaviſuri ſint diſcipuli conſpecto iterum CHRISTO, eo commonſtrat, quod, qui nunc ſe torqueant, quod multa in ſuis verbis non intelligant, & propterea opus habeant ipſum interrogare; tunc non amplius eo modo ſint interrogaturi, ſicut paulo ante fecerant.

LIII. Hæc CHRISTI pollicitatio impleta fuit, tum in CHRISTI poſt reſurrectionem ſuam apparitione, tum in Spiritus S. effuſione.

LIV. Poſtea omnium, quæ peterent, impetrationem denuo promittit, identidem eam inculcans, & nunc etiam ſolida ſua aſſeveratione confirmans. *Amen, Amen, dico vobis, quæcunque petieritis*, nempe ſecundum voluntatem Dei, impellente vos ad preces legitime concipiendas Spiritu S. *in nomine meo dabit vobis.*

LV. Sed quomodo id intelligendum eſt, quod
v. 24. CHRISTVS dicit, Apoſtolos hactenus *in nomine ſuo*, nihil petiiſſe? in varias ſententias abeunt interpretes. Nobis placet Megalandri Lutheri veſtigiis inſiſtere, qui per *Nomen CHRISTI* intelligit omne id, quod ad mediatorium ipſius officium pertinet. Hoc quia tum temporis cum hæc CHRISTVS diceret, nondum per paſſionem, mortem, & reſurrectionem expleverat, diſcipulos præmonet, ut in poſterum certo ſtatuant, ſe omnia ad redemtionis opus neceſſaria plene peregiſſe, ac ipſos Deo recon-

Digitized by Google

reconciliaſſe, ut preces in nomine CHRISTI factæ ipſi ſint gratæ, & ab ipſo exaudiantur. Eſt itaque, ac ſi dicat. Hactenus nondum experti eſtis vim & efficaciam mei meriti; ſed peracto in cruce ſacrificio & conſummato redemtionis opere rectius intelligetis; & tum *petite* & virtutem mei meriti in exauditione precum experiemini. *Accipietis* enim *quæ petitis, ut,* quando petentes acceperitis, *gaudium ſit perfectum,* ſive perficiatur.

LVI. Euthymius in hunc locum: *Petite & accipietis, ut gaudium veſtrum ſit perfectum: hoc eſt, ut, poſtquam cognoveritis, quanta poſſit nomen meum, gaudium habeatis perfectum ſive copioſius.*

LVII. Finem huic ſermoni impoſiturus fatetur CHRISTVS, ſe hactenus ſermone tali fuiſſe uſum, qui etſi in ſe non ſit obſcurus ac difficilis, Apoſtolis tamen (ob connatam in rebus fidei cœcitatem, præconceptæ opinionis de regno ſuo terreno falſitatem, ob triſtitiæ ac mœroris gravitatem) ita viſus ſit. At promittit ſimul diſcipulis, quibus omnia in hac concione videbantur obſcura & parabolica, clariorem intelligentiæ lucem brevi ſecuturam.

LVIII. *Hæc in proverbiis* (ἐν παροιμίαις) *locutus ſum vobis,* id eſt, loqui vobis viſus ſum: *ſed veniet tempus, cum jam non amplius in proverbiis,* hoc eſt, ſermone, qui vobis obſcurus & ænigmaticus videatur, *loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis;* tum in apparitione mea poſt reſurrectionem, tum miſſo in vos Spiritu S. qui meo loco vos inſtituat & doceat. *In illo die,* nempe ubi jam acceperitis Spiritum S. & perfecta omnium myſteriorum, tum Patris meique cognitione inſtructi eritis, *in nomine meo,* fiduciam in meritum meum ponentes, *petetis.* *Joh. XVI v. 25.* *v. 26.*

Digitized by Google

LIX. Præterea, cum antea dixiſſet, impetraturos a Patre, quicquid in nomine ſuo petierint, adjungit nunc, tantum eſſe amorem Patris erga ipſos, ut ſponte etiam, intercedente nemine paratus ſit eos exaudire. *Et non dico vobis, quod ego rogaturus ſim Patrem pro vobis. Ipſe enim Pater amat vos.*

Joh. XVI. v. 27.

LX. Non negat hoc in loco CHRISTVS, ſe pro nobis advocatum, ac deprecatorem fore: nam aliud nos Epiſtola *ad Hebræos cap. VII. v. 25.* Epiſtola *ad Romanos cap. VIII. v. 34.* Johannes Epiſt. *I. cap. II. v. 1.* docent: ſed dicit ſolum, ſe nolle nunc de iſthoc loqui: quia longe majus eſſet, quod velit ſubjicere: puta, quod tantus ſit amor Patris erga nos, ut, ſe etiam non intercedente, ultro nobis daturus ſit, qvæ petimus.

LXI. Hujus vero amoris Dei erga diſcipulos gemina affertur ratio: quod ipſi amarent Filium, & quod eum crediderint exiiſſe a Patre, hoc eſt, verum Dei Filium eſſe.

LXII. Quin arrepta, uti ſæpe facere ſolet, ex ultimo verbo occaſione, quod dixerat, uberius declarat, & confirmat, quaſi diceret: Neque falſo aut temere crediđiſtis me a Deo prodiiſſe: *Prodii* vere *a Patre,* cum humanam naturam aſſumſi, *& veni in mundum* cum a Maria naſcerer. *Iterum* (ex adverſo, e contrario) *relinquo mundum,*

v. 28.

peractis iis, quæ ad redemtionem generis humani fieri oporter, *vado ad Patrem* per meam in cœlos aſcenſionem.

LXIII. Seqvitur quarta capitis pars, qua diſperſionem diſcipulorum prædicit. Quod ſit ejuſcemodi occaſione. Cum illa CHRISTVS dixiſſet, quæ diſcipuli ſe capere negarent; in primis illud, *Pauliſper me non videbitis, pauliſper videbitis:* multa his ſubjecit ad eorum lu-

cem,

Digitized by Google

cem, quæ ſolatio eſſent futura a diſceſſu ſuo, clareque addidit, *ſe exiiſſe a Patre in mundum, & nunc e mundo exiturum ad Patrem.* Jamque tandem diſcipuli perſuadentes ſibi, ſe omnia ſatis intellexiſſe, in hæc prorumpunt verba: *Ecce nunc aperte loqueris, nec proverbium ullum dicis:* Joh. XVI.
Promittis venturum tempus, quo nobis ſine proverbiis v. 29.
aperte de te & Patre tuo loqueris: at nunc hoc ipſum præſtas. *Nunc,* quoniam aperte declaras te Filium Dei v. 30.
eſſe, ac id porro teſtatum facis cognoſcendo cogitationes noſtras, & in apricum protrahendo, *ſcimus te ſcire omnia, nec opus eſt tibi, ut quis te interroget,* de obſcuris, quæ ſibi a te expoſita cupit, quippe qui prius etiam quam rogeris, ea enuncies; quod jam ſumus experti. *In hoc,* ſive hoc argumento *credimus,* ſive, in fide noſtra, quæ antea non parum vacillabat, confirmamur, *te a Patre exiiſſe.*

LXIV. CHRISTUS, qui ſciret, quam infirma v. 31.
eſſet illorum fides, pro more & amore ſuo exiſtimavit, illam præſumtionem, vel ſui ignorantiam caſtigari oportere. Proinde eos in hanc mentem affatur: Itane jam *creditis in me?* Vel etiam, ſine interrogandi nota: *Nunc* dum in tuto eſtis, jam *creditis in me,* ſive credere vos profitemini. Qualis vero ſit iſta fides, mox erit in aperto, ubi periculum ingruet. *Ecce inſtat tempus, & jam advenit:* v. 32.
mox enim aderit proditor cum cohorte, ut me capiat, *cum* vos metu exanimes, *diſpergemini unusquisque ad propria,* non quidem ad proprias domos, quas non habebant, utpote qui omnia reliquerant, aut certe prope Jeruſalem non habebant; ſed ad ſingula latibula. Non enim tantum fugam deſignat, quæ etiam compoſita eſſe poteſt; ſed confuſam diſſipationem, qua diſperſi ſe proripiant, quo quemque metus & impetus tulerit.

Digitized by Google

LXV. Facile igitur exiſtimandum eſt, fabulas ſapere, quod Adrichomius *in Theatro terræ Sanctæ, cap. de Jeruſalem num. CCXXVI.* memorat; circa Hieroſolymam verſus meridiem in monte quodam monſtrari cavernas, in quibus ex veterum traditione octo Apoſtoli tempore paſſionis Dominicæ delituerint, non procul a fovea Jeremiæ, in qua deſtructionem Hieroſolymæ per Chaldæos factam lugens Threnos ſuos conſcripſerit.

LXVI. Porro etſi diſcipuli, *ſolum* relicturi erant Dominum, id eſt, quantum in ipſis erat, omni ope deſtitutum, tamen ſe ſolum non futurum prædicit, qvod Pater ſecum ſit, a quo ſeparari nequeat.

Joh. XVI. v. 33. LXVII. Jamque CHRISTVS finem facturus orationi prolixæ, concludit eo, quod cuncta hæc præcipue de præſidio Paterno dixiſſet, ut confiderent in CHRISTO, ac per, & propter eum, in mediis mundi periculis animis forent tranquillis. *Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis,* hoc eſt, in maximis etiam periculis mentem immotam atque imperterritam. *In mundo afflictionem habebitis,* mundus, cum ſuo principe Diabolo vos oppugnabit, ſed *confidite, ego devici mundum,* id eſt, Diaboli & mundi potentiam ita debilitavi & fregi, obediendo Patri usque ad ignominioſam mortem crucis, ut contra vos efficere nihil quicquam poſſit.

CAP. XX.

Explicatur oratio CHRISTI ἱερατικὴ (?) ϖϱοαγώνι☉, quæ refertur Johannis cap. XVII.

I. Poſt-

I.

POſtquam CHRISTVS mortem aditurus ſolatus eſt ſuos, eosque ſalutaribus monitis inſtruxit, ferventiſſimas ad Deum preces fudit.

II. De tempore & loco, ubi CHRISTVS has preces habuerit, controvertitur. Rupertus Abbas Tuitienſis *Commentar. in Johan.* putat CHRISTVM in horto Gethſemane habuiſſe, cum ſudavit ſanguinem: Johannem autem prolixius, quam ceteros Evangeliſtas iſtam precationem deſcripſiſſe, quod una cum Petro & fratre ſuo Jacobo interfuerit, & verborum CHRISTI extiterit αὐτήκοος, & ἀγωνίας iſtius αὐτόπτης. Statuit ergo eandem eſſe orationem cum ea, quam in horto ad montem Oliveti fuſam reliqui Evangeliſtæ deſcribunt.

III. Verum quia Johannes diſerte teſtatur *cap. XVIII. v. 1.* quod demum habita hac oratione CHRISTVS torrentem Kidron fuerit transgreſſus, liquido apparet, diverſas eſſe has preces ab iis, quas in horto fudit.

IV. Hugo Grotius hanc orationem a CHRISTO dictam cenſet in templi conſpectu, cum id tranſiret, & paululum ſubſiſteret. Cui ſententiæ ſubſcribit Voſſius *Harmoniæ lib. I. cap. XIX.*

V. Auguſtinus autem *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum*, & plurimi alii ex Veteribus & recentioribus non ſolum valedictorium CHRISTI ſermonem, ſed & hanc orationem ad cœleſtem Patrem in ipſo cœnaculo Hieroſolymitano habitam fuiſſe ſtatuunt.

VI. Caſaubonus tamen ſemoto a diſcipulis loco eandem recitaſſe conjicit. Ita enim ſcribit *Exercitat. XVI. ſect. LXII. Obſervant Veteres, CHRISTVM quoties*

Digitized by Google

majore contentione orare Patrem voluit, ſolitum a diſcipulis ſecedere, & orare κατ' μόνας, ſeorſim, ut loquuntur Evangeliſtæ. Cogitent igitur magni Theologi, an eum morem tenuerit, cum illam admirabilem orationem concepit. Nam quod a Johanne deſcripta eſt, non probat hoc, omnibus audientibus eam eſſe habitam: potuit enim Spiritus S. verus Evangeliorum auctor Johanni eam dictaſſe.

VII. At quia hoc in loco Johannes non teſtatur CHRISTVM a diſcipulis ſeceſſiſſe, non ſatis cauſæ videmus, cur ad has conjecturas deſcendamus. Vnde Caſaubono Auguſtinum opponimus *Tractat. CIV. in Johan.* ſcribentem: *Eam quam fecit orationem pro nobis, notam fecit & nobis, quoniam tanti Magiſtri non ſolum apud ipſos ſermocinatio, ſed etiam ipſius pro ipſis apud Patrem oratio diſcipulorum eſt ædificatio. Et ſi illorum, qui hæc dicta aderant audituri, profecto & noſtra, qui fueramus conſcripta lecturi.*

VIII. Notandus autem eſt CHRISTI precantis ritus, quod ſcilicet oculos in cœlum elevaverit: non quod Deus cœlo ſit incluſus, nec quod CHRISTVS longe a Patre ſit remotus; ſed ut potentiam & majeſtatem Dei, quæ maxime in cælis elucet, oſtenderet, & verum orationis objectum exſerto quaſi digito monſtraret, quod non ſunt idola manu facta, ſed æternus Deus, cœli & omnium quæ cœli continentur ambitu omnipotens conditor.

Joh. XVII. v. 1.

IX. Sicut alias in Veteris & Novi fœderis libris hujus ritus inſignia extant exempla, ita eadem Chriſtiani veteres ſtudioſe imitati ſunt. Tertullianus in Apologetico cap. XXX. *Precamur*, inquit, *ſuſcipientes, nudoque capite.* De S. Martino, Epiſcopo Turonenſi auctor eſt Sulpicius Severus, quod oculis & manibus in cœlum elevatis invi-

invictum ab oratione ſpiritum non relaxaverit, & cum a presbyteris, qui in morbo ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpuſculum lateris mutatione relevaret, *Sinite*, inquit, *ſinite me fratres, cœlum potius reſpicere, quam terram, ut ſuo jam itinere iturus ſpiritus ad Dominum dirigatur.* De Conſtantino M. in ejus vita *lib. IV.* memorat Euſebius, quod imaginem ſuam aureis nummis ita curaverit inſculpi, ut paſſis manibus inſtar precantis cœlum contueri videretur. In ipſis vero regiis per quasdam januas in tabellis, quæ ſummis veſtibulorum partibus affixæ erant, erecto ſtatu pictum dicit Conſtantinum, ſurſum in cœlum contemplantem, & precantis forma manus attollentem.

X. Hoc ipſo igitur ritu teſtabantur antiqui Chriſtiani, ſe a mundo & carnalibus deſideriis abſtractos devota mente quaſi Deo affixos eſſe, & familiare cum ipſo habere colloqvium. Hinc Chryſoſtomus Homil. LXXIX. in Johannem: διὰ τούτου παιδευόμεθα τὸ ἐκτενὲς τὸ ἐν ταῖς δεήσεσιν, ἵνα καὶ ἑστῶτες ἀναβλέπωμεν, μὴ τοῖς ὀφθαλμοῖς τῆς σαρκὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς διανοίας. *Propterea docemur de attentione in precibus, ut & ſtantes ſuſpiciamus, non ſolum oculis carnis, ſed & mentis.*

XI. Sonoram precationis enunciationem vox εἶπε videtur declarare. Vnde Auguſtinus Tractat. CIV. in Joh. *Poterat Dominus noſter unigenitus & coæternus Patri in forma ſervi, & ex forma ſervi, ſi hoc opus eſſet, orare ſilentio: ſed ita ſe Patri exhibere voluit precatorem, ut meminiſſet, noſtrum ſe eſſe doctorem.*

XII. Ipſa porro CHRISTI oratio tribus potiſſimum conſtat partibus. Primo Patrem orat pro ſui ipſius glorificatione. Secundo Apoſtolis expetit in veritate

con-

Digitized by Google

glorificat, addendo ei gloriam & claritatem, quam prius non habuit, quod ipſum Filio convenire non poteſt, niſi quatenus humanam habet naturam. Secundum hanc igitur glorificatus eſt CHRISTVS accepta immortalitate, quando evectus eſt in cœlos ad ſeſſionem in dextram Patris. Secundo *glorificat Pater Filium*, gloriam ejus per miracula, per Apoſtolorum prædicationem, & Spiritus S. efficaciam hominibus manifeſtando: qui modus glorificationis non tantum ei convenit, qua homo eſt, verum etiam qua Deus.

XVII. Quin quod eodem modo Filius quoque ipſum Patrem glorificet. Nam, ut intelligatur, petiiſſe gloriam ſuam propter gloriam Patris, & quod omnis gloria Filii in Patrem redundet, propterea ait: *Glorifica Filium tuum, ut & te Filius tuus glorificet:* Ex gloria enim Filii Patris gloria orbi innotuit, & manifeſta facta.

XIIX. Inde ex mutua hac glorificatione quidam ex Veteribus Patris & Filii ὁμοουσίαν ſtabilire non dubitarunt. Hilarius lib. III. de Trinitate. *Expoſtulatio clarificationis dandæ viciſſimque reddendæ nec Patri quicquam adimit, nec infirmat Filium, ſed eandem Divinitatis oſtendit in utroque virtutem, cum & clarificari ſe Filius a Patre oret, & clarificationem Pater non dedignetur a filio, ſed hæc in Patre & Filio virtutis unitatem per viciſſitudinem dandæ & referendæ clarificationis oſtendunt.*

XIX. Poſtea fructum hujus glorificationis recenſet, qui redundaturus ſit in omnes homines. *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis: ut, quotquot dedidiſti ei, det eis vitam æternam.* *Joh. XVII. v. 2.*

XX. Particula καθὼς hoc loco non συγκριτικῶς, ſed αἰτιολογικῶς accipienda, & rationem denotat, ob quam

Pater debeat Filium glorificare, videlicet, ut eis, in quos poteſtatem Pater ei dederat, vitam æternam conferre poſſit.

XXI. *Per omnem carnem* hic intelliguntur omnes homines, non Judæi ſolum, ſed univerſum genus humanum. Senſus hic eſt: *Glorifica Pater filium tuum, & coram omnibus manifeſtum facito, & fas eſt eum glorificari, quia ei dediſti poteſtatem in omnes homines.*

XXII. Sed qualis illa eſt poteſtas, quæ CHRISTO data eſt in omnes homines? quidam per eam intelligunt *plenum jus decernendi & ſtatuendi de ſingulorum vita & morte:* nonnulli *poteſtatem redimendi genus humanum*, alii *poteſtatem judiciariam*, quod judex ſit futurus vivorum & mortuorum. Quæ expoſitiones etſi quidem veræ ſunt, non tamem vim omnem phraſeos, & ἐξουσίας illius majeſtatem exprimunt. Per illam igitur poteſtatem intelligitur *poteſtas vere divina, infinita, & omnipotens in univerſum genus humanum.*

XXIII. Hæc poteſtas CHRISTO data eſt a Patre ſecundum humanam naturam. Vnde breviter & nervoſe Auguſtinus *Tractat. CV.* in Johannem. *Quod poteſtas CHRISTO a Patre data omnis carnis, ſecundum hominem intelligendum eſt: nam ſecundum Deum omnia per ipſum facta ſunt, & in ipſo condita ſunt omnia in cœlo & in terra.*

XXIV, At quem in finem Pater CHRISTO hanc poteſtatem dedit? Parata eſt reſponſio: Vt omnibus, quos ei dederit, vitam æternam largiatur. Græca ita habent: ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *Vt omne, quod dediſti ei, det eis vitam æternam.* In quibus verbis duplex occurrit Hebraiſmus. Prior eſt in numeri

muta-

Digitized by Google

tione. Cum enim prius dixiſſet in ſingulari, *ut omnes, quod dediſti ei,* ſtatim ſubjicit in plurali, *det eis vitam æternam.* ponitur ergo ἵνα πᾶν, ὃ δέδωκας αὐτῷ, pro ἵνα πᾶσιν, οἷς δέδωκας αὐτῷ. Poſterior conſiſtit in pronominis relativi repetitione Hebræis frequentiſſima. Satis erat dicere, *ut omni, quod dediſti ei, det ille vitam,* ſed more Hebræo utrumque conjungit.

XXV. Porro quæritur, quinam illi ſint qui CHRISTO ſint dati. Quidam h.l. intelligunt per *datos CHRISTO* omnes omnino homines, ſeu omnem illam carnem, de qua paulo ante dictum, quod ejus poteſtatem CHRISTVS acceperit. Ita Chriſoſtomus, Theophilactus & Euthymius. Quæ interpretatio ſi locum obtinere debet, non de actu ſecundo, ſed de primo id intelligendum, reſpiciendo ſcilicet ad voluntatem Dei antecedentem, quæ reſpectum habet mediorum & ſalutis, prout ex parte Dei ordinata ſunt & offeruntur omnibus hominibus. Quod ſi igitur CHRISTVS loquitur ſimpliciter & generaliter de omnibus hominibus, tum intelligendum eſt, poteſtatem CHRISTO, ut Salvatori, in omnes factam, ut omnes, quantum in ſe eſt, ſervet, & pro omnibus ea præſtet, per quæ ſalutem obtinere poſſint.

XXVI. Quidam vero per *CHRISTO datos* intelligunt *Electos,* ut ſcilicet oſtendat CHRISTVS, poteſtatem tantam ſibi a Patre datam eſſe, ut electis ſuis, univerſale illud λύτρον ab ipſo præſtitum perſeveranti fide ſibi applicantibus, & regimini iſti καθολικῷ obedienter ſeſe ſubjicientibus vitam largiatur ſempiternam.

XXVII. Hæc ut rectius intelligantur, & appareat, quomodo Deus omnes homines ſalvos velit, & tamen omnes non ſalventur, ſed electi ſoli, juvat adſcribere memora-

Digitized by Google

morabilia quædam verba B. Georgii Calixti, quæ habentur in expoſitione hujus loci in *Concord. Evangel.* lib. VI. cap. VII. *Notandum, Deum omnes homines velle ſalvos, & quia omnes ſalvos voluit, Filio quoque poteſtatem in omnes dediſſe, ac velle hoc ipſum non voluntate abſoluta, ſed ordinata per ſuum ipſius liberum decretum. Etſi igitur omnes ſalvos vult, quia tamen id abſolute non vult, ſed cum ordine & ratione habita modi conditionumque, quas ipſe ſtatuit, nihil abſurdi eſt hanc voluntatem abſolute non compleri: neque enim ipſe eam compleri vult, niſi cum iſto, quem diximus, ordine. Poſſumus itaque hunc quoque locum ita accipere, quod Pater filio omnes homines in poteſtatem dederit eo fine, ut omnes reapſe ſalvos faciat, qui finis licet, quod ad omnes, non obtineatur, nihil eſſe abſurdi, quod ipſe Pater non intendat eum obtineri, niſi cum ordine & conditione: Interim tamen a Filio velit fieri, ne quid in eo deſideretur quo minus ad ſalutem omnes perveniant.*

XXVIII. Quoniam autem CHRISTVS de vita æterna dixerat, ſibi propter eam hominibus impertiendam omnis carnis poteſtatem factam fuiſſe, porro oſtendit, in quanam illa ſita ſit, ſive potius, qua ratione haberi poſſit.
Joh. XVII. v. 3. *Hæc eſt*, inquit, *vita æterna, ut cognoſcant te illum ſolum verum Deum, & quem miſiſti JESVM CHRISTVM.*

XXIX. Particula ἵνα hoc loco non eſt αἰτιολογικὴ, ſed προσθετικὴ, non τελικῶς, ſed εἰδικῶς ſumitur: hoc eſt, non involvit cauſam finalem præcedentis, videlicet vitæ æternæ: quaſi ſenſus eſſet: *Vitam æternam dari ideo, ut cognoſcatur Deus:* ſed per appoſitionem quandam indicatur illud ipſum, quod præceſſerat: quid videlicet ſit vita æterna, ſeu cauſa & radix vitæ æternæ, ſeu in quonam

illa

illa conſiſtat: in hoc nimirum, quo Deus cognoſcitur cum Filio Mediatore.

XXX. Ceterum, quid ſit hoc loco *vita æterna*, diverſimode exponitur. Aliqui formaliter & proprie accipiunt de ipſo glorioſo beatorum ſtatu & cœleſti ipſorum felicitate, ideoque eam, quæ ſequitur, cognitionem de clara & intuitiva (ut loquuntur) Dei viſione in cœlis futura interpretantur. Ita Auguſtinus *lib. de Spiritu & litera cap. XXIV. & XXXIII.* & *lib. II. de Libero Arbitrio cap. II.* item in *Soliloquiis cap. XXXVI.* Auguſtinum ſequuntur Euthymius, Thomas, Lyranus, Dioniſius Carthuſianus.

XXXI. Cornelius Janſenius *in Concordia Evangel. cap. CXXXVI.* indifferenter accipit, & de vita æterna loqui CHRISTUM cenſet, prout communis eſt & huic & æternæ vitæ: unde non dici ait: *Hæc eſt vita æterna, ut videant te*, ſed, *ut cognoſcant te.* Vita enim æterna inchoative & imperfecte hic habetur cognoſcendo Deum per fidem: habetur autem in cœlis perfecte, cognoſcendo Deum per viſionem.

XXXII. Auctor libri *de Trinitate*, qui eſt inter opera Tertulliani, Cyprianus *Epiſt. LXXIII.* Hilarius *lib. IX. de Trinitate*, Ambroſius *lib. I. de Officiis cap. II. & lib. V. de fide cap. II.* Cyrillus *lib. II. in Johann. XVI.* per τὸ γινώσκειν intelligunt cognitionem, quæ fit *per fidem*, &, ut Apoſtolus loquitur, I. Corinth. *XIII. v. 12. per ſpeculum, & in ænigmate* in hoc ſeculo. Juxta hanc hypotheſin verba illa: *Hæc eſt vita æterna*, id eſt, *cauſa vitæ æternæ, ſive modus perveniendi ad vitam æternam; medium, per quod obtingit vita æterna.* Neque dubium eſt, quin hæc interpretatio præ reliquis aſſenſum mereatur.

Digitized by Google

XXXIII. Interim hoc obſervandum eſt, quod Ariani hoc dicto divinitatem Filii Dei jam olim opugnaverint, ac idem hodie faciant Sociniani, ut apparet ex Fauſti Socini Tractatu *de Deo CHRISTO & Spiritu S.* itemque libro, *quod Evangelici omnino deberent ſe illorum cœtui adjungere, qui falſo atque immerito Ariani atque Ebionitæ vocantur.* En quam exſerte Catechiſmus Racovienſis *cap. I.* Womit beweiſeſtu das? (Deum Patrem unicam eſſe Deitatis perſonam) Reſpondetur: Mit hellen Zeugniſſen der Heil. Schrifft/ welche ſind die/ da der HERR JEſus alſo ſpricht: Das iſt das ewige Leben/ daß ſie erkennen dich (Vater) der du allein der warhafftige GOTT biſt &c.

XXXIV. Non uno autem modo Veteres ad hanc objectionem Arianorum reſponderunt. Quidam ajunt, CHRISTUM Patrem ſuum vocare *ſolum verum Deum,* διὰ τὸ ἀγέννητον εἶναι *quod ingenitus ſit, & ab alio originem non habeat, ſed ipſe omnis divinitatis fons ſit & origo.*

XXXV. Quidam *Patris* nomine, cui ſola vera Deitas adſcribitur, *totam Trinitatem* intelligi ajunt.

XXXVI. Alii in verbis CHRISTI trajectionem quandam ſtatuunt, eaque ita ordinant, ἵνα γινώσκωσι σὲ μόνον ἀληθινὸν θεόν σε, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν χριστόν. Ita Auctor libri *de Trinitate in Tertulliani operibus cap. XXIV.* Athanaſius *Diſputat. contra Arium in Concilio Niceno.* Auguſtinus *Tractat. CV. in Johan.* Ambroſius *lib. V. de fide cap. II.* Nazianzenus *Orat. XXXVI.* quæ eſt *IV. de Theologia.* Beda *in h. l.* Auctor *Gloſſæ Ordinar.*

XXXVII. Sunt qui excluſivam non ad ſubjectum, ſed ad prædicatum referendam eſſe dictitant. Non enim eſſe ſenſum, *Ut cognoſcant Te ſolum eſſe verum Deum;* ſed

ut

ut cognoſcant Te, qui es ille Deus, qui ſolus verus eſt. Hinc Lyra in h. l. *Hæc dictio excluſiva Solus non determinat ly Te, ut ſit ſenſus, quod ſolus Pater ſit Deus: ſed determinatur ly Deum, & eſt ſenſus, quod illa eſt ſola Deitas vera quæ eſt in Patre, & ſic non excluditur Filius.*

XXXVIII. Nos illorum amplectimur ſententiam, qui particulam *Solus* dicunt hoc loco non opponi reliquis divinitatis perſonis, Filio ſcilicet, & Spiritui S. ſed creaturis & fictitiis gentilium Numinibus. Vide in hunc ſenſum Baſilium *lib. IV. contra Eunomium,* Chryſoſtomum *Homil. LXXXIX. in Johannem,* Cyrillum *lib. II. in Johann. cap. XVI.* Theophylactum *in h. l.* Ipſe Auguſtinus *lib. III. contra maximum* Epiſcopum Arianorum hanc regulam proponit: *Particula Solus non excludit eas perſonas, quæ ſunt ejusdem cum Patre naturæ, ſed res creatas.*

XXXIX. Petierat CHRISTVS glorificari a Patre: Subjungit modo rationem, qua declarat, ſuam petitionem juſtam eſſe, ſeque merito exaudiri. *Ego,* inquit, *te glorificavi in terra.* Id eſt, hactenus te glorificavi prædicatione & operibus meis, nunc in eo ſum, ut te paſſione & morte mea glorificem, & porro id faciam per reſurrectionem, & univerſalem prædicationem. *Joh. XVII. v. 4.*

XL. Porro inquit: *Opus conſummavi, quod dediſti,* ſive commiſiſti *mihi, ut facerem.* Quo de loco bene Auguſtinus: *Conſummaſſe ſe dicit, quod ſe conſummaturum eſſe certiſſime novit, ſicut longe ante in prophetia præteriti temporis uſus eſt verbis, quando poſt annos plurimos futurum erat, quod dicebat.* In eundem ſenſum jampridem ante Auguſtinum ſcripſerat B. Polycarpus Smyrnenſis Epiſcopus in *Reſponſione Capitulorum,* his verbis: *Quomodo opus ſalutis humanæ adimpleviſſe commemorat, cum nec*

dum

dum crucis vexillum conſcenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta veneranda paſſionis inſignia adire decreverat, jure ſe opus perfeciſſe ſignificat. Prout e Græcis reddidit Victor Epiſcopus Capuanus, qui vixit medio ſecuſo ſexto, ſive, ut alii volunt, ſub finem quinti ſeculi *in Catena ſua ſuper IV. Evangeliſtas.*

XLI. Modum deinde addit, quo petat glorificari: nempe ut ea ornetur gloria, quam apud Patrem habuit ante conſtitutionem mundi. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud temetipſum, gloria, quam habui, prius quam hic mundus eſſet apud te.* Petit igitur ſuæ humanitati dari gloriam, quam divinitas reipſa habuit ante conditum mundum: nempe vult, ut gloria & majeſtas divinitatis reſplendeat in Mediatoris perſona, & in carne, quam aſſumſerat, ut ita, qui iſtam gloriam hactenus habuerat quatenus Deus & Verbum, eam inpoſterum etiam habeat, quatenus θεάνθρωπος. Licet enim perſona CHRISTI, quæ homo erat, ab ipſo initio incarnationis gloriam divinitatis habuerit, quia tamen caro adhuc ſubjecta erat ignominiæ, crucem & mortem paulo poſt ſubitura, ipſa novo quodam modo, & quoad uſum plenarium accepit gloriam divinitatis, quando jam exuta mortalitate, & infirmitatibus omnibus depoſitis in cœlos ſublata, & ad dextram Dei collocata eſt.

Joh. XVII. v. 5.

XLII. Hactenus audivimus CHRISTVM, ſummum illum Sacerdotem pro ſe orantem, ut æterna perfundatur gloria. Conſequens nunc eſt, ut attendamus, quomodo iutercedat pro Apoſtolis; quo in altera pars eſt hujus capitis.

XLIII. Paulo ante dixerat CHRISTVS, ſe Patrem ſuum glorificaſſe in terris: id plenius explicat his verbis: *Mani-*

Digitized by Google

Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi e mundo. Per *Nomen Dei* intelligitur, quicquid de eſſentia & voluntate Dei in verbo revelatum ſcitu ac creditu ad ſalutem eſt neceſſarium. Per *datos CHRISTO* quidam deſignari putant totam credentium usque ad conſummationem ſeculi Eccleſiam, & præteritum *manifeſtavi* pro futuro, vel etiam more Hebræo, pro actu continuo poſitum eſſe volunt. Sed rectius videtur hæc deſcriptio ἑνδεκάδι apoſtolorum convenire. *Joh. XVII. v. 6.*

XLIV. Hoc tamen non ita eſt accipiendum, ac ſi Patris ſui nomen non omnibus Judæis manifeſtum feciſſet; ſed quia non omnes manifeſtanti crediderunt, ideo iis peculiariter ſe dicit manifeſtaſſe, qui ſibi e mundo, ſive mundana non credentium multitudine ſelecti a Patre dati eſſent.

XLV. Hanc autem Apoſtolorum vocationem cœleſti Patri CHRISTVS adſcribit, & ab eo ſibi (ſecundum humanam Naturam) datos eſſe aſſerit. *Tui,* inquit, *erant, & mihi eos dediſti.*

XLVI. Fuerunt autem Apoſtoli Patris cœleſtis non tantum ratione creationis, ſed multo magis ratione prædeſtinationis, ut & peculiaris ad Apoſtolicum munus vocationis.

XLVII. CHRISTO vero dati ſunt Apoſtoli, non tantum ut redimeret, ſanctificaret, ſed etiam ad futuram Evangelii prædicationem informaret, & Spiritum S. abundanter ipſis conferret: utque ipſi mundo univerſo doctrinam cœleſtem patefacerent, eandemque miraculis divinis confirmarent.

XLVIII. Neque fruſtra ſibi datos eſſe aſſerit. *Sermonem* enim *tuum,* qui ſcilicet non tam meus, quam tuus

 eſt,

Digitized by Google

eſt, non ſicut alii, abjecerunt, ſed receperunt, & *ſervaverunt*.

Joh. XVII. v. 7. XLIX. Pergit CHRISTVS: *Nunc cognoverunt, quod omnia, quæ dediſti mihi, a te ſint.* Per *omnia, quæ Pater dedit Filio,* partim muneris mediatorii impoſitio, partim divinæ doctrinæ patefactio, partim miraculorum divinorum perpetratio, partim denique, divinæ ἐξουσίας CHRISTO ſecundum humanam Naturam facta communicatio intelligitur.

L. Hujus Apoſtolorum fidei ac obedientiæ uberior expoſitio additur. Primo autem explicat illud, quod v. 6. dixerat, *Manifeſtavi nomen tuum,* quod hoc loco ita effertur, *Verba, quæ dediſti mihi, dedi eis:* rurſus ſuam doctrinam, ut reliqua omnia, Patri adſcribens. Deinde ad commendationem fidei Apoſtolorum redit, collaudans ipſos, quod *acceperint* (antea dixerat, *ſervaverunt verbum tuum*) quod *cognoverint vere* (quo ipſo tum cognitio mere hiſtorica, tum fides hypocritica, a vera, viva, & vivifica fide ac cognitione Dei ſejungitur) *& crediderint, quod a te exiverim, & quod tu me miſeris.*

v. 8.

LI. Videtur autem in hoc membro talis argumenti vis latere: Apoſtoli mei hactenus in patefacta cœlitus doctrina ſua inque vocatione conſtantes permanſere, & me etiam vere a Te Patre cœleſti miſſum eſſe credunt. Ergo tuendi ſunt a Te in tam laudabili cognitione, ne poſt meum ex hoc mundo abitum Satanæ ac mundi potentia victi iterum ea excidant.

LII. Poſt illa negat CHRISTVS ſe orare pro mundo, hoc eſt hominibus mundo immerſis: ſed rogare, ait, pro iis, quos Pater, cujus forent, dediſſet Filio: ut nunc non Patris ſolum, ſed & Filii forent, uti omnia paterna

etiam

Digitized by Google

etiam Filii, omnia item Filii forent paterna: eoque ſe juſtius pro his rogare, quia & ſuum nomen per eos, eo quod ab iis agnoſceretur, glorioſius fieri cœpiſſet.

LIII. Verba ita habent: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & glorificatus ſum in eis.* *Joh. XVII. v. 9. 10.*

LIV. At quomodo Servator pro mundo non orat, cum paulo poſt pro crucifigentibus oraverit? Luc. XXIII. 34. Reſpondetur quod hac ipſa oratione pro infidelibus non oret, ſed pro Apoſtolis. Neque etiam eo modo pro mundo orat, ac pro Apoſtolis. Pro Apoſtolis & fidelibus ita orat, ut in fide maneant, inque ea pergant & confirmentur, neque ab ea deficiant: pro infidelibus orat, ut relicta incredulitate convertantur, & pœnitentiam agant.

LV. Non igitur eſt, quod Reformati præſidium in hoc loco quærant errori ſuo, ac ſi CHRISTVS non ſatisfecerit pro incredulis, cum nec pro iis oraverit; eo quod majoris charitatis ſit pro aliquo mori, quam pro aliquo orare.

LVI. Tum nihil vetat dicere, quod CHRISTVS etiam pro infidelibus non oret, quatenus in ſua incredulitate & improbitate præfracte perſeverant, Spiritui S. reſiſtunt, & ad CHRISTVM converti nolunt.

LVII. Quomodo autem omnia, quæ Patris ſunt, ſunt etiam Filii, & viciſſim? Loquitur hic CHRISTVS de ſua ſecundum divinam Naturam cum Patre ὁμοουσίᾳ: quam etiam antiqui Eccleſiæ Doctores ex hoc loco ſtabilire non dubitarunt. Epiphanius confutans dogma Sabellii unam tantum in Divinitate perſonam ſtatuentis:

 tis:

tis: Τί δέ ἐστι, τὰ τοῦ πατρός; ἀλλ' ἢ θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς εἰμί: ζωὴ ὁ πατὴρ, ζωὴ εἰμί: πάντα τὰ τοῦ πατρός μου ἐμά ἐστιν. *Quid vero eſt, ea, quæ Patris ſunt? niſi, quod Deus eſt Pater, Deus ego ſum: Vita eſt Pater, vita ego ſum: omnia quæ Patris mei ſunt, ea ſunt mea.* Videatur etiam Ambroſius *lib. V. de fide c. IV.* Cyrillus *lib. I. in Johann. cap. III. & VIII.* Hieronymus *in Zachar. cap. II.* Auguſtin. *lib. III. contra Maxim. c. IX.*

LVIII. Atque hæc prior eſt ratio poſtulati: Altera ratio petitur ex eo, quod illorum fide ac confeſſione ſit glorificatus. Vis argumenti eſt ejusmodi. Quia Apoſtoli fide ſua me tantopere glorificarunt, & alii etiam ipſorum opera in mei cognitionem pervenerunt; quæ glorificatio mea eſt etiam tua, dum per Filium glorificaris: Ergo tuum erit, impoſterum etiam ipſos ſervare, & ad finem usque tueri, ut porro me, & Te per me glorificare, & mundo patefacere poſſint.

LIX. Tertia ratio in eo eſt, quod diſcipuli ſint adhuc in mundo aliquantiſper permanſuri, & variam, eamque novercantem fortunam experturi; ſe autem abire, ac id
Joh. XVII. propter eos corporali ſua præſentia carituros. *Et non*
v. 11. *amplius ſum in mundo,* (quod in propinquo erat, eloquitur ac ſi jam factum eſſet) *ſed iſti adhuc ſunt* in maligno hoc *mundo. Et ego ad* Te *venio:* nempe relicto hoc mundo, & in eo diſcipulis meis.

LX. Hactenus expendimus rationes propter quas CHRISTVS tam ſollicite pro Apoſtolis oret. Nunc ſequitur petitio ipſa, qua exorat Apoſtolis primo *Conſervationem,* deinde *Sanctificationem.*

11. LXI. De Conſervatione habent hæc verba: *Pater ſancte,* fons omnis & auctor ſanctitatis, *ſerva eos in nomine*

mine tuo, per te ipſum, per tuam bonitatem, virtutem & potentiam, *quos dediſti mihi, ut ſint unum.* Quibus verbis aperit, quidnam illis petat, nempe fidei & charitatis unitatem, *ut,* quemadmodum Paulus loquitur, *idem ſentiant, eandem charitatem habentes, unanimes & ſententiis uni.* Philipp. *II. v. 2. ſtudentes ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis,* Epheſ. *IV. v. 3.*

LXII. Vnitatis modus & exemplar eſt in his verbis: *καθὼς ἡμεῖς, ſicut nos:* & v. 21. *καθὼς σὺ πάτερ ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί* & v. 22. *καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν.* Quibus verbis indicatur, quod ſit unitas non profana, naturalis, civilis, conjugalis; ſed ſancta, divina, ſpiritualis, quomodo Deus Pater & CHRISTVS unum ſunt.

LXIII. Neque tamen tanta intelligitur æqualitas & unitatis perfectio, ac eſt inter perſonas in Sancta Trinitate, quarum eſſentia eſt eadem numero: ſed CHRISTVS ſuam & Patris unitatem adducit in exemplum, optans ſcilicet diſcipulis unitatem conſueta majorem atque excellentiorem, atque adeo divinæ proximam, quæ ſcilicet eos faceret unius ejuſdemque ſententiæ & voluntatis in rebus divinis, in quibus poſita ipſorum ſalus, & per quam tanquam diverſa membra in unum corpus coaleſcerent.

LXIV. Pulchre in hunc ſenſum Athanaſius *Orat. IV.* contra Arianos. *Quemadmodum Pater & Filius ſunt unum eſſentia, ita nos aliqua ſimilitudine & rudi formula, dum in eum reſpicimus, efficimur unum, una inter nos & mutua concordia animi & ſpiritus unitate.*

LXV. Non igitur hinc evincent Ariani, non magis unum inter ſe eſſe perſonas divinitatis, quam ſint inter ſe Apoſtoli conſenſu & concordia unum.

Digitized by Google

LXVI. In ſequentibus CHRISTVS cauſam detegit, cur non prius pro Apoſtolis clara voce pronunciatis precibus interceſſerit: quia ſcilicet familiariſſime & viſibiliter cum ipſis converſatus, eos conſervaverit, ne a

Joh. XVII. v. 12. ſe deficerent. *Cum eſſem,* inquit, *cum eis in mundo, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi.*

LXVII. Neque tamen verba CHRISTI ita ſunt accipienda, ac ſi partes ſuas ſervandi diſcipulos Patri plane reſignet, & a ſe deponat; aut nunc Pater, nunc Filius eos cuſtodiverint: ſed voluit CHRISTVS hac ratione animos & oculos diſcipulorum a viſibili & externa illa cuſtodia, quæ finem mox erat habitura, ſenſim abducere, ut externis adminiculis deſtituti ad Patrem in cœlis oculos ſuos unice attollerent, & ab eo ſe inpoſterum ſervatum iri firmiter ſtatuerent.

LXIIX. At quia objici poterat, fidei & circumſpectioni in ſervandis Apoſtolis adhibitæ adverſari horribilem apoſtaſiam & interitum Judæ, ideo huic occurrit, quando hoc in Scripturis prædictum fuiſſe tradit. *Nemo ex iis periit, niſi filius ille perditionis, ut Scriptura impleretur.* ſcilicet Pſalmo CVIII. ut Petrus eum locum explicat Actor. I.

LXIX. *Filius perditionis* ex idiotiſmo Hebrææ linguæ ſignificat *hominem perditum, perditione dignum:* neque phraſis nos cogit, ut intelligamus hominem perditioni divinitus deſtinatum: niſi ita accipere velis ob prævisam malitiam & flagitium, non vero ob abſolutum aliquod decretum, & efficacem Dei impulſum. Nam fieri potuiſſet, ut etiam poſt venditum CHRISTVM, ſi voluiſſet, per ipſum illum, quem vendiderat, ſanguinem ſervatus fuiſſet,

LXX.

LXX. Non propterea periit Judas, ut impleretur Scriptura, ſed quia Judas periit, Scriptura eſt impleta. Hic enim modus eſt Scripturæ, ut quæ eventus ſunt, pro cauſa ponat. Id quod agnoſcit ipſe Calvinus in hunc locum ſcribens: *Perperam quiſpiam inde colligeret defectionem Judæ Deo potius, quam illi eſſe imputandam, quia neceſſitas ei ex vaticinio impoſita fuerit. Neque enim rerum eventus ideo vaticiniis adſcribi debet, quia illic prædictus fuerit. Nec ſane aliud denunciabant Prophetæ, quam quod ipſis quoque tacentibus futurum erat. Non eſt igitur inde petenda rerum cauſa.*

LXXI, Subjicit CHRISTVS & hanc rationem gaudii cur pro iis roget: quia niſi diſceſſu ſuo mœſtos favore ſuo dignaretur Pater, amitterent initia gaudii, quod exoptet augeri ac perfici. *Nunc autem ad te venio:* illos corporali mea præſentia deſtituens: *& hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis:* id eſt, ut gaudium, quo me auctore, de me, tanquam præſide & conſervatore ſuo gaudent, per meum diſceſſum non tollatur, aut imminuatur, ſed magis augeatur & perficiatur, ipſis nimirum nunc audientibus & intelligentibus, ſe tantopere mihi curæ eſſe, tibique a me commendari, & non minus per te in mea abſentia, quam in præſentia conſervatum iri. *Joh. XVII. v. 13.*

LXXII. Sequitur quarta ratio, cur pro diſcipulis roget. Ea eſt, quod mundo ſint exoſi; & quidem propterea, quod, poſtquam receperint ſermonem Patris a Filio ſibi traditum, non amplius ſint de mundo, ſed exemplum ſuum ſequerentur, qui nihil ſaperet mundanum.

LXXIII. *Ego tradidi eis ſermonem tuum,* id eſt do- *v. 14.*
ctrinam Evangelicam, quæ non tam mea, quam tua eſt,

præ-

prædicandam & divulgandam: *& hanc ob cauſam*, nempe propter ſermonem tuum *mundus eos odio habuit*, ſemperque habebit, *quia non ſunt ex mundo*, ex numero hominum, qui mundano acti ſpiritu mundana ſectentur, *prout & ego non ſum ex mundo*, eaque etiam de cauſa mundi perſecutiones ſuſtineo.

LXXIV. Dixerit aliquis: Quandoquidem ipſi e mundo non ſunt, & mundus eos tanto proſequitur odio, cur non igitur una tecum e mundo diſcedunt? Subjicit

Joh. XVII. v. 15. igitur: *Non rogo, ut tollas eos e mundo:* adhuc enim eos, neceſſe eſt in mundo manere, quod ſermonem tuum longe lateque ſint propagaturi. *Sed* hoc a Te peto, *ut*, quoniam eos in mundo manere, & tuum ſermonem docere, & propter eum adverſitatibus & perſecutionibus exerceri oportet, *eos a malo illo conſerves*, ſive a quovis malo, ſive a quorumvis malorum principe & auctore diabolo. qui πονηρὸς vocatur Matth. *cap. XIII. v. 19.* II. Joh. *I. v. 13. & cap. III. v. 12.* quomodo etiam Tertullianus loquitur libro *de Fuga*.

LXXV. Mox repetit, quod paulo ante dixerat: *Ex*

v. 16. *mundo non ſunt, prout ego non ſum ex mundo*, ut repetita hujusmodi commendatione permotus Pater eo benignius ipſos reſpiciat.

LXXVI. Quia vero ſatis non eſt, ut a contagione mundi ſint immunes; ſed præterea requiritur contraria malitiæ virtus, ſanctimonia; rogat porro, ut eos efficiat ſanctos, idque per veritatem. *Sanctifica eos per veritatem*, hoc eſt, docendo & inſpirando illis veritatem tuam,

v. 17. quam porro aliis tradant. *Sermo* ille *tuus*, quem prædicare debent, *veritas eſt*.

LXXVII.

LXXVII. Hujusce poſtulati gemina affertur ratio. Prior, quia ſicut ipſe a Patre in mundum eſſet miſſus, ita & illos mitteret in mundum. Poſterior eſt, quia pro iis ſe ipſum ſanctificaret, quo & ipſi ſanctificentur.

LXXVIII. *Sicut me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum.* Intelligendum hoc de ſubjecta materia, de qua verba fiunt, nempe de officio, non redemtionis, ſed prædicationis: ſicut me miſiſti ad prædicandum, & mundum de peccatis ſuis arguendum, ita ego illos viciſſim mitto, ut poſt diſceſſum meum hac in parte vices meas obeant. *Et eorum cauſa ſanctifico me ipſum* id eſt, nunc ego me ipſum in ſacrificium offeram, atque ita illorum cauſa ſacrificia omnia legalia, reliquasque cerimonias, quas in ſanctificatione, ſive dedicatione miniſtrorum adhiberi oportebat, ſupplebo, meoque hoc ſacrificio multo melius & perfectius eos conſecrabo: *Vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate*, id eſt, vere, & reipſa, ſive potius, Spiritu illo veritatis, qui veritatem eos doceat. *Joh. XVII. v. 18. v. 19.*

LXXIX. Non male autem hæc accipias de ſanctitatis CHRISTI imputatione. Quam in rem pulcre Stapulenſis in h. l. *CHRISTVS juſtus in ſua juſtitia juſtificat omnes. In CHRISTO ſalvato ſalvantur omnes, in CHRISTO ſancto ſanctificantur omnes. Vnde ſanctificatio noſtra, juſtificatio noſtra, ſalvatio noſtra non potuit magis exaltari, quam ut eſſet in Deo, & eadem, quæ Filii Dei. Nam hac vera eſt, imo veritas. In nobis autem, ut in nobis, exiguum quid eſſet, neque in veritate poſſemus eſſe tales. Tales autem in Filio Dei ſumus in veritate, quia factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio.*

Digitized by Google

dum crucis vexillum conſcenderat? Sed definitione voluntatis, de qua cuncta veneranda paſſionis inſignia adire decreverat, jure ſe opus perfeciſſe ſignificat. Prout e Græcis reddidit Victor Epiſcopus Capuanus, qui vixit medio ſeculo ſexto, ſive, ut alii volunt, ſub finem quinti ſeculi *in Catena ſua ſuper IV. Evangeliſtas.*

XLI. Modum deinde addit, quo petat glorificari: nempe ut ea ornetur gloria, quam apud Patrem habuit ante conſtitutionem mundi. *Et nunc glorifica me tu, Pater, apud temetipſum, gloria, quam habui, prius quam hic mundus eſſet apud te.* Petit igitur ſuæ humanitati dari gloriam, quam divinitas reipſa habuit ante conditum mundum: nempe vult, ut gloria & majeſtas divinitatis reſplendeat in Mediatoris perſona, & in carne, quam aſſumſerat, ut ita, qui iſtam gloriam hactenus habuerat quatenus Deus & Verbum, eam inpoſterum etiam habeat, quatenus ϑεάνϑρωπος. Licet enim perſona CHRISTI, quæ homo erat, ab ipſo initio incarnationis gloriam divinitatis habuerit, quia tamen caro adhuc ſubjecta erat ignominiæ, crucem & mortem paulo poſt ſubitura, ipſa novo quodam modo, & quoad uſum plenarium accepit gloriam divinitatis, quando jam exuta mortalitate, & infirmitatibus omnibus depoſitis in cœlos ſublata, & ad dextram Dei collocata eſt.

Joh. XVII. v. 5.

XLII. Hactenus audivimus CHRISTVM, ſummum illum Sacerdotem pro ſe orantem, ut æterna perfundatur gloria. Conſequens nunc eſt, ut attendamus, quomodo intercedat pro Apoſtolis; quo in altera pars eſt hujus capitis.

XLIII. Paulo ante dixerat CHRISTVS, ſe Patrem ſuum glorificaſſe in terris: id plenius explicat his verbis:

Mani-

Manifeſtavi nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi e mundo. Per *Nomen Dei* intelligitur, quicquid de eſſentia & voluntate Dei in verbo revelatum ſcitu ac creditu ad ſalutem eſt neceſſarium. Per *datos CHRISTO* quidam deſignari putant totam credentium usque ad conſummationem ſeculi Eccleſiam, & præteritum *manifeſtavi* pro futuro, vel etiam more Hebræo, pro actu continuo poſitum eſſe volunt. Sed rectius videtur hæc deſcriptio ἰνδικῶς apoſtolorum convenire. *Joh. XVII. v. 6.*

XLIV. Hoc tamen non ita eſt accipiendum, ac ſi Patris ſui nomen non omnibus Judæis manifeſtum feciſſet; ſed quia non omnes manifeſtanti crediderunt, ideo iis peculiariter ſe dicit manifeſtaſſe, qui ſibi e mundo, ſive mundana non credentium multitudine ſelecti a Patre dati eſſent.

XLV. Hanc autem Apoſtolorum vocationem cœleſti Patri CHRISTVS adſcribit, & ab eo ſibi (ſecundum humanam Naturam) datos eſſe aſſerit. *Tui,* inquit, *erant, & mihi eos dediſti.*

XLVI. Fuerunt autem Apoſtoli Patris cœleſtis non tantum ratione creationis, ſed multo magis ratione prædeſtinationis, ut & peculiaris ad Apoſtolicum munus vocationis.

XLVII. CHRISTO vero dati ſunt Apoſtoli, non tantum ut redimeret, ſanctificaret, ſed etiam ad futuram Evangelii prædicationem informaret, & Spiritum S. abundanter ipſis conferret: utque ipſi mundo univerſo doctrinam cœleſtem patefacerent, eandemque miraculis divinis confirmarent.

XLVIII. Neque fruſtra ſibi datos eſſe aſſerit. *Sermonem* enim *tuum,* qui ſcilicet non tam meus, quam tuus

Digitized by Google

eſt, non ſicut alii, abjecerunt, ſed receperunt, & *ſervaverunt.*

Joh. XVII. v. 7. XLIX. Pergit CHRISTUS: *Nunc cognoverunt, quod omnia, quæ dediſti mihi, a te ſint.* Per *omnia, quæ Pater dedit Filio,* partim muneris mediatorii impoſitio, partim divinæ doctrinæ patefactio, partim miraculorum divinorum perpetratio, partim denique, divinæ ἐξουσίας CHRISTO ſecundum humanam Naturam facta communicatio intelligitur.

L. Hujus Apoſtolorum fidei ac obedientiæ uberior expoſitio additur. Primo autem explicat illud, quod v. 6. dixerat, *Manifeſtavi nomen tuum,* quod hoc loco ita
v. 8. effertur, *Verba, quæ dediſti mihi, dedi eis:* rurſus ſuam doctrinam, ut reliqua omnia, Patri adſcribens. Deinde ad commendationem fidei Apoſtolorum redit, collaudans ipſos, quod *acceperint* (antea dixerat, *ſervaverunt verbum tuum*) quod *cognoverint vere* (quo ipſo tum cognitio mere hiſtorica, tum fides hypocritica, a vera, viva, & vivifica fide ac cognitione Dei ſejungitur) *& crediderint, quod a te exiverim, & quod tu me miſeris.*

LI. Videtur autem in hoc membro talis argumenti vis latere: Apoſtoli mei hactenus in patefacta cœlitus doctrina ſua inque vocatione conſtantes permanſere, & me etiam vere a Te Patre cœleſti miſſum eſſe credunt. Ergo tuendi ſunt a Te in tam laudabili cognitione, ne poſt meum ex hoc mundo abitum Satanæ ac mundi potentia victi iterum ea excidant.

LII. Poſt illa negat CHRISTUS ſe orare pro mundo, hoc eſt hominibus mundo immerſis: ſed rogare, ait, pro iis, quos Pater, cujus forent, dediſſet Filio: ut nunc non Patris ſolum, ſed & Filii forent, uti omnia paterna etiam

Digitized by Google

etiam Filii, omnia item Filii forent paterna: eoque ſe juſtius pro his rogare, quia & ſuum nomen per eos, eo quod ab iis agnoſceretur, glorioſius fieri cœpiſſet.

LIII. Verba ita habent: *Ego pro eis rogo: non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & glorificatus ſum in eis.* *Joh. XVII. v. 9. 10.*

LIV. At quomodo Servator pro mundo non orat, cum paulo poſt pro crucifigentibus oraverit? Luc. XXIII. 34. Reſpondetur quod hac ipſa oratione pro infidelibus non oret, ſed pro Apoſtolis. Neque etiam eo modo pro mundo orat, ac pro Apoſtolis. Pro Apoſtolis & fidelibus ita orat, ut in fide maneant, inque ea pergant & confirmentur, neque ab ea deficiant: pro infidelibus orat, ut relicta incredulitate convertantur, & pœnitentiam agant.

LV. Non igitur eſt, quod Reformati præſidium in hoc loco quærant errori ſuo, ac ſi CHRISTVS non ſatisfecerit pro incredulis, cum nec pro iis oraverit; eo quod majoris charitatis ſit pro aliquo mori, quam pro aliquo orare.

LVI. Tum nihil vetat dicere, quod CHRISTVS etiam pro infidelibus non oret, quatenus in ſua incredulitate & improbitate præfracte perſeverant, Spiritui S. reſiſtunt, & ad CHRISTVM converti nolunt.

LVII. Quomodo autem omnia, quæ Patris ſunt, ſunt etiam Filii, & viciſſim? Loquitur hic CHRISTVS de ſua ſecundum divinam Naturam cum Patre ὁμουσίᾳ: quam etiam antiqui Eccleſiæ Doctores ex hoc loco ſtabilire non dubitarunt. Epiphanius confutans dogma Sabellii unam tantum in Divinitate perſonam ſtatuentis:

tis: Τὶ δὲ ἐστι, τὰ τοῦ πατρὸς; ἀλλ' ἢ θεὸς ὁ πατὴρ, θεὸς εἰμί: ζωὴ ὁ πατὴρ, ζωὴ εἰμί: πάντα τὰ τοῦ πατρός μου ἐμά ἐστιν. *Quid vero eſt, ea, quæ Patris ſunt? niſi, quod Deus eſt Pater, Deus ego ſum: Vita eſt Pater, vita ego ſum: omnia quæ Patris mei ſunt, ea ſunt mea.* Videatur etiam Ambroſius *lib. V. de fide c. IV.* Cyrillus *lib. I. in Johann. cap. III. & VIII.* Hieronymus *in Zachar. cap. II.* Auguſtin. *lib. III. contra Maxim. c. IX.*

LVIII. Atque hæc prior eſt ratio poſtulati: Altera ratio petitur ex eo, quod illorum fide ac confeſſione ſit glorificatus. Vis argumenti eſt ejusmodi. Quia Apoſtoli fide ſua me tantopere glorificarunt, & alii etiam ipſorum opera in mei cognitionem pervenerunt; quæ glorificatio mea eſt etiam tua, dum per Filium glorificaris: Ergo tuum erit, impoſterum etiam ipſos ſervare, & ad finem usque tueri, ut porro me, & Te per me glorificare, & mundo patefacere poſſint.

LIX. Tertia ratio in eo eſt, quod diſcipuli ſint adhuc in mundo aliquantisper permanſuri, & variam, eamque novercantem fortunam experturi; ſe autem abire, ac id
Joh. XVII. v. 11. propter eos corporali ſua præſentia carituros. *Et non amplius ſum in mundo,* (quod in propinquo erat, eloquitur ac ſi jam factum eſſet) *ſed iſti adhuc ſunt* in maligno hoc *mundo. Et ego ad* Te *venio:* nempe relicto hoc mundo, & in eo diſcipulis meis.

LX. Hactenus expendimus rationes propter quas CHRISTVS tam ſollicite pro Apoſtolis oret. Nunc ſequitur petitio ipſa, qua exorat Apoſtolis primo *Conſervationem,* deinde *Sanctificationem.*

11. LXI. De Conſervatione habent hæc verba: *Pater ſancte,* fons omnis & auctor ſanctitatis, *ſerva eos in nomine*

mine tuo, per te ipſum, per tuam bonitatem, virtutem & potentiam, *quos dediſti mihi, ut ſint unum.* Quibus verbis aperit, quidnam illis petat, nempe fidei & charitatis unitatem, *ut*, quemadmodum Paulus loquitur, *idem ſentiant, eandem charitatem habentes, unanimes & ſententiis uni.* Philipp. *II. v. 2. ſtudentes ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*, Epheſ. *IV. v. 3.*

LXII. Vnitatis modus & exemplar eſt in his verbis: καθὼς ἡμεῖς, *ſicut nos*: & v. 21. καθὼς σὺ πάτερ ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοί & v. 22. καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν. Quibus verbis indicatur, quod ſit unitas non profana, naturalis, civilis, conjugalis; ſed ſancta, divina, ſpiritualis, quomodo Deus Pater & CHRISTVS unum ſunt.

LXIII. Neque tamen tanta intelligitur æqualitas & unitatis perfectio, ac eſt inter perſonas in Sancta Trinitate, quarum eſſentia eſt eadem numero: ſed CHRISTVS ſuam & Patris unitatem adducit in exemplum, optans ſcilicet diſcipulis unitatem conſueta majorem atque excellentiorem, atque adeo divinæ proximam, quæ ſcilicet eos faceret unius ejusdemque ſententiæ & voluntatis in rebus divinis, in quibus poſita ipſorum ſalus, & per quam tanquam diverſa membra in unum corpus coaleſcerent.

LXIV. Pulchre in hunc ſenſum Athanaſius *Orat. IV.* contra Arianos. *Quemadmodum Pater & Filius ſunt unum eſſentia, ita nos aliqua ſimilitudine & rudi formula, dum in eum reſpicimus, efficimur unum, una inter nos & mutua concordia animi & ſpiritus unitate.*

LXV. Non igitur hinc evincent Ariani, non magis unum inter ſe eſſe perſonas divinitatis, quam ſint inter ſe Apoſtoli conſenſu & concordia unum.

Digitized by Google

LXVI. In ſequentibus CHRISTVS cauſam detegit, cur non prius pro Apoſtolis clara voce pronunciatis precibus interceſſerit: quia ſcilicet familiariſſime & viſibiliter cum ipſis converſatus, eos conſervaverit, ne a

Joh. XVII. v. 12. ſe deficerent. *Cum eſſem,* inquit, *cum eis in mundo, ego ſervabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodivi.*

LXVII. Neque tamen verba CHRISTI ita ſunt accipienda, ac ſi partes ſuas ſervandi diſcipulos Patri plane reſignet, & a ſe deponat; aut nunc Pater, nunc Filius eos cuſtodiverint: ſed voluit CHRISTVS hac ratione animos & oculos diſcipulorum a viſibili & externa illa cuſtodia, quæ finem mox erat habitura, ſenſim abducere, ut externis adminiculis deſtituti ad Patrem in cœlis oculos ſuos unice attollerent, & ab eo ſe inpoſterum ſervatum iri firmiter ſtatuerent.

LXIIX. At quia objici poterat, fidei & circumſpectioni in ſervandis Apoſtolis adhibitæ adverſari horribilem apoſtaſiam & interitum Judæ, ideo huic occurrit, quando hoc in Scripturis prædictum fuiſſe tradit. *Nemo ex iis periit, niſi filius ille perditionis, ut Scriptura impleretur.* ſcilicet Pſalmo CVIII. ut Petrus eum locum explicat Actor. 1.

LXIX. *Filius perditionis* ex idiotiſmo Hebrææ linguæ ſignificat *hominem perditum, perditione dignum:* neque phraſis nos cogit, ut intelligamus hominem perditioni divinitus deſtinatum: niſi ita accipere velis ob prævisam malitiam & flagitium, non vero ob abſolutum aliquod decretum, & efficacem Dei impulſum. Nam fieri potuiſſet, ut etiam poſt venditum CHRISTVM, ſi voluiſſet, per ipſum illum, quem vendiderat, ſanguinem ſervatus fuiſſet,

LXX.

Digitized by Google

LXX. Non propterea periit Judas, ut impleretur Scriptura, ſed quia Judas periit, Scriptura eſt impleta. Hic enim modus eſt Scripturæ, ut quæ eventus ſunt, pro cauſa ponat. Id quod agnoſcit ipſe Calvinus in hunc locum ſcribens: *Perperam quiſpiam inde colligeret defectionem Judæ Deo potius, quam illi eſſe imputandam, quia neceſſitas ei ex vaticinio impoſita fuerit. Neque enim rerum eventus ideo vaticiniis adſcribi debet, quia illic prædictus fuerit. Nec ſane aliud denunciabant Prophetæ, quam quod ipſis quoque tacentibus futurum erat. Non eſt igitur inde petenda rerum cauſa.*

LXXI. Subjicit CHRISTVS & hanc rationem gaudii cur pro iis roget: quia niſi diſceſſu ſuo mœſtos favore ſuo dignaretur Pater, amitterent initia gaudii, quod exoptet augeri ac perfici. *Nunc autem ad te venio:* illos corporali mea præſentia deſtituens: *& hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis:* id eſt, ut gaudium, quo me auctore, de me, tanquam præſide & conſervatore ſuo gaudent, per meum diſceſſum non tollatur, aut imminuatur, ſed magis augeatur & perficiatur, ipſis nimirum nunc audientibus & intelligentibus, ſe tantopere mihi curæ eſſe, tibique a me commendari, & non minus per te in mea abſentia, quam in præſentia conſervatum iri. *Joh. XVII. v. 13.*

LXXII. Sequitur quarta ratio, cur pro diſcipulis roget. Ea eſt, quod mundo ſint exoſi; & quidem propterea, quod, poſtquam receperint ſermonem Patris a Filio ſibi traditum, non amplius ſint de mundo, ſed exemplum ſuum ſequerentur, qui nihil ſaperet mundanum.

LXXIII. *Ego tradidi eis ſermonem tuum,* id eſt doctrinam Evangelicam, quæ non tam mea, quam tua eſt, *v. 14.*

præ-

LXXVII. Hujuſce poſtulati gemina affertur ratio. Prior, quia ſicut ipſe a Patre in mundum eſſet miſſus, ita & illos mitteret in mundum. Poſterior eſt, quia pro iis ſe ipſum ſanctificaret, quo & ipſi ſanctificentur.

LXXVIII. *Sicut me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum.* Intelligendum hoc de ſubjecta materia, de qua verba fiunt, nempe de officio, non redemtionis, ſed prædicationis: ſicut me miſiſti ad prædicandum, & mundum de peccatis ſuis arguendum, ita ego illos viciſſim mitto, ut poſt diſceſſum meum hac in parte vices meas obeant. *Et eorum cauſa ſanctifico me ipſum* id eſt, nunc ego me ipſum in ſacrificium offeram, atque ita illorum cauſa ſacrificia omnia legalia, reliquasque ceremonias, quas in ſanctificatione, ſive dedicatione miniſtrorum adhiberi oportebat, ſupplebo, meoque hoc ſacrificio multo melius & perfectius eos conſecrabo: *Vt & ipſi ſint ſanctificati in veritate*, id eſt, vere, & reipſa, ſive potius, Spiritu illo veritatis, qui veritatem eos doceat. *Joh. XVII. v. 18. v. 19.*

LXXIX. Non male autem hæc accipias de ſanctitatis CHRISTI imputatione. Quam in rem pulcre Stapulenſis in h. l. *CHRISTVS juſtus in ſua juſtitia juſtificat omnes. In CHRISTO ſalvato ſalvantur omnes, in CHRISTO ſancto ſanctificantur omnes. Vnde ſanctificatio noſtra, juſtificatio noſtra, ſalvatio noſtra non potuit magis exaltari, quam ut eſſet in Deo, & eadem, quæ Filii Dei. Nam hæc vera eſt, imo veritas. In nobis autem, ut in nobis, exiguum quid eſſet, neque in veritate poſſemus eſſe tales. Tales autem in Filio Dei ſumus in veritate, quia factus eſt nobis ſapientia a Deo & juſtitia, & ſanctificatio, & redemtio.*

Digitized by Google

LXXX. Sequitur Dominicæ precationis pars tertia: qua cum primo pro ſe, inde pro diſcipulis oraſſet, nunc rogat pro cunctis fidelibus, ac porro credituris, usque ad finem mundi. *Non tantum autem pro iſtis rogo, ſed & pro iis, qui per ſermonem eorum,* ſive immediate, ſive mediate, *credituri ſunt in me.*

Joh. XVII. v. 20.

LXXXI. Quod dixi, CHRISTVM eos quoque Patri commendare, qui mediate per Apoſtolorum ſermonem credituri ſint, id Auguſtinus ſic declarat: *Non hi tantum intelligendi ſunt, quos ait in ſe credituros per verbum eorum, qui ipſos, cum in carne viverent, Apoſtolos audiverunt, ſed poſt obitum eorum: & nos longe poſt nati per verbum eorum credidimus in CHRISTVM: quoniam ipſi, qui cum illo tunc fuerunt, quod ab illo audiverunt, ceteris prædicaverunt: atque ita verbum eorum, ut nos etiam crederemus, ad nos usque pervenit: ubicunque eſt ejus eccleſia, & perventurum eſt ad poſteros, quicunque poſtea in eum credituri ſunt.*

LXXXII. Duo autem hic conſideranda: quid petat, & quare petat. Expetit unitatem & concordiam, ſive conſenſum animorum & voluntatis: *Vt omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te,* unum ſumus: *ut & ipſi* ad hanc ſimilitudinem, modo ipſis poſſibili, *in nobis,* ſive per gratiam noſtram, ſive idem cum Deo, & in Deo ſentientes & volentes, *unum ſint.*

v. 21.

LXXXIII. Petit autem eo fine, ut credat mundus, ſe miſſum eſſe a Patre: *Vt credat mundus,* quamvis incredulus, mihique inimicus, videns tamen ſummam meorum concordiam & charitatem, cogatur vel invitus agnſcere, *quod tu me miſeris* divinitus.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV. Alteram etiam cauſam ob quam petat, adjungit, nempe propter gloriam, quam diſcipulis dediſſet. *Et ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus.* *Joh. XVII. v. 22.*

LXXXV. Quænam illa ſit *gloria*, quam Pater CHRISTO, & CHRISTUS fidelibus dederit, mire variant Interpretes. Quidam referunt ad *gloriam edendorum miraculorum:* uti Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Lyranus. Auguſtinus & Beda *ad gloriam immortalitatis vitæ æternæ.* Gregorius Nyſſenus intelligit *Spiritum S.* Plurimi de *gloria filiationis divinæ* accipiunt: a quibus non multum abeunt, qui *dilectionem, qua CHRISTUS ab æterno dilectus eſt a Patre, quam CHRISTUS ſua ſatisfactione promeritam credentibus confert,* interpretantur: alii denique *complexum omnium CHRISTI beneficiorum Eccleſiæ ſuæ collatorum* eſſe volunt: quæ interpretatio reliquis forſan præferenda eſt. Fundamentum enim, cauſa, & vinculum quaſi unionis ſpiritualis credentium in eo conſiſtit, quod gloria CHRISTI, hoc eſt, ejus beneficia, cum ipſis, ceu membris communicantur.

LXXXVI. Repetit deinde, quæ dixerat de arctiſſima conjunctione Patris ac ſui; item ſui ac diſcipulorum: ac geminum inde fructum affert: nempe, quod mundus inde cognoſcet, tum ſe miſſum a Patre; tum diſcipulos etiam a Patre diligi, ſicut Filius diligitur a Patre.

LXXXVII. *Ego in eis,* ſcilicet ſum, & habito per fidem, *& tu in me,* id eſt, ſicut tu in me habitas per naturæ communionem: *ut ſint conſummati in unum,* id eſt, perfecti in unitate & concordia: *& ut cognoſcat mundus, quod* *v. 23.*

XCII. Dionyſius Carthuſianus in h. l *Notum faciam poſt reſurrectionem; cum per inſufflationem & ignearum linguarum apparitionem infudero eis Spiritum S. ad intelligendum Scripturas ac myſterium Trinitatis, clariſſime vero, ſeu per ſpeciem notificabo te eis, cum ad Patrem perducentur.*

XCIII. Factum id duabus de cauſis. Primum, ut in diſcipulis foret dilectio Dei: puta, qua diſcipuli diligantur. *Vt caritas, qua dilexiſti me, ſit in eis:* hoc eſt, ut tali dilectione eos proſequaris & te proſequi declares, quali me dilexiſti, & te diligere declaraſti.

XCIV. Deinde id factum, ut & CHRISTVS ſit in diſcipulis. *Et ego in eis:* ut te eos diligente, & dilectionem in eos declarante ego in ipſis perſeverem, ac in dies illis fiam conjunctior.

XCV. Auguſtinus ſic exponit cauſaliter. *Ideo* (inquit) *ſubjunxit, & ego in ipſis, tanquam diceret, quoniam ego ſum & in ipſis. Aliter enim eſt in nobis, tanquam templo ſuo, aliter autem, quia & nos ipſe ſumus, cum ſecundum id, quod ut caput noſtrum eſſet, homo factus eſt, corpus ejus ſimus.* Quæ expoſitio utilem doctrinam præbet, quod ſpecialis Dei dilectio ſit beneficium propter CHRISTVM Mediatorem credentibus obringens.

XCVI. Alii tamen ſimpliciorem cenſent interpretationem, ſi τελικῶς & ἐκβατικῶς accipiatur, ut vocula ἵνα ἀπὸ κοινοῦ repetatur hoc modo: *Ideo eis notum feci, & notum faciam nomen tuum, ut non ſolum dilectio, qua dilexiſti me, ſit in eis, ſed etiam ut ego ipſe ſim in eis.*

XCVI Concludimus cum Landulpho Carthuſiano, qui ante trecentos & quod excurrit, annos vixit,

CASPARIS SAGITTARII

SS. THEOL. DOCT. HISTOR. PROF. P.

h. t.

ACADEMIÆ SALANÆ

RECTORIS

HARMONIA EVANGELICA

HISTORIÆ PASSIONIS JESU CHRISTI.

JENÆ,

TYPIS NISIANIS CIↃ IↃC LXXXIII.

Digitized by Google

IN NOMINE CHRISTI AMORIS MEI CRUCIFIXI

HARMONIAE EVANGELICAE

HISTORIAE PASSIONIS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

PARS SECUNDA.

CAP. I.

De CHRISTI ex urbe in montem Oliveti egreſſu, ejusdemque de fuga diſcipulorum vaticinio. Principio capitis agitur de Hymno, quem CHRISTUS ante egreſſum cum diſcipulis cecinit.

I.

PArte prima in iis elaboravimus, quæ præceſſere Paſſionem Dominicam. Alterum nunc erit, ut de ipſa Sacroſancta Paſſione ejusque omnibus ac ſingulis circumſtantiis agamus.

Digitized by Google

II. Etſi autem neſcii non ſumus, ea, quæ CHRISTVS in horto eſt perpeſſus ideo ad præparationem Paſſionis referri, quod ibidem precibus ſollicitis ad Deum fuſis animum ad inſtantem paſſionem præmuniverit, & ab Angelo ſolatium acceperit: malumus tamen ab his Paſſionem ipſam exordiri.

III. Ceterum quoniam prius quam exivit CHRISTVS, Hymnum ceciniſſe dicitur Matthæo *cap. XXVI. v. 30.* & Marco *cap. XIV. v. 26.* & vero priori parte nos de eo aliquid allaturos promiſimus, dicemus hoc loco aliquid de Hymni nomine, de tempore, quando Hymnus iſte decantatus, & demum qualis ille Hymnus fuerit.

IV. Apud Proclum *in Chreſtomathia*, ſive potius in Excerptis ejus apud Photium legas, dici ὕμνον quia ſit ὑπόμνησις, ſive commemoratio rerum, quæ celebrantur. Sed verius eſt etymon, quod ſubjungit, ſic dici ἀπὸ τοῦ ὕδειν, quod Heſychius interpretatur ᾄδειν, λέγειν.

V. Eſt autem Hymnus veteribus ᾠδὴ εἰς θεὸν, *carmen in honorem Dei*, ut ait Menander Rhetor *lib. de genere Demonſtrativo*, quem in corpore antiquorum Rhetorum Aldus excudit, ac Natalis Comes latine vertit. Item Scholiaſtes Sophoclis. Et Ammonius *de ſimilibus & differentibus vocabulis* Hymnum ab Encomio ſic diſtinguit, quod *Hymnus* ſit Deorum, *Encomium* vero hominum. Sic exſtant Hymni Orphei, Callimachi, Homeri, aliorumque Poëtarum in Apollinem, Jovem, ceteroſque Deos. Pſalmi etiam Davidis a Philone vocantur Hymni, unde in libro *de mundo* Davidem appellat ὑμνογράφον. Huc ſpectant illa apud Athenæum lib. XIV. Οἱ ἀρχαῖοι περιέλαβον ἔθεσι καὶ νόμοις τοὺς τῶν θεῶν ὕμνους ᾄδειν ἅπαντας ἐν ταῖς ἑστιάσεσι. Et clarius apud Arrianum de Expeditione

ne

ne Alexandri lib. IV. Calliſthenes, ὕμνοι μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιοῦνται; ἔπαινοι δὲ ἐς ἀνθρώπους; *Hymni Deorum ſunt, laudes hominum.* Sane & Chryſoſtomus in c. III. ad Coloſſ. homil. IX. ait *Hymnos* nihil humani continere. Verba ejus ſunt: Οἱ ψαλμοὶ πάντα ἔχουσιν. οἱ δὲ ὕμνοι πάλιν οὐδὲν ἀνθρώπινον. Vnde colligit Hymnos eſſe θειότερον πρᾶγμα, *divinius quid*; itaque inquit: αἱ ἄνω δυνάμεις ὑμνοῦσιν, οὐ ψάλλουσιν. *Superiores poteſtates,* ſive Angeli, *hymnum canunt, non pſallunt.*

VI. In hanc ſententiam ſcribit Auguſtinus in Pſalm. LXXII. *Hymni ſunt laudes Dei cum cantico. Et ſi ſit laus, & non ſit Dei, non eſt hymnus; Si ſit laus, & Dei laus, & non cantetur, non eſt hymnus. Oportet ergo, ut ſi ſit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei & canticum.*

VII. Quo ipſo etiam refellitur illorum ſententia, qui putant CHRISTVM non cecinisse hymnum, ſed recitaſſe. Nam communiter verbum ὑμνεῖν de cantico uſurpatur.

VIII. Hymnum primus excogitaſſe creditur Steſichorus Himeræus, ut eſt apud Clementem *lib. I. Stromatum.* Apud Euſebium *lib. I. Præparat. Evangelicæ* dicitur ex Phœnicum Theologia primam Sidonem reperiſſe hymnos. Ἀπὸ δὲ πόντου γίνεται Σιδών. ἣ καθ' ὑπερβολὴν εὐφωνίας πρώτη ὕμνον ᾠδῆς εὗρε. *In Ponto generata Sido: quæ, quadam vocis excellentia prima reperit morem carmine pangendi hymnum.*

IX. Sed non eſt dubium, quin his longe vetuſtior ſit hymnorum origo, cum tempore Moſis in uſu fuiſſe noverimus. Et fortaſſis jam ante diluvium eosdem frequentarunt.

Digitized by Google

X. Dicemus nunc de tempore, quo CHRISTVS cum diſcipulis hymnum decantavit.

XI. Janſenius & Baronius putant, illum dilatum fuiſſe poſt omnes CHRISTI ſermones, & precationem, quam recenſet Johannes cap. *XVII.* moti procul dubio Matthæi & Marci verbis, quæ habent, CHRISTVM hymno dicto exiiſſe in montem Olivarum.

XII. Verum probabilius eſt, hymnum precationem προαγόνιον, & omnes ſermones a Johanne memoratos præceſſiſſe. Quod autem Matthæus & Marcus exitum CHRISTI immediate cum hymno conjungunt, ex eo factum eſt, quod longum CHRISTI ſermonem omiſerunt.

XIII. Sunt, qui malunt CHRISTVM interrupto ſermone hymnum ceciniſſe, eoque abſoluto, quem exorſus erat, ſermonem perfeciſſe. At enim quia id omni Veterum teſtimonio, & argumentis fide dignis deſtituitur, aſſenſum non meretur.

XIV. Nonnulli ex antiquitatibus Hebræorum oſtendere conantur, quod hymnus in feſto Paſchatis à Judæis decantatus in duas partes fuerit diviſus: & priorem quidem partem dictam ante accubitum, cibique ſumtionem, in medio convivii cum poculum vini ſecundum foret ebibendum: poſteriorem epoto quarto poculo & ultimo. Eundemque morem CHRISTVM quoque obſervaſſe volunt.

XV. At qualis ille hymnus Judæorum fuerit, quem in Paſchate cecinerint, nunc erit diſpiciendum. Plane novum fuiſſe, quem è re nata ad propoſitum accommodatum & eximium Apoſtolorum aliquis memoriæ mandaſſet, minus eſt probabile.

XVI.

Digitized by Google

XVI. Paulus Burgenſis in Pſalmum CXIII. annotavit, hunc ipſum Pſalmum cum quinque ſequentibus fuiſſe. Hymni autem in duas partes diviſi, partem priorem conſtitiſſe Pſalmo CXIII. & CXIV. alteram vero abſolutam quatuor reliquis. Quod etſi infallibilibus non demonſtrari poteſt argumentis, non pauci tamen viri eruditi eandem ſententiam amplexi ſunt.

XVII. Talmudicos Doctores in definiendo hymno hoc non convenire ſequentia oſtendunt ex Maſſechet Peſachim latine facta a Johanne Sauberto, Prof. Academiæ Juliæ celeberrimo: *Perhibent Doctores noſtri; ad quartum poculum abſolvit Hallel, recitatq; magnum Hallel. Verba ſunt Rabbi Tarphon. Sunt qui dicant: Paſtor meus non indigebo. (Pſalm. XXIII.) Unde incipit Hallel magnum? R. Juda dicit a Pſalmo CXVIII. 1. usque ad Pſalmum CXXXVII. Rabbi autem Jochanan ait, a Pſalmo CXX. usque ad Pſalmum CXXXVII. Rabbi Acha bar Jacob dicit a Pſalmo CXXXV. 4. usque ad CXXXVII. Et quare dicitur Hallel magnum? Ait Rabbi Jochanan, ideo quod Deus benedictus ſedet in altitudine mundi, & diſpertitur alimenta ſingulis creaturis.*

XVIII. Atque ex hoc etiam loco ſimul apparet, injuria Virum incomparabilem Johannem Buxtorffium *Lexico Talmudico voce* הלל aſſertum Pauli Burgenſis in dubium vocare, hymnum illum a Judæis appellatum *Hallelujah magnum;* ac ſi id apud Hebræos non reperiatur.

XIX. Diſquiſitionem de Hymno coucludam dictis Theophylacti quæ habentur Comment. in Marci cap. XIV. *Et antequam & poſtquam bibiſſent, gratias egerunt, ut & nos diſcamus, quod oporteat grates agere* CHRISTO,

& ipſum laudare, & ante & poſt cibum. Præterea etiam hoc indicat, quod grata ſit ei mors pro nobis, quomodo etiam exiens ut traderetur, laudat Dominum. Omnino autem & nos docet, ſi quando in adverſa pro multorum ſalute inciderimus, ne triſtes ſimus: ſed & gratias agamus Deo, qui noſtram afflictionem in multorum ſalutem operatur. Progredimur ad abitum CHRISTI in montem Oliveti. Nimirum CHRISTVS finitis ſermonibus a Johanne memoratis, finito quoque hymno, ſive parte ejus poſteriori; tandem noctu egreſſus eſt ex Vrbe: quod portas, utpote tam alta pace per noctem patuiſſe, ſit valde veroſimile. *Egreditur* vero in *montem olivarum* (quæ verba ſunt Theophilacti) *ut ſolitarium adorirentur & detinerent, ne tantum tumultum faciant. Nam ſi in civitate ipſum invaſiſſent, fortaſſis oborta fuiſſet turba, & inimici occaſione quapiam, quæ juſta videri potuiſſet, apprehenſa, viſi fuiſſent ipſum juſte, ut ſeditioſum interficere.*

XX. Videndum, unde, & qua, & quo iverit. Non egreſſus eſt e villa Gethſemane, ut Rupertus Tuitienſis perperam ſcribit; ſed exiit domo, ubi cænaverat, atque Sacram Cœnam inſtituerat.

XXI. Hinc per urbem CHRISTVS ivit, ac transgreſſus eſt torrentem Cedron, quem χείμαῤῥον vocat Johannes. χείμαῤῥος autem torrens eſt, ſeu ejusmodi fluviolus, qui maximam partem hyeme exeunte ex reſolutis nivibus confluxit, & nonnunquam æſtate exſiccatur.

XXII. Syrus pro πέραν τοῦ χειμάῤῥου habet לעברא דרגלתא *leebhro dargeltho.* Quod vertunt nonnulli *tranſitum pedis*, ut ea ſit periphraſis vadi, ubi pedibus per torrentem vadere liceat. *Sic Syris dicitur* χείμαῤῥος, verba ſunt Ludovici de Dieu, *quia pedibus tranſiri poteſt*

ob

Digitized by Google

ob exiguam aquæ profunditatem, quæ ex pluviis aquis nata hyeme fluere, æſtate exſiccari ſolet.

XXIII. Verum Samuel Bochartus in Geographia S. oſtendit Syriacum interpretem minus recte intellectum a nonnullis, eo quod apud Syros רגלא *pes* & רגלא *torrens* iisdem literis ſcribantur: quin & Arabice רגלא eſſe *decurſum aquarum*.

XXIV. Torrenti nomen datum a nigredine. Nam קדר Hebræis eſt *nigreſcere*, & קדרות *nigredo*. Niger autem erat hic amnis, tum propter vallis profunditatem, per quam decurrebat; tum propter arborum copiam, quibus obumbratus fuit; tum propter limum & ſordes ex montibus & urbe in illum profluens.

XXV. Qui putant hunc torrentem a cedris ejus loci ſortitum eſſe nomen, decepti ſunt vulgata, apud Johannem lectione. *χειμάῤῥου τῶν κέδρων*. Selectos enim codices vel plane omittere articulum, vel habere τοῦ *κέδρων* teſtantur Viri docti,

XXVI. Non igitur eſt, cur Zacharias Epiſcopus Hierololymitanus, & e latinis, Haimo, Thomas, Lyranus, idcirco CHRISTVM velint pertranſiſſe hunc torrentem, ut ſignificaret, ſe properare ad rem perpetuo memorandam, &, ut ajunt, *cedro dignam*.

XXVII. Grotius quidem *Notis in Johannem* vulgatam lectionem probat, *nec dubitare debere* ſcribit, quin cedris conſiti fuerint *margines hujus torrentis*. Sed ut de aliis nihil dicam, lignum cedri, quia jucundi eſt odoris, & diu durans, non gaudet locis humidis & profundis, ſed ſiccis & montanis: unde Libanus in Sacra Hiſtoria cedris nobilitatus. Plinius etiam *lib. XVI. cap. XVIII.* ſcri-

ſcribit: *Montes amant cedrus, larix, tæda, & ceteræ, e quibus reſina gignitur.*

XXVIII. Brocardus monachus, qui ſeculo XIII. curioſe admodum luſtravit Palæſtinam, ſic deſcribit hunc torrentem. *Infra agrum Haneddama contra orientem fluit torrens Cedron, colliguntur que in ipſum omnes aquæ, quæ tempore pluviarum in altiora quæque loca circumjacentia ab aëre deſcendunt.*

XXIX. Ab hoc torrente itum eſt ad montem Olivarum, ut ſcribunt Matthæus & Marcus, &, ut addit Lucas, *cap. XXII. v. 39.* κατὰ τὸ ἔθος, *juxta conſuetum morem.*

XXX. Mons Oliveti ſic dictus, quod multis conſitus oleis, incubuit urbi ab oriente, diſtitit Hieroſolymis itinere Sabbati. Situs ejus peramœnus fuit, e quo montes Judææ, Arabiæ deſertæ, mare mortuum, Jordanis fluvius, & planities Hierichuntis viſu obiri potuerunt. Noctu hic mons illuminatus fuit a luminibus in templo accenſis.

XXXI. Cum trans torrentem Cedron per vallem Joſaphat ad montem Oliveti CHRISTVS cum diſcipulis ſuis, qui eum ſequebantur, contenderet, rurſus illis prædicit, fore, ut mox offendiculum patiantur, viſo Domini ſupplicio. Πάντες, inquit, σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ, *Omnes ſcandalum accipietis in me in hac nocte.* Quæ verba recte accipiuntur objective, quod ipſe CHRISTVS illis ſit futurus ſcandali materia.

Matth. XXVI. v. 31. Marc. XIV. v. 27.

XXXII. Cogitationes diſcipulorum perturbatorum non male exprimit Johannes Brentius. *Videbant, ait, ipſum tractari ut filium Satanæ, ergo cogitabant non eſſe Filium Dei: Videbant eum non ſervare ſeipſum, cogitabant ergo, eum non eſſe Salvatorem: Videbant eum tractari,*

ut

ut perditiſſimum nebulonem, cogitabant igitur, eum non eſſe juſtitiam, videbant ipſum comprehendi, & ad mortem duci, cogitabant ergo, eum non eſſe vitam.

XXXIII. Vt CHRISTVS prædictioni ſuæ adderet robur & pondus, adducit vaticinium Propheticum: *Scriptum enim eſt,* inquit, *Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis.*

XXXIV. Locus habetur apud Zachariam cap. XIII. v. 7. Sed verba paulo aliter habent, ac a CHRISTO, vel Evangeliſta adducuntur, ſenſu tamen plane invariato. Interdum enim Spiritus S. non tam verba, & ſyllabarum apices, quam rem ipſam ſolet reſpicere.

XXXV. Sic autem Propheta per quandam proſopopœian cœleſtem Patrem introducit alloquentem frameam ſive gladium. *Framea ſuſcita te ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum proximum mihi, dicit Dominus exercituum: Percute paſtorem, & diſpergentur oves, & convertam manum meam ſuper parvulos.* Hieronymus putat Prophetam Zachariam hoc loco Deum Patrem rogare, ut percutiat paſtorem. Sic enim ſcribit libello de optimo genere interpretandi ad Pammachium: *In Matthæo legimus Dominum prædicentem Apoſtolis fugam, & hoc ipſum Zachariæ teſtimonio confirmantem: Scriptum eſt, ait: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves. At in LXX. & in Hebræo multo aliter eſt. Non enim ex perſona Dei dicitur, ut Evangeliſta vult, ſed ex Prophetæ Deum Patrem rogantis: Percute paſtorem, & diſpergentur oves. In hoc, ut arbitror loco, juxta quorundam prudentiam, Evangeliſta piaculi reus eſt, quod auſus ſit Prophetæ verba ad Dei perſonam referre.* Sed quod pace Hieronymi dixerim, non levis hic eſt error. Neque enim Propheta hic

ex ſuo ſenſu loquitur, ſed dicuntur ſub perſona Dei: cum addiderit: *Dicit Dominus exercituum.* Vnde & Eraſmus h.l. reclamat Hieronymo, ejusdemque lapſum agnoſcit, & molliter caſtigat. At quod Eraſmus ſcribit, *eadem fere repetere Hieronymum enarrantem hunc Propheta locum*: equidem non invenio: imo pæne contrarium ex iisdem exſculpas.

XXXVI. Calvinus in Harmonia Evangelica contra mentem S. Spiritus, & unanimem interpretum conſenſum non de ſolo CHRISTO hoc oraculum agere contendit, ſed de pluribus paſtoribus, *quibus poſt tyrannidem Antiochi nudata Eccleſia in vaſtitatem fuerit redacta.* Sed jam olim hanc prophetiam alio torquere nonnullos voluiſſe ſequentia Hieronymi arguunt, Comment. in Zachariam lib. III. *Miror quosdam hanc prophetiam quam Evangeliſta Matthæus retulit ad Dominum Salvatorem, poſtquam in paſſione ejus fugerent diſcipuli, & tunc eam dicit eſſe completam, allegoricis interpretationibus velle tennare: & dum plus cupiunt videri noſſe, quam ceteri, veritatis regulam non tenere.* Et vel Judæorum facile principes, inter quos etiam Abarbenel, Meſſiam pro vaticinii hujus ſubjecto habent. Etſi autem in veri Meſſiæ perſona deſcribenda fallant & fallantur; hoc tamen non male, quod talem hic intelligant Meſſiam, qui dolores ſit perpeſſurus varios, innocens ipſe, itemque mortem obiturus non naturalem; quem Meſſiam etiam hic vocant *Ben-Joſeph.*

XXXVII. At de ſolo CHRISTO hoc in loco agi primum ex eo patet, quod loquatur Propheta non de Viris, ſed de Viro; deinde de Viro proxime Deo cohærente; quæ ſolius Filii æterni eſt deſcriptio; tertio de

Viro

Viro diſperſas oves reſtituente, quod nulli gregario paſtori in Eccleſia competit.

XXXVIII. Gladii percutientis nomine μεταφορικῶς intelliguntur omnes afflictiones, quas CHRISTUS & anima & corpore in paſſione propter nos ſuſtinuit.

XXXIX. Quamvis autem CHRISTUS innocentiſſimus fuerit, ac Patris cœleſtis Filius dilectisſimus, tamen quia peccata totius mundi expianda in ſe ſuſceperat, ideo Pater cœleſtis vindicem ſuum gladium contra ipſum ſtrinxit.

XL. Quemadmodum vero fugiente vel fugato a paſtore oves diſperguntur; (vid. Joh. X. v. 12.) ita quoque Propheta prædicit, & CHRISTUS ex ipſo repetit, quod percuſſo ſpirituali paſtore, oves, hoc eſt, Apoſtoli, ſint diſpergendæ. Hoc vaticinium paulo poſt completum fuit, quando CHRISTO in manus hoſtium tradito omnes diſcipuli in pedes ſe conjiciunt, & turpiter aufugiunt.

XLI. Hac ſcandali prædictione propriarum virium fiduciam, qua inflati erant Apoſtoli, deprimere volebat CHRISTUS: at contra prædictione reſurrectionis eamque ſecuturæ congregationis, adverſus deſperationem animos ipſorum munit. *Poſteaquam reſurrexero, præcedam vos in Galilæam.* *Matth. XXVI. 32. Marc. XIV. 28.*

XLII. Completa eſt hæc promiſſio in ſolenni illa CHRISTI apparitione facta in monte quodam Galilææ, coram plus quam quingentis fratribus. Matt. XXVIII. 16. 1. Corinth. XV. 6. ac fortaſſis etiam in itinere duorum diſcipulorum euntium Emmauntem, quæ erat etiam via in Galilæam, quam ex CHRISTI monito Matth. XXVIII. 7. 10. illi iniverant.

Digitized by Google

XLIII. Petrus nondum repreſſus fideli ſuperiori admonitione, neque ſibi ſatis notus, fortitudine quadam humana ac temporaria, vel potius temeraria, negat futurum, quod CHRISTVS omniſcius prædixerat. Quodque majoris erat temeritatis unum ſe ceteris omnibus anteponit. *Etſi*, inquit, *omnes offenſi fuerint in te, ego tamen nunquam offendiculum patiar.*

Matth. XXVI. 34. Marc. XIV. 30.

XLIV. JESVS autem cupiens penitus ex animo revellere ſui fiduciam, dicit illi: *Amen dico tibi, quod in hac nocte, antequam gallus cantet,* ita Matthæus; ſed Lucas, *priusquam gallus bis cecinerit, ter me abnegabis.* De conciliatione horum locorum dicemus in ſequentibus.

XLV. Hac oratione adeo non coërcita eſt Petri confidentia, ut tanto fortius etiam & magnificentius de ſe polliceretur, inquiens: *Imo ſi me neceſſe fuerit etiam commori tibi, tamen haut unquam te abnegabo.*

XLVI. Reliqui diſcipuli noluerunt virtute & conſtantia inferiores eſſe Petro, ideoque ſimiliter ſe CHRISTO conſtanter adhæſuros uno ore pollicentur.

CAP. II.

De villa Gethſemane, & horto eidem vicino. De triſtitia, ἐκθαμβήσει & ἀδημονίᾳ, quæ CHRISTVS ibidem ſenſit. Preces, quas CHRISTVS in ſummo illo animi mœrore & angore fudit, latius exponuntur, & quomodo Humana CHRISTI Voluntas Divinæ non fuerit contraria oſtenditur. Monotheletarum Hiſtoria per compendium traditur. Colloquium CHRISTI cum ſomniculoſis diſcipulis excutitur. Quæ CHRISTI ἀγωνία fuerit, docetur.

I. Inte-

I.

INterim ventum eſt ad montem Oliveti. Cum autem varia ejus ſint montis loca, partem eam adiit, ubi prædium & villa Gethſemane.

II. In hujus vocis etymo eruendo valde deſudarunt interpretes.

III. Arias Montanus *in cap. XXVI. Matthæi* dictum vult *Ganſemini a* שמנה *octo*, quod hortus fuerit octavus ab Hieruſalem: ac ſi horti in ſuburbiis magnarum urbium ordine poſiti notis numerorum fuerint diſtincti. Verum uti hoc ex Antiquitatibus Judæorum vix probabitur, ita *Gethſemane & Ganſchemini* non parum differunt.

IV. Angelus Caninius *De vocibus Hebraicis N.T.* interpretatur *pecuariam butyri, a* חמאה *butyrum:* ac ſi villa copia butyri abundaverit. Quam etymologiam probat Schindlerus in *Lexico Pentaglotto.*

V. Hieronymus videtur legiſſe גיא שְמָנים Ita enim ad Jeremiæ cap. XXXI. commentatur: *Locus, in quo comprehenſus eſt Dominus, vocatur Geſemani, quod in lingua noſtra Vallem pinguedinis notat.* Quæ originatio etiam placuit Voſſio *Harmon. lib. I. cap. XX.* & Calixto *Concordiæ lib. VI. cap. VIII.* Sed diſplicuit aliis; potiſſimum quod ex גיא non poſſit fieri גת.

VI. Druſius quidem etiam *Vallem pinguedinis* vertit, ſed alia conjectura. Ita enim ſcribit *Præteritorum lib. I.* Gethſemane] forte גיר שמני *Vallis pinguium. Syrus certe* גרשמן, *& facilis eſt lapſus de* δ *in* ϑ. Et Commentar. priori ad Voces Ebraicas Novi Teſtamenti: *Geth antiqui legebant pro* גת *Gath. Id qui negat Ebraicum eſſe, negat ſolem lucere in meridie, aut bis duo quatuor*

 eſſe.

eſſe. In eadem lingua שמן *ſignificat oleum. Dicam nunc quid mihi videatur... Syrus habet* גדסמן *Gedſiman: Ex eo conjicio ſcriptum aliquando fuiſſe* גירשמנר *& poſtea* ד *in* ר *mutaſſe culpa librariorum.* גי *vallis,* רשמני *id eſt, pinguium ſive pinguedinum, ab ubertate ſoli ſic dicta fortaſſe.*

XII. Pleriſque hodie probatur Ludovici Capelli ſententia, qui nomen eſſe vult Hebraicam גת שמני *Torcular Olei,* ſeu locus torcularium oleaciorum ad baſin oliveti. Nec enim adeo eſt incredibile, torcularibus, quibus olivas exprimerent, hunc locum abundaſſe.

VIII. De Gethſemane ex Euſebii libro quodam nondum edito hæc affert Caſaubonus *Exercitat. XVI. num. LXIII.* Γεθσημανῆ, χωρίον, ἔνθα πρὸ τοῦ πάθους ὁ χριστὸς προσηύξατο. κεῖται δὲ πρὸς τῷ ὄρει τῶν ἐλαιῶν. ἐν ᾧ καὶ νῦν τὰς εὐχὰς ποιεῖσθαι σπουδάζουσι. *Gethſemane, locus eſt, in quo ante Paſſionem CHRISTVS oravit: ſitus eſt autem ad montem olivarum: in quo etiamnum preces peragere ſtudent.*

IX. Hæc ad verbum Hieronymus, *Eccleſiam deſuper ædificatam* fuiſſe, addens. Refert Nicephorus *lib III. cap. XXII.* quod Maria ſe in Gethſemane ſepeliri mandaverit. Et lib. VIII. cap. XXX. ſcribit: *Helenam Conſtantini matrem in Gethſemane baſilicam exſtruxiſſe in memoriam Mariæ virginis ibi ſepultæ.* Hoc ſepulcrum ſuo tempore adhuc monſtratum memorat Bernhardus a Breitenbach *in Itinerario Palæſtinæ.*

X. Baronius ex Beda affert, veſtigia genuum CHRISTI lapidibus impreſſa videri. Sed quia nec Euſebius, nec Hieronymus tanto vetuſtiores Beda ſcriptores & teſtes oculati ullam ejus rei mentionem fecerunt, in eam ſuſpi-

Digitized by Google

ſuſpicionem venit Caſaubonus, fieri potuiſſe, ut Bedæ tempore exſtarent veſtigia quædam genuum in cavato lapide ex aſſidua attritione illorum, qui ad precandum, ut ait Euſebius, magno ſtudio illic convenerint, & genua ibidem flexerint. Meminit quoque Veſtigiorum illorum Burchardus de monte Sion in deſcriptione Terræ Sanctæ apud Henricum Caniſium Tomo VI. Antiquæ Lectionis hunc in modum: *Inde ad jactum lapidis contra Auſtrum eſt locus, ubi JESVS oravit, & ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrebat in terram: ubi etiam ſimilis lapis eſt habens impreſſiones genuum & lacertorum manuum & digitorum, de quo ſimiliter nihil poteſt deponi ullo inſtrumento vel ingenio.*

XI. Johannes ait CHRISTVM cum diſcipulis *Joh. XIIX. 1.* introiviſſe hortum: quem ad villam Gethſemane fuiſſe, extra dubitationem eſt.

XII. An vero ille ipſe hortus fuerit, de quo II. Reg. XXV. 4. prout Adamus Reuſnerus ſtatuit, non liquet.

XIII. Myſterio non caret, quod CHRISTVS in horto paſſionem ſuam exordiri voluit, ut ſcilicet Protoplaſtorum peccatum in horto Eden, ſive Paradiſo commiſſum expiaret. Quam rationem Cyrillus & Theophilactus *in cap. XIIX. Johannis annotarunt.*

XIV. Ne quis ſuſpicetur, CHRISTVM ideo egreſſum eſſe urbe, ne in cœnaculo a proditore inveniretur, ſed ſub arboribus in horto extra urbem ſe abſconderet, ideo Johannes addit, quod locum iſtum non ignoraverit Judas, cum CHRISTVS ibidem frequenter cum diſcipulis ſit convenire ſolitus.

XV. Octo Apoſtolis in horti limine relictis, eoque ibidem reditum ſuum præſtolari, & ne in tentationem cade-

caderent, orare juſſis, Petrum, & duos Zebedæi filios, Jacobum & Johannem propius ad locum orationis adduxit, ut acerbiſſimæ paſſionis, duriſſimique certaminis ſpectatores eſſent, eorumque etiam alloquio & ſolatio in angore iſto frueretur.

XVI. Eos potiſſimum ſelegit, ut, ſicuti in monte ſpectatores habuerat divinæ ſuæ majeſtatis; ita nunc haberet teſtes extremæ imbecillitatis humanæ. Vnde Hilarius Comment. in Matthæum can. XXXI. *Recordandum eſt, non alios hic aſſumtos fuiſſe, quam ipſos illos, quibus venturus in regno ſuo Filius Hominis oſtenſus eſt: tum cum aſſiſtentibus in monte Moyſe & Helia, toto æternæ gloriæ ſuæ bonore circumdatus eſt.*

XVII. Non placet Lyrani ſententia, qui *Petrum propter fidei fervorem, Johannem, propter prærogativam virginitatis, Jacobum, propter bonorem martyrii ſelectos eſſe autumat.*

XIIX. Gravitatem paſſionis CHRISTI in horto tum Evangeliſtæ verba indicant: tum ipſius CHRISTI, quando ait ſe ſic commoveri, ut undiquaque triſtis ſit anima ad mortem usque.

XIX. Matth. XXVI. 36. dicitur CHRISTVM cœpiſſe λυπεῖσθαι, καὶ ἀδημονεῖν. Marci XIV. 33. cœpiſſe ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. Vim horum verborum examinabimus, & dicemus primo de Triſtitia CHRISTI; deinceps de pavore, ſeu ἐκθαμβήσει, tertio de tædio, ſive ἀδημονίᾳ.

XX. Primum πάθος, quod CHRISTO in hac animi anguſtia tribuunt Evangeliſtæ, eſt λύπη, mœror. Sub illo enim exorſus paſſionem in horto cœpit λυπεῖσθαι: & ad Petrum, duosque Zebedæi filios converſus ait: περίλυ-

πος.

Digitized by Google

πος ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου. *Vndiquaque triſtis eſt anima mea ad mortem uſque.*

XXI. λύπη proprie dolor eſt aut moleſtia, ſive ægritudo animi, ſic dicta juxta Etymologici Magni auctorem παρὰ τὸ λύειν εἰς δάκρυα τοὺς ὦπας, *quod reſolvat oculos hominis in lacrumas.* Chryſippus apud Ciceronem λύπην vult dici quaſi λύσιν, hoc eſt, ſolutionem totius hominis: & Socrates apud Platonem in Cratylo derivat ἀπὸ τῆς διαλύσεως τοῦ σώματος *quod totum corpus afficiat, & quaſi reſolvat.* Plerumque autem hæc vox de magno animi mœrore ſolet uſurpari.

XXII. Et ſane fuit hæc triſtitia non ſimulata, aut falſa & fictitia; ſed vera, realis: ut mirum ſit fuiſſe hæreticos Phantaſiaſtas, qui veritatem triſtitiæ CHRISTI negarunt: quorum Chryſoſtomus meminit *Homil. XXVI. in Matthæum,* & Ambroſius *in cap. XXII. Lucæ,* & Damaſcenus *de Hæreticis cap. LXXXIV.* Quod ſi enim CHRISTVS non vere, ſed ſimulate tantum dolores iſtos ſenſit, utique redemtio noſtra non eſſet vera, ſed ſimulata.

XXIII. Scribit Evagrius Hiſtor. lib. IV. cap. XXXIX. Juſtinianum Imp. in ea fuiſſe opinione, ut exiſtimaret, CHRISTVM Dominum paſſionibus & affectionibus, etſi vitio carentibus obnoxium non fuiſſe.

XXIV. Satis quoque periculoſe loquitur Hilarius, quando *lib. X. de Trinit.* omnem a Servatore veram triſtitiam removet, quin omnem quoque alium doloris ſenſum.

XXV. Falluntur etiam, qui cum Origine, ex eo quod dicatur, CHRISTVM cœpiſſe contriſtari, ſolum principium doloris vel pavoris ſenſiſſe volunt. Non

Digitized by Google

enim inchoatam quandam, ſed ſummam in corde triſtitiam veriſſime perſenſit.

XXVI. Neq; tamen hanc triſtitiam ſenſit CHRISTVS *conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate*, ut Auguſtinus loquitur.

XXVII. Ex eo quod CHRISTVS animam undiquaque doloribus circumſeptam & circumvallatam dicit, recte adverſus Julium Apollinarem colligitur, non fuiſſe CHRISTO divinitatem loco animæ. Quamobrem etiam Philaſtrius Hæres. LXIX. hunc locum contra eos urget, qui CHRISTVM animam veram non habuiſſe aſſererent.

XXVIII. Etiam hic locum habet, quod Parte I. cap. XIV. §. VII. dictum fuit, triſtitiam hanc non ſolum ad appetitum ſenſitivum, ſed ad rationalem quoque pertinuiſſe.

XXIX. Atque hæc ipſa triſtitia, quod tum quoque a nobis eſt allatum, absque ulla ἀταξίᾳ & labe vitii, ſanctisſima fuit & maxime ordinata.

XXX. Voci περίλυπος exprimendæ non ſufficit vocabulum *triſtis*, quia præpoſitio περὶ ſignificationem auget, & declarat animum mœrore undiquaque obſeſſum & circumvallatum: quamquam alii non præpoſitioni περὶ, ſed adverbio πέρα hanc vim ſignificationem imprægnandi tribuunt.

XXXI. Determinationem iſtam ἕως θανάτου Origenes *Tractat. XXXV. in Matth.* Hieronymus *in Matthæi cap. XXVI.* Haymo, Thomas, & alii nimium extenuant, quando ajunt, illa tantum durationem mœroris CHRISTI exprimi, quod ad mortem ſit duratura, ſed brevi tamen morte finienda.

XXXII.

XXXII. At vero aliena videtur eſſe hæc interpretatio a mente Salvatoris, qui non id tum temporis agebat, ut triſtitiæ magnitudinem extenuaret, ſed eam potius, prout haberet ſe, reapſe explicaret. Quapropter hac phraſi non duratio temporis, ſed mœroris intenſio deſignatur. Vnde Auguſtinus in Pſalm. LXXXVI. *Tanta eſt triſtitia animæ meæ, ut parum abſim a morte.* Et Euthymius Zygabenus in h. l. Matthæi: *Quod ait usque ad mortem, tantum eſt, ac ſi dicat, ſicut in morte.*

XXXIII. Vndiquaque erat triſtis CHRISTI anima ad mortem usque, quia undiquaque obſeſſus erat ab omnibus & ſingulis omnium & ſingulorum hominum peccatis, quæ ab Adamo fuerunt, ſunt, & erunt usque ad finem mundi. Quamobrem ſimpliciter ſubſcribere non poſſumus Hilarii opinioni, qui Commentar. in Matthæum can. XXXI. præcipuam & tantum non unicam hujus mœroris cauſam facit præviſum diſcipulorum ſcandalum. *Sed introſpiciendus* inquit, *omnis hic ſermo eſt, ut quia mæſtum fuiſſe Dominum legimus, cauſas mæſtitudinis reperiamus. Admonuerat ſuperius omnes ſcandalizaturos. Petrus de ſe confidens reſponderat, etiamſi ceteri perturbarentur, ſe non commovendum: quem Dominus etiam ter ſe negaturum eſſe reſpondit. Sed & ille, & ceteri omnes diſcipuli, ne ſi in ipſa quidem morte poſiti ſint, pollicentur ſeſe negaturos. Et procedens, juſſit diſcipulos ſuos conſidere, dum oraret. Aſſumtisque Petro, Jacobo & Johanne, cœpit triſtis eſſe. Ergo non ante triſtis eſt, quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumtis: atque ita non de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumſerat, mæſtitudo.* Et quæ ſeqvuntur plura in hanc ſententiam.

Digitized by Google

XXXIV. Non male ſcribit Simon de Caſſia, monachus Ordinis S. Auguſtini, qui obiit Florentiæ anno MCCCXLVIII. *de geſtis Salvatoris cap. XXVII. Triſtabatur & anxiebatur Spiritus ejus unus exiſtens pro omnibus dolens, & qui tam brevi temporis ſpatio ad emendam tot millium annorum obligabatur quietem, ſcripta erant inviſibili ſtylo in anima illa omnium temporum momenta, ut imagines delinquentium, nec non & peccatorum variæ quantitates, ſimiliter & qualitates, numeri & intenſiones.*

XXXV. Alterum πάθος, quod doloris animæ JESV CHRISTI argumentum eſt, dicitur ἐκθάμβησις, hoc eſt, *timor, terror, pavor, conſternatio.* Cum ergo Marcus ait CHRISTVM ἐκθαμβεῖσθαι, ingentem animi pavorem, terrorem & ſtuporem ſignificat, qualis in iis eſſe ſolet, qui magno periculo ſunt obnoxii.

XXXVI. Non defuere tamen in priori Eccleſia, qui Timoris πάθος, quod Marcus vocat ἐκθάμβησιν CHRISTO non auſi tribuere. Epiphanius *in Ancorato* videtur aſſerere, quod CHRISTVS timorem ſimulaverit, adeoque negare, quod vere timuerit mortem. Hilarius quoque paſſim *lib. X. de Trinitate* timorem CHRISTO adimit, & ſententiam illam, quæ metum & terrorem CHRISTO tribuit, appellat *hebetudinem impietatis, impiæ ſtultitiæ furorem, impietatis pugnam.*

XXXVII. Hieronymus quoque Hilario videtur ſubſcribere, cum ait in Matthæi cap. XXVI. *Erubeſcant, qui putant Salvatorem timuiſſe mortem, & paſſionis pavore dixiſſe: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.* Et paulo poſt: *Contriſtabatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat:*

Digitized by Google

erat: ſed propter infelicisſimum Judam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & rejectionem populi Judæorum, & everſionem miſeræ Hieruſalem.

XXXVIII. At *ſi negemus in* CHRISTO *verum timorem, cum ſcriptura dicat, ipſum timuiſſe, nihil aliud relinquitur in Scriptura firmum, nihil certum. Si enim dicimus, CHRISTVS dormivit, CHRISTVS eſurivit, quia Scriptura iſta pronunciavit; quo pacto negabimus ipſum timuiſſe, cum Scriptura id dicat?* optime ſcribit Gabriel Vaſquez *in part. III. Summæ Thomæ diſp. LXII.*

XXXIX. Vero igitur CHRISTVS ac vehementi correptus eſt timore ac pavore; ſed defæcatus tamen ille fuit, ac ab iis ſordibus, quibus in nobis ſcatet, expurgatus. Quem in ſenſum bene Auguſtinus de Civ. Dei lib. XIV. cap. IX. *Ipſe Dominus in forma ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas* (paſſiones) *ubi eas adhibendas eſſe judicavit. Neque enim in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus.* Et Fulgentius ad Thraſymundum lib. III. *Quia totum hominem Deus ille ſuſcepit, ideo totius hominis in ſe pasſiones in veritate monſtravit: & animam quidem rationalem habens, quicquid fuit infirmitatis animæ ſine peccato ſuſcepit & pertulit: ut dum humanæ animæ pasſiones, in anima quam accepit, vinceret, noſtras quoque animas ab infirmitatibus liberaret.*

XL. Objectum, aut cauſa objective motiva hujus ἐκθαμβήσεως fuit mors imminens, ſed non nude temporaria illa, ſed cum fulmine divinæ iræ, maledictionis, & pœnarum infernalium intime conjuncta.

XLI. Tertium πάθος, quod Salvatori in horto luctanti Evangeliſtæ tribuunt eſt ἀδημονία. Cœpit enim ἀδημονεῖν. Matth. XXVI. 37. Marc. XIV. 33. Vulgatus nimis molliter vertit apud Matthæum *mœſtus eſſe*, apud Marcum, *tædere*. Rectius Beza, *graviſſime angi*, & addit in *Annotationibus*: Τὸ ἀδημονεῖν *ſignificat præ dolore concidere animo, & inopem conſilii eſſe*. Maldonato eſt ἀδημονεῖν *ita vehementi objecti diſcriminis metu angi, ut quodammodo exanimis, & attonitus ſis*. Euſtathius exponit, ἀλύειν καὶ ἀμηχανεῖν, *nimia quaſi doloris ſatietate fatiſcere & concidere omniſque conſilii inopem eſſe*.

XLII. Idem Euſtath. ἀδημονεῖν derivat a nomine ἄδος *ſatietas*, ut ſit quaſi nimia dolorum ſatietate fatiſcere. Alii derivant a δῆμος, *populus*, ut ſit idem ac extraneum eſſe, extra populi conſortium vivere: quod mœrentium & attonitorum proprium. Sed rectius derivatur ab ἀδέω, quod proprie eſt *tædio ex laſſitudine affici*, & generalius, *quocunque modo moleſtias pati*.

XLIII. Ita ἀδημονία, aut graviſſimus angor CHRISTO Salvatori in ſummo iſto exinanitionis gradu accidit, ubi per ſanctam quandam ſympathiam facultates animæ ſuas operationes quaſi ſuſpenderunt, & ad communem ægritudinem, qua ex divini judicii horrore anima JESV ſanctiſſima concutiebatur, abreptæ fuerunt: ut CHRISTVS in iſto horrendo judicii divini aſpectu totus occupatus, quodammodo axanimis & attonitus conciderit.

XLIV. Tanto angore ac mœrore compulſus CHRISTVS, tum ipſe oravit Deum Patrem; tum Apoſtolis præcepit, ut ſe paulo longius progreſſo, officio ne deeſſent in vigiliis, ac precibus.

XLV.

Digitized by Google

XLV. In orante CHRISTO attenditur tum diſpoſitio orantis, tum oratio ipſa.

XLVI. Ad prius pertinet, quod oraret ſolitarius, ut oraret ardentius. *Avulſus* enim dicitur *a diſcipulis*, non octo illis in horti veſtibulo relictis, ſed tribus ſeorſim aſſumtis, *ferme ad jactum lapidis*. *Luc. XXII. 41.*

XLVII. Illis qui loca ſancta adeunt, adhuc hodie in monte Oliveti oſtenditur ſaxum quoddam ingens, habens tres in ſuperficie concavitates longas, ſed non profundas, in quarum unaquaque recubuiſſe dicitur unus ex tribus Apoſtolis. Ab hoc ſaxo remotum eſt antrum ſubtus terram in vivo lapide exciſum, quo in loco CHRISTVM preces ſuas Patri obtuliſſe referunt. Burchardus de monte Sion in Deſcriptione Terræ S. *Juxta hanc capellam* (in ſuperficie vallis Joſaphat) *fere ad viginti pedes eſt alia capella quæ vocatur Gethſemani, in latere montis Oliveti adhærens rupi, ſub qua Apoſtoli erant ſomno gravati, & oſtenduntur adhuc ibidem eorum ſeſſiones in lapide, & locus captivitatis JESV CHRISTI, & impreſſio calvariæ ejus ſuperius in rupe, & lineamenta verticis & capillorum, & in lapide alio impreſſio digitorum ejus, quam impreſſionem dicitur feciſſe lapidem apprehendendo cum caperetur a miniſtris.* Sed quis credat hæc ab illo ævo eſſe? ſequens & recentior ætas, ut alii allicerentur ad peregrinationes in Palæſtinam in his ac talibus procul dubio luſit.

XLVIII. Ad diſpoſitionem orantis CHRISTI etiam pertinet, quod oraturus, pronus ceciderit in terram, quod ſummæ ſubmiſſionis ſignum, nec minus angoris & horroris non leve argumentum erat.

XLIX. In oratione tria conſiderantur: Perſona, quam orat; res, quam orat; & modus, ſive conditio, qua orat.

L. In-

L. Invocatur Pater, qui apud Marcum etiam *Abba* dicitur.

LI. Vocem *Abba* Græcam eſſe putavit Auguſtinus *Epiſt. CLXXVIII.* ſic ſcribens: *Abba Græco vocabulo Patrem, & latine nominat identidem Patrem.* Hoc tamen librariorum vitio factum, vel etiam ab aliquo aſſutum eſſe Auguſtino, exiſtimat Eraſmus. Sed Ludovicus Capellus *in Spicilegio* Eraſmi conjecturam rejicit, vereque Græcum vocabulum eſſe cenſet, & pluribus probare nititur.

LII. Sed rectius ſtatuitur, Syrochaldaicam eſſe vocem, quam derivatam nonnulli volunt ab Hebr. אבה *velle*, unde Hebr. אב *Pater*, quaſi bene volens ſuis.

LIII. Id tamen facile largimur Capello, vocem *Abba* Græcis quondam notisſimam fuiſſe, qua filii Parentes blande & familiariter compellabant, ſed ab Hebræa lingua mutuo ſumtam: quæ ſicut aliæ Hebrææ voces in linguis exoticis integræ propemodum & illæſæ, aut pauliſper tantum inflexæ hæſerunt, etiam ad illas derivata fuerit.

LIV. Quid ſibi velit iſta ingeminatio ἀββᾶ ὁ πατήρ, quæ etiam repetita eſt Rom. VIII. 15. Galat. IV. v. 6. quæſitum eſt a doctis.

LV. Johannes Druſius *in Commentar. priori ad voces Hebr. N. T.* putat eſſe formulam loquendi ἐκ παραλλήλου μετὰ πλεονασμοῦ. *Poteſt*, inquit, *fieri, ut Abba ſit nomen dignitatis, aut eſt formula loquendi ἐκ παραλλήλου καὶ πλεονασμὸν, ut lutum, cænum; & in Latio commeatus cibus, rete jaculum, lectus locus, libra pondo, hecatombe hoſtia. Nam nulla cauſa eſt, quin idem posſit diverſis linguis fieri.*

LVI.

LVI. Quidam exiſtimant poſterius vocabulum prioris eſſe ἐξηγητικὸν, & interpretationis cauſa adjectum, ut ſubintelligatur vox ἐστί: id quod ex eo probabile evadere putant, quod non dicatur ὦ πάτερ, per Vocativum, ſed ὁ πατὴρ, per Nominativum. Præterquam vero quod primum pro quinto caſu poni per enallagen, aut potius nominandi caſum pro vocandi uſurpari ex Attico loquendi genere in N. quoque Teſtamento non ſit infrequens: vid. Luc. VIII. 54. XVIII. 13. Epheſ. VI. 4. ex uſu item eſt Scriptorum ſacrorum, ſi animus ſit, alius linguæ vocem explicare per Græcam, ut notam addant vel ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, vel, ὅ λέγεται ἑρμηνευόμενον: quæ in his ubique omiſſa. Syrus deinde Interpres omittere, quæ in Græco eſt, explicationem conſvevit. Confer cum Joh. I. 39. Marc. V. 41. In hac vero formula ubique repetit, imo eandem plane vocem additoque ſuffixo, hoc modo אבא אבי *Abo, Obh, Pater mi, Pater mi.* Ex quo mens Syri haut difficulter cognoſci poteſt, quod non pro explicatione habuerit, ſed repetitione ad affectum fiduciæ eo melius exprimendum.

LVII. Optima igitur & ſimpliciſſima hujus geminationis videtur eſſe ratio, quod CHRISTVS tanquam Dei Filius in precatione illa brevi & παθητικῇ Patrem ſuum cœleſtem blanda & familiari, ac Syris, quorum lingua loquebatur, uſitatiſſima compellatione ad teſtandam inſignem in illo mœrore confidentiam uſus ſit. Nam ex ſententia ſummorum Philologorum Chald. אבא naturalem tantum denotat patrem (quo cum convenerit etiam adoptans pater Rom. VIII. 5. Gal. IV. 6.) non vero patrem civilem, Seniorem, Dominum, Doctorem, Magiſtratum, quæ ſignificatio ſit Ebr. אבי, etſi & ultima hæc

vox non excludat patrem naturalem. Hi ipſi quoque obſervant אבא idem eſſe quod *Pater meus.* Vtrumque ex Thargumiſtarum V. T. uſu inter alia confirmant, qui adhibuerint *n'* אבא pro Ebr. אבי cum in textu de patre naturali ſit ſermo; aliam vero vocem, e. g. מרי *Mari* vel רבי *Rabbi* cum de patre civili. Quin etiam cum Matthæus cap. XXVI. 39, 42. dicat *πάτερ μȣ*, Lucas cap. XXII. 42. ſimpliciter *πάτερ*, ſi quis dixerit non verba ipſa, quæ protulit CHRISTVS, attuliſſe Evangeliſtas, ſed tantum ſenſum voluiſſe exprimere, non video unde refelli queat; unde factum ut diverſis utantur verbis, vel additis vel demtis quibusdam voculis.

LVIII. Res, quæ oratur, erat, *ut tranſeat a ſe hora,* ut eſt apud Marcum XIV. 35. item, *ut a ſe tranſeat calix iſte:* ut eſt apud Matthæum XXVI. 39. Luc XXII. 42.

LIX. Tempus paſſionis a Deo ſibi deſtinatæ appellat *Horam,* uſitata in Scriptura S. locutione, ubi *hora* tempus conſtitutum denotat, quo aliquid agere aut pati oporteat.

LX. Non igitur ea hujus denominationis ratio eſt, quam Mathematici quidam Auguſtini tempore prodiderunt, quod CHRISTI vita, mors, & paſſio juxta ſiderum corporumque cœleſtium fluxus & operationes certis horis atque temporibus præciſa & definita fuerit.

LXI. Sicut autem tempus paſſionis a Deo Patre CHRISTO patienti definitum *hora* dicitur; ita paſſio ipſa *calicis* nomine deſignatur.

LXII. Nodum in ſcirpo quærit Eraſmus, quando Vulgatum propterea caſtigat, quod vocabulum *ποτήριον* per aliud Græcum *κύλικα calicem* converterit. Nam *Calicis* vox jamdudum, ut plures aliæ, latina civitate donata

Digitized by Google

nata eſt. Quinimo Varro lib. IV. de L. L. latinam eſſe cenſet, & derivat a *caldo*, quod in eo calda puls apponebatur, & calidum eo bibebant.

LXIII. Cur vero CHRISTVS paſſionem ſuam vocet *calicem*, non una eſt Interpretum ſententia.

LXIV. Non eſt ferenda Chryſoſtomi & Euthymii expoſitio, qui putant id ideo fieri, quod CHRISTVS paſſionem non minus libenter obierit, qvam ſi poculum vini biberet.

LXV. Nec Theophylactus aſſenſum meretur calicem paſſionem dici propter ſomnum quem fecerit: quia poſt hauſtum illum calicis in morte CHRISTVS obdormiverit, vel, quod lætitiæ cauſa ſit & noſtræ ſalutis.

LXVI. Sed quia metaphorica eſt locutio, quidam translationem illam autumant deſumtam ab illo veterum inſtituto, quo Patresfamilias ſuum cuique potus dimenſum diſtribuebant. Hoc autem modo, quia calix tam amari, quam jucundi potus recipiendi & diſtribuendi inſtrumentum eſt, tam adverſam ſortem & conditionem, quam fauſtam & felicem, ſive, tam beneficia Dei, & exorientem inde lætitiam, quam ſupplicia & pœnas poteſt denotare.

LXVII. Non longe ab iſta metaphora abeunt illi, qui translatum dicendi genus arceſſunt a potantium ritu veteri, quo per modimperatorem, ſive præſidem convivii ſua cuique portio, quam hauriret, ſtatuebatur.

LXVIII. Hieronymus Pradus *Tom. I. Explanat. in Ezechiel. cap. XXIII.* exiſtimat eam dicendi formam deſumtam eſſe a bibendi certaminibus; ubi convivæ coguntur ebibere certas menſuras usque ad fundum calicis, non ſine faſtidio & angore, læſioneque virium corpo-

 ris

enim inchoatam quandam, ſed ſummam in corde triſtitiam veriſſime perſenſit.

XXVI. Neq; tamen hanc triſtitiam ſenſit CHRISTUS *conditionis neceſſitate, ſed miſerationis voluntate*, ut Auguſtinus loquitur.

XXVII. Ex eo quod CHRISTUS animam undiquaque doloribus circumſeptam & circumvallatam dicit, recte adverſus Julium Apollinarem colligitur, non fuiſſe CHRISTO divinitatem loco animæ. Quamobrem etiam Philaſtrius Hæres. LXIX. hunc locum contra eos urget, qui CHRISTUM animam veram non habuiſſe affererent.

XXVIII. Etiam hic locum habet, quod Parte I. cap. XIV. §. VII. dictum fuit, triſtitiam hanc non ſolum ad appetitum ſenſitivum, ſed ad rationalem quoque pertinuiſſe.

XXIX. Atque hæc ipſa triſtitia, quod tum quoque a nobis eſt allatum, absque ulla ἀταξίᾳ & labe vitii, ſanctisſima fuit & maxime ordinata.

XXX. Voci περίλυπος exprimendæ non ſufficit vocabulum *triſtis*, quia præpoſitio περὶ ſignificationem auget, & declarat animum mœrore undiquaque obſeſſum & circumvallatum: quamquam alii non præpoſitioni περὶ, ſed adverbio πέρα hanc vim ſignificationem imprægnandi tribuunt.

XXXI. Determinationem iſtam ἕως θανάτου Origenes *Tractat. XXXV. in Matth.* Hieronymus *in Matthæi cap. XXVI.* Haymo, Thomas, & alii nimium extenuant, quando ajunt, illa tantum durationem mœroris CHRISTI exprimi, quod ad mortem ſit duratura, ſed brevi tamen morte finienda.

XXXII.

XXXII. At vero aliena videtur eſſe hæc interpretatio a mente Salvatoris, qui non id tum temporis agebat, ut triſtitiæ magnitudinem extenuaret, ſed eam potius, prout haberet ſe, reapſe explicaret. Quapropter hac phraſi non duratio temporis, ſed mœroris intenſio deſignatur. Vnde Auguſtinus in Pſalm. LXXXVI. *Tanta eſt triſtitia animæ meæ, ut parum abſim a morte.* Et Euthymius Zygabenus in h. l. Matthæi: *Quod ait usque ad mortem, tantum eſt, ac ſi dicat, ſicut in morte.*

XXXIII. Vndiquaque erat triſtis CHRISTI anima ad mortem usque, quia undiquaque obſeſſus erat ab omnibus & ſingulis omnium & ſingulorum hominum peccatis, quæ ab Adamo fuerunt, ſunt, & erunt usque ad finem mundi. Quamobrem ſimpliciter ſubſcribere non poſſumus Hilarii opinioni, qui Commentar. in Matthæum can. XXXI. præcipuam & tantum non unicam hujus mœroris cauſam facit prævifum diſcipulorum ſcandalum. *Sed introſpiciendus* inquit, *omnis hic ſermo eſt, ut quia mœſtum fuiſſe Dominum legimus, cauſas mœſtitudinis reperiamus. Admonuerat ſuperius omnes ſcandalizaturos. Petrus de ſe confidens reſponderat, etiamſi ceteri perturbarentur, ſe non commovendum: quem Dominus etiam ter ſe negaturum eſſe reſpondit. Sed & ille, & ceteri omnes diſcipuli, ne ſi in ipſa quidem morte poſiti ſint, pollicentur ſeſe negaturos. Et procedens, juſſit diſcipulos ſuos conſidere, dum oraret. Aſſumtisque Petro, Jacobo & Johanne, cœpit triſtis eſſe. Ergo non ante triſtis eſt, quam aſſumit, & omnis metus illis eſſe cœpit aſſumtis: atque ita non de eo orta eſt, ſed de his quos aſſumſerat, mœſtitudo.* Et quæ ſeqvuntur plura in hanc ſententiam.

 XXXIV.

Digitized by Google

XXXIV. Non male ſcribit Simon de Caſſia, monachus Ordinis S. Auguſtini, qui obiit Florentiæ anno MCCCXLVIII. *de geſtis Salvatoris cap. XXVII. Triſtabatur & anxiebatur Spiritus ejus unus exiſtens pro omnibus dolens, & qui tam brevi temporis ſpatio ad emendam tot millium annorum obligabatur quietem, ſcripta erant inviſibili ſtylo in anima illa omnium temporum momenta, ut imagines delinquentium, nec non & peccatorum varia quantitates, ſimiliter & qualitates, numeri & intenſiones.*

XXXV. Alterum πάθος, quod doloris animæ JESV CHRISTI argumentum eſt, dicitur ἐκθάμβησις, hoc eſt, *timor, terror, pavor, conſternatio.* Cum ergo Marcus ait CHRISTVM ἐκθαμβεῖσθαι, ingentem animi pavorem, terrorem & ſtuporem ſignificat, qualis in iis eſſe ſolet, qui magno periculo ſunt obnoxii.

XXXVI. Non defuere tamen in priori Eccleſia, qui Timoris πάθος, quod Marcus vocat ἐκθάμβησιν CHRISTO non auſi tribuere. Epiphanius *in Ancorato* videtur aſſerere, quod CHRISTVS timorem ſimulaverit, adeoque negare, quod vere timuerit mortem. Hilarius quoque paſſim *lib. X. de Trinitate* timorem CHRISTO adimit, & ſententiam illam, quæ metum & terrorem CHRISTO tribuit, appellat *hebetudinem impietatis, impiæ ſtultitiæ furorem, impietatis pugnam.*

XXXVII. Hieronymus quoque Hilario videtur ſubſcribere, cum ait in Matthæi cap. XXVI. *Erubeſcant, qui putant Salvatorem timuiſſe mortem, & paſſionis pavore dixiſſe: Pater ſi fieri poteſt, tranſeat a me calix iſte.* Et paulo poſt: *Contriſtabatur autem non timore patiendi, qui ad hoc venerat, ut pateretur, & Petrum timiditatis arguerat:*

Digitized by Google

erat: ſed propter infelicisſimum Judam, & ſcandalum omnium Apoſtolorum, & rejectionem populi Judæorum, & everſionem miſeræ Hieruſalem.

XXXVIII. At *ſi negemus in CHRISTO verum timorem, cum ſcriptura dicat, ipſum timuiſſe, nihil aliud relinquitur in Scriptura firmum, nihil certum. Si enim dicimus, CHRISTVS dormivit, CHRISTVS eſurivit, quia Scriptura iſta pronunciavit; quo pacto negabimus ipſum timuiſſe, cum Scriptura id dicat?* optime ſcribit Gabriel Vaſquez *in part. III. Summæ Thomæ diſp. LXII.*

XXXIX. Vero igitur CHRISTVS ac vehementi correptus eſt timore ac pavore; ſed defæcatus tamen ille fuit, ac ab iis ſordibus, quibus in nobis ſcatet, expurgatus. Quem in ſenſum bene Auguſtinus de Civ. Dei lib. XIV. cap. IX. *Ipſe Dominus in forma ſervi agere vitam dignatus humanam, ſed nullum habens omnino peccatum, adhibuit eas* (paſſiones) *ubi eas adhibendas eſſe judicavit. Neque enim in quo erat verum hominis corpus, & verus hominis animus, falſus erat humanus affectus.* Et Fulgentius ad Thraſymundum lib. III. *Quia totum hominem Deus ille ſuſcepit, ideo totius hominis in ſe pasſiones in veritate monſtravit: & animam quidem rationalem habens, quicquid fuit infirmitatis animæ ſine peccato ſuſcepit & pertulit: ut dum humanæ animæ pasſiones, in anima quam accepit, vinceret, noſtras quoque animas ab infirmitatibus liberaret.*

XL. Objectum, aut cauſa objective motiva hujus ἐκθαμβήσεως fuit mors imminens, ſed non nude temporaria illa, ſed cum fulmine divinæ iræ, maledictionis, & pœnarum infernalium intime conjuncta.

Digitized by Google

XLI. Tertium πάθος, quod Salvatori in horto luctanti Evangeliſtæ tribuunt eſt *ἀδημονία.* Cœpit enim ἀδημονεῖν. Matth. XXVI. 37. Marc. XIV. 33. Vulgatus nimis molliter vertit apud Matthæum *mœſtus eſſe,* apud Marcum, *tædere.* Rectius Beza, *graviſſime angi,* & addit in *Annotationibus:* Τὸ ἀδημονεῖν *ſignificat præ dolore concidere animo, & inopem conſilii eſſe.* Maldonato eſt ἀδημονεῖν *ita vehementi objecti diſcriminis metu angi, ut quodammodo exanimis, & attonitus ſis.* Euſtathius exponit, ἀλύειν καὶ ἀμηχανεῖν, *nimia quaſi doloris ſatietate fatiſcere & concidere omnisque conſilii inopem eſſe.*

XLII. Idem Euſtath. ἀδημονεῖν derivat a nomine ἄδος *ſatietas,* ut ſit quaſi nimia dolorum ſatietate fatiſcere. Alii derivant a δῆμος, *populus,* ut ſit idem ac extraneum eſſe, extra populi conſortium vivere: quod mœrentium & attonitorum proprium. Sed rectius derivatur ab ἀδέω, quod proprie eſt *tædio ex laſſitudine affici,* & generalius, *quocunque modo moleſtias pati.*

XLIII. Ita ἀδημονία, aut graviſſimus angor CHRISTO Salvatori in ſummo iſto exinanitionis gradu accidit, ubi per ſanctam quandam ſympathiam facultates animæ ſuas operationes quaſi ſuſpenderunt, & ad communem ægritudinem, qua ex divini judicii horrore anima JESV ſanctiſſima concutiebatur, abreptæ fuerunt: ut CHRISTVS in iſto horrendo judicii divini aſpectu totus occupatus, quodammodo axanimis & attonitus concideriт.

XLIV. Tanto angore ac mœrore compulſus CHRISTVS, tum ipſe oravit Deum Patrem; tum Apoſtolis præcepit, ut ſe paulo longius progreſſo, officio ne deeſſent in vigiliis, ac precibus.

XLV. In orante CHRISTO attenditur tum diſpoſitio orantis, tum oratio ipſa.

XLVI. Ad prius pertinet, quod oraret ſolitarius, ut oraret ardentius. *Avulſus* enim dicitur *a diſcipulis*, non octo illis in horti veſtibulo relictis, ſed tribus ſeorſim aſſumtis, *ferme ad jactum lapidis*. *Luc. XXII. 41.*

XLVII. Illis qui loca ſancta adeunt, adhuc hodie in monte Oliveti oſtenditur ſaxum quoddam ingens, habens tres in ſuperficie concavitates longas, ſed non profundas, in quarum unaquaque recubuiſſe dicitur unus ex tribus Apoſtolis. Ab hoc ſaxo remotum eſt antrum ſubtus terram in vivo lapide exciſum, quo in loco CHRISTUM preces ſuas Patri obtuliſſe referunt. Burchardus de monte Sion in Deſcriptione Terræ S. *Juxta hanc capellam* (in ſuperficie vallis Joſaphat) *fere ad viginti pedes eſt alia capella quæ vocatur Gethſemani, in latere montis Oliveti adhærens rupi, ſub qua Apoſtoli erant ſomno gravati, & oſtenduntur adhuc ibidem eorum ſeſſiones in lapide, & locus captivitatis JESU CHRISTI, & impreſſio calvariæ ejus ſuperius in rupe, & lineamenta verticis & capillorum, & in lapide alio impreſſio digitorum ejus, quam impreſſionem dicitur feciſſe lapidem apprehendendo cum caperetur a miniſtris.* Sed quis credat hæc ab illo ævo eſſe? ſequens & recentior ætas, ut alii allicerentur ad peregrinationes in Palæſtinam in his ac talibus procul dubio luſit.

XLVIII. Ad diſpoſitionem orantis CHRISTI etiam pertinet, quod oraturus, pronus ceciderit in terram, quod ſummæ ſubmisſionis ſignum, nec minus angoris & horroris non leve argumentum erat.

XLIX. In oratione tria conſiderantur: Perſona, quam orat; res, quam orat; & modus, ſive conditio, qua orat.

L. In-

L. Invocatur Pater, qui apud Marcum etiam *Abba* dicitur.

LI. Vocem *Abba* Græcam eſſe putavit Auguſtinus *Epiſt. CLXXVIII.* ſic ſcribens: *Abba Græco vocabulo Patrem, & latine nominat identidem Patrem.* Hoc tamen librariorum vitio factum, vel etiam ab aliquo aſſutum eſſe Auguſtino, exiſtimat Eraſmus. Sed Ludovicus Capellus *in Spicilegio* Eraſmi conjecturam rejicit, vereque Græcum vocabulum eſſe cenſet, & pluribus probare nititur.

LII. Sed rectius ſtatuitur, Syrochaldaicam eſſe vocem, quam derivatam nonnulli volunt ab Hebr. אבה *velle*, unde Hebr. אב *Pater*, quaſi bene volens ſuis.

LIII. Id tamen facile largimur Capello, vocem *Abba* Græcis quondam notiſſimam fuiſſe, qua filii Parentes blande & familiariter compellabant, ſed ab Hebræa lingua mutuo ſumtam: quæ ſicut aliæ Hebrææ voces in linguis exoticis integræ propemodum & illæſæ, aut pauliſper tantum inflexæ hæſerunt, etiam ad illas derivata fuerit.

LIV. Quid ſibi velit iſta ingeminatio Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, quæ etiam repetita eſt Rom. VIII. 15. Galat. IV. v. 6. quæſitum eſt a doctis.

LV. Johannes Druſius *in Commentar. priori ad voces Hebr. N. T.* putat eſſe formulam loquendi ἐκ παραλλήλου μετὰ πλεονασμοῦ. *Poteſt*, inquit, *fieri, ut Abba ſit nomen dignitatis, aut eſt formula loquendi* ἐκ παραλλήλου καὶ πλεονασμὸν, *ut lutum, cænum; & in Latio commeatus cibus, rete jaculum, lectus locus, libra pondo, hecatomba hoſtia. Nam nulla cauſa eſt, quin idem poſſit diverſis linguis fieri.*

LVI.

LVI. Quidam exiſtimant poſterius vocabulum prioris eſſe ἐξηγητικὸν, & interpretationis cauſa adjectum, ut ſubintelligatur vox ἐστί: id quod ex eo probabile evadere putant, quod non dicatur ὦ πάτερ, per Vocativum, ſed ὁ πατὴρ, per Nominativum. Præterquam vero quod primum pro quinto caſu poni per enallagen, aut potius nominandi caſum pro vocandi uſurpari ex Attico loquendi genere in N. quoque Teſtamento non ſit infrequens: vid. Luc. VIII. 54. XVIII. 13. Epheſ. VI. 4. ex uſu item eſt Scriptorum ſacrorum, ſi animus ſit, alius linguæ vocem explicare per Græcam, ut notam addant vel ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, vel, ὃ λέγεται ἑρμηνευόμενον: quæ in his ubique omiſſa. Syrus deinde Interpres omittere, quæ in Græco eſt, explicationem conſvevit. Confer cum Joh. I. 39. Marc. V. 41. In hac vero formula ubique repetit, imo eandem plane vocem additoque ſuffixo, hoc modo אבא אבי *Abo, Obh, Pater mi, Pater mi.* Ex quo mens Syri haut difficulter cognoſci poteſt, quod non pro explicatione habuerit, ſed repetitione ad affectum fiduciæ eo melius exprimendum.

LVII. Optima igitur & ſimpliciſſima hujus geminationis videtur eſſe ratio, quod CHRISTUS tanquam Dei Filius in precatione illa brevi & παθητικῇ Patrem ſuum cœleſtem blanda & familiari, ac Syris, quorum lingua loquebatur, uſitatiſſima compellatione ad teſtandam inſignem in illo mœrore confidentiam uſus ſit. Nam ex ſententia ſummorum Philologorum Chald. אבא naturalem tantum denotat patrem (quo cum convenerit etiam adoptans pater Rom. VIII. 5. Gal. IV. 6.) non vero patrem civilem, Seniorem, Dominum, Doctorem, Magiſtratum, quæ ſignificatio ſit Ebr. אבי, etſi & ultima hæc

 vox

nata eſt. Quinimo Varro lib. IV. de L. L. latinam eſſe cenſet, & derivat a *caldo*, quod in eo calda puls apponebatur, & calidum eo bibebant.

LXIII. Cur vero CHRISTVS paſſionem ſuam vocet *calicem*, non una eſt Interpretum ſententia.

LXIV. Non eſt ferenda Chryſoſtomi & Euthymii expoſitio, qui putant id ideo fieri, quod CHRISTVS paſſionem non minus libenter obierit, qvam ſi poculum vini biberet.

LXV. Nec Theophylactus aſſenſum meretur calicem paſſionem dici propter ſomnum quem fecerit: quia poſt hauſtum illum calicis in morte CHRISTVS obdormiverit, vel, quod lætitiæ cauſa ſit & noſtræ ſalutis.

LXVI. Sed quia metaphorica eſt locutio, quidam translationem illam autumant deſumtam ab illo veterum inſtituto, quo Patresfamilias ſuum cuique potus dimenſum diſtribuebant. Hoc autem modo, quia calix tam amari, quam jucundi potus recipiendi & diſtribuendi inſtrumentum eſt, tam adverſam ſortem & conditionem, quam fauſtam & felicem, ſive, tam beneficia Dei, & exorientem inde lætitiam, quam ſupplicia & pœnas poteſt denotare.

LXVII. Non longe ab iſta metaphora abeunt illi, qui translatum dicendi genus arceſſunt a potantium ritu veteri, quo per modimperatorem, ſive præſidem convivii ſua cuique portio, quam hauriret, ſtatuebatur.

LXVIII. Hieronymus Pradus *Tom. I. Explanat. in Ezechiel. cap. XXIII.* exiſtimat eam dicendi formam deſumtam eſſe a bibendi certaminibus; ubi convivæ coguntur ebibere certas menſuras usque ad fundum calicis, non ſine faſtidio & angore, læſioneque virium corpo-

 ris

Commentar. ad cap. XXVI Matthæi: nec brevitatem, aut facilitatem paſſionis cupientis: quæ expoſitio fuiſſe videtur Dionyſii Alexandrini: *Sed deprecantis, amolientis, & detrectantis.* Petit enim, ut calix iſte iræ divinæ, cujus jam guſtum quaſi quendam prælibarat, prætereat, ut auferatur à benigna Dei manu, ne totum exhauriat, omnemque iræ divinæ amaritudinem deguſtet.

LXXIV. Modus, ſive conditio, qua orat, indicatur, quando ſubjicit CHRISTVS, *Si poſſibile, tranſeat a me calix iſte,* ut habet Matthæus *cap. XXVI. 39.*

LXXV. Apud Marcum quidem *cap. XIV. 36.* ſine conditione ponitur; *Abba Pater, omnia poſſibilia ſunt tibi: aufer poculum a me hoc.* Sed pugna hic eſt nulla inter Evangeliſtas. Omnia Deus poteſt divinæ naturæ conſentanea, nec ἀντιλογίαν continentia, dummodo non obſtet decretum prius. Cum igitur CHRISTVS apud Matthæum ait, *Si poſſibile eſt*; ſententia eſt, niſi decreto tuo contrarium definiveris. Ac diſerte ſubjungit, *Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat:* tum objecti, tum etiam modi reſpectu, divinæ voluntati humanam ſuam voluntatem ſubjiciens.

LXXVI. Dicis: Cum CHRISTVS noverit ab æterno a Patre cœleſti decretum, ut hoc, & non alio medio generis humani redemtio perficeretur; & noverit decretum Dei eſſe immutabile; qui ergo dicit: *Si poſſibile eſt, &c, ſi vis, transfer a me calicem?*

LXXVII. Reſpondetur: CHRISTVS hoc loco, ut verus homo orat, ideoque more piorum oculos & animum a conſideratione decreti divini paululum avertit, & deſiderium ſuum, quo æſtuabat, in ſinum Patris cœleſtis deponit.

 LXXVIII.

Digitized by Google

LXXXIV. Plurimorum eſt ſententia, CHRISTVM ratione voluntatis humanæ non abſolute voluiſſe mortem declinare, ſed explicaſſe hoc modo infirmitatem naturæ humanæ ſponte in ſe ſuſceptam, quæ natura mortem fugit & detrectat.

LXXXV. Sed quomodo hæc ipſa humanæ CHRISTI naturæ infirmitas cum perfecta ejus ad Dei voluntatem conformitate & ſubordinatione exquiſita ſtare potuerit, itidem variant Interpretes.

LXXXVI. Quidam dicunt, ideo humanam voluntatem non fuiſſe contrariam divinæ circa paſſionem & mortem, quia ipſe Deus voluit, ut voluntas humana mortem refugeret & paveret.

LXXXVII. Neque tamen eo modo difficultas iſta tollitur. Nam ſi quacunque voluntate Dei poſita, manet in humanitate CHRISTI hæc voluntas, nolle mori; & in Deo hæc, velle ut moriatur; quantumvis Deus velit, ut humanitas nolit mori: adhuc videntur contrariæ voluntates ex ipſa divina voluntate profectæ; cum tamen Deus duarum contrariarum in CHRISTO voluntatum auctor eſſe non poſſit.

LXXXVIII. Sunt qui dicant, hanc orationem non rationis & voluntatis motu, ſed ſenſus formidine factam: quod tamen alii non tolerant, dicendo, inter CHRISTI voluntatem & ſenſum nullam fuiſſe pugnam.

LXXXIX. Vaſquez alia ratione CHRISTI mortem Deo placuiſſe, alia diſplicuiſſe ſcribit: & id quidem, qua ratione futura erat in redemtionem generis humani: hoc vero ſecundum ſe, quatenus erat malum humanitatis: atque hoc poſteriori modo CHRISTO quoque diſplicuiſſe mortem; ſed ut ceſſura erat in redemtionem homi-

Digitized by Google

men: quia in vitam effectu ipſo conſervandam, mortemque fugiendam non ferebatur, & ob voluntatem & decretum Dei erat impoſſibilis: & ſic voluntatis affectus erat talis, qui, niſi impoſſibilitas deſideratæ rei obſtitiſſet, effeciſſet in CHRISTO efficacem affectum illius, quæ tamen efficax voluntas actu in CHRISTO non erat. Nam voluntas illa CHRISTI non patiendi, quæ erat inefficax, complectebatur implicite, virtualiter, & ſub conditione illam efficacem voluntatem non patiendi, ſi aliter redemtioni generis humani conſuli, Deoque potuiſſet ſatisfieri.

XCV. Et fortaſſis non incommoda hæc eſt diſtinctio voluntatis, quia ea poſita, voluntas CHRISTI inefficax, quæ mortem fugiebat, neque voluntati Dei, quæ mortem præcipiebat, neque voluntati CHRISTI efficaci, quæ mortem promtiſſime amplectebatur, contraria fuit. Nam ut bene Thomas ait, *repugnantia voluntatum non eſt, quando aliqui diverſa volunt non ſecundum eandem rationem; ſed ſi ſub una ratione eſſet aliquid ab uno volitum, quod alius nollet, hoc indueret repugnantiam voluntatum.*

XCVI. Cum igitur mors CHRISTI Deo placeret ea ratione, qua erat remedium, ſive ſatisfactio generis humani; alia ratione, quatenus malum erat humanitatis, ei diſpliceret: CHRISTO vero ſecundum humanitatem in eo ſtatu non aliter, ſed eo prorſus modo diſpliceret, ut erat malum humanæ naturæ: ut autem erat meritum, ſeu precium redemtionis, maximopere placeret, eandemque vehementer deſideraret; planum nunc eſt, quomodo iſta mortis deprecatio conſiſtere poſſit cum promtiſſimo moriendi deſiderio; itemque quo-

Digitized by Google

modo humana & divina voluntates in CHRISTO non fuerint contrariæ, ſed ſubordinatæ.

XCVII. Nequaquam vero hic cogitandum eſt, in illa humana CHRISTI voluntate, qua deprecatur paſſionem, fuiſſe aliquid inordinati, aut affectus CHRISTI non perfecte paruiſſe rationi. Cum enim omnia transſcribit Patris voluntati, nec ſub alia ratione a ſe remotam cupit paſſionem, quam ſi decretum mutari poſſet, cujus poſita ἀδυναμία ſe promtum & paratum ad ſubeundum paſſionis onus oſtendit: liquido jam apparet, hunc affectum carnis ſine ulla labe peccati fuiſſe.

XCIIX. Non igitur hic erubeſcimus fateri cum Calvino *in Harmonia Evangel.* Non *poſſe in hac naturæ noſtra corruptione perſpici affectuum fervorem cum temperie, qualis in CHRISTO fuit, ſed hunc dandum eſſe honorem Filio Dei, ne cum æſtimemus eſſe ex nobis. Nam ſic in nobis æſtuant omnes carnis affectus, ut proſiliant in contumaciam, vel ſaltim aliquid fecis habeant admiſtum. Sic autem & doloris, & metus fervore æſtuavit CHRISTVS, ut ſe tamen continuerit in ſua menſura. Imo ſicut varii cantus, & inter ſe diſcrepantes adeo nihil diſſonum habent, ut potius concinnam ſvavemque harmoniam conficiant; ita in CHRISTO inſigne exiſtit ſymmetriæ exemplar inter Dei & hominum voluntates, ut absque conflictu & repugnantia inter ſe differant.*

XCIX. Porro quod CHRISTVS precibus ſuis voluntatem ſuam humanam a divina tam clare diſtinguit, id evidens argumentum præbet contra Monotheletas, qui naturam quidem humanam in CHRISTO agnoſcebant, interim tamen unam tantum voluntatem, quam vocabant θεοκίνητον, *a Deo motam*, ipſi tribuebant. Quidam

Digitized by Google

dam ex illis duas in CHRISTO voluntates, & virtutes operatrices, divinam ſcilicet & humanam ante unionem concedebant, ſed eaſdem mox unitas & confuſas eſſe dicebant, *ut in unam eandemque naturam abierint, ac mixtionem ſubierint, adeo ut & divinitas ea, quæ humanitatis ſunt, paſſa fuerit, & contra:* ut eſt apud Nicephorum *Hiſt. Eccleſ. lib. XIIX. cap. LIV.*

C. Diu ſerpuit hæc hæreſis, donec ſeculo VII. ſub Heraclio Imperatore late ſe exſereret, & progrediendo majores vires ſumeret: ſiquidem ipſum Imp. Heraclium ea imbutum fuiſſe conſtat.

CI. Illuſtris hac de re locus eſt apud Zonaram *tom. III. Annal.* quem non pigrabimur adſcribere, prout ab Hieronymo Wolffio latine verſus eſt. *Heraclius* (poſt devictum Choſroëm Perſarum Regem) *in regiam regreſſus, a Senatu populoque Byzantino lætis acclamationibus & cum plauſu ſplendidisſime excipitur. Ceterum in reditu Jacobitarum Catholicum, quem illi Patriarcham nominant, Hieroſolymis incuſavit, ut qui Chalcedonenſe Concilium improbaret, neque duas Naturas in CHRISTO citra confuſionem unitas, confiteretur. Quod ſi faceret, ac ſententiam eandem amplecteretur, ſe illum Antiochenæ Eccleſiæ Patriarcham deſignaturum. At ille homo callidus, & dolis plenus, & Concilium ſe approbare ſimulat, & duas Naturas in CHRISTO unitas ſe profiteri ait. Sed de voluntatibus & actionibus percontatur, utrum eas duplices, an vero unas & ſingulas dici fas ſit? Eam quæſtionem Imperator ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum ſcribit. Qui cum pridem Monotheletarum hæreſin probaret: unam naturalem voluntatem, & unam actionem in CHRISTO ſtatuendam eſſe Imperatori reſcribit. Rogato*

Digitized by Google

Cyro Phaſiano, eum quoque idem ſentire cum Sergio, intelligit. Quorum auctoritate motus Heraclius, & ipſe eandem opinionem amplectitur, & turbidam aquam bibit, ab illis non paſtoribus, ſed mercenariis exhibitam. Verum cum S. Sophronius tum ſummo ſacerdotio fungens Hieroſolymis, ſubjectis ſibi ſacerdotibus convocatis, per concilii modum demonſtraſſet; qui unam in duabus CHRISTI naturis voluntatem, atque actionem affirmarent, eos palam quoque unam naturam ſtatuere, eique Johannes Papa Romanus aſſenſus eſſet, Imperator edictum proponit; Neque ſingularem, neque binariam in CHRISTO actionem eſſe aſſerendam. Id edictum *non Orthodoxis tantum, ſed Sergii etiam ſectatoribus ridiculum viſum. Sergio Patriarcha Conſtantinopolitano defuncto, Pyrrhus ejusdem opinionis ſuccedit, ſententiæ Cyri & Severi & admirator & approbator.*

CII. Non longe tamen poſt, ſub Conſtantino IV. ſeu Pogonato, annum circiter nonageſimum Monotheletarum dogmata magnum ceperunt detrimentum, etſi ſucceſſores Sergii, Pyrrhus, Petrus, & Paulus eadem propugnarent: poſt eos tamen electus in Patriarcham Thomas recte de voluntatibus in CHRISTO ſenſit.

CIII. Habita ſunt contra hos Monotheletas aliquot Concilia, inque iisdem duplex voluntas CHRISTI confirmata eſt. Nimirum Concilium Lateranenſe Romanum CL. Epiſcoporum, præſide Papa Romano Martino I. anno IↃC XLIX. & exinde alterum Concilium Romanum CXXV. Epiſcoporum, præſide Agathone Romano Epiſcopo; ac denique Synodus VI. generalis Conſtantinopoli celebrata ad annum IↃC LXXXI. ab Epiſcopis CLXX. ſive, ut Cedrenus, Sigebertus & alii volunt, CCLXXXIX.

Cui

Digitized by Google

Cui licet alia Synodus Conſtantinopolitana a Philippico Bardane injuſto Juſtiniani II. ſucceſſore in favorem Monotheletarum opponeretur, ejus tamen decreta applauſum adeo non meruere, ut Monotheletica factio mox exſtingueretur.

CIV. Antagoniſta Monotheletarum acerrimus fuit Maximus, Abbas Chryſopolitanus & Martyr, qui & *Τιώμας demonſtrativas duarum in CHRISTO voluntatum* ſcripſit; quas cum aliis Maximi opuſculis a Marco Velſero Græce acceptas latine reddidit, & ſeparatim edidit Franciſcus Turrianus: quæ poſtea *tomo VII. Bibliothecæ Patrum* editionis Colonienſis inſerta ſunt.

CV. Accurate etiam contra Monotheletas diſputat Damaſcenus *lib. III. Orthodoxæ fidei cap. XIV.* & oſtendit dualitatem Naturarum omnino requirere dualitatem & diſtinctionem voluntatum. Quem in ſenſum brevibus ſic ſcribit Paulus Diaconus lib. VIII. de Geſtis Romanorum: *Recta & vera fides eſt, ut ſicut in Domino noſtro JESV CHRISTO duæ ſunt naturæ, hoc eſt Dei, & hominis: ſic etiam duæ credantur eſſe voluntates, ſive operationes.*

CVI. Elegans quoque illud eſt Theophylacti teſtimonium *in cap. XXII. Lucæ:* Δύο φύσεις ἔχων ὁ εἷς Χριστὸς εἶχε πάντως καὶ φυσικὰ θελήματα, τό γε θεῖον, καὶ τὸ ἀνθρώπινον, ἤτοι θελήσεις ἤθελε μὲν οὖν ἡ ἀνθρωπίνη φύσις τὸ ζῆν, φυσικὸν γάρ, εἶτα ἑπομένη τῷ θείῳ θελήματι. *Duas Naturas unus CHRISTVS habens, habebat omnino naturales voluntates, divinam & humanam. Volebat quidem humana natura vivere; quippe hoc naturale ſequebatur deinde divinam voluntatem.*

 CVII.

CVII. Nunc igitur poſt hunc excurſum ad CHRISTVM in horto agentem revertimur. Ille omni conſolatione deſtitutus rediit ad tres diſcipulos. Eſt enim & hoc aliquod ſolatii genus, licet admodum exiguum, apud amicos, etſi nihil opitulaturos, queri de calamitate. Verum eos reperit dormientes, præ mœrore procul dubio. Somnus namque oritur ex vaporibus in caput aſcendentibus, ibidemq; propter cerebri frigiditatem quæ maxima eſt, concretis, & poſt rurſus in venas deſcendentibus, teſte Ariſtotele *cap. III. lib. de Somno & Vigilia:* Triſtitia autem vim habet humores colliquandi: ex qua colliquatione oriuntur vapores, qui caput replent, & congelati inde deſcendunt in venas, atque ita ſomnum homini afferunt. Et hanc quoque ſomni cauſam agnoſcit Hieronymus in Jonæ cap. I. *Quod dormit Jonas, non ſecuritatis eſt, ſed mœroris. Nam & Apoſtolos legimus in Domini paſſione præ triſtitiæ magnitudine ſomno fuiſſe depreſſos.*

CVIII. Petrum ergo tam fortia nuper pollicitum appellat his verbis: *Simon dormis? Siccine*, qui modo jactabas te moriturum mecum, *non potuiſti mecum* vel *unam horam*, hoc eſt, breviſſimo tempore, *vigilare? Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Bene Hilarius in Matthæum: *Petrum ideo ex tribus coarguit, quia præ ceteris non ſe ſcandalizaturum fuerat gloriatus.* Et Theophylactus in Marcum: *Increpavit Petrum ſolum, quaſi talia ad ipſum dicens: Tune ille es, qui pollicitus es, te mihi commoriturum? Vnam horam non potuiſti vigilare, quomodo mortem contemnes?*

Matth. XXVI. 40. Marc. XIV. 37. Luc. XXII. v. 46.

CIX. Non poterat aliter eſſe, quin iis, qui temporale ac mundanum CHRISTI regnum ſomniarent, traditio Magiſtri in mortem gravi eſſet offendiculo. Proinde jubet

Digitized by Google

jubet eos orare ne intrent in tentationem: hoc eſt, non, ut ne tententur, quod ex decreto de morte CHRISTI omnino conſequebatur; ſed ne tentationi graviſſimæ quam effugere non liceret, turpiter ſuccumberent.

CX. Proſper de Vocatione gentium lib. II. cap. XXXVIII. *Si de vigilando, non etiam de orando, diſcipulos Dominus admoneret, ad ſolas liberi arbitrii vires videretur hortatus; ſed cum addit, & orate, ſatis docuit, ſuperni futurum muneris, ut eos etiam vigilantes tentationis procella non vinceret. Qui dormiunt, nocte dormiunt, nos autem, qui ſumus filii lucis, & filii Dei, non dormiamus ſicut ceteri, ſed vigilemus.*

CXI. Poterant autem Apoſtoli cogitare, cur vigilantia & precibus tantopere opus ſit, cum firmum habeant propoſitum extrema quævis pro CHRISTO ſubeundi. Hujusmodi igitur cogitationibus occurrit CHRISTVS, dicens: *Spiritus quidem promtus eſt, ſed caro infirma.* Marc. XIV. 38.

CXII. Per *Spiritum* non eſt intelligendus malus ille Spiritus, prout hoc loco Robertus Stephanus accepit: ac ſi ſenſus eſſet, *Diabolum ad tentandum eſſe promptum, ſed carnem infirmam ad reſiſtendum.* Vix enim in Scriptura S. locus occurret, in quo τὸ πνεῦμα abſolute, & cum articulo poſitum, ac carni oppoſitum, malum denotaret Spiritum.

CXIII. Athanaſius, Cyrillus, Beda, & alii de ſpiritu & carne CHRISTI id accipiunt: quaſi ipſius ſpiritus, ſeu ſuperior animæ portio ſit promta ad ſubeundam paſſionem, caro autem & ſenſitivus appetitus ex infirmitate refugiat tormenta & paſſionem.

CXIV.

Digitized by Google

CXIV. Verum longe eſt concinnius eadem ad Apoſtolos referre, ut ſint αἰτιολογικὰ verborum præcedentium. Ideo enim jubentur Apoſtoli vigilare & orare, quia infirmæ ipſorum carni graviſſima imminebat tentatio robore ſpiritus vincenda. Ne enim tentatio ſpiritum obruat, vigilandum, & ſpiritum divino auxilio per preces impetrato fulciendum eſſe monet.

CXV. Tertullianus lib. ad Martyres: *Non nobis blandiamur, quia Dominus conſenſit carnem eſſe infirmam, propterea enim prædixit ſpiritum promtum, ut oſtenderet, quid cui deberet eſſe ſubjectum; ſcilicet, ut caro ſerviat ſpiritui, infirmior fortiori, ut ab eo etiam fortitudinem ipſa aſſumat.*

CXVI. Sic CHRISTVS excitatis ſuis iterum abiit,
Marc. XIV. atque totidem verbis antea recenſitis oravit Patrem. De-
v. 39. inde denuo reverſus eſt ad diſcipulos ſuos, ac rurſus eos dormientes reperit. Erant enim oculi eorum vehementer gravati, mœrore conduplicante ſomnolentiam; &,
v. 40. ut contingere illis ſolet, qui ex profundo ſomno excitantur, neſciebant, quid illi reſponderent: vel quod ſemiſomnes verba male cohærentia proferrent, vel quod non invenirent, quomodo lethargum ſuum excuſarent.

CXVII. Itaque relictis illis tertio abiit; ac tum qui-
Luc. XXII. dem, γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ ἐκτενέστερον προσηύχετο, *in agonia*
v. 44. *conſtitutus intenſius orabat.*

CXVIII. Vox Græca ἐκτενέστερον emphaſi non caret, & idem valet quod ὁλοψύχως, προθύμως hoc eſt, omnibus viribus, impenſe, vehementer, alacriter, toto animo, intenſe.

CXIX. Inſigne documentum nobis exhibet CHRISTVS, quod creſcentibus angoribus & tentationibus creſcere

Digitized by Google

ſcere quoque debeat devota anima in precibus, ut ad ejus exemplum ſimus προσδέχοντες ἐκτενέστερον.

CXX. Non incommode hoc loco quæri poteſt, quid hic deſignet vocabulum ἀγωνίας, quando Lucas dicit, καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ.

CXXI. Ἀγὼν apud Græcos varia ſignificat. Vel enim locum luctæ, vel luctam ipſam veluti pugnam duorum, denotat: quo exercitio Græcis olim nihil fuit frequentius. Ita enim robur corpori acquiri putabant pugiles.

CXXII. Sumitur vero etiam interdum pro inſigni animi perturbatione quomodo uſus Ariſtoteles Sect. II. Probl. XXVI. ubi quærit: διὰ τί οἱ ἀγωνιῶντες τοὺς πόδας ἱδροῦσι τὸ πρόσωπον δ᾽ οὔ. *Cur ii, qui anguntur animo, pedibus ſudant, non facie?* ubi per ἀγωνιῶντες omnino intelligi debent, qui in ſummo angore ſunt conſtituti. Hinc igitur Interpretum nonnulli hic ἀγωνίαν explicant *angorem*, aut *anxietatem animi*: ut ſcilicet Lucas uno hoc verbo eas tres paſſiones complexus ſit, περιλυπίαν, ἐκθάμβησιν & ἀδημονίαν.

CXXIII. Verum cum Lucas, teſte Hieronymo, magis quam ceteri Evangeliſtæ proprietati Græcæ linguæ ſtuduerit, & vero ἀγωνία deducatur ab ἀγὼν *certamen, lucta*, commodiſſime accipitur pro acerrimo animæ conflictu, in quo CHRISTVS conſtitutus fuit. Atque ſic etiam videtur intellexiſſe Gregorius, ita ſcribens: *Appropinquante morte CHRISTVS noſtræ mortis in ſe certamen expreſſit, qui vim quandam terroris & formidinis patimur, cum per ſolutionem carnis æterno appropinquamus judicio.*

CXXIV. Sed quodnam illud certamen fuiſſe dixeris?

Digitized by Google

ris? Quidam de luctu carnis & Spiritus accipiunt. At hæc interpretatio, cum iſta hypotheſi videatur niti, quod verba illa, *Spiritus quidem promtus eſt, ſed caro infirma*, ad CHRISTUM ipſum pertineant, hic locum vix habebit.

CXXV. Alii dicunt fuiſſe anxium illum conflictum, quem homines moribundi habent cum morte, quæ eſt ultimum terribilium.

CXXVI. At enim non temporalis modo mors præcipuum objectum hujus ἀγωνίας fuit; ſed & ſpiritualis, quæ iram Dei, poteſtates tenebrarum, & cruciatus infernales ſibi comites adſcivit.

CXXVII. Illa tamen hic in ἀγωνίᾳ fortitudo debet intelligi, quæ oneri divinæ maledictionis ipſarumque pœnarum infernalium portando ſufficiens erat: nec ſuccubuit CHRISTUS in illo certamine, ſed victoriam reportavit.

CXXVIII. Interea certum eſt, quod Natura in CHRISTO per ſe pondus illud ſuſtinere non potuiſſet, niſi a Divina Natura ſuſtentata & confirmata fuiſſet.

CXXIX. Quanta vero illa ἀγωνία fuerit, apparet ex eo, quod ſic ſudavit, ut ſanguinis grumi defluerent in terram.

CXXX. Denique tanta fuit anxietas, ut etiam Deus cælitus mitteret Angelum, qui CHRISTUM confirmaret. Ceterum de Sudore CHRISTI ſanguineo, Angelo eum corroborante exquiſitius agemus ſequentibus capitibus.

Marc. XIV. 41. CXXXI. Poſtquam CHRISTUS ſe erexit a precatione, rediit ad diſcipulos ſuos, non tantum tres proximos, ſed & reliquos remotiores, eosque dormientes reperit.

perit. Expergefactis ergo exprobat intempeſtivam ſomnolentiam, cum tempus ſummam exigeret vigilantiam: *Dormite*, inquit, *poſthac, & requieſcite*. Quæ eſt εἰρωνικὴ conceſſio, ut in illo Lucani:

Nunc incumbe toris, nunc pingues excute ſomnos.

Senſus igitur hic eſt: Hactenus non potui a vobis impetrare, ut pauliſper mecum vigiletis, nunc ipſa res excitabit vos, cum videritis meam apprehenſionem, & veſtrum periculum. Nam ob advenientes milites dormire ipſis non permittebatur. Sequitur enim: *Appropinquavit hora*, hoc eſt, mortis tempus. *Ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum*, ſive hominum ſceleratorum, ut non ſit neceſſe, per ἁμαρτωλοὺς ſolos Romanos milites intelligere.

CXXXII. Sunt tamen, qui ironiam anxio CHRISTO non putant convenire, ac propterea verba in Imperativo poſita interrogative hoc ſenſu accipiunt: *Quid amplius dormitis, & requieſcitis?* *Marc. XIV. v. 41.*

CXXXIII. Denique ait: *Surgite, eamus* obviam venienti malo. *Ecce qui me prodit, appropinquat*. Jam enim Dominus JESVS ex precatione robur animi collegerat, adverſus inſtantem procellam afflictionum. Nec poſt ullum ſignum dedit pavoris aut tædii, ſed exemplum maxime conſtantis tolerantiæ usque ad mortem nobis præbuit.

CXXXIV. Coronidis loco addimus, quod multi tantum in CHRISTO anxietatem mirentur, cum tamen martyrum plurimi ad mortem alacres & læti proceſſerint.

CXXXV. Verum Martyres Deum ſenſere placatum, eoque cum gaudio accedebant ad tormenta, & mor-

Digitized by Google

tem præſentiſſimam. CHRISTUS autem iram Dei ſentiebat, non quidem erga ſe, ſed erga genus humanum, cujus ſe vadem ſtiterat.

CXXXVI. Præterea Martyres corporis tantummodo ſenſerunt cruciatus, quippe in quorum animum ubertim defluebant S. Spiritus ſolatia: ſed in CHRISTO etiam ſpectandi exquiſitiſſimi cruciatus animæ.

CXXXVII. Denique nimis exaggerant cruciatus CHRISTI, qui exiſtimant, ita fuiſſe inferni cruciatibus immerſum, ut dubitarit de amore Dei, nec ſpem ſenſerit emergendi e tantis malis. Nam ſenſit CHRISTUS tantum dolorem, quantus in animam Dei amantem, Deoque caram poteſt cadere. Nec de amore Dei leviter dubitavit, nec vel tantillum deſperavit; quemadmodum nec ullos angores conſcientiæ perſenſit, omnibusque malis ſponte ivit obviam.

CXXXVIII. Blaſpheme igitur Dernigus Puritanus in Catechiſmo, *CHRISTUM ſecundam mortem fuiſſe paſſum* ſcripſit: Impie Johannes Ferus in Matth. cap. XXVII. *Non ſolum ſupplicium a nobis meritum, verum etiam deſperationem noſtram:* item, *Infernum in ſe tranſtuliſſe;* nec minus peſſime Cuſanus lib. X. Exercitat. *Paſſionem CHRISTI fuiſſe ut damnatorum, qui magis damnari nequeunt usque ad pœnam Infernalem.*

CAP. III.

Complectitur ſuccinctam Diſſertationem de Sudore CHRISTI ſanguineo.

I. Hiſto-

Digitized by Google

I.

HIſtoriam ſudoris ſanguinei ſolus Euangeliſta Lucas deſcripſit *cap. XXII. v. 44.* his verbis: *ἐγένετο δὲ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν.* Quæ Beza ſic vertit: Erat ſudor ejus ſicut grumi ſanguinis deſcendentes in terram.

II. Mirum eſt, quod Hilarius *lib. X. de Trinitate* & Hieronymus *lib. II. contra Pelagianos cap. VI.* ſcribunt, illa, quæ Lucas de ſudore ſanguineo & Angelo CHRISTVM corroborante conſignavit, in multis codicibus non reperiri.

III. Verba Hilarii hæc ſunt: *Nec ſane ignorandum a nobis eſt, & in Græcis, & in Latinis codicibus complurimis vel de adveniente Angelo, vel de Sudore ſanguinis nihil ſcriptum reperiri. Ambigentibus igitur utrum hoc in libris variis aut deſit, aut ſuperfluum ſit, incertum hoc nobis relinquitur de diverſitate librorum.*

IV. Hieronymus ſequentia ſcribit: *In quibusdam exemplaribus, tam Græcis, quam Latinis, invenitur ſcribente Luca: Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum: haut dubium, quin Dominum Salvatorem. Et factus in agonia prolixius orabat, factusque eſt ſudor ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram; cogitandum & potius ſubſumendum nobis relinquit, quædam exemplaria Bibliorum exſtitiſſe, ubi verba Lucæ, quæ attulimus, fuerint deſiderata.*

V. Fortaſſis autem temeraria Phantaſiaſtarum, Marcionitarum, Docetarum, aut Aphthartodocetarum manu reſecta & eraſa eſt hæc pericopa, quod maximum

Digitized by Google

πάθ☉ ſponte aſſumtæ in humana CHRISTI Natura infirmitatis & patibilitatis hæc hiſtoria contineret.

VI. Epiphanius tamen in Ancorato, eundemque ſecuti Sixtus Senenſis, & Theodorus Beza, putant id ab orthodoxis quibusdam pio & ſimplici zelo factum, eo quod favere videretur Arianis hæreticis, qui ex hoc & ſimilibus teſtimoniis adſtruebant, Filium Dei in eadem impaſſibilis Dei natura cum Patre non eſſe.

VII. Huic etiam ſententiæ favere videtur Georgius Calixtus, qui *Concordiæ Evangel.* lib VI. cap. IIX. ſic ſcribit: *ſine dubio eraſa, vel omiſſa fuere ab illis, qui præpoſtero ſtudio gloriæ CHRISTI conſulere, & infirmitatis argumenta ab eo removere voluerunt.*

IIX. Etſi vero temerarium id fuit facinus, non videmus tamen, qui ab eadem temeritatis nota ſe exſolvat Sixtus Senenſis quando hanc de ſudore CHRISTI ſanguineo pericopam Devterocanonicis annumerare non erubeſcit *Bibliothecæ Sacræ lib 1. cap. XXII.*

IX. Ceterum ne de divina auctoritate hujus Hiſtoriæ dubitemus, antiquiſſimi codices Græci faciunt. Nam ut ex ipſo Hieronymo liquet, quædam exempla ſuo ævo eandem habuerunt. Sic Codices, quos ſecuta eſt editio Complutenſis, Anno CIϽ IϽ XVII, quique, ut Franciſcus Ximenius Cardinalis in Præfatione loquitur, *ex Apoſtolica Bibliotheca antiquiſſima fuerunt*, eandem non omittunt. Codices item operis regii Anno CIϽ IϽ LXXII. editi, de quibus Arias Montanus in Præfat. ait, *quod Cardinalis Granvellanus Bibliorum Græcorum exemplaria ſuis impenſis ad vaticinam fidem deſcripta & diligentisſime collata ad ſe miſerit*, eandem agnoſcunt. Nec minus eam ſervant

Digitized by Google

vant Codices græci antiquiſſimi & plurimi a Luca Brugenſi diligenter collati.

X. Habent etiam eandem pericopam antiquiſſimus interpres Syrus, item Arabs, Æthiops, & Latini Veteres.

XI. Meminere ejusdem hiſtoriæ ſeculo II. Juſtinus Martyr, *Dialogo cum Tryphone Judæo. Irenæus, lib. III. adverſus hæret. cap. XXXII.* cujus verba Græce nobis integra ſervavit Theodoretus *dialog. I.* Tatianus *in Harmonia Evangeliſtarum*, quæ habetur *tom VII. Biblioth. Patrum.* Seculo III. Ammonius Alexandrinus in *Harmonia Evangelica*, quæ itidem comparet *tom. VII. Biblioth. Patrum*, Cyprianus libro *de cardinalibus CHRISTI operibus:* modo is verus Cypriani fœtus ſit. Nam de eo Bellarminum, Poſſevinum & Rivetum dubitare ſcio. Seculo IV. Athanaſius Dialogis *de Beatitudine Filii Dei ad Theophilum*, ubi expreſſe anathema dicit iis, qui CHRISTVM negent ſanguinem ſudaſſe: Epiphanius in Panario hæreſi LXIX. & *in Ancorato*, Cæſarius *Dialogo I.* Gregorii Nazianzeni Operibus annexo, Hieronymus *loc. laud.* Chryſoſtomus *homil. LXXXIII. in Matthæum, tom. II. Oper.* Seculo V. Auguſtinus *lib. III. de Conſenſu Evangeliſt. cap. IV.* & *in Enarrat. Pſalmi CXCIII. & CXL.* Titus Boſtrorum in Arabia Epiſcopus, Junior, *Commentariis in Lucam*, quæ habentur *tom. I. Biblioth. Patrum.* Seculo VI Anaſtaſius Sinaita *lib. VII. Anagogicarum Quæſtionum tom. I. Biblioth. Patrum.* Seculo VII. Venerabilis Beda *Commentar. in Lucam.* Seculo IX Rabanus Maurus, *Commentar. in N. T.* & qui ex Rabani operibus explicationes ſcripturarum deſumſit, & *Gloſſam ordinariam* confecit; Photius, Patriarcha Conſtantinopolitanus *Epiſtolis* Londini non ita pridem editis, *Epiſt. CXXXIII.* Seculo XI. Theophilactus

Com-

Digitized by Google

Commentar. in Lucam, Anshelmus Cantuarienſis in Anglia Epiſcopus, *Speculo Evangelici Sermonis.* Seculo XII. Zacharias Epiſcopus Chryſopolitanus, & Euthymius, Monachus Zigabenus *Commentar. in IV. Evangelia;* Rupertus, Abbas Tuitienſis *lib. VI. de Oper. Trinit. cap. IV.* Bernhardus, *Serm. de paſſione Domini,* & *Serm. III. in Ramis Palmarum,* & in *Tractatu de Paſſione Domini.* Quo etiam referre poſſumus Suidam, qui ſeculo XI. temporibus Alexii Comneni circa Annum LXXX. vixiſſe creditur: quamquam alii in ſeculum XIII. referunt. Hic enim *in voce* θρόμβος ſic ſcribit: Εἰς τοιαύτην ἀγωνίαν συνεχώρησεν ἡ θεία. φύσις τὴν ἀνθρωπείαν λαβεῖν, ὡς ἱδρῶσαι αἵματος θρόμβους. *Tantum agonem permiſit divina Natura humanam ſentire, ut ſanguinis grumos ſudarit.* Hinc jam longa annorum ſerie cantatum in Eccleſiá: Διὰ τῆς ἀγωνίας σου καὶ αἱματίνου ἱδρῶτος σου, ῥῦσαι ἡμᾶς κύριε.

XII. Tantis igitur & tot exceptione omni majoribus teſtibus freti firmiter concludimus, hanc hiſtoriam de ſudore CHRISTI ſanguineo ab ipſo Luca literarum monimentis conſignatam eſſe, & ad ſacram Canonicam Scripturam merito pertinere.

XIII. Juvat nunc de ipſis Evangeliſtæ verbis diſpicere. ἱδρὼς *Sudor,* quod ab ὕδωρ eſſe volunt, eſt portio illa materiæ aquoſæ excrementitia per poros occultos ad extima cutis rejecta, ut plurimum cum labore moleſtia & defatigatione conjuncta v. Fromman. p. I. f.

XIV. Particula ὡσεὶ hoc loco non eſt ſimilitudinis, ſed veritatis, habetque vim ἐλεγκτικὴν certe & vere aliquid definiendi: quemadmodum etiam uſurpatur Matth. III. 16. Luc. III. 23. item XXIV. v. 11. vid. Glaſſ. Philol. l. 3. tract. 5. c. 28. vid. Cœl. Rhod. L. I. 4. c. 21. Fromman. §. 11.

XV.

Digitized by Google

XV. Græcum θρόμβος eſt admodum emphaticum, etſi ἐκ τῶν ἅπαξ λεγομένων, & ſignificat proprie rei continuatæ fragmentũ aut rei in unam maſſam concretæ fruſtum inſtar glebulæ coagulatum. Derivatur vel ἀπὸ τοῦ θραύειν, *frangere,* vel παρὰ τοῦ θρέψαι, verbi τρέφω (tenui in aſpiratã mutata in Futuro ad differentiam Futuri τρέψαι verbi τρέπω) quod idem eſt ac πήγνυμι, *compingo, cogo,* ut θρόμβος ſit *fruſtum concretum, compactum, coagulatum.* Inprimis vox θρόμβος Medicorum filiis in uſu eſt, & ſignificat proprie, cum humor aliquis in corpore extra vaſa naturalia deſtillat, & in illa deſtillatione concreſcit & inſpiſſatur. Adhæc θρόμβοι *grumos* ſanguinis denotant apud Hippocratem l. IV. Aphoriſm. LXXX. ſine additione αἵματος. Atque eodem modo uſurpavit Dioſcorides. Sic θρόμβωσις eſt ſanguinis affectio, quando is colliſa vena a gravi aliquo contundente in ſpacia vicina effuſus nigreſcit, & in grumos coit: auctore Galeno comment. II. in lib. de Fract. Mirum igitur non eſt Lucam, quem profeſſione Medicum fuiſſe volunt, hanc vocem, tanquam arti ſuæ convenientem uſurpaſſe.

XVI. Quid αἷμα, *Sanguis* ſit, notius eſt, quam ut ulla explicatione indigeat: eoque ipſo ſanguis hic cruentus a rubicundo ſudore diſtinguitur. Vidit enim Magnificus Dn. Conringius ſudorem alicujus rubrum, induſiumque ejus totum rubro colore tinctum, ſed qui nimio potu rubri vini ſe impleverat. *Vinum enim rubrum,* inquit, *quando propter nimiam copiam non poteſt concoqui, crudum ad partes corporis defertur, & hinc colorem ſuum retinet: quemadmodum etiam per veſicam excretum ſimiliter conſpicitur.* Pro καταβαίνοντες alii codices Eraſmo teſte, legunt καταβαίνοντος, ut ad αἷμα referatur: atque ita

Vulgatus: *ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram.* Per hanc autem phraſin denotatur, adeo copioſe emanaſſe ſanguinem, ut etiam guttatim in terram delapſus fuerit, quod fieri non potuiſſet, niſi ſudor admodum fuiſſet copioſus.

XVII. Aſſerenda nunc porro venit veritas hiſtoriæ, ubi oſtendemus, CHRISTVM vere ſudaſſe, nec ſudaſſe ſolum, ſed & vere ſanguinem per ſudorem emiſiſſe.

XVIII. Quod CHRISTVS vere ſudaverit, perverſe olim inficiati ſunt *Armeni,* qui dixerunt, CHRISTVM non emiſiſſe illa excrementa: prout de iis refert Gvido *Tractat. de erroribus Armenorum cap. XXX.*

XIX. Idem quoque ſenſerunt *Aphthartodocetæ,* qui carnem CHRISTI putatitiam, nulliſque paſſionibus obnoxiam eſſe, perverſe docuerunt.

XX Nam CHRISTVS noſtram naturam, quæ propter fragilitatem, miſerias & infirmitates, quibus propter peccatum onerata eſt, *Caro* appellatur, ex Maria aſſumſit, una cum infirmitatibus illis, attamen ſine peccato: ut hoc modo ex illis miſeriis naturam noſtram liberaret, & ad æternam gloriam perduceret. Quapropter CHRISTVS Epiſt. ad Hebr. II. v. 14. dicitur *particeps factus carnis & ſanguinis, ſicut pueri.*

XXI. Scite Petrus Chryſologus: *Si CHRISTVS non impleſſet carnis ordinem, carnis in illo eſſet odioſa ſuſceptio.* Nec male Anaſtaſius Sinaita *cap. XXXIII. Noverint heretici, eum ex ſanctiſſima virgine quaſi Deum ſponte ſua natum, ſimul tamen ut hominem inſtar infantium flebili voce illacrumaſſe, atque non hoc tantum tempore, ſed toto illo infantiæ anno, biennio & triennio JESVM tentatum per omnia ad ſimilitudinem noſtram infinities fleviſſe, naturalem*

&

Digitized by Google

& infantilem ploratum edidiſſe, infinities eſurivisſe & ſitiiſſe, comediſſe & bibiſſe, ſponte ſua more infantium eſurientium, ſitientium, manducantium & bibentium, infinities ſomnum naturalem & omni alienum reprehenſione cepiſſe, infinities exſpuiſſe, perque nares & os excreviſſe, ut corporis naturam fluxilem demonſtraret.

XXII. In CHRISTO igitur cum ſudorem ponimus, omnino aſſerimus humores in ejus corpore ſuperabundantes & excrementitios, ut ſunt mucus, ſaliva, ſudor: niſi vaſa, quæ in noſtris corporibus ſegregandis excrementis deſtinata ſunt, facultates etiam ipſas, retentricem & expultricem corpori Salvatoris noſtri in illa mortalitatis ſpontanea conditione, quam ſubiit, denegare velimus: quod erroneum profecto, & contra fidem ejus, qui dixit, CHRISTVM in omnibus affectibus, excepto tantum peccato, nobis factum eſſe ſimilem.

XXIII. Imo vero etſi absque illis conditionibus potuiſſet corpus humanum aſſumere, tamen ut eo magis verum ſe humanum corpus aſſumſiſſe oſtenderet, obnoxius his infirmitatis indiciis fuit. Hinc bene Epiphanius in *Panario hæreſi* LXIX. *Ab incorporeis non procedit ſudor: in eo vero, quod hoc factum eſt, oſtendit veram carnem, & non apparentiam a carne in Deitate cognita.*

XXIV. Quoniam igitur ſudorem CHRISTO Homini vindicavimus, nunc ad ſudorem ſanguineum pergimus. Hunc autem CHRISTVM vere emiſiſſe, non ita quibusdam viſum fuit evidens.

XXV. Certe Hugo Grotius *in Annotationibus ad Lucam,* nihil aliud ex Evangeliſtæ verbis colligi poſſe ſtatuit, quam ſudorem, qui ex CHRISTI corpore emanavit,

non tenuē,ſed craſſum fuiſſe, quales ſolent eſſe grumi ſanguinis. Verba Grotii hæc ſunt: *Hoc loco nihil eſt, unde certe colligas, ſudori huic ſanguinem fuiſſe permixtum. Nam, ut Theophylactus & Euthymius notant, non dictum eſt ἐγίνετο ἱδρὼς αἵματος, ſed ἐγίνετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος. Quæ verba indicant, verum fuiſſe ſudorem, qui emanavit, non tenuem tamen, ſed craſſum, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis, cum ſudor vix ſoleat θρομβοῦσθαι. Non aliter certe intellexit Juſtinus colloquio cum Tryphone, qui omiſſa ſanguinis mentione ſatis habuit grumos dixiſſe: ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου.*

XXVI. Hæc Grotii interpretatio cum abeat a vero, examinanda erit. Et primo quidem ſe munit auctoritate Theophylacti Bulgariæ Archiepiſcopi. Hic græce ita loquitur in editione Romana anni cIɔ Iɔ XLII. Ὅτι γὰρ ἀπὸ τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως ἦν τὸ προσεύχεσθαι, κατὰ παραχώρησιν πασχούσης τὸ κοινὸν πάθος τῆς φιλοζωΐας, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τῆς θεότητος, ὡς φασιν οἱ κατάρατοι Ἀρειανοί. Δῆλον ἐκ τοῦ καὶ ἱδρῶσαι καὶ οὕτως ἐναγώνιον γενέσθαι, ὥστε τοῦτο δὴ τῆς παροιμίας καὶ θρόμβους αἵματος ἐξ αὐτοῦ πεσεῖν. Παροιμία γάρ ἐστιν ἐπὶ τῶν σφόδρα κοπιώντων, ὅτι αἷμα ἵδρωσεν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν πικρῶς ὀδυρομένων αἵματα κλαίει. Τοῦτο τοίνυν δηλῶσαι καὶ ὁ Εὐαγγελιστής, ὅτι οὐχὶ λεπταῖς τισι νοτίσι καὶ οἷον ἐνδείξεως χάριν ἐμφαινομέναις, ἀλλὰ σταγόσιν ἀδραῖς ἱδρώτων προσεστάζετο τοὺς τῶν αἱμάτων θρόμβους εἰς εἰκόνα τῶν γινομένων παρείληφεν. Quæ ſic vertit Johannes Oecolampadius: *Quod ab humana natura fuerit orare, quæ juxta permiſſionem patiebatur communem affectionem, qua amamus vitam, & non a divinitate; ſicut dicunt maledicti Ariani, manifeſtum eſt hoc, quod ſudavit, idque cum tanta anxietate, ut plane hæc fuerit & parœmia,*

eo quod ſanguinei rivi ex eo ceciderint. Parœmia enim eſt in his, qui valde laborant, ita ut ſanguinem ſudent; ſicut & in his, qui amare flent, dicimus, quod ſanguinem fleant. Hoc igitur voluit manifeſtare Evangeliſta, quod non tenuibus quibusdam indiciis, & oſtentationis gratia apparentibus, ſed fluentem fortiter ſudorem ſtillaverit & collegerit ſecum rivos ſanguinis ad horum ſimilitudinem.

XXVII. Voluit quidem Cornelius Janſenius *in Concord. Evangel.* Theophylactum defendere, & præcipue Oecolampadium interpretem accuſare, quod græca minus recte converterit: verum, quando attentius conſideramus verba Theophylacti, nihil inde aliud colligitur, quam Evangeliſtam παροιμιακῶς & εἰς εἰκόνα aſſumere, quod dicit, CHRISTI ſudorem fuiſſe velut gutttas ſanguinis; ut ſcilicet oſtendat, guttas illas non tenues aut ſubtiles, aut ſolius oſtentationis gratia in ſpeciem apparentes, ſed craſſas omnino aut copioſas fuiſſe, quales eſſe ſolent guttæ ſanguinis, cum ſudor vix ſoleat θρομβοῦσθαι, aut, quales eſſe ſolent laborantium, aut eorum, qui efflictim dolent, copioſeque lacrumas effundunt.

XXVIII. Quod ad Euthymium attinet, is quidem nobis non eſt ad manus: quantum tamen ex aliis, qui eum legerunt, eſt colligere, *propius ad verba Evangeliſtæ & convenientius nonnihil accepit, ſudorem nempe, viribus facultatis naturalis angore labefactatis & intro revocatis, tam copioſum & craſſum emanaſſe, ac ſi grumi ſanguinis in terram decidiſſent.*

XXIX. Quicquid tamen ſit de Theophylacto & Euthymio, nos eos miſſos facimus, & in Hugone Grotio id potiſſimum notamus, quod explicationi ſuæ robur quærat in adverbio ὡσεὶ, quam tamen hic non eſſe ſimilitu-

Digitized by Google

XXXII. Neque tamen hi fuere ſoli, qui ſanguineum ſudorem in dubium vocarunt, ſed jam nono ſeculo Photius Epiſt. CXXXVIII. ad fratrem ſic ſcripſit: *Proverbium uſurpatur de valde lugentibus, & agonem patientibus, ſanguinem ſudavit, ut & de iis, qui acerbe lamentantur, ſanguinem plorant. Si quis ad eundem modum arbitretur adductum & uſurpatum illud apud beatum Lucam (neque enim vir ille illiusmodi doctrina leviter imbutus fuit)* Fiebat autem ſudor ejus tanquam ſanguinis grumi: *habes id, quod quærebas. Quodſi tibi viſum curioſius de hoc dicto inventiones adjicere, certe per ſeipſum facile expeditur, quod cum dixerit, quaſi grumi ſanguinis, non indicavit ſudaſſe illum ſanguinis grumos; neque ad ſimilitudinem eorum dixiſſet ſudores exſtitiſſe: at tanquam grumi, hoc ipſum præcipue docet: certe voluit id ſubindicare, quod non exiguo quodam rore effundebatur corpus Domini, ad ſpeciem tantum apparente, ſed quod veraciter in morem grandium guttarum deſtillantium univerſum ejus corpus diffluebat; & id ut doceret, ad imaginem rei geſtæ exprimendam ſanguinis grumos aſſumſit in ſimilitudinem.*

XXXIII. Nuper tum ſeorſim prodiere, tum etiam Criticis Sacris Anglicanis inſerti ſunt Johannis Pricæi in pleroſque N. T. libros Commentarii. In his Photii, Theophylacti, Euthymii, Grotii opinioni ſuffragatur dicens: *Neque aliud exprimere Evangeliſta voluit, quam ſudoris copiam ex ſumma animi perturbatione obortam.* Et mox: *Talem fuiſſe CHRISTI ſudorem,* ait Lucas, *non quod ſanguineus fuerit, ſed quod magnorum ſudorum guttæ craſſiores & grandiores ſoleant eſſe, quales ſunt ſanguineæ.* Eandem ſententiam propugnat Vir Cl. Henricus Kippingius *libro ſingulari de Cruce & Cruciariis Exercitat. XXXI.*

Digitized by Google

XXXIV. Attamen non eſt, quod nos horum moveat auctoritas, ut de veritate ſanguinei ſudoris, dubitemus. Nam præterquam quod eandem ex ipſa Evangelica hiſtoria eruimus, ita conſentientem a tot retro ſeculis antiquitatem his pauciſſimis merito præferimus.

XXXV. Nova nunc igitur ſuccedit diſceptatio, an CHRISTVS merum ſanguinem excreverit, an vero primo aqueus humor præceſſerit, quem poſtea ſanguis ſit ſecutus, aut ipſi etiam ſanguini ſudor permiſtus fuerit.

XXXVI. Prius multi probabilius eſſe ſtatuunt, & magni nominis, nec minoris dignationis Theologus, qui copioſe *de ſudore CHRISTI ſanguineo* commentatus, in hac ſententia confirmanda multus eſt. Attamen non video, quid altera ſententia abſurditatis habeat. Dum enim Evangeliſta diſerte meminit ſudoris, quidni vel ipſe ſanguis ſudori mixtus profluxerit?

XXXVII. Vtrum hujus ſanguinei ſudoris fluxus e CHRISTI corpore ſolius naturæ opus fuerit, vel ſpecialis alia ſublimiorque cauſa proxima acceſſerit, hoc eſt, an naturalis, an miraculoſus ſudor fuerit, dubitatur non immerito, liſque de eo inter Philoſophos, Medicos, Theologos acerrime agitata fuit.

XXXVII. Rarum quidem eſt ſudare quosdam ſanguinem, nec ita tamen inſolens, ut non exempla in veterum & recentiorum Scriptorum monimentis deprehendamus.

XXXVIII. Agnovit ſane Ariſtoteles ſangvineum ſudorem *lib. III. Hiſtor. Animal. cap. XIX.* ἐξυγραινομένου δὲ λίαν τοῦ αἵματος νοσοῦσι. Γίνεται γὰρ ἰχωροειδὲς, καὶ διοῤῥεῖται οὕτως, ὥστε ἤδη τινὲς ἴδισαν αἱματώδη ἱδρῶτα. *Humeſcente*

valde

valde ſanguine ægrotant homines. Tenuis enim redditur, & ſeroſus, ita ut jam aliqui ſudaverint ſudorem ſanguineum. Et *lib. III. de partibus Animal. cap. V.* ἤδη δέ πον ἱδρῶσαι συνέβη αἱματώδει περιττώματι διὰ καχεξίαν, τοῦ μὲν σώματος ῥυάδος καὶ μανοῦ γινομένου, τοῦ δ' αἵματος ἐξυγραινομένου διὰ ἀπεψίαν, ἀδυνατούσης τῆς ἐν ταῖς φλεβίοις θερμότητος πέσσειν διὰ ὀλιγότητα. *Jam accidit aliquibus, ut ſudarint ſanguineum excrementum propter cachexiam, corpore perſluente, & raro reddito, ſanguineque humeſcente ob inconcoctionem, cum calor paucus venarum coquere illum non valuerit.*

XXXIX. Similia his ex Monæ Medici obſervatione tradidit Ariſtotelis diſcipulus, atque in ſchola ſucceſſor, Theophraſtus Ereſius *libro de Sudoribus:* Ἤδη δὲ τινές φασι, καὶ αἵματι εἰκάσαι, καθάπερ Μονᾶς ἔλεγεν ὁ ἰατρός. δῆλον, ὡς ἐπισπασθείσης πλείονας ὑγρότητος ἐκ τῶν φλεβῶν ἀπέπτου δὲ, ὥσπερ ἀνακεχωρισμένης ταύτης. ἐνίοτε γὰρ καὶ αὐτὸ τὸ αἷμα γίνεται ἄπεπτον. *Jam vero dicunt aliqui, etiam ſanguini aſſimilaſſe ſe ſudorem, quemadmodum Monas Medicus dixit. Manifeſtum eſt, quod ex attracta multa humiditate e venis inconcocta vero, quaſi hæc ſegregata fuerit. Interdum enim & ipſe ſanguis inconcoctus producitur.*

XL. Meminit etiam ſanguinei ſudoris Auctor libelli *de reſpirationis utilitate,* antiqui illius quidem, & Peripateticæ Philoſophiæ ſectatoris, ſed falſo Galeno adſcripti. Latine ejus verba ſic habent: *Quoniam autem in conatu fit conculcatio ſpiritus, non ſolum in fiſtulis pulmonis, ſed etiam in venis & nervis, contingit quandoque, terminos venarum ex multo ſpiritu dilatari, ſpirituque exeunte trahere ſecum ſanguinem. Eſtque ſanguis hoc*

 modo

Digitized by Google

modo exiens ſpumoſus, propter ſpiritum ſibi admiſtum. Accedit etiam eadem de cauſa ſudorem exire per poros corporis. Eſt autem ſudor ſanguini aqua admiſta. Pori vero ſunt venæ ſubtiliſſimæ, quæ a craſſis venis procedunt. Contingit autem poros ex multo aut fervido ſpiritu usque adeo dilatari, ut etiam ſanguis exeat per eos, fiatque ſudor ſanguineus.

XLI. In juvene quodam advertit Actuarius lib. I. cap. X. globulos ſanguinis in cutem per ſudorem ab æſtu ſolis & laborioſo itinere diſtributos.

XLII. Ex recentioribus ſuis eundem oculis obſervarunt Gvilielmus Rondeletius *Methodo cognoſcendi & dignoſcendi morbos cap. XI. & XVIII.* Alexander Benedictus *Hiſtoria de partibus humani corporis lib. V. cap. II.* Zacutus Luſitanus *lib. III. Praxeos admirandæ Obſervat. XL.* Gregorius Horſtius *Medicarum Obſervat. lib. I. part. II. Obſ. XV.* Nicolaus Tulpius *lib. II. Obſerv. Medic. cap. XXXI.* Antonius Benivenius *lib. III. Obſerv. Medic.* Sic Marcellus Donatus *in Hiſtoria Medica mirabili* citat etiam Johannem Fernelium, *& ab hoc ſudorem talem viſum eſſe* ait. Aliud exemplum ex Georgii Sporlini literis refert Gvilielmus Fabricius Hildanus *Obſervation. Chirurgicar. cent. VI. Obſerv. LXVII.* Thomas Bartholinus *Hypomnemate de Sudore ſanguineo* non paucos ſe noviſſe ſcribit, qui quotiens ſudent, levi etiam de cauſa, induſium ſub alis ſanguineo colore tingant.

XLIII. Memorabile eſt, quod de præfecto Montismarini ſcribit Thuanus *lib. XI. Hiſtoriar.* cum in obſidione ejus oppidi ab Auguſto, Saluciarum Principis filio notho quaſi ad colloquium fuiſſet vocatus, & captivus detentus, morsque interminata, niſi locum redderet, *ob-*

ſer-

ſervatum, tam indignæ mortis metu adeo concuſſum eum animo fuiſſe, ut ſanguineum ſudorem toto corpore funderet.

XLIV Teſtatur etiam Maldonatus *in Matthæi cap. XXVI.* Pariſiis hominem robuſtum & valentem audita ſententia capitali ſanguinem ſudaſſe: quod & alibi in Hiſtoria Gallicana ſe legiſſe ſcribit Montacutius *Originum Eccleſiaſtic. tom. prior part. poſteriori pag. 371.*

XLV. Georgius Agricola *lib. II. de Peſte* refet, Miſenæ mulieris peſtilentia correptæ pectus & caput triduo ſudaſſe ſanguinem antequam exſtingveretur. Eandem hiſtoriam ex Georgio Fabricio repetit Johannes Wolffius *lection. Memorabilium & reconditarum centur. XVI.* idque Mauritii Electoris interitum præſignaſſe, quidam autumarunt, teſte Andrea Libavio *part. I. tractatus de metamorphoſi ſanguinis.* Et repetit quoque hanc hiſtoriam ex Kentmanni *lib. de Peſte* illuſtris noſter Rolfinckius *Diſſert. Anatom. l. VI. c. LXII.*

XLVI. Sic Geiſmariæ Haſſorum miles quidam ex Tillii cohortibus ſanguinem copioſiſſimum ſudavit anno hujus ſeculi trigeſimo. *Cruentæ id expugnationis Magdeburgicæ indicium fuiſſe,* notat Everhardus Waſſenbergius *in Floro Germanico.*

XLVII. Anno cIↃ IↃc XLIII. Hillæ in Epiſcopatu Mindenſi vir in agone conſtitutus ſanguineum ſudorem excrevit.

XLVIII. Huc etiam referri poſſent lacrumæ ſanguineæ, quas Mariam virginem fudiſſe Theophylactus auctor eſt; & virginis cujusdam ſedecim annorum, cui menſes non ſuccedebant, apud Dodonæum *in Obſervat. Medicis.* Amicus *quidam meus,* ſcribit Petrus Borellus

Hiſtoriarum & Obſervationum rariorum Medicophyſicarum cent. II. Obſ. LIV. lacrymas fudit ſanguineas.

XLIX. De Georgio Caſtriota, quem vulgus Scanderbegum appellat, notum eſt, quod ex commotione ſpirituum, & fervore ſanguinis, ex labiorum venulis, gutgulæ quædam ſanguineæ proruperint, quoties in pugnam iret. Vide Marinum Barletium *de vita & moribus Scanderbegi*, quem in Epitomen contraxit Georgius Bertholdus Pontanus a Breitenberg.

L. Certiſſimum vero eſt ex his, ut naturaliter ille fluxus accidit ſanguineus, ita etiam naturales habuiſſe cauſas: in quas nunc paulo penitius inquiremus.

LI. Et primum quidem id præſupponendum eſt, valentium vix eſſe ſudare ſanguinem, ſed ægrotantium, & cachexia, hoc eſt, pravo corporis habitu laborantium: itemque hominum in ſummo angore conflictuque animi conſtitutorum.

LII. Deinde pori ea corporis parte, ex qua dimanat ſanguis, ita dilatentur eſt neceſſe, ut data hac porta ſudor ſanguineus proruat.

LIII. Porro tenuis & liquidus requiritur ſanguis, ut queat facile exſudare: cum craſſior per venulas, multo minus per arterias penetrare poſſit. Hunc ſanguinem Ariſtoteles vocat ἰχωροειδὲς αἷμα, qui qualis ſit, exaſciate docuit Hieronymus Mercurialis *Variar. Lection. lib. IV. cap. XIII.*

LIV. Oſcula arteriarum in cutem hiantia nonnulli addunt, ut, ſi vel amplientur, vel erodantur a ſero acri, calore fervente, vel quavis alia cauſa, ſanguini tranſitum exitumque largiantur.

LV. Denique imbecillitas retentricis & expultricis facul-

facultatis huc ſpectat: ſiquidem propter internum caloris defectum, aut etiam eundem colorem nimis auctum, corporisque rarum & perfluentem habitum ſanguis in vaſis retineri nequit, ſed eo expellitur, quo corpore legitime conſtituto nunquam vergeret.

LVI. In ſummo angore & pavore quosdam excrevisse ſanguineum ſudorem, in confeſſo eſt. Quo ſpectant iſta Levini Lemnii *lib. II. de occultis naturæ miraculis cap. VII.* Conſternatos *varie affici videmus, nec lingua menteque conſtare, ac modo rubore ſuffundi, modo expalleſcere, metuque contremiſcere. Qua perturbatione efficitur, ut ex continenti intuitu ſanguis vel invitis ſcaturire incipiat. Quod ipſum plerisque etiam uſu venire perſpicimus, ubi inopinato oculis mentique acerba quædam objiciuntur, aut funeſta quædam imaginatione concipiunt.*

LVII. Vix autem majorem conſternationem, angorem & pavorem homini contingere, quam cum vicinus morti eſt, neminem negaturum arbitror: ut etiam in ejusmodi hominibus ſudorem ſanguineum prorupiſſe obſervatum ſit.

LIIX. Atque his ita poſitis nunc de ſudore CHRISTI eſt diſpiciendum.

LIX. Hunc naturales proximas habuiſſe cauſas, uti firmiter ſtatuimus, ita non rejicimus pias quorundam Theologorum in alia abeuntium ſententias.

LX. Non utique eum, qui corporis noſtri infirmitates perferebat, tum cum ſudaret ſalutiferum ſudorem illum, valenti corpore fuiſſe, ſed imminente vitæ periodo ob noſtra peccata variis animi corporisque morbis ſeſe ſubjeciſſe, non adeo videtur improbabile.

LXI. Et quidem quod ad animum attinet, illa λύπη ἐκθάμβησις & ἀδημονία vehementiſſimi fuere morbi, attamen ab omni impuritatis labe pleniſſime defæcati.

LXII. Non igitur mirum, ſi hi ingentes animi morbi corpus etiam affecerunt, ut ſeroſi melancholicique humoris, & liquidioris ſanguinis congeſſerit proventum, qui natura debili non repugnante, & ineffabili angore in iſta quam Lucas memorat, ἀγωνίᾳ accedente, per ſudorem fuerit expreſſus.

LXIII. Tantam tamen tamque mirificam humorum, caloris & vitalis ſpiritus fluctuationem in CHRISTI corpore exſtitiſſe putamus, ut ſimile quidquam nusquam ab omni ſeculorum memoria in monimentis veterum legamus. Vnde recte ſcribit Conringius: *Nullum certe ſimile exemplum in toto Hippocrate reperitur, nullum in Galeno, nullum in Hiſtoria medica univerſa.*

LXIV. Quia autem Lucas ſanguinis grumorum meminit in terram decidentium, dubio procul liquidus ille ſanguis, antequam terram attingeret, ab aëre noctis frigido per antiperiſtaſin in thrombos condenſatus fuit.

LXV. Videbimus nunc objectiones, quas huic ſententiæ opponunt illi, qui pro miraculoſo hujus ſudoris fluxu decertant, easdemque pro virili, ſed ſine ulla acerbitate, ſolvere conabimur.

LXVI. Dicunt igitur primo, ſacratiſſimo Salvatoris corpori καχεξίαν, aut morbidam quandam qualitatem minime tribuendam eſſe: ſed id contra ſemper valenti firmoque fuiſſe habitu.

LXVII. Facile id largimur, CHRISTVM ex utero matris non protuliſſe corpus morbidum, nec alias per vitam ægrotaſſe: ſed idem corpus imminente vitæ periodo,

do, tot vigilis, itineribus, jejuniis, angoribus exhauſtum adeo fuiſſe compactum atque confirmatum, ut nec illi graviſſimi animi affectus id quadamtenus affecerint, ac morbidum quodammodo reddiderint, neſcio an non ſatis tuto aſſeratur, præſertim cum Eſaias cap. LIII. v. 4. teſtetur, quod *langvores* noſtros ille pertulerit, & dolores noſtros ipſe portaverit: ubi חֳלָיֵנוּ eſt a radice חָלָה quod *ægrotare* notat & infirmari, idque morbo graviſſimo. Quo etiam referri poteſt, quod Auctor Epiſtolæ ad Hebræos ἀσθένειαι CHRISTO tribuat, quam tam de animi quam corporis morbis poſſumus accipere.

LXIIX. Sed verentur adverſarii, ne, ſi ex morbido CHRISTI corpore ſanguinem profluxiſſe dicamus, eundemque non purum, ſed ſeroſum, id nefas ſit de precioſiſſimo redemtionis noſtræ λύτρῳ aſſerere.

LXIX. At non eſt, cur iſte nos divexet ſcrupulus. In noſtris corporibus peccato, atque morbis ob peccatum obnoxiis ita quidem ſe res habet, ut non phyſice tantum, ſed & moraliter impurus ſanguis excernatur: at longe aliter ſe res habet cum CHRISTO, qui morbos ex liberrima voluntate aſſumſit: neque exinde, quod pluſculum ſeroſi humoris ſanguini admiſtum fuerit, ejusdem ſanctitati & immenſo valori aliquid deceſſiſſe, putandum eſt.

LXX. Etiam naturam veri ſanguinis ajunt non admittere, ut ſervata ſubſtantiali forma ſanguinis per ſudorem excludatur naturaliter. Verum hæc objectio ea nititur hypotheſi, quod in exemplis antea a nobis allatis, & ſi quæ ſunt plura ejus generis, non verus ſanguis profluxerit, ſed eidem modo aliquid analogum habuerit: quæ cum a nobis negetur, non multum roboris huic ob-

jectio.

Digitized by Google

jectioni ineſſe putamus. Nam & ille ſanguis, qui tenuis & ichoroſus eſt, non illico naturam ſanguinis amittit.

LXXI. Sanguinem porro tenuem & ichoroſum non facile in grumos ſtatuunt concreſcere. At enim jam tum diximus, quomodo id per antiperiſtaſin ab aere noctis frigidiori contingere potuerit. Neque obſtare videtur calor ſangvinis: cum eundem extra cutem delatum facile frigus iſtud corripere potuerit. Afferunt etiam aliquid de veſtibus, quaſi & eædem calorem ſanguinis ſervare aptæ fuerint. Attamen Hiſtoriæ Evangelicæ ſua, puto, conſtabit veritas, ſi ſudorem ex iis corporis partibus in grumos coaluiſſe dixerimus, quæ nullis tectæ erant veſtibus, ut ſunt facies & manus. Et ſane quia tanta CHRISTI fuit vehementia, quæ poros reſeraret pluſculum, eo facilius in grumos concreſcere potuit ſudor ſanguineus, quo pori fuerunt magis patuli.

LXXII. Solent item id urgere, quod ſanguis ceu naturæ familiariſſimus omnium poſtremo etiam in ſtatu corporis præternaturali excernatur; hic autem ſtatim purus ſanguis efflaxerit. Reſpondetur, hanc objectionem eo niti fundamento, quod CHRISTI ſudorem ſanguineum non præceſſerit verus ſudor, nec ſanguini ſudor mixtus fuerit; quod cum diſerte ex Evangeliſta nequeat probari, non multum, ex eodem contra noſtram opinionem evincetur. Et quid ſi καἰ ἄϑρωπον aſſereremus, nec ſudori mixtum fuiſſe ſanguinem, nec ſudorem præceſſiſſe fluxum ſanguinis? annon ſtatim pori per tantam vim anxietatis potuiſſent dilatari, ut ſanguini largiter erumpenti portam panderent?

LXXIII. Potiſſimum vero id afferre ſolent, quod in ſumma conſternatione & timore ſanguis non ad

ex-

exteriores corporis partes vergat, ſed intus ad cor ſe recipiat.

LXXIV. Vt hoc dubium ſolvamus, ſciendum eſt, quod plerique qui id afferant, vel ante detectam ſanguinis circulationem vixerint, vel de eadem nondum audiverint, aut etiam fidem tam nobili verisſimoque invento non adhibuerint. Nam ex quo detecta eſt divina illa circulatio, non licet tuto aſſerere, vel ſanguinem plane pleneque conſiſtere, vel præternaturalem quendam regreſſum moliri. Eſt ſanguis humanus in perpetuo motu, ita ut arteriæ a corde illum per totum corpus deducant, venæ vero eundem ad cor reducant: quod vero ille ipſe ſanguinis motus nunc lentior, nunc autem ſit celerior pro varia corporis conſtitutione, proque affectuum etiam motu, nequaquam eſt negandum. Igitur in timore & conſternatione forſan celerius ad cor ſe poterit recipere ſanguis, ſed ita tamen ut mox a corde per arterias iterum in totum corpus diffundatur. Ponamus igitur tam ſubitaneam ſanguinis circulationem in timentibus & pavidis non eſſe: erit tamen multo vehementior in hominibus anxietate gravi correptis, & præſertim in ἀγωνίᾳ magna conſtitutis, In qua cum fuerit Servator, tum quando ſanguinem ſudaret, facile apparet, quomodo ſanguis per motum vehementem & ſubitaneum ad extimas porporis partes ſe cum impetu diffuderit.

LXXV. Atque hæc potiſſima ſunt objectionum capita, quibus ſententiam noſtram infringere conantur. Nunc porro videamus, quomodo illi miraculoſum hunc ſanguinei ſudoris fluxum ſtabiliant. Et primum quidem miraculum in ipſa collocant materia, quæ ſanguis purus,

 craſſus,

Digitized by Google

craſſus, & elementaris fuerit. Ceterum de eo quid ſit ſentiendum, ex ſupra dictis ſatis liquet.

LXXVI. Deinde ratione ſubjecti miraculoſum hunc ſanguineum ſudorem ſtatuunt, quod non in certa ac determinata parte corporis, ſed in toto corpore contigerit. Verum Evangeliſta id exſerte non affirmat, nec, ſi maxime id largiremur, ad miraculum probandum faceret. Nam & in illis ipſis, quæ laudavimus, exemplis quædam ſunt, quæ ſanguineum ſudorem ex toto corpore manaſſe memorent.

LXXVII. In quantitate quoque fundare ſolent miraculum. Dicunt enim ex omnibus ſanctiſſimi corporis membris copioſos quoſdam ſanguinis rivos aut fontes permanaſſe, qui non ſolum veſtes madeſecerint, ſed & per veſtes penitus madefactas magno impetu guttatim & concatenatim in terram defluxerint, ut iis ubertim irrigata & fœcundata fuerit. Attamen de hac ingenti quantitate ne γρῦ quidem in Evangelio apparet. Non levem ſanguinis portionem in terram deſcendiſſe credo; rivos & fontes promanaſſe, niſi hyperbolice velimus loqui, non agnoſco. Et profecto ſedulo cavendum eſt, ne his atque ſimilibus loquendi formulis in tantum augeamus CHRISTI ſanguinem, ut natura ejus humana perferre poſſit. Namque ſi in horto rivos ſanguinis effudit, nec minus id in flagellatione factum, quid dicemus, quando ad crucifixionem & apertum latus pervenerimus? An ad aliud miraculum de aucto repente ſanguine confugiemus?

LXXVIII. Sunt, qui ut Hieremias Drexelius refert, *de CHRISTI morte part. II. cap. II.* neſcio qua curioſitate Dominici ſudoris guttas numerent, dicantque

CLVIII.

CLVIII. effluxiſſe. Quis autem non videt hæc admodum incerta eſſe? Et finge non plures iſto numero fuiſſe, ex illis nequaquam fontes & rivulos efficies.

LXXIX. Præterea in qualitate quærunt miraculum, quod non primo ſudor aqueus, & poſt ſanguis, neque una cum ſeroſo humore ſanguis, ſed illico ſanguis purus & impermixtus effluxerit. Verum quia de eo jam ſatis ſupra dictum eſt, hæc nolumus repetere.

LXXX. Denique conſequentiam miraculoſam eſſe contendunt: nempe, quod copioſiſſimum ſanguinis fluxum non ſtatim mors exceperit. Hæc autem ipſa conſequentia cum in nimia quantitate ſanguinis effuſi ſuum robur habeat, at eadem noſtro judicio temere aſſeranda non ſit, facile apparet, quantum in hoc momenti ſitum ſit.

LXXXI. Ne tamen quis in ea ſit opinione, ac ſi inviſæ novitati ſtudeamus, aut viros quosdam magnos, & de Eccleſia & re literaria bene meritos de ponte dejicere conemur, placet integra quædam magnorum virorum loca addere, in quibus itidem naturalem hunc ſudorem fuiſſe, & naturales cauſas habuiſſe aſſerunt.

LXXXII. Communis Germaniæ Præceptor Philippus Melanchthon *Conſiliorum Theologicorum part. I.* hæc habet: *Ita nos de CHRISTO cogitare oportet, ut non hominem ex homine, ut ita dicam, exuamus, hoc eſt, ne ex CHRISTO ſpiritum tantum, aut phasma quoddam, quod quidam impie fecerunt, faciamus. Nam cum juxta ſententiam Scripturæ verum hominem, & non ſpiritum, aut ſpectrum ipſum eſſe ſciamus, oportet; & ut affectus, & humorum motus, absque tamen peccato, illi tribuamus, quibus homines ſecundum humanam naturam obnoxii eſſe ſolent.*

Alſit ille, eſuriit, ſitiit, indoluit etiam ac metuit, quod hiſtoria vitæ ipſius multis in locis teſtatur. Quare & hunc pavorem, fugamque mortis, atque ſudorem illum ſanguineum, ut partes & organa corporis, & humores veri ſolent, illi accidiſſe conſentaneum eſt. Pergit poſtea his verbis: *In hac tam vehementi & atroci lucta, in qua deſcribenda etiam Scriptura certisſimis verbis & ingentem dolorem ſignificantibus uſa eſt, hæc tanta commotio, omniumque humorum in corpore reſolutio accidiſſe videtur, ut ſudor, ac denique ſanguis eruperit. Neque id omnino contra naturam illi animo ac corpore accidiſſe videri debet, etſi nullus alius animus, nullum corpus perferre iſta ac ſuſtinere potuiſſet.* Et poſtea: *Moveor autem vocabulo θρόμβοι, ut exiſtimem ſudorem reſolutionem fuiſſe totius corporis languefacti, & jam biantis & diſſipantis ſanguinem & omnes vires.* Atque illa repetuntur totidem verbis *in ſelectarum Declamationum tomo III. quæſtione de Agone CHRISTI*, cui ſubjecta eſt D. Crucigeri reſponſio.

LXXXIII. Centuriarum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Auctores Magdeburgenſes eandem explicationem circa ſudorem CHRISTI ex aliorum opinione recenſent *Centur. I. lib. I. cap. X.* Exiſtimant *docti, in iſtis atrocisſimis pavoribus & conſternationibus, ſic ut aliis hominibus naturaliter uſu venire ſolet, in CHRISTO vero homine ſanguinem ad cor recurriſſe, idque propemodum ſuffocaſſe. Sed CHRISTUM accepta divina conſolatione per Angelum fortisſime pavores retudiſſe, adeo ut ſanguis, rurſus a corde repulſus, etiam exteriora ruperit, ac per poros effluxerit.*

LXXXIV. Martinus Chemnicius *part. I. Loc. Commun. Theolog.* Dixerunt *quidam, ſudorem ſanguineum deſcribi*

ſcribi tanquam miraculum, quo tunc Pater Filii ſui divinitatem teſtari voluerit. Sed ſeries textus manifeſte convincit, oſtendi illa deſcriptione magnitudinem doloris, quo Filius Dei in agone conflictatus eſt. Illud enim experientia conſtat, in magna conſternatione ſequi reſolutionem, ut virtus retentiva non amplius faciat ſuum officium, ſicut patet ex hiſtoria Arii. Et Epiphanius dicit, Judam eadem de cauſa crepuiſſe medium, ſequente illa magna reſolutione ex deſperabunda trepidatione. In CHRISTO ergo cum agonia prolixior eſſet, tanta facta eſt reſolutio, ut nec cor, nec vena ſanguinem retinuerint, ſed is tanquam θρόμβοι decurrerit. Significat autem illud vocabulum, cum aliquid deſtillat, & in ipſa deſtillatione per frigus ſpiſſatur & concreſcit, ut in ſalifodinis foſſilibus deſtillat humor ſalſus, qui cum concretus & ſpiſſatus eſt, vocatur θρόμβοι ἁλὸς apud Suidam. Varinus: θρόμβοι πηκτὸς αἷμα. Ita cum in CHRISTO magna illa mœſtitia omnem calorem retraxiſſet, ſanguis reſolutus in guttas ſpiſſatus eſt, und floß alſo heraus geronnen/ gelieffert Blut. Et paulo poſt: Sed pugnare videtur, quod in magnis & repentinis conſternationibus, inciſa vena, ſanguis non effluit neque expellitur, ſed quaſi concretus in ipſa vena conſiſtere videtur. Eſt autem illa vera reſponſio: In CHRISTO fuiſſe non tantum ingentem mœſtitiam, verum etiam magnam luctam cum conſternatione conjunctam, quod voluit Patri illam obedientiam præſtare, & ex iſtis contrariis motibus, qui vehementiores fuerunt, facta eſt talis expulſio concreti & ſpiſſi ſanguinis.

LXXXV. Idem Chemnicius *libro de duabus naturis in CHRISTO cap. III.* Tanta *fuit agonia, ut ſudor per guttas concreti ſanguinis deſtillaret. Naturale enim eſt,*

quod in magna conſternatione ſequitur reſolutio, cum virtus retentiva non amplius faciat ſuum officium, ſicut oſtendit hiſtoria Judæ & Arii, ubi, qualis naturæ reſolutio ex deſperabunda conſternatione ſecuta fuerit, notum eſt. In CHRISTO vero præter ingentem mœſtitiam fuit etiam inenarrabilis lucta contra illam conſternationem, quod tamen voluit Patri obedientiam illam præſtare. Ita ex maxima illa conſternatione facta eſt in CHRISTO tanta naturæ reſolutio, ut nec cor nec vena ſanguinem retinuerint. Acceſſit etiam propter luctam naturæ, ex contrariis motibus, qui vehementisſimi fuerunt, expulſio ſanguinis. Cumque natura fortitudinem ſuam conſumſiſſet, ſicut inquit Eſaias cap. XLIX. ſanguis calore naturali deſtitutus, concretus & inſpisſatus decurrit, tanquam θρόμβοι.

LXXXVI. Hieronymus Jordanus, Brunſvicenſis, profeſſione Medicus, ſed non minus arte ſua quam in Theologicis atque omnigena literatura exaſciate eruditus, avunculus meus deſideratiſſimus, qui, ut laboranti patriæ opem ferret, Gottinga Brunſvicum ſeceſſit, & inferali illa peſte, quæ anno cIↃ IↃCLVII. contigit, poſtquam non paucos ex orci faucibus liberaverat, ipſe dira lue correptus placidum vivendi finem fecit: hic, inquam Jordanus, in doctiſſimo libro, qui inſcribitur, *De eo, quod divinum aut ſupernaturale eſt in morbis humani corporis, ejusque curatione cap. XXXVII.* de ſudore ſanguineo diligenter agit, & in ejus cauſas ſollicite inquirit. Hoc ipſo capite etiam hæc legas, quæ noſtræ ſententiæ faveant. *Rarior iſtiusmodi cruentus & largus ſani hominis ſudor ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες ἐπὶ τὴν γῆν, & forte ſine exemplo; quia & luctus iſte & agon Domini quodammodo exemplo carent: tametſi ad miraculum forte non ſit confugiendum.*

Digitized by Google

dum. Et paulo poſt: *Qui miraculoſum fuiſſe ſudorem credunt, pie equidem ſentiunt: nec minus tamen pie, qui ad miracula, niſi ſumma exigente neceſſitate, recurrere nolunt.*

LXXXVII. Geminam de ſudore CHRISTI ſententiam fovet vir in arte medica, & præcipue jugi anatomes exercitio vere incomparabilis, Thomas Bartholinus Hypomnemate IV. aureoli libelli *de Cruce CHRISTI*, Hafniæ Anno cIↄ IↄcLI. editi.

LXXXVIII. Eſt etiam in nonnullorum manibus Viri Illuſtris Hermanni Conringii Ms. Diſſertatio *de nonnullis quæ circa paſſionem & mortem Domini contigerunt*, qua in accuratius cruenti hujus fluxus cauſas ſcrutatur, easdemque naturales agnoſcit. Hanc ipſam diſſertationem anno cIↄ Iↄc LXXIV. conſentiente celeberrimo auctore edidit amicus meus ſingularis Johannes Albrecht, Hildeſiæ ad S. Paulum Paſtor.

LXXXIX. Neq; hic prætereundus nobis eſt celeberrimus Academiæ noſtræ Profeſſor, Collega & amicus meus conjunctiſſimus Caſpar Poſnerus: quippe cujus *Diſquiſitio Phyſica de ſudore CHRISTI ſanguineo* anno abhinc decimo publicæ ventilationi ſubjecta, & poſtea emendatius edita, id unice agit, ut eundem naturalem fuiſſe aſſerat. Atque eodem ſcripto in hac ipſa tractatione non parum me fuiſſe adjutum libens meritoque fateor. Quamobrem Clariſſ. Viri Joh. Chriſtoph. Becmanni quædam fuit ceſpitatio in Diſſertatione *de Prodigiis Sanguinis*, qua in Poſnerum noſtrum inter illos refert, qui ſupernaturalem hunc fuiſſe fluxum ſtatuunt.

XC. Præterea eandem ſententiam ex Pontificiis propugnant Cajetanus Cardinalis, Johannes Maldona-

donatus, Jacobus Tirinus, Johannes Stephanus Menochius, Cornelius a Lapide, *Commentariis in Lucam*, Franciſcus Collius *de ſanguine CHRISTI lib. III.* Balthaſar Corderius *Catalogo Græcorum Patrum*, Bartholomæus Medina, alii: Ex Reformatis, Richardus Montacutius *in Origin. Eccleſiaſt. tom. I. part. poſteriori anno CHRISTI quinto. num. CLVI.* Gerhardus Johannes Voſſius *Harmon. Evangel. lib. I. cap. XX.* Gisbertus Voëtius *in Diatriba de Agonia CHRISTI tom. II. Diſp. Theolog. ſelectar.* Joh. Chriſtoph. Becmannus laudata Diſſertat. *de Prodigiis Sanguinis cap. III. §. V.*

XCI. Neque tamen hæc, quæ ſuperius a me ſunt diſputata, quisquam ſic accipiat, ac ſi, cum naturalem hunc ſudorem CHRISTI cenſeo fuiſſe, iſtas *ſupranaturales* cauſas, graviſſimam Dei iram, enormem peccati gravitatem, tremendam legis maledictionem, difficillimam cum diabolo luctam excluſa velim. Harum enim intuitu ſi quis voluerit ſupernaturalem hunc ſudorem dicere, tantum abeſt, ut id negare, ut contra in illius ſententiam non pedibus, ſed toto animo ire parati ſimus.

XCII. In hanc ſententiam Gisbertus Voëtius *laudata Diatriba* hæc ſcribit: *Nos non minus ac effluxum ſanguinis & aquæ e latere CHRISTI ſtatuimus eum fuiſſe naturalem, ex cauſa ſcilicet proxima, quamvis admirabilem & naturæ miraculum, imo & ſupernaturalem, ſi efficientes, remotas, & finem reſpiciamus. Cauſam proximam putamus nos invenire in affectibus & commotione eorum, affectibus inquam, partim triſtitiæ & timoris, qui ſpiritus & ſanguinem verſus cor ab exterioribus partibus revocant; partim amoris, deſiderii & zeli, qui ſpiritus & ſanguinem a corde verſus exteriores partes corporis propellunt: hinc factum,*

factum, ut ſanguis inſtar Euripi vorſum prorſum agitatus atque adeo attenuatus, una cum ſeroſo humore ex venis per cutem eruperit.

CXIII. Et hæc quidem ſufficiant de quæſtione iſta: Num fluxus ſudoris ſanguinei naturalis, an vero miraculoſus fuerit. Myſticas rationes hujus ſanguinei ſudoris antiqui Eccleſiæ Doctores rimantur, ex quibus nonullas afferemus. Vna igitur eſt, quod eo Martyrum copioſum præſignificare voluerit ſanguinem. Proſper: *Orans cum ſudore ſanguineo Dominus JESVS, ſignificabat, de toto corpore, quod eſt Eccleſia, emanaturas Martyrum paſſiones.* Et Auguſtinus in Pſalm. XCIII. *Ideo toto corpore ſanguinem ſudavit, quia in corpore ſuo, id eſt, Eccleſia, Martyrum ſanguinem oſtendit.*

CXIV. Alia eſt, ut ſuo ſanguine tum Apoſtolorum, tum Eccleſiæ delicta expurgaret. Beda: *Nemo infirmitati hunc ſudorem deputet, ſed intelligat, per irrigatam ſacratamque ejus ſanguine terram; non ſibi qui noverat, ſed nobis aperte declaratum, quod effectum ſuæ precis jam obtineret, ut fidem diſcipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, ſuo ſanguine purgaret, & quicquid illa ſcandali de ejus morte pertuliſſet, hoc totum ipſe moriendo deleret.* Bernhardus: *Ventum eſt ad orationem, & usque tertio factus in agonia orabat. Vbi quidem non ſolis oculis, ſed quaſi omnibus membris fleviſſe videtur, ut totum corpus ejus, quod eſt Eccleſia, totius corporis lacrumis purgaretur.*

CXV. Coronidis loco pauca de arbore, quæ ex profluvio ſanguinei ſudoris, in horto emerſerit, item de ſudario CHRISTI, quo ſe abſterſiſſe dicitur, attexemus.

CXVI. Quod de arbore diximus, res ita ſe habere fertur. Narrat Egeſippus, quod rigatione ſanguinis

ex corpore CHRISTI in horto decidentis, arbor erupérit, cujus ſingula folia hanc inſcriptionem dicuntur habuiſſe: *O mors, quam amara eſt memoria tui.* Mirum quosdam repertos eſſe, qui huic narrationi fidem habuerint. Quid enim Egeſippo tribuendum ſit, jamdudum a doctis viris eſt oſtenſum. Plura falſitatis argumenta in hoc ſcriptore obſervavit Joſephus Scaliger in libris *de Emendatione Temporum.* Vide etiam Bellarminum libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis,* & *libro IV. de Verbo Dei cap. VII.* Poſſevinum *in Apparatu* voce *Hegeſippus.*

XCVII. Quod ad ſudarium attinet, quo CHRISTUS ſe in monte Oliveti ſanguinem ſudans, abſterſerit, ſumma religione colitur in monte ſancto Bavariæ, uti Jacobus Gretſerus refert *libro de S. Cruce, Tom I. l. I. cap. XCVII.* attamen nullo ullius antiqui aut probati Scriptoris teſtimonio ſubnixus: ut merito reliquis Pontificiorum fabulis annumerare liceat.

CAP. IV.

De Angelo CHRISUM corroborante.

Luc. XXII. v. 43.

I.

SIcuti ſolus Lucas ſanguinei ſudoris hiſtoriam propoſuit, ita ſolus etiam Angeli CHRISTUM corroborantis meminit, his verbis: ὤφθη δὲ αὐτῷ ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo, corroborans eum.*

II. Ut ordine hic procedamus, agemus primo de Angelo corroborante, deinde de corroboratione ipſa, ejus-

juſque modo, tertio de tempore, quando illa contigerit, & denique de ejus fructu & effectu.

III. Vocat ſacer Scriptor hunc Angelum *ἀπ' οὐρανοῦ, Angelum de cœlo:* quod eſſe deſcriptionem alicujus ex Angelorum myriadibus individui, nemo hactenus, quod equidem ſciam, dubitavit.

IV. Potuiſſet quidem CHRISTVS Dominus, ſi plures ad id operis fuiſſent neceſſarii, oratione ſua, quemadmodum poſtea ad Petrum dixit, legiones Angelorum impetrare; ſed unius tantum Angeli ex ſingulari Dei Patris diſpenſatione uſus eſt.

V. Quis tamen ille fuerit Angelus, in incerto eſt. Quidam Michaëlem fuiſſe cenſent; quos inter Lucas Brugenſis, Didacus Stella, & Jacobus Tirinus *in h.l.*

VI. Alii vero probabilius eſſe putant, fuiſſe Gabrielem; quod is non ſemel in rebus CHRISTI fuerit adhibitus. Nam & Prophetæ Danieli paſſionem & mortem meſſiæ prædixit Daniel. IX. 21. & de nativitate Johannis Meſſiæ præcurſoris nuncium ad Zachariam Patrem detulit, Luc. I. 19. & conceptionem CHRISTI Mariæ annunciavit, Luc. I. 26. Quin id quadamtenus ex verbo *ἐνισχύων*, colligere eſt. Gabrielis enim nomen *θεοῦ ἰσχὺν* Dei fortitudinem denotat. Probant id ex noſtratibus B Gerhardus *Harmon. Paſſion. cap. II.* ex Pontificiis Vasquez *part. I. tom. II. Diſp. CCXLIV. num. III.* Ludovicus de Ponto *part. IV. Meditat. XXII.* Cornelius a Lapide *in Lucam.*

VII. Venit Angelus *ἀπ' οὐρανοῦ de cœlo,* ut ſciamus, corroborationem hanc fuiſſe cœleſtem & divinam. Nam licet ab Angelo pervenerit *ὀργανικῶς*, tanquam miniſtro & legato, fuit tamen non tam angelica, quam divina, a Deo

Digitized by Google

per miniſterium Angeli animæ JESV CHRISTI in agone poſitæ inſtillata.

VIII. Dicitur Angelus de cœlo *apparuiſſe;* ὤφθη δὲ αὐτῷ, *Viſus eſt illi,* in forma ſcilicet ſpectabili & humana, in qua alias Angeli ſolent apparere.

IX. An etiam a diſcipulis viſus fuerit, merito dubitatur. Epiphanius *in Ancorato* affirmat; alii tamen negant, eo quod diſcipuli dormiverint, & diſerte dicatur apparuiſſe *illi,* non *illis.*

X. Corroboratio ipſa verbo ἐνισχύειν deſcribitur. Ἐνισχύειν, & ſimplex ἰσχύειν in veteri ſcriptura Græca novoque codice, ubicunque objectum confortationis capax eſt, veram ſemper confortationem ſive ſui ipſius, ſive alterius ſignificat. Sic Actor. IX. 19. de Paulo jam converſo legitur: καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν, ubi ſermo eſt de corroboratione virium corporis & animi, quæ poſt ſtupendam illam de cœlo factam ἐπιφάνειαν mirum in modum proſtratæ erant. In Veteri Teſtamento Geneſ. XXXII. 28. & Hoſeæ XII. 4. ἐνισχύειν uſurpatur de lucta Jacobi, in qua cum Deo luctatus, viribus ſibi collatis eidem prævaluit: quæ typus hujus luctæ fuit in qua CHRISTVS tandem victor evaſit. Iterum ἐνισχύειν dicitur de Jacobo, qui adventante filio Joſepho vires ſuas colligit, Geneſ. XLVIII. 2. ut plura loca taceam.

XI. Deſignat igitur hoc vocabulum, humanam CHRISTI naturam in profundiſſima illa κενώσει acceſſionem & incrementum efficaciſſimum virium, roboris, & fortitudinis accepiſſe.

XII. Atque hoc ipſo ſtatim concidit illorum opinio, qui putant CHRISTVM non interius animi robur, ſed exteriorem ſaltim corporis fortitudinem accepiſſe.

piſſe. Vere enim CHRISTVM cum peccatorum mole, ira Dei, legis maledictione, morteque æterna confli-ctantem fuiſſe confirmatum, animique ſimul ac corporis robur accepiſſe, conſtanter aſſerimus cum Hieronymo *lib. II. contra Pelagianos*, Cyrillo *Epiſt. IX.* Damaſceno *lib. III. de Fide cap. XX.* Bernhardo *Serm. I. de S. Andrea*, aliisque veteribus & recentioribus Scripturæ interpretibus.

XIII. Potuiſſet quidem CHRISTVS etiam ſecundum humanam naturam, in qua omnes ſapientiæ, ſcientiæ & potentiæ divinæ theſauri reconditi erant, ſemet ipſum corroborare, citra ullius Angeli miniſterium, ſi χρῆσιν illam communicatæ ſibi in conceptione majeſtatis voluiſſet exſerere: ſed privavit ſemet ipſum plenario illius uſu, & denegavit ſibi influxum divinarum virium, ſuſpenditque & retraxit pauliſper radios divinæ illuminationis & conſolationis in anima ſua, ut hac etiam parte tentatus nobis per omnia eſſet ſimilis.

XIV. Rectiſſime ergo collegerunt veteres, hanc corroborationem ab Angelo factum certiſſimum veræ humanitatis fuiſſe teſtimonium. Vnde Beda ſcribit: *Alibi Angeli accedebant, & miniſtrabant ei. In documentum ergo utriusque naturæ Angeli & ei miniſtraſſe, & eum confortaſſe dicuntur. Creator enim creaturæ ſuæ non indiguit præſidio, ſed homo factus ſicut propter nos triſtis, ita propter nos confortatur.*

XV. Errant procul omni dubio, qui tantum abfuisſe putant, ut CHRISTVS in animo conſolationem acceperit, ut potius dolor ejus mirum in modum auctus fuerit.

XVI. Neque huc quadrat illud interpretamentum, ac ſi non Angelus robur CHRISTO attulerit; ſed ro-

Digitized by Google

bur, quo ipſe, & ceteri Angeli ſunt præditi, CHRISTO acceptum retulerit: aut etiam eximium CHRISTI robur prædicaverit.

XVII. Non admodum improbabile eſt, Angelum CHRISTO propoſuiſſe mirificum paſſionis ſuæ fructum, redemtionem generis humani, ut & ſpem certiſſimam lætiſſimæ cataſtrophes, glorioſæ ſcilicet reſurrectionis.

XVIII. An vero Angelus diſertis verbis CHRISTVM allocutus fuerit, liquido non poteſt demonſtrari; nec puto tamen adeo eſſe improbabile. Nam quod nonnulli dicant, nullam mœrenti aptiorem eſſe medicinam, quam quietem & ſilentium, id apud quosvis mœrentes locum non habet, quorum aliqui patienter ferunt ſermones conſolatorios.

XIX. Quod autem iidem aſſerunt, Angelum eundem habitum geſtumque ſimilem aſſumſiſſe, hoc eſt, CHRISTO flectente genua ipſum etiam flexiſſe, & cum proſtrato humi ſe quoque proſtraviſſe, id longe minori, puto, veri ſimilitudine ipſos dicere.

XX. Etiam illud eſt incertum, quod ſanguineum ſudorem CHRISTO abſterſerit.

XXI. Interea ut ad tempus hujus corroborationis progrediamur, non male fortaſſis ſentiunt, qui poſt emiſſum ſanguineum ſudorem CHRISTO Angelum apparuiſſe tradunt, ut adeo Evangeliſta Lucas hanc hiſtoriam per ὕστερον πρότερον, id quod non infrequens Evangeliſtis, commemoraſſet.

XXII. Cornelius Janſenius ter apparuiſſe cenſet Angelum, in ternis utpote orationibus CHRISTI, adeoque tribus illum vicibus corroboraſſe: id quod etiam placet

placet Thomæ Cartyvrigtho *in Harmon. Evangel.* Sed quomodo id ex textu probari poſſit, nondum video.

XXIII. Nobis illorum arridet judicium, qui non poſt primas, ſed poſtremas preces hoc contigiſſe credunt. Nec enim veriſimile eſt, poſt miſſum Angelum anxietatem nihil remiſiſſe.

XXIV. Nam ut aliquid de fructu & effectu conſolationis Angelicæ dicamus, procul dubio eſt fortitudo & alacritas ad ſufferenda paſſionis tormina.

XXV. Habuit tamen divinæ corroborationis ſenſus ex mirabili & imperſcrutabili Dei diſpenſatione in CHRISTO ſua quaſi intervalla, vices & menſuras. Nam quemadmodum hoc loco ab Angelo confirmatus novas vires accepit, ut paſſionem fortiter ſuſciperet, ita rurſus in cruce ſenſus ille divinæ conſolationis ſuſpenſus & retractus eſt, cum clamaret: Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me.

XXVI. Ceterum an ſudor CHRISTI ſanguineus ab iſta fortitudine ex Angelica corroboratione CHRISTI animam redundante, fuerit protractus, merito dubitaverim. Nam fortaſſis jam tum exſudavit CHRISTUS, cum Angelus de cœlo appareret, ut paulo ante dictum eſt. Scio quidem, quod pars eorum, qui ſanguinei hujus fluxus cauſas proximas ſupernaturales ſtatuunt, eo ſoleant confugere; at quia nobis illa opinio non probatur, id quod ſatis eſt oſtenſum *ſuperiori capite*, iisdem nequaquam aſſentimur.

CAP.

CAP. V.

De apprehenſione CHRISTI in horto. De Oſculo Judæ: qua occaſione de Oſculis Veterum Chriſtianorum agitur. De oratione CHRISTI ad Petrum Malcho auriculam præcidentem. De militum in Legione numero. De juvene qui fugit nudus in ſindone. Cur Cajaphas illius anni Pontifex dicatur.

I.

Matth. XXVI. v. 47. VIx dum finierat JESVS ſermonem cum diſcipulis, & ecce Judas Iſcariotes, unus ex numero XII. Apo-
Marc. XIV. v. 43. ſtolorum venit, modo CHRISTVM ducem ſecutus, nunc ſceleratæ turmæ factus ipſe dux ſceleratior.

II. Sequebatur autem Judam cohors Romana militaris, cum tribuno ſuo, cumque miniſtris perpetuis templi cuſtodibus, eorundemque præfectis, & magna manu famulitii Pontificum, Phariſæorum ac Seniorum, quibus, ut fieri in repentino tumultu aſſolet, turba populi promiſcua ſe aggregavit.

III. Erat Romanis cohors ſexcentorum militum. Cohorti qui præeſſet, *Tribunus* dicebatur, uti & qui legioni. Qui vero Latinis Tribunus, is græcis χιλίαρχος, etiamſi cohorti ſolum præeſſet. Hinc quando in hac hiſtoria Johannes *cap. XVIII. v. 12.* χιλιάρχου meminit, id de Tribuno, non legionis, ſed cohortis capiendum eſt. Nec tamen eſt credibile, ſexcentos milites ad unum JESVM capiendum miſſos eſſe, ſed forſan bona pars in urbe manſit ad templi cuſtodiam.

IV.

Digitized by Google

IV. Nimirum Præſides in provinciis, ſeu Legati Cæſaris cohortem habebant prætoriam ſui defendendi, & ſeditionem præcavendi ergo, & ex hac diebus feſtis, ob majus periculum, in tanto undique hominum confluxu, vigilibus templi ordinariis a præſide Romano bona manus addebatur, ceu patet ex Joſephi *lib. II. de Bello Judaico cap. XI. & lib. VI. cap. VI.*

V. Videntur ergo Judæorum Proceres poſt habitum conſilium a Pilato cohortem petiiſſe, ut JESUM comprehenderent: quam ideo miniſtris ſuis adjectam voluerunt, ne quis Judæorum CHRISTO faventium auderet obſiſtere, eundemque liberare.

VI. Quia Lucas cap. XXII. v. 52. diſertis verbis pronuntiat, ſummos Sacerdotes & Seniores a CHRISTO fuiſſe in horto compellatos, ideo non male ſtatuitur, quosdam ex ipſorum ordine in hoc fuiſſe comitatu; ut omnia ſcilicet deliberatius graviusque, ſi Deo placet, agerentur: Niſi malis a CHRISTO id eis imputari, quod eorum auctoritate, ope & conſilio geſtum erat. *Luc. XXII. v. 52.*

VII. Etiamſi vero eſſet plenilunium, cum funalibus tamen & laternis egrediebantur, ut ſicubi forſan ſe abscondere vellet ſub arboribus, perreptarent omnes angulos.

VIII. Præter faces etiam afferebant machæras & gladios, ligna ac fuſtes, ut terror diſcipulis aliisque incuteretur, ne ad defendendum Magiſtrum ſe pararent.

IX. Auguſtinus Tractatu CXII. in Johannem: *Cohors non Judæorum, ſed militum fuit: a Præſide itaque intelligatur accepta, tanquam ad tenendum reum, ſervato ordine legitimæ poteſtatis, ut nullus tenentibus obſiſteret: quamquam & tanta manus fuerit congregata & ſic armata*

 venie-

Digitized by Google

veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret, ſi quis CHRISTUM defendere auderet.

Joh. XIIX. v. 4. X. JESUS autem, quem nihil fugerat eorum quæ gerebantur, ut plane doceret, ſe & præſcium, & volentem pati, quæ patiebatur; non exſpectato illorum adventu, proceſſit eis obviam, percontatus, *quem quærerent:* non, quaſi ipſe neſciret; ſed, ut ipſis hoc referentibus commodam haberet occaſionem aperiendi ſui.

Joh. XIIX. v. 7. XI. Reſpondentibus itaque ſe *JESUM Nazarenum* quærere, ipſe intrepidus regerit: *Ego ſum ille, quem quæritis.* Ad hanc vocem retroceſſerunt, quaſi potentia CHRISTI difflarentur; inque terram conciderunt ſupini, non ferentes vim Dominicæ vocis.

XII. Neſcio quam bene Hieronymus *ad Principiam Virginem* ſcribens, hanc militarem conſternationem tribuat divino cuidam ſplendori in CHRISTI vultu reſidenti, & radios ejaculanti.

XIII. Rectius Leo ſermon. I. de Paſſione: *Quamvis ex infirmitate noſtra vere paſſus ſit Dominus, vereque mortuus: non tamen ita ſe abſtinuit a gloria ſua: ut inter contumelias paſſionis nihil divinæ operationis exerceret. Nam cum impius Judas non jam ovina pelle velatus, ſed lupino furore manifeſtus, vim ſceleris per ſpeciem pacis incipiens, ſignum traditionis, ſæviore omnibus telis oſculo præbuiſſet, & multitudo furibunda, quæ ad comprehendendum Dominum cum armata militum coborte confluxerat, inter faces & laternas, lumen verum tenebris occæcata ſuis non cerneret, Dominus, qui expectare potius turmas, quam declinare delegerat, quem quærant, nec dum inventus interrogat: Illisque dicentibus, quod JESUM quærerent, Ego ſum, inquit. Quod verbum illam manum, ita ex ferociſ-*

ſimis

ſimis congregatam quaſi quodam fulmineo ictu ſtravit, atque percuſſit, ut omnes illi atroces, minaces, & terribiles corruerint. In eo tamen ceſpitat Leo quod oſculum Judæ huic terrori turmæ incuſſo præponat, quod tamen poſtea contigit.

XIV. Voluit igitur Dei Filius in profundiſſima exinanitione ſua communicatam Humanæ Naturæ Divinam majeſtatem ac potentiam hoc inſigni documento oſtendere. Quis enim non miretur tot armatos hoſtes ad unam voculam hominis inermis ſubito concidere? Auctor ſermonis de Paſſione CHRISTI in opere de Cardinalibus CHRISTI operibus Cypriano attributo: *Invaſit illico timor tuus, quos tu timueras, & proſtrati ſolo jacuere exanimes, & armatam cohortem vox unius hominis terruit, & latens in humanitate omnipotentia te diſcipulis pavidum coram perſecutoribus terribilem exhibebat.*

XV. Poſtquam vero proſtrati hoſtes collectis animis ac viribus ſeſe erexerunt, CHRISTUS iterum interrogat, quem quærerent. Tanta enim cœcitate etiam tunc, cum jam reſpondiſſet Dominus, percuſſi erant, ut ne quidem ad priorem iſtam Domini vocem eum agnoſcerent, cujus tamen faciem ſæpius viderant, loquelam non raro audiverant.

XVI. Cum hi denuo reſpondiſſent, *ſe JESUM Nazarenum quærere,* CHRISTUS rurſum indicavit, ſe illum eſſe. Sed quia forſan in unum atque alterum manus injicere voluerunt, rogavit, ut ſi ſe quærerent, diſcipulos miſſos facerent. *Joh. XIIX. v. 8.*

XVII. Atque ita, ut eſt apud Johannem cap. XVIII. v. 9. impletum eſt, quod oratione ſua ad Patrem dixerat Johan. XVII. v. 12. *Eorum quos mihi dediſti, perdidi ne-* *v. 9.*

minem: puta, *præter perditionis filium*, Aliorum ſe negat ullum perdidiſſe, tum corporis, tum animæ ratione: ſed ſervaſſe univerſos, quo poſtea Spiritum Sanctum acciperent, & incrementa regni ſui conſpicerent. Tantum igitur abeſt, ut hæc duo loca Evangeliſtæ, quorum hic de temporaria perditione videtur agere, alter de ſpirituali intelligendus venit, inter ſe pugnent, ut amicabili potius conſpirent harmonia. Nam ſi hoc tempore diſcipuli fuiſſent capti, & corporis, &, ſi (quod verendum erat) a fide in CHRISTUM finaliter excidiſſent, animæ diſcrimen ſubiiſſent.

XVIII. Boni Paſtoris verum exemplar in eo exhibuit Magnus Paſtor ovium, qui gregis ſui ſalutem vitæ redimere voluit diſpendio.

XIX. Quod CHRISTUS in horto egit, id adhuc agit, agetq; continenter ad conſummationem mundi. Nam neceſſaria hoſtium conſilia reprimit, & ſceleratos auſus cohibet, ſic ut nos abire illæſos cogantur permittere.

Matth. XXVI. v. 48 49. Marc. XIV v. 44. 45.

XX. Judas, qui antea ſatellitibus ſuis Symbolum dederat, ut illum apprehenderent, & provide abducerent, quem oſcularetur, amplexus eſt JESUM, & pro more Orientalibus recepto vel ſalutans, vel valedicens, oſculum ei dedit, additis his verbis. *Ave Rabbi, Rabbi.*

XXI. Obtinuiſſe olim apud Græcos, ut diſcipuli Magiſtros oſculo exciperent, docet Ferdinandus Quirinus a Salazar, Conchenſis, *Comment. in Proverb. Salom.* Idem in uſu fuiſſe Hebræis perſuadet fere hoc Judæ oſculum, qui dum oſculatur, *Ave Rabbi* inquit, eo ipſo ſe quaſi diſcipulum ſiſtens Magiſtro. Johannes Lightfotus tamen in *Horis Hebraicis & Talmudicis ſuper Evangelium Matthæi*, obſervat Magiſtro Diſcipulos oſculari non inuſitatum fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, rarius diſcipulo magiſtrum. Atque adeo non immerito quæri poſſe, utrum id Judas fecerit prætextu officii, an ex aperto contemtu & deriſione.

XXII. Baronius exiſtimat, ideo Judam oſculatum fuiſſe CHRISTVM, *ne hoſtes tenebris noctis decepti in alium quemquam manus injicerent,* qui ad dominum comprehendendum advenerant. Addunt nonnulli Jacobum Alphæi filium CHRISTI admodum fuiſſe vultu ſimilem, atque idcirco id ſigni dediſſe turmæ, ne hunc pro CHRISTO comprehenderent.

XXIII. Sed quia per laternas & faces huic errori ſatis potuerunt occurrere, non videtur hæc conjectura firmo ſtare talo. Eo igitur reſpexit potius Judas, ut dum ipſe in amplexu & oſculo CHRISTI hæreat, illi eundem comprehendant, & ne, quod alioquin fecerat, ex manibus elabatur, vinculis arctiſſimis conſtringant, & circumſpecte in hoc negocio verſantes arctæ cuſtodiæ commendent. Atque huic ſententiæ favet compoſitum verbum καταφίλησαν αὐτόν. quod ſignificat non ſimpliciter aliquem ſupremis labris oſculari, ſed vehementer, & ſupra modum. Non enim ſemel, nec leviter, ſed ſæpius, & cum affectu, ſcelerate, ſimulate id fecit, ut nempe ſatis ſigni haberent, hunc eſſe ipſiſſimum illum, qui prehendendus eſſet.

XXIV. Sunt qui putant Judam hoſtibus CHRISTI voluiſſe illudere, ac ſi ipſe ſperaſſet fore, ut ſe ſubduceret illorum poteſtati, & in libertatem ſe aſſereret. Ac dicunt Judam exiſtimaſſe, promisſioni ſe feciſſe ſatis, modo JESVM ipſis in manus tradat: poſtea enim illorum eſſe, quomodo ſervent captivum, dare operam. Quas cogitationes in medio relinquo.

Digitized by Google

XXV. Sicut Joabus Amaſam oſculatus, & blandis verbis allocutus: *Pax tecum mi frater;* at pugione eum interfecit: II Samuel. XX. v.9 & 10. ita Judas *dat ſignum oſculi cum veneno Diaboli:* ut ait Hieronymus; vel, ut Ruffinus habet in expoſitione Symboli apud Cyprianum: *Per molle oſculi blandimentum exſecrabile proditionis infigit jaculum.*

XXVI. Non ſine cauſa igitur exclamat Chryſoſtomus *Homil. I. in fer. V. Paſſ. Domini: O ſignum ſacrilegum, ubi oſculo incipitur ſignum: per pacis indicium rumpitur pacis ſacramentum.* Et Ambroſius in Pſal m. XXXIX. *Oſculo? Venenum infundis oſculo, quo gratia charitatis infunditur? Oſculo; quod ſacræ pacis inſigne eſt? Oſculo? quo amicitia fida firmatur? Oſculo? quo fides ſancta ſignatur? Hoc ergo oſculo tradis periculo, quem propter oſculi commercium venerari deberes? & tradis Filium hominis homo, qui propter hominum ſalutem deſcendit de cœlo?*

XXVII. Antiquis Chriſtianis frequentabantur oſcula in ſignum pacis & ἀνυποκρίτου charitatis; nec ea tantum inter privatos parietes, cum ſe invicem inviſerent, ſed etiam in publicis congreſſibus, & ſolenni ſacrorum celebratione. Quia autem vere illud erat φίλημα ἅγιον *Oſculum ſanctum,* ideo ab Apoſtolo Roman. XVI. 16, & I. Corinth. XVI. v. 20. ſancte commendatur.

XXVIII. Solebant autem ſancto hoc oſculo preces publicas obſignare. Vnde Tertullianus libro de Oratione vocat *Orationis ſignaculum.* Verba integra hæc ſunt cap XIV. *Alia jam conſuetudo invaluit. Jejunantes habita oratione cum fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis. Quando autem magis conferenda*

Digitized by Google

da cum fratribus pax eſt, niſi cum oratio commendabiliter aſcendit, ut ipſi de noſtra operatione participes jam audeant de ſua pace fratri tranſigere? Quæ oratio cum divortio ſancti oſculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? quale ſacrificium eſt, a quo ſine pace receditur? Quacunque operatio ſit, non erit potior præcepti obſervatione, quo jubemur jejunia noſtra celare. Jam enim de abſtinentia oſculi agnoſcimur jejunantes. Juſtinus Martyr Oratione ad Antonium Pium: Ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν. *Oſculo nos invicem ſalutamus, quando a precibus ceſſamus.* Anshelmus in caput XVI. Epiſt. ad Romanos, ad iſthæc quidem Apoſtoli verba: *Salutate invicem in oſculo ſancto. Ex hoc ſermone,* inquit, *& aliis nonnullis ſimilibus mos Eccleſiis traditus eſt, ut poſt orationes oſculo ſe invicem ſuſcipiant fratres.* Auguſtinus Sermon. LXXXIII. de diverſis: *Poſt Orationem Dominicam, quam accepiſtis & reddidiſtis, dicitur, Pax Vobiſcum. Et oſculantur ſe invicem Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis: ſi quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia; id eſt, quomodo labia tua ad labia fratris accedunt; ſic cor tuum a corde illius non recedat.*

XXIX. Inprimis ante Sacram Synaxin fideles ſe invicem oſculabantur, ut eſſet communicaturis reconciliationis, & rancoris omnis remiſſi, puræque charitatis ſymbolum, teſte Cyrillo *Catecheſ. V. Myſtagogic. Neputes,* inquit, *oſculum tale eſſe, quale in foro inter communes amicos eſſe conſuevit: neque enim hujusmodi eſt. Animos reconciliat, & omnium injuriarum oblivionem ſpondet. Signum ergo hoc oſculum eſt, reconciliatos eſſe animos, & omnem ex iis eliminari offenſarum memoriam.* Vbi etiam interponit cauſam, quare Oſcula Ori fuerint impreſſa;

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum ſcilicet oſculemur januas, per quas ingrediamur in templa, ſic etiam ora noſtra, per quæ ingreditur corpus CHRISTI mutua oſculatione nos dignari. Auctor IV. *homiliarum in Canticum Canticorum*, Origeni vulgo tributarum, & ab Hieronymo, cujus ſeptimo tomo habentur, latine verſarum: *Hoc eſt verius propriusque & ſanctius oſculum, quod a ſponſo Dei verbo porrigi dicitur ſponſæ, puræ ſcilicet animæ, & perfectæ. Cujus rei imago eſt illud oſculum, quod in Eccleſia ſub tempore myſteriorum nobis invicem damus.* Chryſoſtomus poſt initia *lib. I. de Compunctione cordis:* Oſculum *pacis porrigere tempore quo munera offeruntur, in uſu eſt. Sed vereor, ne forte plures ex nobis labiis hoc tantummodo faciant, cum CHRISTUS pacem non ex ore, ſed ex corde deſideret, & affectu velit proximum, non labiis ſalutari.* Hieronymus *Epiſt. ad Theophilum*, adverſus Johannem Hieroſolymitanum: *Ignoramus abſque charitate pacem, ſine pace communionem. Si munera noſtra abſque pace offerre non poſſumus, quanto magis & CHRISTI corpus accipere? qua conſcientia ad Euchariſtiam CHRISTI accedam, & reſpondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis? Quisquamne tibi invitus communicat? Quisquamne extenta manu vertit faciem, & inter ſacras epulas Judæ oſculum porrigit?* Et tale oſculum etiamnum in quibusdam Eccleſiis ante ſacram Synaxin uſurpare Canonicos tradit Cornelius a Lapide *Commentar. in II. Corinth. XIII. 12.*

XXX. Finita communione mutua pacis oſcula repetebant. Auguſtinus lib. de Amicitia cap. VI. *Eſt oſculum corporale, quod impreſſione fit labiorum, quod non eſt oſtendendum, niſi certis & honeſtis horis, ut in ſignum reconciliationis, quando fiunt amici, qui fuerunt inimici.*

In

In ſignum pacis, ſicut communicati in Eccleſia interiorem parte in exteriori oſculo demonſtrant. Innocentius I. qui ſeculo V. ineunte floruit, *Epiſtola decretali ad Decentium cap. I.* Pacis *oſculum dandum eſt poſt confecta myſteria, ut conſtet populum ad omnia, quæ in myſteriis aguntur, atque in Eccleſia celebrantur, præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe, pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.* In Eccleſia Græa hodie adhuc durare iſtum morem diſcimus ex Metrophane Critopulo *cap. IX. Confesſionis* ſcribente: *Participes facti S. Euchariſtiæ mutuo ſe oſculo ſalutant; altero quidem dicente: CHRISTVS eſt in medio noſtrum; altero reſpondente: Et eſt, & erit.*

XXXI. Recens etiam baptizatos oſculari ſolebat miniſter. Cyprianus lib. III. Epiſt. VIII. ad Fidum Presbyterum: *Quod veſtigium infantis in primis partus ſui diebus conſtituit, mundum non eſſe dixiſti, quod unusquisque noſtrum adhuc horreat oſculari, nec hoc putamus ad cæleſtem gloriam dandam impedimento eſſe oportere. Scriptum eſt enim: Omnia ſunt munda mundis. Nec aliquis noſtrum id debet horrere, quod Deus dignatus eſt facere. Nam etſi adhuc infans a partu novus eſt, non ita eſt tamen, ut quisquam illum in gratia danda atque in pace facienda horrere debeat oſculari: quando in oſculo infantis unusquisque noſtrum pro ſua religione ipſas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare, quas in homine modo formato, & recens nato quodammodo exoſculamur, quando id quod Deus fecit, amplectimur.*

XXXII. Singularem meretur obſervationem, quod eo anni tempore quo celebrabatur in Eccleſia pasſionis CHRISTI memoria, Chriſtiani veteres communem illum ſe invicem oſculandi morem omiſerint. Qua de re

Tertullianus *lib. de Oratione:* Die *Paſchæ* (Paſſionis intelligit Dominicæ tempus) *quo communis & quaſi publica jejunii religio eſt, merito deponimus oſculum, nihil curantes de oſculando, quod cum omnibus faciamus.*

XXXIII. Gabriel Albaſpinæus *de veteris Eccleſiæ ritibus lib. I. Obſervat. XVII.* &, qui eum ſequitur Johannes Baptiſta Caſalius *de Veter. ſacris Chriſtianorum ritibus cap. LIX.* nefas id fuiſſe putant, quod quia oſculum lætitiæ ſit indicium, illam tempore jejunii locum habere non oportuerit.

XXXIV At longe potior mihi videtur cauſa eſſe, quod eo ipſo deteſtati ſint oſculi Judæ proditoris memoriam. Et quid dubitemus ea de re, cum id evidenter ſatis aſſerant certi ſcriptores? Amalarius Fortunatus de Eccleſiaſticis Officiis lib. I. cap. XIII. *A pacis oſculo in iſtis diebus nos abſtinemus; non, quod pacis oſculum malum ſit, ubi ex caritate vera profertur: ſed ut demonſtretur, quam injuriam paſſus ſit CHRISTVS a ſuo proditore: ut & nos vitemus eandem injuriam in fratribus.* Idem innuit *lib. III. cap. XLIV.* Scribit etiam Rupertus Tuitienſis *lib. VII. de divinis Officiis cap. XII.* Chriſtianos *Judæ traditoris probroſum exſecrari & anathematizare oſculum.*

XXXV. Sollicite igitur caveamus nobis a perfidis ejusmodi oſculis, nec ſub amicitiæ ſpecie alicui imponamus. Huc pertinent illa Anshelmi loco paulo ante laudato: *Hoc oſculum ſanctum appellat Apoſtolus. Quo nomine illud docet, primo, ut caſta ſint oſcula, quæ in Eccleſiis dantur. Tunc deinde, ut ſimulata non ſint, ſicut fuerunt Judæ, qui oſculum labiis dabat, & proditionem corde tractabat.*

XXXVI.

Digitized by Google

XXXVI. Hæc proditoria traditio etſi CHRISTO admodum acerba fuit, quod fieret ab uno diſcipulorum, & inſuper ſub pacis atque amicitiæ prætextu per oſculum; tamen nihil remiſit Dominus a lenitate ſua atque manſuetudine, nec exprobravit illi facinus tam nefarium, *Matth. XXVI. v. 50.* ſed blandis dictis eum tetigit, dicens: *Amice, ad quid veniſti? Judâ, oſculo filium hominis tradis?* *Luc. XXII. v. 48.*

XXXVII. Ἑταῖρον vocat CHRISTUS Judam: qua voce olim diſcipulos ſuos modeſtiæ cauſa ſolebant appellare, teſte Suida. Eodem modo Ælianus *Var. Hiſtor. lib. IV. cap. IX.* Ἀριστοτέλης ἐν περιπάτῳ ἑταίρους ἔχων, καὶ ὁμιλητὰς, καὶ ἐγλίχετο ἀντίπαλος εἶναι Πλάτωνι. *Ariſtoteles in Peripato cum ſuis familiaribus & diſcipulis adverſus eum pugnavit, & Platonis adverſarius eſſe cupiebat.* Pari ſenſu Imperatores ſolebant milites ſuos *Commilitones* ſalutare.

XXXIIX. Non placet nobis illorum opinio, qui putant hanc appellationem ſarcaſticam eſſe, & inſultatoriam. Quis enim inſultationi in tanto mœrore locus? quæ inſultatio in proditorem oſculo exceptum, & ad peccati agnitionem deducendum? quis in tanto rerum diſcrimine mitiſſimum Servatorem mundi ſarcaſmis & ludibriis uſum crediderit?

XXXIX. Hic autem titulus honorificus cum eo communicatur, qui ſocietate & amicitia Magiſtri jam exciderat, ut afficiat animum, quo cogitet, qui in ſocietatem & familiaritatem per ſeriam pœnitentiam & fidem denuo recipiatur.

XL. Non contemnenda eſt Origenis obſervatio, nomine ἑταῖρε neminem bonum in Scripturis ſingulariter legi appellatum. Nam ſemper uſurpatur in illos, qui re-

reprehendendi, & ad agnitionẽ malefacti erant deducendi. Sic Matth. XX.v.13. ad impium calumniatorem ſub patrisfamilias habitu dicit CHRISTVS: Ἑταῖρε, *non facio tibi injuriam.* Et ad illum, qui ſordido veſtitu regales profanarat nuptias: Ἑταῖρε, *quomodo huc intraſti?* Matth. XXII. v. 12.

XLI. *Familiares, ſocios & amicos* vocat Deus etiam illos, a quibus non amatur; quin peccatores etiam, quos tamen, quatenus ſunt peccatores, non amat, ſed odio habet: tum ut attrahat ad ſe & ſibi amicos faciat per gratiam, qui non ſunt per culpam; tum ut exprobret ingratum animum, cujus inſtinctu ab amicitia & ſocietate receſſerunt; tum ut accuſet pertinaciam, familiaritatem & amicitiam, qua exciderunt, ſollicite non quærentium, imo oblatam non accipientium.

XLII. Quod autem CHRISTVS non rejicit Judæ oſcula, ſed potius tam blando alloquio compellat proditorem, in eo exemplo nobis fuit, ut nos quoque inimicos diligamus, nec eos inſectemur contumeliis. Bene in hanc ſententiam Hilarius in Matthæum canon. XXXI. *In oſculo Judæ hæc fuit ratio, ut doceremur inimicos omnes, eosque, quos ſciremus deſævituros in nos eſſe, diligere. Oſculum enim ejus Dominus non reſpuit.*

XLIII. Poſt datum oſculum manus injecta eſt Domino a militibus Romanis, & famulitio Pontificum ac Procerum Judaicorum.

XLIV. Ex iis, quorum fervor in apprehendendo CHRISTO præcipue eluxit, videtur fuiſſe *Malchus:* cujus nomen etſi *Regem* notat, re vera tamen ſervus erat: nempe famulus Principis Sacerdotum.

XLV. Cum nomen regium male conveniat ſervo, ideo

Digitized by Google

ideo nonnulli a radice מָלַךְ deducunt ejus nomen, quod ſignificat, *acquiſivit, emit, mancipavit.* Hoc ſenſu Malchus eſſet homo in ſervitutem mancipatus.

XLVI. Vſitatum tamen puto inter Judæos tunc temporis fuiſſe nomen מַלּוּךְ, cujus ſit mentio Nehem. X. 4. 18. & XII. 2. ac idem eſt ac Μάλχος, quod multos habuiſſe conſtat: ut Porphyrium, ejusque patrem, aliosque. Apud Græcos Interpretes in Nehemia ſcribitur Μαλοὺχ, apud Syrum in N. T. מלך *Molech*, quod eodem redit.

XLVII. Diſcipuli autem conſpicientes, quid rerum ageretur, ac vim parari Domino, amore ſuppeditante audaciam, rogaverunt CHRISTUM, annon eſſet tempus gladios educendi. *Luc. XXII. v. 49.*

XLVIII. At Petrus, vel quia ceteris fervidior, vel quia magnifica de ſe pollicitus fuerat, ne Domino ſuo deeſſe videretur, non exſpectato CHRISTI reſponſo, educta machæra petiit Malchum: cui ſane caput medium diſſecuiſſet, niſi Domini manſuetudine ictum cohibente tantum dextram amputaſſet auriculam. Quo in Petrum quodammodo expreſſit ſervus ille Ariadnes Auguſtæ, *qui parens præceptis Reginæ* (hæc ipſi in abditis ſtanti mandaverat, ut inimicum a ſe recedentem perimeret) *dum avidus ferit in caput enſe, non cervicem, ut cupiebat, ſed aurem illius amputavit:* quæ verba ſunt Jornandis de regnorum ſucceſſione. *Matth. XXVI. v. 51. Marc. XIV. v. 47. Luc. XXII. v. 50. Joh. XIX. v. 10.*

XLIX Quia Matthæus & Johannes τὸ ὠτίον uſurpant, quidam putant, non integram aurem Malcho fuiſſe amputatam, ſed tantum infimam auris partem: non ſic quidem, ut decideret humi, ſed ut de aure dependeret.

L. *Machæra* vocatur inſtrumentum, quo Petrus in Malchum fecit impetum. Corn. a Lapide Commentar.

ad Matthæum nonnullos recenſet, qui Petri machæram cenſent fuiſſe cultrum, quo in mactando, vel comedendo paſchali Agno uſi fuerint Apoſtoli. Et Venetiis oſtendi ſcribit hunc gladium, exhibentem magni cultri ſpeciem. Senis quoque ſimilem aſſervari tradit. Idem tamen aliis accedit, qui diſerte aſſerunt fuiſſe enſem, qualis etiam aſſervetur Pariſiis. Sic in *Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium* legimus, *Hartwicum Archiepiſcopum anno Dn.* CIↃ *CXCVI. de terra promisſionis Venetiam navigantem, in Bremam perrexiſſe, deferentem ibi reliquias S. Annæ, & gladium Petri, quo Malcho auriculam amputavit.* Confer. Auctorem Chronicæ Sclavicæ a Lindenbrogio editum. Sed quid opus erat his nugis immorari? *Machæram* pro gladio ſumi in confeſſo eſt. Et hæc ſignificatio obvia eſt in ſacro codice.

Luc. XXII. v. 50. LI. Ægre autem hoc factum Petri tulit CHRISTVS. Quamobrem eum objurgavit atque officii ſui commonuit: Malchi autem auriculam tangens ex templo reſtituit: quod quidem eo majori erat admirationi, cum cartilago ſemel reſecta non coaleſcat rurſus.

LII. Auctor Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, qui exſtat inter opera Auguſtini tomo VI. ſed Auguſtino falſo tribuitur, putat Petrum non fuiſſe reprehenſum, quod ſervi Pontificis auriculam abſcidiſſet. Id enim CHRISTI permiſſu feciſſe exiſtimat: atque hoc verbum illud apud Lucam cap. XXII ἐᾶτε ἕως τούτου *Sinite usque huc,* quaſi dicat; ſufficiat auriculam ſervi Pontificis abſcidiſſe. De cetero *mitte gladium in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Admonere igitur tantummodo Petrum autumat, ne ultra pugnet.

LIII.

LIII. Verum iſta verba: *Sinite usque huc,* non id ſignificant, quod Auctor Quæſtionum ex iis exſculpit, ſed potius: *Definite, ceſſate a propoſito, ſinite huc usque nefarium conatum veſtrum proceſsiſſe.* Syrus hoc intellexit: quando hæc ita vertit: *Satis eſt huc usque:* nempe: *Satis eſt, huc usque vos proceſſiſſe:* ac ſi dicat: *Contine te, Petre:* vel; *Continete vos diſcipuli, nolite ulterius lædere.*

LIV. Adamus a Conzen, Jeſuita, Commentar. in Matth. ſtatuit, CHRISTVM non indicare Petro, eum peccaſſe, ſed eſſe ſimplicem prædictionem eventus futuri non tam de jure, quam de facto: quaſi dicat: *Tu gladio rem geris. An ignoras ergo legem Romanorum, qua ſancitur, capitali pœna apparitorum & magiſtratuum auctoritas, ut ſine ulla ſpe veniæ moriatur, ſi quis gladium in miniſtros magiſtratus ſtrinxerit? Nec eo in caſu de jure quæritur, ſed factum continuo punitur.* Itaque refutat eos, qui Petrum peccaſſe putant, duram nimis ſententiam credens in Petrum pronunciari, ſi ſtatuatur, jam morte dignum eſſe, qui gladium uſurpaverit. *Simplex, inquit, mihi ſententia videtur.* Qui gladium *contra Romanos & magiſtratus templi acceperint, ſe tueri non poterunt, fortiori ſuccumbent inferiores.*

LV. At meræ ſunt hæ argutiæ & a ſenſu CHRISTI alienæ. Etenim CHRISTI verba: *Conde gladium in vaginam. Nam qui gladium acceperit, gladio peribunt,* comminationem continent in jure fundatam, qua eum, qui gladium injuſſu Magiſtratus arripuerit, gladio periturum docet. Hic loci ſenſus ſtabilitur ex Apocal. XIII. 10. ubi iſta leguntur: *Qui gladio occiderit, δεῖ αὐτὸν, oportet eum gladio occidi.* Et reſpicit dubio procul CHRI-

STVS

STVS ad illa Geneſ. cap. IX. v. 6. *Quicunque effuderit ſanguinem humanum, ſanguis ejus effundetur.*

LVI. Cur autem Conzenius ita diſputet, nequaquam miremur. Vmbonem enim ex hac expoſitionem fabricat, ſub qua lateant Clerici Pontificii gladium uſurpantes. Prodit enim ſe, quando pro Petro ſic diſputat: *CHRISTVS ad exemplum ſuorum videtur gladios ſuis permiſiſſe, ne illis auxiliis in perpetuum clericos ſpoliatos putaremus. Petrum enim gladio accinctum, & in itinere & in receſſu ſecum habuit, ut minus mirentur haeretici, cum Clericos vel enſe accinctos, vel armatis comitatos aſpiciunt.*

LVII. Altius aſſurgit Alphonſus Salmeron in h. l. exiſtimans illam prohibitionem gladii ad tempus tantum fuiſſe inculcatam, ac alio tempore in Eccleſiæ commodum evaginari jure meritoque. *Non dixit Dominus,* (verba ſunt Salmeronis) *Projice, vel, dimitte gladium, ſed repone in vaginam; & poſt ſuo tempore utaris: quando ſcilicet enſe ſpirituali convinces mundum confiteri, quod etiam gladius corporeus ad imperium tuum pertineat, quando gloria CHRISTI, aut ſponſa ejus, Eccleſia, cauſa poſtulaverit.*

LIIX. Gemina ferme eſt ſententia Sixti Senenſis Bibliothecæ Sanctæ lib. VI. Annot. CLVI. ubi poſt Hugonem Carenſem, cujus verba explicat, de intellectu hujus dicti ſollicitus eſt, & CHRISTVM *conceſſiſſe* ait *Apoſtolis juſtum gladii uſum, non in propria quidem ipſorum perſona, nec pro eo tempore, ſed in perſona totius Eccleſiæ, & pro futuro tempore.* Vt igitur ex ſententia Carenſis & Senenſis, Eccleſia, poſtquam plantata eſt, opus habeat gladio, quo non indiguit, cum plantaretur, & tum demum

mum licere Clericis gladium vibrare in defenſionem Eccleſiæ.

LIX. Verum utrumque falſum eſſe ex genuina CHRISTI verborum explicatione pateſcit. An exercere poſſe putabimus Apoſtolicos viros, & alios Apoſtolorum in ſanctis Eccleſiæ muneribus ſucceſſores, quem exercere prohibiti ſunt Apoſtoli? An Apoſtolis aliquid præceptum dicemus, ſed cui parere ipſi non tenerentur, verum poſt eos demum qui ſucceſſuri ſint? Magis profecto arma videntur eſſe neceſſaria cum propugnaculum in conſpectu hoſtium exſtruitur, quam poſtquam eſt exſtructum. Imo vero Eccleſiam majora cepiſſe incrementa tum, cum nullus pro illa eſſet armorum uſus, cumque omnia omnium Paganorum arma in eam converſa eſſent, quam poſtquam ipſa ſua exſerere cœpit arma, id ex Hiſtoria Eccleſiaſtica notum eſt. Nunquam id perficere poterat Carolus Magnus vi armorum quod poſtea religionis ſacræ per Epiſcopos cura facili expediebat negocio.

LX. Quam bene igitur & graviter ſcripſit Theodoricus a Niem *de Schiſmate lib. III. cap. VII. Fatue & adulatorie loquuntur illi, qui dicunt, quod Papa ſeu Eccleſia duos babet gladios, ſcilicet ſpiritualem & temporalem, cum in Evangelio Petri ſit dictum, converte gladium tuum in vaginam: & ibidem addita ratione, videlicet, omnis enim qui gladio ferit, &c. Etenim ſi uterque gladius apud Papam exiſteret, ſupervacue vel ficte Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet. Sed iſti adulatores ſeu aſſentatores per talia ſcripta & dicta inducunt maximum errorem in tota Chriſtianitate, & ſuſcitant quodammodo perpetuam æmulationem ſeu diſcordiam inter Papam & Imperatorem. Conculcatur enim per hoc imperialis authoritas,*

Digitized by Google

& ejus poteſtas ſub dubio collocatur in totius Reip. detrimentum.

LXI. Sed ita proh dolor! tulerunt inveterati mores præcipue in Germania, ut Epiſcopi impune ſibi licere putarent diſtringere gladium, bella gerere, ſanguinem humanum fundere. Quo tamen id ſucceſſu factum, tragica multa oſtendunt exempla: ex quibus nunc ſuccurrit, quod Krantzius cum juſta ἐπικρίσει affert Metropol. lib. X. cap. XXII. de Simone ex Comitibus Sternbergenſibus Epiſcopo Paderbornenſi: *In præſidio Brobeke ſagitta percuſſus in inguine mortis occaſionem habuit. Ita vir militari genere natus, dum miniſterialibus ſuæ originis hominibus multum indulget, dumque arma magis, quam ſacra proſequitur, finem aſſequitur, quem ſolent juxta verbum veritatis, gladio depugnantes.*

LXII. Quid itaque mirum Pariſienſem quendam Clericum dixiſſe: *Omnia credere poſſum, ſed vix credere poſſum, quod unquam aliquis Epiſcopus Alemanniæ poſſit ſalvari?* quemadmodum hæc ex ore ejus refert Cæſarius Heiſterbacenſis lib. II. Hiſtor. Memorab. cap. XXVIII. Atque hæc verba cum vehementer dura ſint, quærit ex Cæſario Apollonius: *Quare magis judicavit Epiſcopos Alemanniæ, quam Epiſcopos Galliæ, Angliæ, Longobardiæ vel Tusciæ?* Et reſpondet Cæſarius: *Quia pœne omnes Epiſcopi Alemanniæ utrumque habent gladium, ſpiritualem videlicet & materialem, & quia de ſanguine judicant, & bella exercent, magis eos ſollicitos eſſe oportet de ſtipendio militum, quam de ſalute animarum ſibi commiſſarum.*

LXIII. Hæc graviter in uſurpationem gladii apud Pontificios Germanos præſertim Epiſcopos frequentatam dicta ſunto: quid vetat etiam joculare dictum ex

Jor-

Jordanis libro de commendatione Rom. Imperii afferre? *Præſules Germaniæ non ſunt illius vicarii, qui relicto ſindone nudus aufugit, ſicut Epiſcopi Italici, ſed ejus vicarii, qui dixit: Domine paratus ſum in vita & morte tecum ire, & in tempore tribulationis eduxit gladium, & amputavit ſervo Pontificis auriculam dextram. Non amputavit ei pedem, ſed auriculam, ut oſtenderet, quod ei caput libentiſſime amputaſſet.*

LXIV. Firmiter itaque concludimus, Petrum hac uſurpatione gladii peccaviſſe graviter. Primum enim ſua auctoritate ſine ullo mandato, imo nec expectato CHRISTI reſponſo gladium ſumſit. Deinde ſumma erat temeritas, non æſtimato irruentium numero, nec penſitata imbecillitate ſua, cæco impetu atque inconſulto vibrare enſem. Poſtea non erat Petri, impedire paſſionem CHRISTI, quo nomine jam tum ſe reprehenſum, ſibi in memoriam debuiſſet revocare. Denique Petrum Eccleſiaſticam perſonam minime decebat arma tractare carnalia: cui ad ſpiritualem militiam ſola ſufficerent arma ſpiritualia.

LXV. Ex antedictis ſimul apparet, quid de illorum ſentiendum ſit effugio, qui verba CHRISTI non ad Petrum abſterrendum ab ulteriori pugnæ proſecutione verba iſta tradunt dicta, ſed de Romanis ſatellitibus accipienda cenſent, ac ſi a CHRISTO diceretur: *Noli Petre ipſe amplius pro me pugnare. Romani namq; iſti milites, qui ſtrictis me nunc adoriuntur gladiis, & ſine cauſa ſæviunt, univerſi gladio peribunt.*

LXVI. At quid ſi Petrum excuſes, qui non occidendi quemquam libidine, ſed ut iniquam vim a Domino arceret, gladio uſus ſit? Vim certe vi repellere & natu-

ra dictitat, & leges permittunt: cum & animalibus e naturæ inſtinctu permiſſum ſit ſe defendere: quod patet e leg. I. ff. *Si quadrupes pauperiem fecerit.*

LXVII. Ita eſt vim vi conceſſum eſſe repellendam, ſi illa inferatur a privato, auſu etiam privato. At magiſtratui vim inferre, vel cum publica auctoritate miſſis, neutiquam fas eſt, ne quidem ſi inique judicent, ſed vindicta Domino eſt committenda. Niſi enim hæc vis toleretur, effreni licentiæ, ac tumultibus porta aperitur, nullaque vel legum, vel judiciorum futura eſt auctoritas.

LXVIII. Bene igitur Joh. Gerſon Cancellarius Pariſienſis in Cenſura errorum aſſertorum per Johannem Parvum, qui cædem Ducis Aurelianenſis aſſertum iverat: *Per hanc aſſertionem aperitur via ad homicidia Regum ac Principum quorumcunque, ad violationem fidei & juramenti, ſi liceret impune eos propria auctoritate necare, aut in eos fraudes moliri, daretur & occaſio ſubditis rebellandi & contemnendi Principes. Nemo enim ambitioſus, aut a Principe, caſtigatus non fingeret in eum ingentia crimina, ut eum populo exoſum redderet, nulla eſſet imperandi ſecuritas.*

LXIX. Optime animati erant veteres Chriſtiani, qui innocentes occidi malentes, quam nocentibus cedebant, occidere; etiam cum vires ad ultionem, ſuiq; defenſionem minime deeſſent. Cyprianum ea de re audiemus ad Demetrianum ſcribentem: *Nemo noſtrum quando apprehenditur reluctatur, nec ſe adverſus injuſtam violentiam veſtram (quamvis nimius & copioſus noſter populus) ulciſcitur.*

LXX. Nequaquam vero hoc dictum CHRISTI Magiſtratui eripit gladium, ſed eidem potius illum commen-

Digitized by Google

mendat. Si enim gladio perire debent homicidæ, utique magiſtratui tanquam Dei in his terris vicario traditur gladius, ut injuſtas neces, aliaque morte digna eodem vindicet crimina. Quæ quidem contra frivolas Socinianorum & Anabaptiſtarum exceptiones annotanda ſunt.

LXXI. Hæc etiam Lactantii probari nequeunt: *Non licet juſto accuſare quemquam crimine capitali, quia nihil diſtat, utrumne ferro, an verbo potius occidas, quoniam ipſa occiſio probibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas, quem Deus ſanctum animal eſſe voluit.*

LXXII. Vt autem Petrus eo intelligat magis, humanam defenſionem CHRISTVM inſuper habere, addit, ſe a Patre impetraturum, ut, non dico XII. angelos, ſed vel angelorum legiones XII. & quod excedit, mittat. *Matth. XXVI. v. 53.*

LXXIII. In numero militum Legionis definiendo tricæ non modicæ ſunt deprehenſæ, quas extricare multi contenderunt. Sicut enim variatum eſſe numero pro diverſis temporibus, dubio caret; ita, quando & quomodo ſingulæ mutationes acciderint, haut æque in expedito eſt. Apud Suidam legas indefinite: Λεγεών, παρὰ Ῥωμαίοις ἑξακισχίλιοι στρατιῶται. *Legio apud Romanos, ſex millia militum.* Iſidorus lib. IX. cap. III. *Legio ſex millium armatorum eſt.* Heſychius accuratius numerare voluit: Λεγεὼν πλῆθος στρατεύματος, ἢ τάγματος, ἓξ χιλιάδων ἑξακοσίων ἑξήκοντα ἕξ. *Legio eſt multitudo armatorum ſex millium ſexcentorum ſexaginta ſex.*

LXXIV. Neque hæc tamen ſimpliciter vera ſunt. Variavit nempe numerus militum legionis pro diverſita-

re temporum, & primo aliquanto minor fuit, poſtea autem in majus crevit: id quod nunc planum faciemus.

LXXV. Romulus legionem tribus peditum millibus & trecentis equis circumſcripſit. Plutarchus in Romulo: Ἕκαστον δὲ σύνταγμα, πεζῶν τρισχιλίων ἦν, καὶ τριακοσίων ἱππέων, ἐκλήθη δὲ λεγεὼν, τῷ λογάδας εἶναι τοὺς μαχίμους ἐκ πάντων. *Erant autem ſinguli ordines peditum trium millium, equitum trecentorum. Quia autem electi erant ex omnibus bellicoſiores, legio dicta.* Conſentit in hoc numero Varro lib. IV. de Lingua Latina. *Milites,* inquit, *quod trium millium primo legio fiebat, ac ſingula tribus, Tatienſium, Ramnenſium, Lucerum, millia ſingula militum mittebant.*

LXXVI. Sub Servio Tullio Rege ad quater mille pervenit Legio. Dionyſius Halicarnaſſenſis: Τετράφυλον ἐποίησε τὴν πόλιν εἶναι, τρίφυλον οὖσαν τέως. καὶ οὐκέτι κατὰ τὰς τρεῖς φυλὰς γενικὰς στρατιωτικὰ, ὡς πρότερον, ἀλλὰ κατὰ τὰς τέσσαρας τὰς τοπικὰς ἐποίει. *In quatuor tribus diſtribui fecit urbem, quæ huc uſque in tres diſtincta erat. Nec amplius ſecundum tres tribus generales militaria, uti antea, ſed ſecundum quatuor locales fecit.*

LXXVII. Polybii ævo potiſſimum conſtabat millium quinque numero. Sic enim lib. III. Τὸ δὲ στρατόπεδον, πεζοὺς μὲν λαμβάνει περὶ τετρακισχιλίους ἱππεῖς δὲ διακοσίους. Ἐπὰν δέ τις ὁλοσχερεστέρα προφαίνηται χρεία, τοὺς μὲν πεζοὺς ἐν ἑκάστῳ στρατοπέδῳ ποιοῦσι πεντακισχιλίους, τοὺς δ' ἱππεῖς τριακοσίους. *Legio pedites habebet circiter MMMM. equites vero ducentos; Si vero uſus poſtulaverit, pedites in unaquaque legione legunt MMMMM. equites autem trecentos.* Quæ latius exponuntur *lib. VI.* Livius *lib. VIII.* de bello Latinorum: *Scribebantur quatuor fere legiones,*

qui-

quinis millibus peditum, equitibus in ſingulas legiones tre-centis.

LXXVIII. Jam ad ſex millia progredimur. *Sex millium & ducentorum hominum primus C. Marius conſcripſit legionem, cum antea quatuor millium fuiſſet, unde etiam appellabatur quadrata;* inquit Feſtus Paulus Diaconus. Vegetius lib II. cap. II. *Romani legiones habent, in quibus ſingulis ſena millia militare conſueverunt.*

LXXIX. Atque hic numerus manſit per imperatorum tempora. Igitur huc reſpiciunt plerique Interpretes præſentis loci, numerum Angelorum ad militum in legione Romana numerum revocantes.

LXXX. Neque tamen præciſe hæc definire licuerit: quippe cum Romanis quoque præter magnas illas & parvæ legiones fuerint. Magnarum legionum meminit Lucretius. lib II. *Praterea magna legiones, cum loca curſu camporum complent, belli ſimulacra cientes.* Et has vocabant *ordinarias.* Livius lib. XXXIV. *expeditas* nominat. Vegetius lib. II. c. VII. *plenas.* Has *extraordinarias* & *imperfectas* dicebant, ſæpe non duum millium: ut docet Wolffg. Lazius Comment. Reip. Rom. lib. V. cap. III. *Exiles* nuncupat Cicero ad Atticum lib. V. Ep. XV. alibi *Legiunculas:* Omnis *ſpes* inquiens *in duabus pœne invidioſe retentis Legiunculis.*

LXXXI. Igitur ad id, quod dicit CHRISTVS, intelligendum, non opus fuerit certum numerum tam accurate definire; ſed ſufficit hoc ſenſu accipere: *Si animus fuiſſet vi illatam vim repellere, facile pro duodecim ſectatoribus & diſcipulis, a Patre meo potuiſſem impetrare duodecim legiones militia cœleſtis Angelorum;* quorum quanta

ta ſit virtus adverſus hoſtes, neminem latere ſinunt divinis confirmata teſtimoniis miracula.

Joh. XIIX. v. 11. LXXXII. Argumentatur CHRISTVS porro a voluntate Patris cœleſtis. *Annon bibam* (paſſionis atque mortis) *calicem, quem Pater mihi dedit?* Quæ verba ſic circumſcribit B. Gerhardus: *Paulo ante Patrem cæleſtem ſeriis precibus obſecravi, ut, ſi fieri poſſet, citra generis humani perditionem, paſſionis calicem a me auferret: quia vero intelligo eſſe voluntatem Patris cœleſtis ut calicem illum bibam, idemque requirere ſalutem generis humani, ideo promtiſſima & perfectiſſima obedientia voluntati Patris me ſubmittam, ac proinde non opus eſt ulla contra hoſtes defenſione aut pugna, ſed tantum patientia.*

Matth. XXVI. v. 54. LXXXIII. Denique Petrum caſtigat argumento a prædictione Scripturarum petito. *Quomodo implebuntur Scripturæ, quod ſic oportet fieri?* quo ipſo nihil illorum caſu fortuitove geri docet; ſed omnia ex decreto divino Scripturarum oraculis indicato.

LXXXIV. Poſtea CHRISTVS converſus ad eos, qui ad ipſum capiendum venerant, gravibus verbis illos

Luc. XXII. v. 52. 53. corripuit: quorum ſumma huc redit: *Aggreſiſti me eſtis gladiis ac fuſtibus, quaſi eſſem latro peſſimus ſimilibus ſe armis defenſurus. Quotidie eram Hieroſolymis, & quietus ſedebam in loco omnium celeberrimo, in Templo, cœleſtem docens veritatem. Semper inermis fui, cum inermi raroque diſcipulorum comitatu. Cur ibi me non comprehendiſtis? Certe minori negocio tum poteratis, ſi decretum hoc erat. Non defuit quidem vobis voluntas, non defuit occaſio; ſed nondum venerat tempus illud, quod definito conſilio & præſcientia Dei vobis quaſi traditum eſt. Sed hoc eſt tempus veſtrum, tempus nocturnum, in quo vobis & tene-*

bra-

brarum ſpiritibus, & malorum ſpirituum miniſtris, in ignorantia & malitiæ tenebris degentibus, hæc omnia a Patre cœleſti permittuntur.

LXXXV. Dehinc diſcipuli ſibi timentes fugere, alii poſt alios, diutius, ut videtur, ſubſiſtente Petro, ac poſt illum etiam Johanne. Quamquam nonnulli Petrum & Johannem itidem cum ceteris fugiſſe, ſed poſtmodum reverſos, ac CHRISTUM ſecutos eſſe putent.

LXXXVI. Interea, dum iſta tumultuoſe aguntur, adoleſcens quidam, qui forſan in vicina aliqua ædicula pernoctabat, a tumultu nocturno excitatus, e ſtrato prorepit, & linteo duntaxat humeris ſuperinjecto accurrit: ut vel ſuppetias oppreſſis ferret, vel tumultus auctores cognoſceret. Hunc ſequi videns juventus cum militum cohorte ex urbe effuſa, (niſi malis per νεανίσκους ipſos milites intelligere) eum comprehendere nititur. At ille linteo in manibus arripientium relicto plane nudus aufugit. *Marc. XIV. v. 51. 52.*

LXXXVII. Sunt, qui hunc juvenem non tam ex propinqua domo ad nocturnum clamorem ſtrepitumque ſubito accurriſſe volunt; ſed e domo, ubi Paſcha cum diſcipulis comediſſet, amore CHRISTI ſecutum eſſe: jam antea tamen ſe recepiſſe cubitum, quod ſolum ſindone fuerit tectus.

LXXXVIII. Sed potuit hic adoleſcens CHRISTUM ſequi, licet non ex urbe exgredientem fuerit ſecutus.

LXXXIX. Epiphanius *Hæreſi* LXXVIII. contra Antidicomarianitas ſine ſcrupulo aſſeverat, *Jacobum* Domini fratrem fuiſſe; &, quod τὴν ἀδελφείαν majorem prodit, ait teſtari illud Evangeliſtam.

Digitized by Google

XC. Meminit hujus opinionis Theophylactus, nec tamen ut ſibi arridentem proponit, nec probabilem judicat. Ita enim Commentar. in Marcum ſcribit: *Hic adoleſcentulus quidam erat e domo, in qua comederant Paſcha.* Quidam *autem dicunt illum fuiſſe Jacobum, fratrem Domini, qui cognominabatur Juſtus. Hic enim una veſte uſus per omnem vitam ſuam, qui & ſedem Hieroſolymitanam ab Apoſtolis accepit, poſt aſſumtionem Domini.* Et ſane Jacobus eſſe non potuit, quem tum provecta ætate fuiſſe admodum eſt probabile.

XCI. Qui cum Chryſoſtomo *Homilia LXXXII. in Johannem,* Ambroſio *in Pſalmum. XXXVI.* Gregorio *Moralium lib. XIV. c. XXIII.* Beda *in Marc. XIV.* cenſent *S. Johannem* fuiſſe, magnos quidem ſeqvuntur auctores; ſed nihil ſolidi (quod pace illorum dixerim) pro hac ſententia afferunt. Præterquam enim quod Johannes connumerandus ceteris diſcipulis, quos jam omnes aufugiſſe Marcus commemorat; quodque tempore paſſionis Johannes annum circiter trigeſimum agebat, ac ea propter non poſſit dici *νεανίσκος*; nulla videtur cauſa, cur interiori tantum veſte tectus CHRISTVM ſit ſecutus.

XCII. Baronius quidem *ad annum XXXIV. num. XXXIX.* reſpondet, par eſſe exiſtimare, cum de proditione Judæ cognoviſſet ceteris manifeſtius, magno mœrore affectum, Dominique tantum memorem, profunda ſui oblivione nihil de ſumendis veſtibus cogitaſſe.

XCIII. At ſi vel maxime concedatur, Johannem præ mœroris magnitudine veſtes ſumere oblitum; unde quis probaverit ipſum veſtes depoſuiſſe? Nec enim ille dormiturus cubuerat, ſed in tricliniari lecto cibum ſumſerat, ubi exterior veſtis poni non ſolebat, niſi fortaſſis a

deli-

Digitized by Google

delicatioribus, qui cœnatoriam aſſumerent. Quam etſi per *Sindonem* intelligit Baronius, nullo tamen teſte idoneo, nec ratione ſufficienti probare potuerit, illum morem CHRISTO & diſcipulis fuiſſe.

XCIV. Quisquis autem fuerit, majorem in ſe quam in diſcipulis amorem Domini permanſiſſe comprobat: qui iis jam fugientibus, ipſe donec ab hoſtibus comprehenderetur, vinculis charitatis conſtrictus eum proſequi non omiſit. Niſi quis potius in eorum ſententiam voluerit concedere, qui non amoris erga CHRISTUM, ſed curioſitatis alicujus notam in hoc juvene concipiunt, quod præ ceteris ſollicitus, quid hoc turbæ ſibi velit, & quem ſortitura ſit eventum, eandem ſit ſecutus.

XCV. *Sindon* hoc loco non eſt genus veſtis prætioſæ; nec quod Maldonatus autumat, veſtimentum lineum calidum, quo homines adverſus vim frigoris uterentur; ſed nocturnum indumentum, veſtisque cubitoria, quod ὑποκαμίσῳ noſtro, ſive induſio reſpondet.

XCVI. Alios aliam præferre explicationem novimus, per *Sindona* ſcilicet intelligi pallium illud e ſindone vel lino confectum, quo utebantur Judæi, cum ad amiciendum corpus ſupra veſtem interiorem, tum pro religionis nota. Erant enim huic veſtimento affixæ prætextæ, vel fimbriæ memoriales, de quibus Numer. XV. 2. agitur, eoque cooperiebant capita, cum orarent. Quando vero dicitur, quod fuerit ſindone amictus ἐπὶ γυμνῦ, id ex religione juvenis profectum augurantur, qui ſindonem ſolam nudo corpori induerit, neglecta veſte interiori: nimirum ut auſteriore vita, inſtar monachorum, majoris ſanctitatis aut religionis ſpeciem præ ſe ferret.

XCVII. Neutrum equidem horum penitus reji-

cimus. Neque enim ignoramus nomine סדין id eſt *Sindon,* Judæos adhuc hodie ipſis uſitatam hanc veſtem exteriorem lineam appellare, imo in ipſa Scriptura S. plus vice ſimplici occurrere סדין id eſt, *Sindón* eodem ſignificatu pro veſte linea, qua etiam interdiu induti ſupra veſtem alteram incedebant, teſte Kimchio in Judic. XIV. 12. & Abarbenele in Eſaiæ III. 23. aliisque: nec Evangeliſtam alium plane ſenſum voluiſſe huic voci Sindon addere, quam qui a gente univerſa in ea uſitate conciperetur, opinamur.

XCIIX. Interea nec negabunt hi ipſi סדין id eſt, *Sindonem,* ut vocabulum generale, notare etiam veſtem lineam noctu indui ſolitam, quod diſerte teſtatur Kimchius loco ſupra citato, ut & in Lexico ſuo.

XCIX. Deinde neque hoc neſcimus, æque auſteram, & vel magis quam hodie regulares quidam Pontificii amant, Judæorum aliquos vitæ conditionem elegiſſe, ſuperſtitionis ergo. Hoc enim, ut de Eſſenis taceam, vel ex ipſius Joſephi Hiſtorici vita patet, qui tribus annis ſe apud eremitam quendam egiſſe teſtatur, qui veſte ἀπὸ δένδρων e foliis aut corticibus arborum confecta, ciboque non niſi ſponte naſcente uti, aqua frigida ſæpius interdiu noctuque ſe ipſum lavare conſueverit.

C. At vero talismodi religioſum aut regularem hunc fuiſſe juvenem, nuda ſane eſt conjectura, quæ nihil inde accipit roboris, quod fuerit amictus ſindone ἐπὶ γυμνοῦ, *ſupra nudam carnem.*

CI. Neque dubitaverit quisquam, an σινδὼν apud Evangeliſtas cum Hebræo סדין conveniat, eo quod hoc non ſcribatur cum נ *(Nun)* uti vox Græca. Præterquam enim quod Syrus illud transferat per *Sedbuno,* quod eſt

idem

idem ac *Sadin*; fatentur Philologorum filii, נ ת in linguarum Orientalium dialectis luſus quaſi materiam eſſe, dum vel occultant illud, cum adeſt; vel aſſumunt pro Dageſch forti, quando alias in voce aliqua non exiſtit. Non enim Græciæ natales ſuos debet hæc vox, ſed Orienti. Apud Syrum vero ת סרונא per Kuſchoi ſeu analogum Dageſch forte legunt nonnulli *Seduno*, ſicque exaravit סַדּוּנָא *Sedduno*, cum expreſſo Dageſch, quod ſi reſolvatur in נ eſt *Sinduno*, σινδών.

CII. Cohortis tribuno, & qui cum eo erant, non ſufficere viſum, ſi caperent CHRISTVM: etiam vinculis conſtrinxerunt. Idque factum ex conſilio Judæ, qui eis dixerat, ut ἀσφαλῶς *caute, firmiter, fortiter* abducerent. *Joh. XVIII. v. 12.*

CIII. Quamobrem facinoroſorum inſtar ligatus JESVS de monte Oliveti per vallem Joſaphat, & portam ovium introducitur agnus peccata mundi portans, & primum deducitur ad domum Annæ Pontificis. *v. 13.*

CIV. Non propterea JESVS ad Annam eſt deductus, quod ille, quæ falſa eſt ſententia Baronii, *Princeps* fuerit *Synedrii*. Neque enim *Princeps Synedrii* vocabatur Pontifex, nec Annam fuiſſe ſufficienti teſtimonio ex antiquitate Judaica probabitur.

CV. Quin potius ex fide dignis monumentis Judaicis accepimus ex Rabbi Hillelis familia tunc temporis quendam principatum in Synedrio geſſiſſe, nec forte ſine fundamento is ſtatuitur Rabbi Gamaliel. In Talmude Babylonico Maſſecheth Schabbath, Hillelem & filium ejus Simeonem hujusque filium Gamalielem, hujusque filium Simeonem per annos centum ante vaſtatum templum principatum tenuiſſe, memoratur; quorum pri-

mus R. Hillel naſcentem CHRISTVM viderit Synedrii Præſes circa annum præſidii ſui XXVII. docentem audiverit CHRISTVM Hieroſolymis Synedrii per annos quadraginta præſes, morti vicinus, dum obiit circa annum CHRISTI XII. aut XIII. natus annos CXX. quem exceperit in regimine filius Rabbi Simeon, eumque Hillelis nepos hujus filius, Rabban Gamaliel ſenex, qui deſideratiſſimam Meſſiæ redemtionem ſupervixerit infeliciſſimus Synedrii Præſes dum maxime felix octodecim annis ante exciſum templum vitam finiens; cui ſucceſſerit filius Rabban Simeon in Synedrii præſidio, cum urbis excidio & ſuum nactus.

CVI. Cyrilli item conjectura plane eſt incerta, ideo ad Annam ductum eſſe JESVM, *quod is Judæ proditori pactam mercedem promiſerit, & eadem nocte ſolverit.*

CVII. Ex Johannis Evangeliſtæ indicio hoc honoris habitum eſt Annæ, quod eſſet ſocer Cajaphæ Principis ſacerdotum: quem credibile eſt, nihil magni ſine ſocero agere ſolitum.

CVIII. Si Auguſtino *Tractat. CXIII. in Johan.* fidem habemus, Annæ domus in via fuit, ut prætereunda foret euntibus ad Cajapham.

CIX. Veriſimile eſt milites & ceteros qui CHRISTVM comprehenderunt, oculos ſenis voluiſſe paſcere ejus ſpectaculo, quem in triumphum ducerent. Fortasſis etiam in hujus ædibus tantiſper voluerunt ſubſiſtere, donec reliqua multitudo intempeſta nocte ne oriretur major tumultus dilaberetur; Senatus item atque Sacerdotes apud Pontificem Cajapham cogerentur.

CX. Quidam hoc ex ſolenni more credunt factum, ut ad eum qui ſecundus foret a Pontifice ſummo, hocque ple-

Digitized by Google

plerumque doctior, res deferretur componenda aut dijudicanda; cum ſæpe Pontifex eruditione parum a vulgo diſtans ineptus eſſet tantis negotiis efficiendis: quare ad Annam primum ſit deductus CHRISTVS, ut ejus conſilio ductuque regeretur Cajaphas, qui & ſocer erat Cajaphæ & Sagan ſacerdotum, grandævior, atque ita majori experientia & peritia in legibus ac ritibus præditus.

CXI. In domo Annæ multa JESVS creditur perpeſſus, quæ ab Evangeliſtis narrantur. Sed cuncta illa ad Cajaphæ domum pertinere patebit Johannem cum tribus Evangeliſtis conferenti.

CXII. Cauſa hujus opinionis hæc eſt, quod Johannes, ex quo CHRISTVM in domum Annæ deductum eſſe ſcripſerat, cap. XIIX. v. 13. examen de doctrina & de diſcipulis ejus, ut & Petri abnegationem recenſeat, ac deinde *verſu 24.* ſubjungat: ἀπέστειλεν αὐτὸν ὁ Ἄννας δεδεμένον πρὸς Καϊάφαν: *Miſit ipſum Annas vinctum ad Cajapham.*

CXIII. Quare veterum nonnulli, quos inter eſt Euthymius, difficultates ex hac narrationum diverſitate emergentes ſolvere conati ſunt hac obſervatione, quod amborum Pontificum una eſſet domus, unumque atrium, habens in ſe duo habitacula a ſe invicem ſeparata.

CXIV. Optime meo judicio hunc nodum explicant, qui aoriſtum ἀπέστειλεν pro plusquamperfecto poſitum arbitrantur, ut ſit ἐξηγητικὴ παρένθεσις diſertam efficiens expoſitionem.

CXV. Non deſunt tamen, qui hanc elabendi viam nolint, ſervantes præteritum: quibus adſtipulatur Syrus Interpres, qui dum ſimpliciter שדר *(Schadar)* reddit, plusquamperfecti ſignificationem reſpuat, cum dice-

re

Digitized by Google

re debuiſſet שדר חויא *(Schadar-ivo) miſerat.* Sed hic non quæritur, quid Interpretes velint, ſed quid ipſe textus.

CXVI. Cur autem hoc quod ante ſuo loco omiſerat, hic inſerit Johannes? Reſpondet Grotius: *Hoc ita demum intelligemus, ſi accentum, ἐμφάσεως indicem, poſuerimus non in voce ἀπέστειλεν, ſed in voce δεδεμένον. Narraturus enim Johannes ſecundum Petri lapſum, cauſam præmittit; quod Petrus jam JESVM viderit manere vinctum, quod Johannes obiter notat factum fuiſſe ipſius Annæ juſſu, gravi in reum præjudicio, cum ante id tempus ſatellitum impudentiæ id potuiſſet adſcribi: Hoc igitur Petro omnem ſpem æquæ cognitionis ademit.*

CXVII. B. tamen Lutherus, Eraſmus, Piſcator, Beza, aliique plures verſum hunc ex loco ſuo trajectum, & inter XIII. & XIV. reponendum cenſent. Et ſane textum illum jam olim ſic propoſuit Cyrillus *lib. II. in Johannem cap. XXXVIII.* niſi quod pro ſingulari, pluralem habeat, *miſerunt.*

CXIIX. Verum ſi in Johannis codicibus aliquid eſt peccatum a librario, hæc menda inter vetuſtiſſimas poni debet, quæ omnis generis libros invaſerit. Nam omnes antiqui Paraphraſtæ, omnes Interpretes, ſolo Cyrillo excepto, cum vulgatis codicibus faciunt.

CXIX. Ab Anna igitur JESVS deductus eſt ad domum Cajaphæ, quia is foret anni ejus Pontifex: inque hujus domo congregatum erat concilium ad conſultandum de CHRISTO capto.

CXX. Cur Cajaphas illius anni Pontifex dicatur, non minimam controvertendi anſam dedit. Auguſtinus cenſet, dignitatem Pontificiam uni ex jure tantum debitam, violatis jam ſub Romanis ſacris Ebræorum legibus,

Digitized by Google

gibus, ſive binis ſimul, ſive alternatim etiam eodem in anno donatam fuiſſe.

CXXI. At nullibi binorum Pontificum pari Jure ſimul utentium mentio exſtat: neque ævo illo, quo venalis fuit, & tam deſultoria dignitas bini pariter ſimul admiſſi leguntur: Imo in Talmud Jeruſchalmi Sanhedrin legitur: *Non præfici duos Pontifices ſummos ſimul.*

CXXII. Ex Veteribus Euſebius *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. I. cap. X.* & ex recentioribus Dionyſius Petavius *de Doctrina Temporum* lib. X. cap. LVI. volunt annuam fuiſſe functionem, & anno exacto ad alterum tranſiiſſe.

CXXIII. Ceterum iſte mos, ſi unquam obtinuit, certo CHRISTI ætate nondum creditur fuiſſe introductus.

CXXIV. Carolus Sigonius *lib. V. De Republ. Ebræorum cap. II.* ſtatuit, Annam apud Lucam dici ſummum ſacerdotem, vel quod illo nomine etiam, qui eam dignitatem antea geſſerant exauctorati ſolebant uti; aut quia ſacerdotalis alicujus ſtationis princeps erat. Et ſane Ex-Pontificem Pontificio titulo honoratum conſtat ex Joſepho.

CXXV. Joſephus Scaliger *in Prolegomenis ad Euſebium*, Iſaacus Caſaubonus *Exercitat. XIII. Sect. IV.* & Conſtantinus L. Empereur *ad titulum Codicis Talmudici Middoth* exiſtimant Annam fuiſſe Pontificem ſecundarium, Cajaphæ Vicarium, ideoque Pontificis ſimul cum Pontifice primario nomine deſignatum: aliique exiſtimant Annam fuiſſe, ſic dictum סגן הכהנים *Segan i. e. antiſtitem ſeu Principem Sacerdotum*, qualis in ipſa Scriptura vocetur Sacerdos ſecundus: ut II. Reg. XXV. 18 & XXIII. 4. teſte Thargum, ubi utrobique habetur סגן כהניא. Nihil igitur putant impedire, quin cum Sagan Sacerdotum

vocetur Annas, idem ἀρχιερεὺς etiam dici queat, cum hæc vox latius pateat. Hos videmus vocem ἀρχιερέως dupliciter accipere, tum ſtricte pro Pontifice ipſo, tum latius, ut eum comprehendat, qui alio reſpectu Sacerdotum ſit Princeps.

CXXVI. Sagan ille ſacerdotum communiter vocari ſolet Pontificis Vicarius vel Vice-Pontifex, quod ſcilicet ſummo Sacerdoti ſocius is fuerit datus, ut ſi per morbum aut aliam cauſam ſonticam ille non poſſet ea obire munera, quæ ſolius eſſent Summi Pontificis, Vicarius eam neceſſitatem expleret.

CXXVII. Ex Joma id probare ſatagunt, ubi ſic habetur: *Subſtituunt ei Sacerdotem alium ipſius loco, ſi forte in ipſo caſu quoddam vitium inveniretur.* Sed hoc nominis recte illi Sagan Sacerdotum tribui, non perſuadebit locus citatus. Nam cum is qui ſubſtitui ibidem dicitur Pontifici, non niſi per breviſſimum temporis ſpatium ſolis veſperis diei Expiationis eligeretur, סגן ille הכהנים erat continui officii nomen; ut adeo diſtincti hi ipſi fuerint, nempe Deputatus ille (ut ſic loquar) & Sagan Sacerdotum. Deinde hic ipſe officio fungebatur diſtincto a ſummi Pontificis negotiis: ordinarie quippe curavit res templi & miniſterii; aſſidueque his incubuit: unde ממונה *Memünne* Præfectus templi, adeoque Ἀρχιερεὺς dictus non quod dependeret a Pontifice, ſed quod per ſe primatum teneret inter Sacerdotes.

CXXIIX. At enim hæc nondum ſolvunt nodum. Oſtendunt quidem cur Annas Pontifex dicatur; non vero cur Cajaphas hujus anni ſalutetur Pontifex.

CXXIX. Quamobrem vocem *anni* laxius pro *tempore* poni arbitramur, eoque ſimul deſignari illius tempe-

ſtatis

ſtatis abuſum, quo ſibi ſuccederent Pontifices ex levitate quadam deſultoria: quippe cum hæc ſuprema & ſacrata dignitas venalis eſſet. Eleganter Hieronymus *lib. III. in Ezech. cap. XI.* Pontificatu *perdito Judæorum Dominus patitur, nequaquam ſub uno Principe, ſed ſub duobus, Anna, & Caypha: ut religionis eorum ſciſſum monſtraret errorem.*

CXXX. Finiemus hoc caput verbis ex libro Joma deſumtis: *In templo ſecundo, quod ſtetit tamen CCCCXX. annis, miniſtrarunt plures, quam trecenti Pontifices. De his CCCCXX. annis deme XL. annos, quibus miniſtravit Jochanan, & X. quibus Iſmael ben Phabi, & ut dicitur II. quibus Eleazar ben Hargom, & tum computa, & quisquam Pontifex non complevit annum ſuum.*

CAP. VI.

De CHRISTI deductione ad Cajapham Pontificem: de examine de doctrina ac diſcipulis: de falſis teſtibus contra CHRISTVM productis: de crimine blaſphemiæ ipſi intentato: de laceratis veſtibus Pontificis: de illuſione CHRISTI per ſputa, colaphos, alapas, velationem vultus, convicia. Annexum his de trina Petri abnegatione, & poſt gallicinium ac CHRISTI adſpectum pœnitentia.

I.

CHRISTVS ad Cajaphæ domum tractus ubi omnes Pontifices, Seniores & Scribæ convenerant, primo falſo accuſatur: tum impie damnatur; hinc fœde reliqua nocte illuditur.

Digitized by Google

II. Ad hunc ſupremum Senatum ſive Synedrium pertrahebatur JESVS quod ad hoc forum ſpectarent quæ intentabantur violatæ religionis crimina.

III. Quod ad accuſationem, in ea, totoque judicio talia Càjaphas geſſit, quæ non judici, ſed inimico convenirent. Neque id mirum: quando ex Joſepho eſt cognoſcere, hominem fuiſſe avarum, planeque perditum.

IV. Talis cum foret, ſic omnia componebat, ut videretur CHRISTVS merito inſimulari tum falſæ doctrinæ, tum ſeditionis, regnique affectati.

V. Primo autem CHRISTVS *rogatus de doctrina, ac diſcipulis ſuis:* forte, quales eſſent; unde eos nactus, & quem in uſum collegiſſet; quidque illos docuiſſet. Qua inquiſitione non obſcure teſtabantur, eum pro ſchiſmatico & impoſtore habendum eſſe, qui & falſam doctrinam diſſeminarit, & diſcipulos privato auſu colligendo Eccleſiæ unitatem ſciderit, vel etiam novas res molitus fuerit.

Joh. XIIX. v. 19.

VI. CHRISTVS vero intelligens eum non æqui judicis animo percontari, quo verum cognoſceret; ſed fraudulenter venari, quod criminaretur, libere reſpondit: non ſe interrogandum de doctrina. *Ego,* inquit, *palam locutus ſum mundo,* non fuit doctrina mea clancularia. *Ego ſemper docui, in Synagoga & in templo,* loco urbis celeberrimo, quo ex omnibus Syriæ partibus *undique Judæi conveniunt. Nihil in occulto locutus ſum,* quod idem non palam docere ſim auſus.

Joh. XIIX. v. 20.

VII. Non itaque contrariatur hoc reſponſum effato CHRISTI apud Matthæum cap. X. v. 27. Quod dico *vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aurem auditis, prædicate ſuper domos:* neque adverſatur aliis Evange-

Digitized by Google

angeliſtarum teſtimoniis, quæ oſtendunt ſeparatim interdum Diſcipulos ſuos CHRISTVM informaſſe.

VIII. Nam directe hoc loco CHRISTVS reſpondet ad quæſitum Pontificis de doctrina, quo ille non volebat recenſeri, quid CHRISTVS remotis ceteris arbitris diſcipulos docuerit, ſed quæ & qualis eſſet doctrina: quæ ſane fuerat publica, ſicut docendi munus erat publicum. Nam quod ſigillatim & ſpeciatim quandoque erudiverit Apoſtolos, id ad publicum munus exſerte non ſpectabat: & tamen in privatis illis diatribis CHRISTVS nihil diſcipulos docuerat, cujus non publice, ſi voluiſſet, reddere potuiſſet rationem. Imo vero quia volebat illa publice prædicari ab Apoſtolis non erant ea nefaria, quod ſuſpicari potuiſſent hoſtes; nec traditiones non ſcriptæ, quas comminiſcuntur Pontificii.

IX. Addit: CHRISTVS *non tam ſe interrogandum, quem reum putent, ac cui pro ſe loquente non haberetur fides: ſed interrogandos alios, qui ſe audiſſent publice docentem.* *Joh. XIIX. v. 21.*

X. De diſcipulis reticuit; quia ex doctrina penderet illa quæſtio, eosdemque adhuc in tuto eſſe vellet.

XI. Hæc cum dixiſſet CHRISTVS, quidam miniſtrorum Pontificis, qui forte proximus adſtabat, volens tueri dignitatem ſui domini adverſus παῤῥησίαν JESV, non expectato juſſu Pontificis alapam impingit in faciem JESV, convicio addito: *Siccine tu reſpondes Pontifici?* Xaverius in Hiſtoria CHRISTI Perſica auget paſſionem CHRISTI, ſed fortaſſis mendacio, quando tam valide impactam ait alapam, ut ſanguis e naſo effluxerit. *Joh. XVIII. v. 22.*

XII. Alapa cæſus impio ſervulo indignitatem faci-

v. 23 noris merito objicit hoc dilemmate: *Si male locutus ſum, teſtare de malo: Si bene, cur me cadis.*

XIII. Quid ſi vero quis objiciat, hæc non convenire cum verbis CHRISTI apud Matthæum cap. V. v. 39. *Dico vobis: Ne reſiſtatis malo: ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam tuam dextram, præbe illi & alteram?*

XIV. Illi reſpondetur: nequaquam CHRISTVM præcepto ſuo quidquam egiſſe contrarium; ſed potius veram illius dicti explicationem facto ſuo præbuiſſe. Patientiam CHRISTVS requirit, & privatam vindictam prohibet: Jam vero CHRISTVS nihil hoc reſponſo prodidit, quod animum impatientem & vindictæ cupidum argueret. Potuiſſet utique præſtare manus ſervuli ut obrigeret extemplo, imo vel terræ hiatu abſorberetur homo, aut alio quodam horrendæ mortis genere extingueretur: ſed maluit patientiam ſuam demonſtrare, & non tantum alteram duntaxat maxillam percutiendam, ſed etiam totum corpus crucifigendum hoſtibus offerre.

XV. Bene in hunc ſenſum Auguſtinus Tractat CXIII. in Johannem: *Dominus noſter & manſuete reſpondit, & non ſolum maxillam alteram percuſſuro, ſed totum corpus figendum in ligno præparavit, & hinc demonſtravit ſua magna illa præcepta patientiæ non oſtentatione corporis, ſed cordis præparatione implenda.*

Matth. XXVI. v. 59. XVI. Interim qui inter Sacerdotes primum dignitatis locum tenebant, cumque his reliquum concilium id omnibus agebant modis, ut falſa teſtimonia conquirerent adverſus JESVM, quo eum ad mortem adigerent.

v. 60. XVII. Non inventum autem eſt ullum ſatis idoneum. Jamque multi prodierant, qui teſtimonia dederant adverſus JESVM, ſed adeo frivola, adeo inæqualia, male-

Digitized by Google

que cohærentia, ut nec iniquiſſimis illis judicibus viderentur ſufficere ad condemnandum ipſum.

XVIII. Poſtquam igitur diu multumque fruſtra quæſita fuiſſent falſa teſtimonia, tandem duo ſunt exorti falſi teſtes qui aliquid afferrent contra JESVM, dicentes: *Nos audivimus eum dicentem: Ego poſſum & volo deſtruere templum hoc Dei manu factum: ac poſt triduum aliud exſtruam non factum manu.* *Matth. XXVI. v. 60. Marc. XIV. v. 58.*

XIX. Hanc volebant videri blaſphemiam in Templum Domini. Et occaſio ejus ſumta eſt ex verbis Domini, qui in primo Paſchate, quo ceperat docere, requiſitus, quo ſigno oſtenderet, ſe divina id auctoritate facere, reſpondit: *Solvite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud:* ſignificans nimirum, fore quidem ut occideretur, ſed intra triduum reſurrecturum. Vnde etiam diſerte Johannes addit, *de templo ſui corporis locutum fuiſſe.* *Johan. II. v. 19.*

XX. Ea verba male intellecta depravabant etiam teſtes, quo res eſſet odioſa magis: Non enim dixerat: *Poſſum deſtruere:* vel, *Volo deſtruere:* ſed: *Solvite vos.* Nec dixerat: *Readificabo:* ſed: *Suſcitabo:* alludens ad corpus inanime, quod eſſet revicturum.

XXI. Nec horum ergo teſtimonium, quamquam haberet quandam veri ſpeciem, viſum eſt ſic ſatis idoneum. Cui enim damno foret, ſi templum disjectum inſtauraret?

XXII. Cum hac via non ſuccederet, aliam inſiſtebat Cajaphas. Nempe antea ſedebat, ut ſolent judices: nunc ſingulare aliquid acturus, in medio conſilii ſurgit. *Matth. XXVI. v. 62. Marc. XIV. v. 60.*

XXIII. Cœpit autem appellare JESVM. *Audisne quæ tibi objiciuntur crimina? Nihil habes, quod ad iſta reſpondeas?*

XXIV.

Digitized by Google

XXIV Sed JESVS obticuit, neque reſpondit quicquam. Quid enim attinebat reſpondere ad ea, quæ ipſi judicarant frivola: maxime, cum ſciret, quicquid dicturus eſſet, raptum iri in ſiniſteriorem partem?

XXV. Vt igitur reſponſum extorqueret Pontifex, CHRISTVM interrogat cum adjuratione: quam judices interdum adhibebant, ut aut teſtimonium teſtibus, aut confeſſionem reis exprimerent. *Adjuro*, inquit, *te per Deum vivum, ut dicas nobis, an tu ſis CHRISTVS ille, filius Dei ſemper laudandi.*

Matth. XXVI. v. 63. Marc. XIV. v. 61.

XXVI. Senſus horum verborum iſte fuit: *Obteſtor te per glorioſum & benedictum nomen Dei, ut veritatem proferas. Quam chara tibi eſt Dei gratia; quam veneranda & auguſta Dei majeſtas, tam cura cordique tibi eſſe debet, ut veritatem nobis aperte profitearis: ac Deum invoco, ut ſit teſtis ac judex, qui te ſevere puniat mentientem.*

XXVII. Erat hoc captioſum Pontificis problema. Si negaſſet, ſe Dei Filium, objecturus erat: Cur ergo tibi illud antea arrogaſti? Cur antehac diſcipulos hoc de te profitentes collaudaſti? Sin affirmaſſet; calumniaturus erat blaſphemiam eſſe. Si obticuiſſet adjuratus; viſus fuiſſet & contemnere Deum, cujus nomen invocarat Pontifex, & auctoritatem Pontificis.

XXIIX. Quamobrem JESVS, licet non ignoret reſponſum ſuum rejecturos, ne tamen veritati deeſſe videretur, perſpicue reſpondit: *Tu dixiſti.*

Matth. XXVI. v. 64.

XXIX. Auguſtinus *de conſenſu Evangeliſtarum lib. III. cap. I.* vult verba illa, *Tu dixiſti*, non continere expreſſam affirmationem; ſed ſic accipienda: *Non ego dico, ſed tu ais.*

XXX.

XXX. At quia apud Marcum ea ſic exponuntur: *Ego ſum,* ipſeque Pontifex pro aperta & expreſſa habet affirmatione, ideo aſſentientis eſſe reſponſum, & quæſtionem confirmantis certum eſt.

XXXI. Nempe CHRISTVS *καρδιογνώστης* perſpexit, illos, a quibus interrogabatur, fuiſſe de rei veritate certos, quam ficta interrogatione ſimulabant ſe neſcire. Itaque reſpiciens ad teſtimonium intus eos accuſantis & damnantis conſcientiæ, tum etiam ad uſum loquendi communem, qui fert ut interrogationes ſæpe vim affirmandi habeant, recte, vere, & appoſite reſpondit Cajaphæ: *Tu dixiſti.*

XXXII. Atque hoc ſuum reſponſum CHRISTVS confirmat vaticinio de ſeſſione Filii Hominis ad dexteram Dei. *Vtcunque,* inquiens, *nunc humilis & reus tribu-* *Matth. XXVI. v. 64.*
nali adſiſteret, fore nihilominus, ut ſuo tempore, imo paulo *Marc. XIV.*
poſt conſpicerent ſedentem ad dextram Dei, gloriæ & poten- *v. 62.*
tiæ divinæ conſortem: ut in nubibus etiam venientem viſuri ſint ad omnes judicandos.

XXXIII. Tum Pontifex, qui ad dicendam veritatem *Matth.*
CHRISTVM adegerat, quamquam in ſinu gauderet, *XXVI. v. 65.*
quod factus ſic eſſet voti compos; nihilominus ut præ- *Marc. XIV.*
ſentem confeſſum odio in Servatorem inflammaret, *v. 63.*
ſciſſione veſtimenti dolorem ſimulat, vel potius indignationem ſuam oſtendit, & ſimul in has voces erumpit: *Ecce, nunc audiſtis blaſphemiam. Quid opus amplius habemus teſtibus?*

XXXIV. Hieronymus: *Conſuetudinis Judaicæ eſt, cum aliquid blaſphemiæ, & quaſi contra Deum audiverint, ſcindere veſtimenta ſua.* Theophylactus: Ἦν ἔθος ἰουδαίοις ὅταν τι χαλεπὸν ἢ φρικτὸν ἐπέλθοι, διαῤῥήσσειν τοὺς χιτῶνας.

Mos erat Judaeis, quando aliquid triſte vel horrendum eveniret, lacerare tunicas. Exempla ob blaſphemiam ruptorum veſtimentorum vide Numeror. XIV. v. 6. II. Reg. XIX. v. 1. Actor. XIV. v. 14. Maimonides in Avodah Zarah cap. II. *Cum eloquuntur teſtes, qualem blaſphemiam audierunt, tenetur unusquisque blaſphemiam audiens veſtimenta ſcindere.* Sanhedrin cap. VII. halac. X. *Judicantes blaſphemantem interrogant primum teſtem, & dicunt, & loquere plane, quid audiviſti: cumque ille effatur, Judices pedibus ſtantes ſcindunt veſtimenta ſua, & non reſuunt.*

XXXV. Hoc ipſo ritu forte indicare voluerunt blaſphemum ipſum lacerandum eſſe, non aliter ac veſtimenta ſua.

XXXVI. Mos utique debito tempore obſervatus in laude meretur poni. Hinc Gerſon ſcribit: *In eo fuit ſanctior conſuetudo Judaeorum, quam quae eſt inter nos Chriſtianos. Illi audientes blaſphemias, ſcindebant veſtimenta: nos quotidie audimus blaſphemias undique, & omnibus modis; non ponendo ullum remedium, vel ſaltem non exequendo data remedia.*

XXXVII. Commune alias magni luctus illud erat indicium: ut in funeribus charisſimorum. Ex. gr. Joſephi a Jacobo factum. Geneſ. XXXVII. *v. 29. 40.* Filiorum ſimul plurium a Jobo: *cap. I. v. 20.* chariſſimi Jonathanis a Davide *II. Sam. I. v. 11.* Ducis bellici Abneri ab eodem Davide *cap. III. v. 31.* & denuo cum putaret ab Abſolomo omnes occiſos eſſe liberos regios *cap. XIII. v. 31.* Item propter iniquitates proprias indigniſſime adverſus Deum admiſſas, ejusdemque minas ac vindictam promeritas: *I. Reg. XXI. v. 27. II. Reg. XXII. v. 11. & 19. Jerem. XXXVI. v. 24.* Sive propter infortunium ingens, ſive noſtrum,

noſtrum, ſive noſtratium. Vt, cum fratres Joſephi ſervitutem metuunt perpetuam. *Geneſ. XLIV. v. 13.* cum amici Jobum extreme conſpiciunt miſerum: *Jobi II. v. 12.* cum Mardochæus paratam ſibi ſuæque genti videt ſtragem: *Eſther. IV. v. 1.* & in aliis caſibus ejusmodi pluribus. Et vide quæ in hanc rem affert Martinus Geierus eleganti libro de *Luctu Ebræorum.*

XXXIIX. Neque Judæorum tantum illa fuit conſuetudo, ſed omnibus fere priſcis populis communis. Id quod dilucide oſtendunt Barnabas Briſſonius *de Regno Perſarum lib. II.* Caſpar Barthius *Animadverſionibus ad Claudian. lib. I. in Ruffinum:* item *Commentarior. ad Papinium Statium tom. I. pag. 188. 189. & tom. II. pag. 194. 195. 196.* Johannes Kirchmannus *de Funeribus Romanorum lib. II. cap. XVII.* Petrus Faber *lib. II. Semeſtrium cap. X.* Titus Popma *Notis ad Curtium lib. X.* Joh. Michaël Dilherrus *Dialogo I. Philologico.* Matthias Berneggerus *ad Suetonii Cæſarem cap. XXXIII.* Ludovicus de la Cerda *ad Virgilii lib. XII. Æneid.*

XXXIX. Plerumque autem Judæi exterius ſcindebant veſtimentum. Victor Antiochenus in cap. XIV. Marci: *Ipſi ſunt accuſatores, ipſi Judices, ipſi, ut paucis dicam, ſunt omnia. Siquidem Pontifex tunicula diſruptione omnes permoverat, & in ſuam ſententiam traxerat. Judæi enim, ſi quid forte aliquam blaſphemiæ ſpeciem præſeferre videbatur, audiviſſent, more recepto extimam ſtatim tunicam lacerabant.*

XL. Sane Cajaphas rumpit τὰ ἱμάτια, hoc eſt, *veſtimenta externa* Matth. XXVI. v. 65. Et quamquam Marcus meminerit τῶν χιτώνων *c. XIV. v. 63.* hoc eſt *tunicæ interioris:* attamen conciliari poterunt, quod propter in-

Digitized by Google

dignitatis vehementiam plane ſingularem utraque veſtium ſanctiſſimas tanti zelotæ manus fuerit experta.

XLI. Non probamus Cajetani ſententiam in *Marci cap. XIV.* ſcribentis: *Veſtium ſciſſionem fuiſſe ſaltim pectoris denudationem ſine ulla ruptura veſtimentorum.*

XLII. Diſrumpebatur enim veſtis, ſive exterior, ſive interior, ſive utraque, prout ferebat occaſio, vel animi perturbati fervor, ruptura ſatis longa & notabili.

XLIII. Ceterum quæritur, an etiam Pontifici per legem licuerit ex more avito veſtimenta diſcindere. Baronius ad annum XXXIV. *num LXXIII.* id negat, fretus *Levitici cap. X. v. 6.* & *cap. XXI. v. 10.*

XLIV. Sed primus a Baronio allatus locus ad rem, nihil facit. Nam illud Dei præceptum ulterius non extendebatur, quam ad illam actionem. Quod ad alterum attinet, omnes Ebræorum Interpretes non abſolute, ſed in luctu propter mortuum prohibitam eſſe veſtimentorum lacerationem volunt. Imo *ex I. Maccabæor. XI. v. 71.* redargui poteſt Baronius, ubi Jonathan Pontifex Maximus poſt cladem acceptam narratur, *διαῤῥήξαι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ.*

XLV. Johannes Seldenus *lib. II. de Jure Naturæ & Gentium cap. XII.* & *lib. III. de Synedriis* merito reſtringit hanc lacerationem ad Pontificis veſtimenta vulgaria. Nam veſtes ſacerdotales non licuit uſurpare extra locum tempuſque ſacrum: imo extra templum uſi ſunt ſacerdotes veſtibus a ſecularium aliorum habitu haut diſcrepantibus.

XLVI. Belle Hilarius *in Matthæum canon. XXXI. Veſtem ſibi diſcidit Pontifex, quo contegebatur velamentum legis abrumpens.* Elegans quoque eſt Eucherii Lugdunenſis obſervatio, *in Ramis Palmarum* quam & Theophy-

lactus

Digitized by Google

lactus Commentar. in Marcum inſinuat: *Veſtimenta ſua ſcindit Princeps Sacerdotum, ſeipſum maximam & principalem eſſe cauſam ſignificans, cur Judæorum ſacerdotium ſcindatur & deſtruatur.* Hieronymi etiam verba adſcribemus: *Quem de ſolio ſacerdotali furor excuſſerat, eundem rabies adſcindendas veſtes provocat: ut oſtendat Judæos ſacerdotii gloriam perdidiſſe & vacuam ſedem habere Pontifices.*

XLVII. Cajaphas autem ad Aſſeſſores converſus ſuffragia colligit ſententiamque conceptis verbis rogat τί ὑμῖν δοκεῖ; *Quid vobis videtur?* Illi tum uno omnes ore concordibus votis morte plectendum judicarunt. Ἔνοχος θανάτου ἐστί. *Reus eſt mortis.* *Matth. XXVI. v. 65.*

XLIIX. Licet enim Judæi capitalia ſupplicia non amplius haberent, ita ut decretoriam ſententiam ferre haut potuerint, ex veteri tamen formula loquebantur, ut is, qui eſſet blaſphemus, haberetur ſacer, & capitali ſupplicio dignus. Soliti namque fuerunt blaſphemos lapidibus obruere: videlicet ex lege *Levitici XXIV. v. 16.*

XLIX. Non deſunt tamen, qui hæc non de privata opinione, ſed de vero jure pronunciandi ſententiam cum effectu, accipienda putant: præſertim quod Marcus c. XIV. 64. paulo diſtinctius referat: Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου. *Omnes condemnaverunt eum eſſe reum mortis.* Non igitur animo tantum & voto, ſed ſolenni validaque judicum damnatione Servatori mortem irrogatam credunt.

L. Poſtquam a Patribus Synedrii reus judicatus eſt JESVS quadrifariam ei illuſere.

LI. Prima illuſio erat, quod ut ait Matthæus ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, *Conſpuere in faciem ejus.* *v. 67.*

Digitized by Google

LII. Erat hæc ſane contumelia ingens. Itaque & ſi quis nollet ducere viduam fratris ſui ſine liberis defuncti; jubebatur hæc, ut eſt *Deuteron. XXV.* ſpuere in ejus faciem, & dicere: *Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Sic Jobus queritur cap. XXX. v. 10. *Faciem meam non verentur conſpuere.*

LIII. Nec id apud Judæos modo, ſed & apud alias quoque gentes. Plutarchus de Phocione ad mortem ducto: Σιωπῇ βαδίζοντι τῶν ἐχθρῶν τις ἐνέπτυσεν εἰς πρόσωπον. *In ſilentio ambulanti quidam inimicorum inſpuit in faciem.* Et in Apophthegmat. *Poſt Antipatri mortem cum Athenienſes Democratiam renovaſſent, Phocion cum amicis morti fuit adjudicatus. Alii igitur flentes quidem ducebantur, Phocioni vero, qui cum ſilentio procedebat, quidam ex inimicis obviam factus in os exſpuit. Tunc ipſe ad Magiſtratus reſpiciens, non aliquis iſtum, ait, indecore ſe gerentem coercebit?* De Ariſtide id recenſet Seneca Conſolat. ad Helviam cap. XIII. *Ducebatur Athenis ad ſupplicium Ariſtides: cui quisquis occurrebat, dejiciebat oculos, & ingemiſcebat, non, tanquam in hominem juſtum, ſed tanquam in ipſam juſtitiam animadverteretur. Inventus eſt tamen, qui in faciem ejus inſpueret. Poterat ob hoc moleſte ferre, quod ſciebat neminem id auſurum puri oris. At ille abſterſit faciem, & ſubridens ait, comitanti ſe magiſtratui: Admone iſtum, ne poſtea tam improbe oſcitet.* Idem libro de Conſtantia Sapientis cap. I. de Catone: *Nuper cum incidiſſet mentio M. Catonis, indigne ferebas (ſicut es iniquitatis impatiens) quod Catonem ætas ſua parum intellexiſſet, quod ſupra Pompejos & Cæſarem ſurgentem intra Vatinios poſuiſſet: & tibi indignum videbatur, quod illi diſſuaſuro legem, toga in foro eſſet erepta, quodque a Roſtris*

usque

uſque ad arcum Fabianum, per ſeditioſæ factionis manus tractus voces improbas, & ſputa *&* *omnes alias inſanæ multitudinis contumelias pertuliſſet.* Petronius: *Convocat omnes quaſillarias, familiæque ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet. Oppono ergo manus oculis meis, nullisque precibus effuſis, quia ſciebam quid meruiſſem, verberibus* ſputisque *extra januam ejectus ſum.* Sic apud Corcetas gentem moris fuit, ut inſpuerentur, qui deliquerant, ignominiæ ſuppliciique cauſa. Nicolaus Damaſcenus: Ἐὰν δέ τις κυβερνῶν σκάφος διαμάρτῃ, προσιόντες ἐφεξῆς ἕκαστοι ἐμπτύουσι αὐτῷ. Et in antiquis Monaſteriorum Regulis hæc pœna frequentabatur, ut in *Norma Fructuoſi*, quam edidit Henricus Caniſius: *Monachus qui oſculo turpi deprehenſus fuerit inhiare, publice verberetur: Coronam capitis, quam geſtat, amittat: decalvatusque turpiter, opprobrium pateat, oblinitusque omnium ſputamentis in facie, probra ſuſtineat.* Sic *ſputis hominum exponi* dicitur, ultimis contumeliis traditus. Olbertus vita Henrici IV. *Miſſis Imperator poſt eum legatis, tam lacrumis quam mandatis revocavit, obteſtans eum, ne ſenem Patrem contriſtaret: imo ne Patrem omnium offenderet, ne ſe ſputis hominum exponeret, ne ſe fabulam mundi faceret.* Sputa & alapas conjungit Gvilhelmus Tyrius Hiſtor. lib. I. cap. X. *Quibus, ſolito precio, urbem dabatur ingredi, hi majorem civibus ingerebant ſollicitudinem, timentibus ne forte deambulantes incaute, tanquam loca ſancta viſere volentes, ſputis & alapis afficerentur.* Et ſupra cap. VI. *Sputa & colaphos. Non ceſſabant apud eundem populum fidelem frequentes injuriæ, & angariarum nova genera, ſputa, colaphi, vincula, carceres.*

LIV.

LIV. Religioni olim ducebatur in templis ac locis ſacris deſpuere. Arrianus certe in Epictetum l. IV. c. XI. πτύσαι ὐ νενόμισται, ὐδὲ ἀπομύξασθαι. *Exſcreare non licet, neque emungere.* Et Chriſtianis quoque idem obſervatum, quibus non integrum erat καταπτυσθῆναι θεῖον ἔδαφος, *Exſpuere in divinum pavimentum.* Eandemque religionem in matre ſua Nonna commendat Nazianzenus. Sed quid ſanctius ipſa Dei Hominis JESV CHRISTI facie, quam tamen impuriſſimis ſputis non verecundabantur deturpare homines impuri oris, impurioris mentis?

LV. Mirifice locum hunc de ſputis, quibus ſanctiſſima CHRISTI facies conſpurcata fuit, illuſtrat Gerardus a Reneſſe ad Codicem LL. Hebræarum, quæ etſi pluſcula ſunt, non pigebit tamen huc tranſcribere, nec pœnitebit quemquam legere: *In faciem conſpuere a quibusdam accipi video, ac ſi non realem actum conſpuendi inferat, ſed ſaltem ſit modus loquendi, quo gravis aliqua contumelia, ignominia & contemtus ſignificetur, ut ſi quis ſputum conjiciat in alterius faciem graviter eum contemnat: ita gravis contemtus deſignetur, ſi quis dicat: conſpuam in faciem ejus? quaſi dicat: tam levem eum habeo, ac ſi faciem ejus ſputo conſpurcem: tam graviter eum contemnam, tam ignominioſe eum tractabo, velut ſi in faciem ipſius inſpuam. Et in eo ſenſu formulam accipiunt quidam Græci Interpretes, qui in quibusdam locis deprehendunt ἐμπτύειν & ſimplex πτύειν idem eſſe quod contemnere, deſpicere, ignominioſe aliquem habere, pro leviſſimo reputare & judicare, etiamſi realis actus inſpuendi in faciem alterius non ſubſequatur. Interea, etſi eam ſententiam mihi non ſumo impugnandam, nemo tamen qui ſacræ ſcripturæ peritus eſt, negabit, conſpuitionem faciei reale fuiſſe ignominiæ genus.*

Vnde

Digitized by Google

Unde etiam ſcribit R. Jarchas; Faciem conſpuere fuit inter civiles contemtus maximus: & non poteſt quis magis injuriari, quam ſi facies ejus conſpuatur. Cujus videtur ratio eſſe, quod facies ſit honoratisſimum membrum in toto homine, quam ſi alius ſputo maculet, maxime defœdare dicitur illum & conſequenter injurioſe iſtum hominem tractare. Et quod ſit honoratisſimum membrum Judæi non inficiantur, unde ipſi diligenter eam abluunt. Apponam hic Rabbinorum verba ad loc Geneſ. I. v. 27. Nobilis & politus artifex egregie a ſe fabrefactum poculam amico ſuo donat, cum ille poſtea artificem ad ſe venientem conſpicit, poculum probe lavat & abſtergit, ne artifex iraſcatur, ſi opus ſuum ſqualidum & ſordidum jacere conſpexerit: ita etiam oportet Judæum ſingulis matutinis ſcholam petere, & ſe coram Deo creatore ſuo ſiſtere, illi ſupplicare, illum colere, & per conſequens faciem ſuam ſimul cum ore pure abluere, ne omnium artificum artifex ſi creaturam ſuam inquinatam conſpexerit, iraſcatur. Quod ſi igitur tam honoratum apud Hebræos membrum fuerit facies, certe non potuit gravius dedecus inferri homini, quam ſi facies ipſius fuerit conſputa. Et ſic exiſtimo grandem ignominiam CHRISTO fuiſſe illatam, quod ſacra ipſius facies fœtido militum ſputo fuit ſordida facta: neque credo majorem injuriam in aula Pontificis CHRISTO fuiſſe factam, quam quod ſputum in ejus faciem fuerit conjectum. Vide Dei iram; pulcherrimus inter homines impiorum ſordibus deturpatur: ſanctisſima facies execrandorum ſaliva ſordeſcit.

LVI. Alterum eſt, quod colaphis & alapis faciem ejus cæciderunt. Matthæus καὶ ἐκολάφισαν αὐτὸν, οἱ δὲ ἐῤῥάπισαν. Marcus: καὶ οἱ ὑπηρέται ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον. *Matth. XXVI. v. 67. Marc. XIV. v. 15.*

LVII. De Colaphis dubium non eſt, at de Alapis.

Nam quia Ῥαπὶς deſignat *baculum*, ideo ῥαπίζειν nonnulli verterunt *bacillis cædere:* ut Theodorus Beza.

LVIII. At enim non id ſignificare verbum illud clare liquet ex Matth V. v. 39. ubi jubemur, *ſi quis* ῥαπίσῃ *dextram maxillam, obvertere ei & alteram.* Nam conſuetudo non fert, ut maxillas feriamus bacillis.

LIX. Quamobrem ῥαπίζειν hoc loco nihil aliud eſt, quam palmis faciem cædere, quod eſt *alapas* alicui infringere: & ῥαπίσματα ſunt *alapæ.* Vnde Suidæ τὸ ῥαπίσαι eſt πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ τῇ χειρί: *plena manu malam ferire.* Hinc etiam Sedulius pro eo dixit *palmis cædere lib. V.*

Sacrilegas moviſſe manus non denique paſſim
Vel colaphis pulſare caput, vel cædere palmis,
Aut ſpuere in faciem plebs exſecranda quievit.
Ille tamen patiens ſubjecto corpore totum
Suſtinuit, noſtraque dedit ſua membra ſaluti.
Namque per hos colaphos caput eſt ſanabile noſtrum:
Hæc ſputa per Dominum noſtram lavere figuram:
His alapis nobis libertas maxima plauſit.

LX. Nullum mihi relinquitur dubium, quin ultimo hoc verſu Sedulius reſpiciat ad alapas, quæ olim manumittendis ſervis dabantur, & hoc ſigno in libertatem vindicabantur. De hoc ritu Iſidorus Originum lib. IX. cap. IV. *Manumiſſus dicitur, quaſi manu emiſſus. Apud veteres enim quando manu mittebant, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant.* Sic Tertullianus de ſpectaculis, *Alaparum contumelias* dixit, quibus utebantur in manumiſſione. Plura de hoc more obſervarunt Jacobus Cujacius *Obſervationum lib. V. cap. XIII,* & Conradus Rittershuſius *Lectionum ſacrarum lib. III. cap. X.*

LXI.

LXI. Vt igitur nos, qui æternum ſervituti Satanæ addicti eramus, ad libertatem Filiorum Dei reduceret æternus Dei Filius, alapas perferre non erubuit.

LXII. Hiſtrionicam item cum JESV CHRISTO, in in his alapis egerunt homines protervi fabulam. Hiſtriones enim ad riſum concitandum ſeſe alapis percuti patiebantur: ut ex Martiale, atque aliis conſtat: ac pertinet huc quoque illud Tertulliani lib. de Spectaculis cap. XXIII. *Placebit & ille, qui vultus ſuos novacula mutat, infidelis erga faciem ſuam, quam non contentus Saturno, & Iſidi, & Libero Patri proximam facere, inſuper contumeliis alaparum ſic objicit, quaſi de præcepto Domini ludat.* Et hoc Cypriani de Spectaculis: *Ictibus infelix facies locatur.*

LXIII. κολαφίζειν proprie eſt condylis digitorum, manuque in pugnum flexa alicujus faciem percutere. Hinc Theophylactus *in Matthæum* exponit κολαφίζειν διὰ τῶν χειρῶν πλήττειν συγκαμπτομένων τῶν δακτύλων. Confirmat hoc idem Terentius, qui Adelph. act. II. ſcen. I. cum dixiſſet: *Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuo in mala hæreat:* non multo poſt adjecit: *Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.*

LXIV, Non inelegans eſt B. Hieronymi obſervatio, quod CHRISTVS *colaphis illis ſuis, quibus in caput percuſſus eſt, caput humani generis, quod eſt Adam, ſanaverit; quodque alapis palmis inflictis ideo percuſſus ſit, ut manuum comploſione lætitiam teſtati grato corde & ore ei applauderemus.*

LXV. Tertium eſt, quod venerandam CHRISTI faciem velaverint. *Luc. XXII. 64.*

LXVI. Velabatur olim facies *ob ignominiam*, quan-

do pudibundi & mœrentes nec aliorum ſuſtinere poſſent intuitum, nec alios intueri ipſimet. Ita David *II. Samuel. XV. v. 30.* exul ac fugitivus incedit *tectus capite*, ac flens; quo cum paria facit populus nefarios auſus Abſolomi evaſurus. Sic Ezechiel Propheta repræſentare jubetur Regem in captivitatem abducendum adoperta facie cap. XII. v. 6. Confer. &ejusdem capitis v. 12.

LXVII. *Apud Perſarum Reges*, ut; auctor eſt Aben Eſra in Eſtheræ cap. VII. *moris erat, ut miniſtri regii obtegerent vultum iſtius, cui Rex ſuccenſebat, ne eundem Rex ulterius intueretur.* Atque hinc intelligendum eſt cur Hamanis faciem obvelaverint in conſpectu Ahaſveri Regis.

LXVIII. Proprie vero ad ignominiam ſpectabat, quando reis in foro Romano jam capitis damnatis, idem mox caput velabatur, prævia ſolenni formula: *I lictor, colligato manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Livius lib. I. *Duumviri cum condemnaſſent, tum alter ex his, P. Horati, tibi perduellionem indico, inquit, lictor colliga manus. Et mox: Hunccine, ajebat, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? Quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt: I caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici ſuſpende.* Hoc idem Cicero in Oratione pro C. Rabirio perdullionis reo comprobat. *Namque*, inquiens, *hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant, I lictor colliga manus, quæ non modo hujus libertatis manſuetudinisque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii,*

ſed

Digitized by Google

ſed Tarquinii ſuperbiſſimi Regis iſta ſunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis & popularis libentiſſime commemoras, Caput obnubito, infelici arbori ſuſpendito. Quæ verba, Quirites, jampridem in hac Republ. non ſolum tenebris vetuſtatis, verumetiam luce libertatis oppreſſa ſunt.

LXIX. Hæc igitur ſi quis perpendat, in illam devenire poſſet cogitationem, ac ſi faciem CHRISTI ad mortem a Synedrio condemnati obvelaſſent, ut lugentis præ ſe ferret habitum.

LXX. Verum aliam rationem inſinuant Evangeliſtæ, nempe illudere hoc ipſo voluiſſe CHRISTO, ut ludicrum Prophetiæ experimentum in eo facerent. Nam audiverant illi aliquoties, CHRISTVM a populo laudem retuliſſe Prophetæ. Igitur deſiderant, ut experimentum prophetiæ ſuæ exhibeat, ac velatis oculis divinet a quo colaphos ac alapas accepiſſet. *Vaticinare,* inquiunt, *quis eſt, qui percusſit te?* *Matth. XXVI. v. 67. 68. Luc. XXII. v. 64.*

LXXI. Quartum eſt, quod multas blaſphemias in CHRISTVM dixerint. Ita nimirum Lucas καὶ ἕτερα πολλὰ βλασφημοῦντες ἔλεγον εἰς αὐτόν. βλασφημεῖν vulgata ſignificatione denotat *divinam majeſtatem verbis & vocibus lædere:* unde recte dici poterit de his militibus, quod in CHRISTVM congeſſerint multa verba divinam ejus majeſtatem graviter lædentia, atque adeo blaſpemiæ crimen commiſerint. *v. 65.*

LXXII. Quia tamen milites, & ceteri miniſtri ignari erant divinitatis CHRISTI, utpote quem pro mero homine & Pſeudopropheta, ſicuti accuſatus, & proclamatus erat, habebant; βλασφημίαν malumus interpretari *convicia, aculeata dicta & dicteria acerba honeſtam famam lædentia,* quæ plenis buccis in CHRISTVM evomuerunt.

Etymologi namque βλασφημεῖν idem volunt eſſe ac βλάπτειν τὴν φήμην. Idem dicunt, qui cenſent derivari a βάλλω & φήμη, quaſi is, qui ſiniſtram de aliquo famam ſpargit, eo rumore, velut telo alium impetat. Euſtathius in Homeri Iliad. lib. II. Τυπτουσιν ἔπεσιν ὡς βέλεσι βάλλοντες· ὅ ταυτόν ἐστι τὸ βλάσφημον. βλάσφημος γάρ, ὁ βάλλων ταῖς φήμαις. In Gloſſis Cyrillo tributis βλάσφημος vertitur *maledicus*. Caſaubonus in Commentario ad Theophraſti Characteres cap. XIX. περὶ δυσχερείας notat βλασφημεῖν ſignificare interdum *voces male ominatas proferre:* a qubus alioquin ſuperſtitionis ductu abſtinebant. Sed hæc non eſt hujus loci ſignificatio.

LXXIII. Ad hanc hiſtoriam eorum, quæ pertinent ad paſſionem JESV in domo Cajaphæ, aliud addunt Evangeliſtæ, quod eſt DE LAPSV PETRI, CHRISTIQVE ABNEGATIONE.

Joh. XVIII. v. 15. LXXIV. Nempe Petrus, quamquam a pugna prohibitus, tamen adhuc nonnihil fidens virtuti ſuæ, JESVM eminus ſequitur cum alio quodam diſcipulo. Hic quoniam notus erat Pontifici, fretus hac notitia, auſus eſt ingredi in atrium cum JESV.

LXXV. Chryſoſtomus, Cyrillus, Theophylactus, Hieronymus, aliique veterum, quos nonnulli recentiorum ſeqvuntur, alterum hunc diſcipulum *Johannem* fuiſſe cenſent. Sed illum, vel Johannem, vel alium e numero Apoſtolorum fuiſſe vix crediderim, cum veroſimile non ſit, Apoſtolos, & quod diſcipuli eſſent Servatoris, cujus juratus hoſtis erat Pontifex, & quod homines abjecti & plebeji, Pontifici Maximo tantæ dignitatis Viro familiares fuiſſe.

LXXVI. Ridicula inter alias pro Johanne conjectura

ra hæc eſt Lyrani, quod miſſus a Patre ſuo pluries portaverit piſces ad domum Pontificis.

LXXVII. Magis eſt probabile fuiſſe ex civibus Hieroſolymitanis diſcipulum occultum, quales Joſephus Arimathæus, & Nicodemus.

LXXVIII. Petrus autem, qui ignotus erat, non auſus eſt intro conſequi, ſed reſtitit foris ad oſtium.

LXXIX. Quod non ſuſtineret intrare vel formidinis erat, ac mox ſecuturæ negationis præludium; vel tam ſollicita ad oſtium diſpoſita fuerat cuſtodia, quæ non niſi notos admitteret.

LXXX. Alter ergo diſcipulus videns Petrum non conſequi, cum ancilla oſtiaria egit, ut & eum, qui ſtaret ante oſtium, introducere liceret. *Joh. XIIX. v. 16.*

LXXXI. Intromiſſus Petrus miſcuit ſe miniſtris ac ſervis Pontificis, qui ſtabant in atrio ad prunas, & ob frigus intempeſtæ noctis calefaciebant ſe, ſimulque cum illis calefiebat, nunc adſtans, nunc aſſidens; interim expectans, quem exitum eſſet habiturum, quod agebatur cum JESU. *Matth. XXVI. v. 58. Marc. XIV. v. 54. Luc. XXII. v. 55.*

LXXXII. Pie Gerhardus: *Quam multi ad ignem Pontificum hodie calefieri cupientes, hoc eſt, quærentes honores, divitias, dynaſtias, in curia Romani Pontificis, & aulis Epiſcoporum ad abnegationem CHRISTI, & doctrinæ Evangelicæ hac occaſione perducuntur.*

LXXXIII. Atrium, in quo pyra fuit conſtructa, ad quam ſe cum cetera turba calefecit Petrus, non videtur fuiſſe ſub eodem tecto, quod erat conclave, in quo congregati erant Seniores; ſed inter domum & plateam, ubi ſub cœlo aperto eſſe area ſolet porticibus cincta, ut hodie in Magnatum ædibus videmus.

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV. Hic cum quæpiam ex ancillis Pontificis (Johannes oſtiariam fuiſſe dicit) Petrum ſe calefacientem conſpexiſſet, quæſivit primum ex eo: *Num & tu es ex diſcipulis hominis illius, qui modo captivus adducebatur?*

Marc. XIV. v. 66. 67. Joh. XIIX. v. 17.

LXXXV. Cum forte Petrus taceret, intuita illum, curioſius cœpit noſcitare ſpeciem ejus, aſſerendo profert iſta: *Et tu cum JESV Galilæo eras.*

Matth. XXVI. v. 59.

LXXXVI. Tandem etiam ad alios rem defert, ut ab illo CHRISTI diſcipulo ſibi caverent, dicens: *Et hic cum illo erat.*

Luc. XXII. v. 56.

LXXXVII. *Galilæi* nomen CHRISTO ignominiæ cauſa dabat ancilla; ut fere ſolebant, qui animo erga eum iniquo forent. Itaque & Julianus Apoſtata, tum CHRISTVM, tum Chriſtianos omnes, *Galilæos* nuncupat: ut eſt apud Socratem *Hiſtor. Eccleſiaſt. lib III. cap. XII.*

LXXXVIII. Denominationis autem cauſa partim erat, quod plurimum in Galilæa verſatus eſſet CHRISTVS; partim, quod omnes fere diſcipuli forent Galilæi.

LXXXIX. Quid autem ad hæc Petrus? Is audita accuſatione ancillæ oblitus omnium, quæ tot verbis inculcarat JESVS; oblitus tam magnificæ pollicitationis reſpondet coram omnibus: *Mulier, Non novi hominem, neque ſcio quid dicas.* Et hæc quidem prima fuit Petri abnegatio, quam mox excepit galli cantus.

Matth. XXVI. v. 60. Luc. XXII. v. 57.

XC. Itaque territus Petrus, nec ſatis fidens ei loco, exire vult ex atrio, ſed dum exitum parat, vidit illum alia ancilla, & dixit ad adſtantes: *Et hic erat cum JESV Nazareno.*

Matth. XXVI. v. 71. Marc. XIV. v. 69.

XCI.

Digitized by Google

XCI. Periculoſe, quantum exiſtimo, loquitur Theophylactus Comm. in Marc. c. XIV. *Non refert, ſive una, ſive duæ ancillæ fuerint, quæ arguerint Petrum. Matthæus ſane iſtam, non eandem dicit. Marcus vero eandem. Nihil autem nobis in hoc obſtaculi ad Evangelicam veritatem. Numquid enim in magno aliquo, & ſalutem noſtram complectente diſcordant? Numquid ille dixit, quod crucifixus ſit, & alius non? Abſit.* Sed profecto refert Theophylacte. Nam ſi vel leviculam admittimus contradictionem, quid fiet de auctoritate S. Scripturæ? Conciliari utique Evangeliſtæ poſſunt; & nos jam tum modum oſtendimus.

XCII. At Petrus, ut ab illa ſuſpicione ſe liberaret, retrogreſſus eſt, & denuo miniſtris camino aſſidentibus immiſtus ſe calefecit. *Joh. XIIX. v. 25.*

XCIII. Cum autem illa vox, quæ ab ancilla manaverat, excepta eſſet a Viris adſtantibus, Petrum ſuis quæſtionibus & ſollicitationibus aggreſſi ſunt. Inde factum, ut denuo negaret, & quidem cum juramento. Quæ abnegatio ſecunda fuit. *Matth. XXVI. v. 72.*

XCIV. Sed illi paulo poſt, (elapſo circiter horæ intervallo) magis eum urgere, omnino eum eſſe ex diſcipulis CHRISTI aſſeverarunt, atque id etiam cognoſci ex idiomate Galilæorum. *v. 73. Marc. XIV. v. 70. Luc. XXII. v. 59.*

XCV. Nimirum uti hodie dialecto differunt Thuringi, Miſnenſes & Franci; ita olim Galilæi ac ceteri Judæi. Iſtorum enim linguæ βάρβαρον καὶ πλουχόν τι inerat. Quemadmodum etiam Galilæi ceteris Judæis habebantur hebetiores.

XCVI. Inter hos ſervos Petrum accuſantes, unus præ ceteris contra ipſum inſurrexit, cognatus Malchi, cui Petrus auriculam præciderat. Hic intuitus Petrum, a- *Joh. XVIII. v. 26.*

guovit eum: Ecquid, inquit, negabis eſſe te de numero diſcipulorum iſtius? *Annon te vidi* his oculis *in horto* Gethſemane *cum illo?*

Matth. XXVI. v. 74. Marc. XIV. v. 71.

XCVII. Hiſce indiciis jam preſſus, & tantum non oppreſſus, crimen quoque auxit, more mortalium, ubi ſemel exorbitarint. Ergo, qui primo ſimpliciter abnegarat, ac deinde cum juramento; hic tertio non cum juramento ſolum abnegat, ſed etiam cum ſingulari deteſtatione & exſecratione.

XCVIII. Qualis illa deteſtatio fuerit & exſecratio notat verbum καταναθεματίζειν, quod eſt *cum vehementi animi motu* (auget ſignificationem præpoſitio) *& ſæpius anathema ſibi imprecari.* Vt enim qui ſibi credi volunt aliquid affirmantibus, ſolent dicere: *Ne vivam, peream, male ſit mihi, niſi hoc ſit:* Ita Judæis & antiquis Chriſtianis ſolennis in jurejurando formula, *Anathema ſim,* hoc eſt, a ſynagoga & Eccleſia excluſus. Quia autem pro magno malo ducitur extorrem fieri ab eo corpore & ſocietate, cujus cupimus eſſe participes, inde imprecationis vice hoc verbum ἀναθεματίζειν uſurpatum fuit.

v. 72.

XCIX. Interea dum abjurat, dum exſecratur, & omnia mala ſibi imprecatur, cantavit gallus iterum: quod ſignum illi dederat Dominus; cujus hæc ſunt verba apud Marcum: *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me abnegabis.*

C. Intellexit nimirum CHRISTVS tum prius illud gallicinium circa μεσονύκτιον; tum alterum ſub adventum lucis.

CI. Reliqui quidem Evangeliſtæ de uno tantum gallicinio loqvuntur; ſed credibile eſt de ſolo ſecundo loqui, quod κατ' ἐξοχὴν ita appellari, ex A. Gellio, Apulejo, Cen-

Cenſorino, Macrobio, aliiſque conſtat: ut CHRISTI verba apud eos huc redeant: *Non cantabit gallus ſolenni illo cantu,* (a quo tempus, quo canere ſolet, ἀλεκτρυοφωνία dicitur) *prius quam ter me negaveris.*

CII. Nec obſtat, quod quis dicat, inter primam & ultimam Petri abnegationem non interceſſiſſe tantum temporis, quantum eſt inter primum ac poſterius gallicinium: cum ex Luca appareat, alteram abnegationem *Luc. XXII.*
mox poſt primam eſſe factam, μετὰ βραχὺ, ut eſt in Græco; & interpoſita hora una tertiam ſecutam eſſe, *v. 58.* *v. 59.*

CIII. Nam Evangeliſtæ pleraque ſummatim retulerunt; & dum Petrus accuſatus conatur ſe purgare, potuit res in longiuſculum intervallum temporis diduci, & pluribus verbis ultro citroque habitis in ipſa diſceptatione multum inſumi temporis: ut adeo illud μετὰ βραχὺ aliquando latius extendendum ſit.

CIV. Licebit etiam fortaſſis horæ a Luca memoratæ aliquid addere; cum non præciſe dicat, horam unam interceſſiſſe, ſed fuiſſe ὡσεὶ ὥρας μιᾶς *horam circiter unam.* *v. 59.*

CV. Forſan quoque gallus aliquis ſolitum gallicinii tempus anticipare, alioſque ſuo cantu ad reſponſionem excitare potuit. Non enim ſemper tam ſtatum eſſe gallicinii tempus, præter alios quoque Cæſar Scaliger tam in excubiis, quam in lucubrationibus expertus eſt: ceu ſcribit *in Cardanum* Exercitat. CCXXX.

CVI. Si heic in cauſas inquiramus gallicinii, fortaſſis vagaremur extra oleas. A Sole hoc animal affici, plurimorum eſt ſententia. Quæ vero cauſa ſit, quod peculiariter a Sole ſic afficiatur ex occulta naturæ proprietate volunt dependere. Quidam ad gaudium ex cibi conco-

Digitized by Google

ctione perceptum cantuque teſtatum confugiunt. Sed id verum ſi eſſet, hyemale gallicinium æſtivo nequaquam eſſet tardius, cum in gallo, qui valet, concoctio tam cito fiat, aut etiam citius hyeme, quam æſtate quia tum intenſior eſt calor ſtomachi. At matutinum galli cantum hyeme aliquot horis tardiorem eſſe novimus. Quæ non nemo diſſerit *de iterato ſpermatis certo tempore ebullientis orgaſmo, ac Veneris deſiderio, quod cantu ſuo intimet gallinis gallus*, ex eodem fundamento refelluntur. Qui enim fit, quod ille orgaſmus ſerius ſe exſerit hyberno, quam æſtivo tempore, qui tamen ex ratione antea allata citius tum deberet proritare animal Venereum?

Matth. XXVI. v. 75. Marc. XIV. v. 72. Luc. XXII. v. 62.

CVII. Vltimum hoc gallicinium, quando præſertim JESVS miſericordibus oculis intueretur ipſum, revocabat Petro in memoriam, quod ſibi de futura ante gallicinium abnegatione a Domino prædictum erat, ut adeo in fletum amariſſimum prorumpendo pœnitentiam peccati teſtaretur.

CVIII. At enim dixeris: qui JESVM, qui in interiori conclavi erat, in atrio videre potuit Petrus? Reſpondeo: fortaſſis concilio jam ſoluto CHRISTVM in atrium deductum eſſe; aut, CHRISTVM in editiore loco ſtantem ex ſuperiori aula facie retroverſa Petrum commode intueri potuiſſe.

CIX. Non ergo ſimpliciter probare poſſumus, quod Patres hunc adſpectum CHRISTI pro mere ſpirituali habent. Ita enim Auguſtinus de conſenſu Evangeliſtarum: *Cum frequentius ſoleant Evangeliſtæ in narrationibus ſuis ponere JESVM, quam Dominum, modo Lucas poſuit Dominum, dicens: Converſus Dominus reſpexit Petrum. Matthæus autem & Marcus, qui de iſta reſpectione tacue-*

tacuerunt, non verbi Domini, ſed verbi JESV eum recordatum eſſe dixerunt, ut etiam ex hoc intelligamus, illam reſpectionem a JESV non humanis oculis, ſed divinitus factam. Idem libro de *gratia CHRISTI cap. XLV.* ſtatuit; *Non poteſt,* inquit, *dici, quod corporalibus oculis Petrum Dominus reſpexerit; intus actum eſt, in mente actum eſt, & voluntate. Dominus cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia viſitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lacrumas movit & produxit affectum.* In eadem opinione eſt Leo Sermon. IX. de Paſſione cap. IV. *Reſpexit oculis mentis, non corporis; miſericorditer, non corporaliter: quia Petrus foris erat & inferius; CHRISTVS vero intus & ſuperius.*

CX. Eleganter ex hoc loco Novatianos refellit Theophylactus in Matthæum. *Erubeſcant,* inquit, *Novatiani, qui eos, qui poſt Baptiſmum & Sacramentorum communionem peccarunt, non ſuſcipiunt, Ecce & Petrus ſuſcepto immaculato corpore & ſanguine, cum negaſſet, propter pœnitentiam receptus eſt: Sanctorum enim delicta ideo ſcripta ſunt, ut & nos, ſi quando lapſi fuerimus non animadvertendo, posſimus in exempla illorum reſpicere & per pœnitentiam corrigi.*

CXI. Quid ſignificet apud Marcum cap. XIV. v. *72.* ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, non ſine cauſa quæritur.

CXII. In varias Interpretes hic abeunt ſententias. ingenioſa eſt Theophylacti expoſitio, quod ἐπιβαλὼν ſit ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλὴν, capite operto flebat. Moris enim erat præcipue Viris, quibus indecens fletus, ut capite obvoluto flerent. Et hæc quidem explicatio præ ceteris arridet Claudio Salmaſio.

CXIII. Communis eſt opinio, quod ſignificet, e-

greſſum eſſe Petrum, & foras ſe proripuiſſe. Hinc Chryſoſtomus, ſive quis alius auctor Enarrationis in Matthæum: *Egreſſus foras, flevit amare. Non enim audebat palam, & ſub omnium oculos id facere, ne lacrumis proderetur, deprehenderetur que illius eſſe diſcipulus.*

CXIV Sed vix reperietur, verbum ἐπιβάλλειν abſolute poſitum ita accipi. Nam quæ exempla afferuntur, non ſimpliciter uſurpant illud, ſed cum adjecto.

CXV. Caſaubonus τὸ ἐπιβαλὼν poſitum eſſe autumat pro νοήσας, ſeu κατανοήσας: ut ἐπιβαλὼν ἔκλαιε, ſit, *ubi rem altius ſecum reputaſſet,* ubi *mentem intendisſet,* ubi *animo in rem incubuiſſet, flevit.* Quam ſententiam non improbat Beza. Et Johannes Boiſius, Eccleſiæ Elienſis Canonicus *Commentar. ad h. l. ex omnibus verſionibus palmam huic tribuit.*

CXVI. At, hoc ſenſu non ἐπιβαλὼν, ſed ἐπιβαλλόμενος dicendum fuiſſet.

CXVII. Quidam ἐπιβαλὼν conjungunt cum verbo ἔκλαιε, ut ſit ſenſus: *erumpens flevit, abunde flevit:* ut idem ſit, quod apud Matthæum, πικρῶς ἔκλαιε.

CXVIII. In vetuſtiſſimo exemplari, teſte Beza, pro ἐπιβαλὼν ἔκλαιε legitur ἤρξατο κλαίειν. Certe Vulgatus vertit, *cœpit flere,* nec aliter Eraſmus. Lutherus quoque, er hub an zu weinen. Et jam olim Syrus: שרי *Schari, incepit.*

CXIX. Verum quis crediderit in tanto ceterorum exemplarium conſenſu hanc eſſe veram loci lectionem? ſi quis hic conjecturæ locus, putarem hominem, qui illud ἐξίβαλὼν non intellexit, in ἤρξατο commutaſſe, ut commodiorem eliceret ſententiam. Si ex ingenio hic lice-

ret

ret agere aliquis diceret, potius pro ἐξιβαλὼν, legendum eſſe ἐξελθὼν, quæ inter ſe non multum differunt.

CXX. Quid ſi ergo Hugonem Grotium ſequeremur? qui ἐπιβαλὼν accipit pro προσθεῖναι; hoc ſenſu: *Non tantum recordatus eſt in animo eorum quæ CHRISTVS dixerat, ſed præterea* (& hoc adjecit) *etiam fletu teſtatus eſt mœrorem.*

CXXI. Non eſt, cur Potificii Doctores, veteres quoſdam ſecuti, peccatum Petri elevent & excuſent. Praviſſimum enim & maxime enorme fuiſſe certum eſt. Ipſe primarius CHRISTI Apoſtolus, ultra triennium diſciplina ejus fideliter imbutus, verum & unicum totius ſalutis fundamentum abnegabat; nec id ſimpliciter, ſed additis juramentis & exſecrationibus; adeoque impiis & infidelibus ſummo erat ſcandalo: ut ergo niſi reſipuiſſet, CHRISTVS eum coram cœleſti Patre ſuo abnegaturus fuiſſet.

CXXII. Inter Veteres Petri defenſores eſt Hilarius, qui canon. XXXI. in Matthæum ſcribit: *Diligenter contuendum eſt, qua conditione Petrus negaverit. Nam primo ait: Non ſe intelligere, quid diceret: ſequenti, non ſe ei adhæſiſſe: tertio vero, ſe hominem non noſſe. Et vero prope jam ſine piaculo hominem negabat, quem Dei Filium primus agnoverat.*

CXXIII. Ambroſius item in Lucam cap. XXII. nimio in Petrum favore duo hæc contendit: primum, utcunque Dominum ore negaret, corde tamen immotam & inconcuſſam fidem retinuiſſe; atque ita ore, non animo abnegaſſe. Quæ ſententia etiam videtur eſſe Prudentii in libro Cathemerinon:

Fle-

Digitized by Google

Flevit negator denique
Ex ore prolapſum nefas,
Cum mens maneret innocens
Animusque ſervaret fidem.

Secundo vult verbotenus abnegaſſe, ore, non autem corde: & ita ore, ut per æquivocationem, quam appellat, & mentalem reſervationem de Deitate & Humanitate interpretandus eſſet, hoc modo: Non novi hominem, id eſt, communi more ab Adamo deſcendentem; at θεάνθρωπον, Deum quoque, quem olim profeſſus fuerat Filium viventis Dei. Vide etiam Rupertum in *Matthæi cap. XXVI.*

CXXIV. Vtramque ſententiam jam olim refellit Auguſtinus: primam tom. IV. cap. VI. libri ad Conſentium contra mendacium. *Nonne pene omnes,* inquit, *qui CHRISTVM coram perſecutoribus negaverant, qui de illo credebant, corde tenuerunt, & tamen ore ad ſalutem non confitendo perierunt: niſi qui per pœnitentiam revixerunt. Quis ita evaneſcat, ut exiſtimet Apoſtolum Petrum hoc habuiſſe in corde, quod in ore, quando CHRISTVM negavit? Nempe in illa negatione intus veritatem tenebat, & foris mendacium proferebat. Cur ergo lacrumis diluit, quod ore negaverat, ſi ſaluti ſufficiebat, quod corde credebat? Cur loquens in corde ſuo veritatem amaro fletu punivit mendacium, quod ore depromſit? niſi quia magnam vidit eſſe perniciem, quod corde credidit ad juſtitiam, ſed ore non confeſſus eſt ad ſalutem.*

CXXV. Contra ſecundam Ambroſii opinionem Tractatu LXVI. In Johannem, tacito tamen ejus nomine ita acriter diſputat. *Ecce quomodo tibi cito apparebis, qui magna loqueris, & te parvulum neſcis. Qui mihi promit-*

Digitized by Google

tis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Qui te jam putas mori poſſe pro te. Nam timendo mortem carnis tuæ, mortem dabis animæ tuæ. Quanta enim vita eſt confiteri CHRISTVM, tanta mors eſt negare CHRISTVM. An Apoſtolus Petrus, ſicut eum quodam favore perverſo excuſare nituntur, CHRISTVM non negavit, quia interrogatus ab ancilla, hominem ſe neſcire reſpondet? ſicut alii Evangeliſtæ conteſtantur expreſſius. Quaſi vero qui hominem CHRISTVM negat, non CHRISTVM neget? & hoc in eo neget, qui factus eſt propter nos, ne periret, quod fecerat nos. Ergo qui ita confitetur CHRISTVM Deum, ut hominem neget, non pro illo mortuus eſt CHRISTVS, quia ſecundum hominem mortuus eſt CHRISTVS. Qui negat hominem CHRISTVM, non per mediatorem conciliatur Deo. Vnus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum, Homo JESVS CHRISTVS. Qui negat hominem CHRISTVM, non reſurget in reſurrectionem CHRISTI. Per quid caput eſt Eccleſiæ, niſi per Hominem? Quomodo eſt ergo in corpore CHRISTI, qui negat Hominem CHRISTVM? Qui enim caput negat, quomodo eſt membrum.

CXXVI. Hieronymus quoque in Matth. cap. XVI. hanc ſententiam refellit his verbis: *Scio quosdam piè affectos erga Apoſtolum Petrum, locum hunc ita interpretatos, ut dicerent, Petrum non Deum negaſſe, ſed hominem; & eſſe ſenſum: Neſcio hominem, quia ſcio Deum. Hoc quam frivolum ſit, prudens lector intelligit, ſi defendunt Apoſtolum, ut Deum mendacii reum faciant. Si enim iſte non negavit, ergo mentitus Dominus, qui dixerat: Amen dico tibi, quia hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Cerne, quod dicat, Me negabis; non Hominem.*

Digitized by Google

CXXVII. Et denuo ad fletum Petri provocat Auguſtinus loco laudato in Johann. *Agnovit plane peccatum ſuum infirmitas Petri; prorſus agnovit, & quantum malum CHRISTUM negando commiſerit, plorando monſtravit. Ipſe ſuos redarguit defenſores, &, unde eos convincat, producit lacrumas teſtes.*

CXXVIII. Magnitudinem igitur peccati non tantum lacrumarum imbre illico teſtatus eſt; ſed procul dubio per omnem vitam de eo pœnituit. An vero, quoties per noctem galli cantum audiviſſet, amare fleverit, imo in genis perpetui fletus indicia habuerit, certo probari nequit.

CXXIX. Prius ex libro quodam Apocrypho, videlicet *Itinerario Clementis* refert Lyranus, nempe *quod ex illo tempore conſuetudinem traxerit, ut a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam ſtaret flens in oratione.* Alterum neſcio unde petitum affert Hieron. Xaverius in Hiſtoria CHRISTI Perſica.

CXXX. Concludimus hoc caput pulcherrima veterum precatione, & ut exaudiat nos JESUS, ex animo vovemus: *O bone JESU, reſpice me oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti Petrum in atrio, Mariam Magdalenam in convivio, ac latronem pœnitentem in patibulo, da ut cum Petro peccata mea digne fleam, cum Maria Magdalena perfecte te diligam, & cum latrone pœnitente æternum te videam.*

CAP. VII.

De iis quæ cum CHRISTO acta ſunt in Concilio matutino. De Judæ pœnitentia, quam verbis factoque teſtatus. De Agro Figuli XXX. argenteis emto. De difficili loco Matthæi XXVII. v. 9. & 10. prolixe diſputatur, & quomodo pro Zacharia Jeremiam Evangeliſta laudaverit, oſtenditur. Harmonia loci Prophetici & Evangelici inculcatur. Denique in mortem Judæ proditoris ſollicite inquiritur.

I.

SVperiori capite diximus de Concilio nocturno, & abnegatione Petri. Nunc ad concilium matutinum pergimus.

II. Cum enim appeteret dies, jam legitimi Concilii formam exhibituri, rurſus frequentes conveniunt Primores Sacerdotum, Scribæ & Seniores populi, totumque adeo Synedrium, denuo Concilium inituri, quomodo CHRISTVM morti traderent. *Matth. XXVII. v. 1. Marc. XV. v. 1. Luc. XXII. v. 66.*

III. An autem hoc Synedrium in domo Cajaphæ, an in conſueto loco, qui *Gaſith* appellatur, fuerit coactum, liquido non conſtat.

IV. Plerique qui conſiderant, quam multa hoc matutino tempore acta eſſe ab Evangeliſtis tradantur, aſcenſum & deſcenſum in *Gaſith* pluſculum temporis abſumtura, atque adeo omiſſa fuiſſe putant.

X. Etiamſi autem CHRISTVS jam nocturno conſilio reus mortis eſſet judicatus, tamen convenerunt

Digitized by Google

CXXVII. Et denuo ad fletum Petri provocat Auguſtinus loco laudato in Johann. *Agnovit plane peccatum ſuum infirmitas Petri; prorſus agnovit, & quantum malum CHRISTVM negando commiſerit, plorando monſtravit. Ipſe ſuos redarguit defenſores, &, unde eos convincat, producit lacrumas teſtes.*

CXXVIII. Magnitudinem igitur peccati non tantum lacrumarum imbre illico teſtatus eſt; ſed procul dubio per omnem vitam de eo pœnituit. An vero, quoties per noctem galli cantum audiviſſet, amare fleverit, imo in genis perpetui fletus indicia habuerit, certo probari nequit.

CXXIX. Prius ex libro quodam Apocrypho, videlicet *Itinerario Clementis* refert Lyranus, nempe *quod ex illo tempore conſuetudinem traxerit, ut a primo gallorum cantu usque ad horam matutinam ſtaret flens in oratione.* Alterum neſcio unde petitum affert Hieron. Xavierius in Hiſtoria CHRISTI Perſica.

CXXX. Concludimus hoc caput pulcherrima veterum precatione, & ut exaudiat nos JESVS, ex animo vovemus: *O bone JESV, reſpice me oculis miſericordiæ tuæ, quibus reſpexiſti Petrum in atrio, Mariam Magdalenam in convivio, ac latronem pœnitentem in patibulo, da ut cum Petro peccata mea digne fleam, cum Maria Magdalena perfecte te diligam, & cum latrone pœnitente æternum te videam.*

Digitized by Google

Cap. VII.

De iis quæ cum CHRISTO acta ſunt in Concilio matutino. De Judæ pœnitentia, quam verbis factoque teſtatus. De Agro Figuli XXX. argenteis emto. De difficili loco Matthæi XXVII. v. 9. & 10. prolixe diſputatur, & quomodo pro Zacharia Jeremiam Evangeliſta laudaverit, oſtenditur. Harmonia loci Prophetici & Evangelici inculcatur. Denique in mortem Judæ proditoris ſollicite inquiritur.

I.

SUperiori capite diximus de Concilio nocturno, & abnegatione Petri. Nunc ad concilium matutinum pergimus.

II. Cum enim appeteret dies, jam legitimi Concilii formam exhibituri, rurſus frequentes conveniunt Primores Sacerdotum, Scribæ & Seniores populi, totumque adeo Synedrium, denuo Concilium inituri, quomodo CHRISTUM morti traderent. *Matth. XXVII. v. 1. Marc. XV. v. 1. Luc. XXII. v. 66.*

III. An autem hoc Synedrium in domo Cajaphæ; an in conſueto loco, qui *Gaſith* appellatur, fuerit coactum, liquido non conſtat.

IV. Plerique qui conſiderant, quam multa hoc matutino tempore acta eſſe ab Evangeliſtis tradantur, aſcenſum & deſcenſum in *Gaſith* pluſculum temporis abſumtura, atque adeo omiſſa fuiſſe putant.

X. Etiamſi autem CHRISTUS jam nocturno conſilio reus mortis eſſet judicatus, tamen convenerunt

Digitized by Google

iterum, ut explorarent, an in ſententia perſiſteret; ac præterea ſtatuerent de exſecutione ſententiæ, quam tuliſſent.

Luc. XXII. v. 67. VI. Matutino igitur Concilio duo iſta egere. Primum CHRISTUM interrogant, an foret CHRISTUS, promiſſus ille Meſſias.

VII. JESUS autem ſciens, illos ſciſcitari, non, ut
v. 68. veritatem diſcerent, ſed ut occaſionem calumniandi indagarent, reſpondit illis: *Si dixero* (qui ſim) *non credetis mihi, neque dimittetis.*

VIII. In loco judicii, ubi *interrogare,* proprium eſt Judicis, has partes Dominum ſibi ſumſiſſe, non fit veroſimile. Quapropter ἐρωτᾶν pro *orare,* vel *ſupplicare* reddideris: ut hic ſit ſenſus verborum Domini: *Etiamſi vobis dicam, quod quæritis, tamen non credetis: quod ſi etiam vel ſupplicavero, ut me dimittatis, nunquam ſupplicem exaudietis, aut dimittetis.* Quomodo verbum ὑπακούομαι in ſignificatione *exaudiendi* hoc loco uſurparetur.

IX. Non incommode tamen alii ſic interpretantur: *Si vos percunter ex Scripturarum teſtimoniis, qualis promiſſus mundi ſit Meſſias, nec reſpondebitis mihi ex animo; qui nec diſcere cupitis, quod verum eſt, nec docere. Nec ideo abſolveritis me, etiamſi meam declaravero innocentiam.*

Luc. XXII. v. 69. X. Repetit interim CHRISTUS, quæ dixerat concilio nocturno, deinceps Filium Hominis ſeſſurum ad dexteram potentiæ Dei.

XI. Ea vox viſa eſt omnibus idonea calumniandi
v. 70. anſa: ſi modo aperte profiteretur ſeſe Dei Filium. Quærunt igitur: *Utrum foret Filius ille Dei.* Reſpondit CHRISTUS:

Digitized by Google

STUS: *Vos dicitis me eſſe:* hoc eſt: *Is ſum, de quo quæritis, & quem me eſſe dicitis.*

XII. At illi judicantes, hanc eſſe ſatis gravem cauſam, cur illum accuſarent de blaſphemia, quo nullum crimen apud Judæos eſſet atrocius, dixerunt: *Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi audivimus ex ore ejus:* manifeſtam ſcilicet blaſphemiam. *Luc. XXII. v. 71.*

XIII. In hanc ſententiam facile pedibus itum eſt ab omnibus, qui quocunque titulo decreverant CHRISTUM occidere.

XIV. Reperta igitur, ut ipſis viſum erat, cauſa ſatis prægnante, alterum erat, ut diſpicerent, quomodo decretoriam ſententiam exſequerentur. Placuit ergo, ut vinctus mitteretur ad Pontium Pilatum, Præſidem (ut vertunt vulgo vocem ἡγεμών) Romanum.

XV. Non faciunt decretum de mittendo JESU ad Herodem Regem. Nam ex quo Archelaus, Herodis magni Filius a Judæis propter exercitam tyrannidem Romæ accuſatus, & a Cæſare damnatus, Viennam Galliæ civitatem relegatus eſſet; Judæa in provinciam redacta eſt, eique gubernandæ miſſi Præſides, quod munus ſub nomine tamen Procuratoris (uti *ſequenti capite* monſtrabimus) implevit Pilatus.

XVI. Non potuit diu latere Judam, quomodo CHRISTUS jam eſſet morti a Synedrio addictus, atque adeo etiam miſſus ad Pilatum, quo obtineretur, ut crucis ſupplicium in eum decerneret. Pœnitere igitur illum facti ſui cœpit. Quo pertinent illa Matthæi: *Tunc videns Judas, qui eum prodiderat, quod damnatus eſſet, pœnitens &c.* *Matth. XXVII, v. 3.*

XVII. Hæc pœnitentia Judæ, quæque eandem eſt

ſubſecuta mors miſerabilis, an ſtatim damnationem CHRISTI coram concilio Eccleſiaſtico exceperit, dubitatur.

XVIII. Sunt qui ſeriem Hiſtoriæ ab Evangeliſta neglectam perhibent, putantque etiam veritatem ei conſtare, ſi demum crucifixo CHRISTO, mortuoque, vel etiam poſtero die cœperit pœnitere; fortaſſis etiam tum demum ſerio doluiſſe, poſtquam de CHRISTI reſurrectione intellexerit.

XIX. Priorem ſententiam fovet Auctor *Commentariorum in Marcum*, quæ Hieronymo tribuuntur; poſteriorem amplectitur Auctor *Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti*, quæ Auguſtino, ſed falſo adſcribuntur.

XX. Quamvis autem adverbium τότε apud Matthæum non ſemper deſignet præciſe temporis illud momentum, de quo eſt actum ſermone præcedenti; hoc tamen loco illud videtur denotare: adeoque Auguſtinus, aliique ex veteribus ſtatuunt; ante CHRISTI crucifixionem Judam ſuſpendio periiſſe. Emtionem attamen agri figulini non eo tempore, ſed commoda poſtea occaſione factam eſſe per eſt veroſimile. In hunc tamen locum refertur ab Evangeliſtis ob complementum Hiſtoriæ: quamobrem nos etiam illam hic conſiderabimus.

Matth. XXVII. v. 3. 4. XXI. Dolorem ſuum teſtatus eſt Judas tum ſermone, tum opere. Contulit enim ſe ad Sacerdotes ac Seniores, quo proditionis precium referret, aperteque eſt confeſſus, ſe peccaſſe, ſanguinem prodendo innoxium.

XXII. Fortaſſe ſperaverat Judas, JESUM, ut antea fecerat, ſeſe ex manibus eorum ſubducturum; vel ſic argumentis eos placaturum; ut ſententiam mutarent. Hoc ubi aliter, ac putaverat, cecidiſſe videt; animo æger, primum

Digitized by Google

mum de facto admiſſo dolet; deinde pecuniam, proditionis mercedem refert, & ſe proditione illa peccaſſe libere profitetur.

XXIII. Quando Judas ſanguinem CHRISTI vocat ἀθῷον, *inſontem* & *innoxium*, ſenſus eſt: quod CHRISTVS nihil tale fuerit promeritus, ut ad ſanguinis effuſionem traderetur: ac eo ipſo fatetur, ſe graviſſime peccaſſe, quod innocentem CHRISTVM in manus eorum tradiderit, qui de ſanguine ipſius effundendo ſine gravi cauſa deliberaſſent.

XXIV. Singulari credamus divina factum eſſe providentia, quod Judas proditor in medio paſſionis actu teſtimonium daret Domini innocentiæ. Abſque eo enim ſi fuiſſet, Proceres Judæorum forte habuiſſent aliquem impietatis prætextum, quod viſi fuiſſent juſte CHRISTVM morti addicere: quippe quem proprius ipſius diſcipulus vili inductus precio tradidiſſet. Cogitare enim poterant alii, ipſum ob occulta quædam flagitia diſcipulis magis quam cuivis ex plebe nota a Magiſtro defeciſſe; ſed cum Judas ſceleris ſui gravitatem, & CHRISTI innocentiam publice teſtatur, omnis omnino prætextus ipſis eſt præciſus.

XXV. Mirum jam olim & hodie repertos, qui Judæ proditionem quadamtenus excuſare atque tantum crimen elevare conati ſunt. Nobis certe omnes diſplicent colores, qui ad fucandam aut excuſandam ejus mentem afferri ſolent, exiſtimantes, eam re vera fuiſſe nigram, ac tenebris Diaboli denſiſſimis infectam: quippe qui ex animi ſententia CHRISTVM habuerit odio, cum de regno ejus mundano ac carnali nulla ſpes ſupereſſe videretur.

XXVI. Nec perſuadebunt aliud tam renati alicujus affe-

Digitized by Google

affectus, Judæque non renati actiones, quam ipſius CHRISTI *καρδιογνώςȣ* argumenta clariſſima.

XXVII. Renati quique ſecundum ſpiritum ambulant, ea quæ ſunt ſpiritus ſapiunt ac curant; corruptæ ſuæ naturæ optime memores in humilitate ac patientia legi divinæ obtemperant, nec illuſiones aut fraudes hoſtium machinantur; quin potius eorum ſalutem ſua manſuetudine ac amore ſincero enixe promovere ſtudent, omnium fidelium paci ac tranquillitati pro viribus conſulentes. Datane igitur opera vel hoſtes fallere, vel caput ac Redemtorem ſuum CHRISTVM in præſens vitæ periculum conjicere potuit Judas, ut mitisſime dicam, ſi renatus? Sed eheu! quod carnalis eſſet, non poterat non quæ carnis ſunt ſapere ac agere.

XXVIII. Enim vero ſi infirmitatis hoc in Juda fuiſſet opus, quare vindicari mereretur, cur expertus fuiſſet diſcipulus proditor magiſtri ſui diſplicentiam, & horroris plenam vocem, qui Petri reliquorumque diſcipulorum infirmitates patientisſime ferre noverat, imo propterea venerat, ut ferret? nec ſpiritum CHRISTI amiſiſſet, nec inimicus Dei miſerrime periiſſet, mercedem operibus dignam recipiens. Quantumvis enim varie tentari contingat fideles, auxiliatur tamen Spiritus infirmitatibus eorum, Rom. VIII. 26. & ſuperant per eum, qui dilexit eos, v. 37. nec eſt qui crimina adverſus electos Dei intentare poſſit, v. 33. eo quod ſunt in CHRISTO, dum non ſecundum carnem converſantur, ſed ſecundum ſpiritum.

XXIX. Neque porro ſine horrore ingeminant Evangeliſtæ, ingreſſum eſſe in eum Satanam, Joh. XIII. 27. qui ad prodendum CHRISTVM eum impulerit v. 3. dignisſimus utique quem execraretur CHRISTVS: *Væ homi-*

homini illi, per quem Filius hominis proditur. Bonum erat homini illi, ſi natus non fuiſſet.

XXX. Interim Judæ pœnitentia non ſimulata erat, ſed ex animo profecta, & tum contritione cordis, ac confesſione oris, tum ſatisfactione operis probata; ſed fide destituta ac idcirco infrugifera. Fides enim complementum eſt ac ſumma veræ pœnitentiæ.

XXXI. Bene Fulgentius ad Venantiam Epiſt. VII. *Judas qui CHRISTVM tradidit, peccati ſui pœnitentiam geſſit, ſed ſalutem perdidit; quia indulgentiam non ſperavit: Digne quidem pœnitentiam geſſit, quia peccavit tradens ſanguinem juſtum; ſed ideo ſibi fructum pœnitentiæ denegavit, quia peccatum traditionis ſuæ, ipſius quem tradidit, diluendum ſanguine non ſperavit.*

XXXII. Quia igitur Judas ad infinitam Dei miſericordiam non confugit, nec credidit, ſe per CHRISTVM recipi poſſe in gratiam; verum Diaboli aſtu ad deſperationem adigitur; Caino ſimilis, qui magnitudinem peccati ſui ultra miſericordiam divinam exaggeraret; ideo non male Leo ait ſerm. V. de Pasſione: *Tam perverſa impii* (Judæ) *converſio fuit, ut etiam pœnitendo peccaret.*

XXXIII. Sed gravis hic oritur quæſtio, qui factum fuerit, quod Petrus fide donatus fuerit, Judas vero minime.

XXXIV. Nequaquam cogitandum eſt, peccatum Judæ, in ſe, ac per ſe fuiſſe tantum, ut non potuerit ejus remiſſionem impetrare: quia CHRISTVS etiam pro crucifigentibus ſe enixe oravit; ac pro omnibus omnino peccatis plenam & perfectam ſatisfactionem præſtitit.

XXXV. Sunt quidem gradus peccatorum a Petro &

Digitized by Google

Juda commiſſorum. Petrus metu perculſus CHRISTVM abnegat; ſed Judas ex deſtinata animi malitia propter tenue lucellum aliquod in mortem illum tradidit. Interim tamen nequaquam ſtatuendum, Judæ peccatum fuiſſe majus miſericordia divina: cujus Judas factus fuiſſet particeps, ſi veram in CHRISTVM fidem concepiſſet. Vnde recte dicunt Veteres: *Judam plus peccaſſe deſperando, quam CHRISTVM prodendo.*

XXXVI. Male Reformati cauſam, cur Judas non fuerit in gratiam receptus, quærunt in æterno & abſoluto reprobationis decreto; exiſtimantes Judam non potuiſſe fidem in corde concipere, & remiſſionem peccati impetrare, quia æterno & abſoluto Dei odio a ſalute fuerit excluſus, & infernalibus flammis deſtinatus. Quamobrem non difficile, ſed ἀδύνατον fuiſſe ſtatuunt, ut Judas ad miſericordiam Dei confugeret, & impetrata peccati remiſſione vitam in melius componeret.

XXXVII. Contrarium nos defendimus cum Ambroſio, qui *libro II. de Pœnitentia cap V.* ſic ſcribit: *Arbitror, quod etiam Judas potuiſſet tanta miſeratione non excludi a venia ſi pœnitentiam, non apud Judæos, ſed apud CHRISTVM egiſſet.*

XXXVIII. Vera cauſa incredulitatis in ipſo Juda eſt quærenda, qui animum in deſperatione confirmat, nec ſe ad eum corpore & mente confert, a quo in gratiam poterat recipi.

XXXIX. Sed quid ad Judæ confeſſionem & argenteorum oblationem Principes Sacerdotum & Seniores? Hi prorſus efferati, nec aliud quam innoxium ſanguinem ſitientes, reſponderunt: *Quid ad nos? Tu videris.* Hoc eſt: *Quid noſtra refert, an nocentem prodideris, an* in-

Matth. XXVII. v. 4.

innocentem. Proditionis precium ſemel probaſti, & in numeratoaccepiſti: Fac proinde quodcunque libuerit.

XL. Hilarius in Matthæum: *Profeſſio audax atque cæca eſt. Emiſſe ſe juſti ſanguinem audiunt, & extra judicii reatum futuros eſſe ſe credunt: cum tamen dicendo, Tu videris, facinus ipſum in vendente conſtituatur, contra autem vendentis teſtimonio ſcelus ementium confirmetur.*

XLI. Judas igitur, ubi videt, judices nolle recipere pecuniam, ut ſe tam impio auctoramento levaret, projecit argenteos in templum. *Matth. XXVII. v. 5.*

XLII. Sacerdotes autem deliberabant, in quem uſum collocandi eſſent XXX. argentei, quos Judas ad pedes eorum abjecerat. Et præpoſtere religioſi, cum illis nulla eſſet religio inſontem occidendi, negarunt eos poſſe *in Corbonam,* hoc eſt in γαζοφυλάκιον, ut appellat Lucas cap. XXI. v. 1. mitti: ex quo tamen pecuniam deſumſiſſe eſt credibile. *v. 6.*

XLIII. Hujus rei hanc afferebant rationem, quod *precium eſſet ſanguinis;* atque id non poſſet negociis religionis inſervire. Cum enim lex vetaret Devteron. XXIII. v. 18. *ne precium meretricis divino ſervitio dedicetur,* facile collegerunt, idem eſſe ſtatuendum de precio cædis. Quo ipſo produnt ſceleratum animum, & ad omnem malitiam obfirmatum, confitentes innoxium, cujus proditionem emiſſent. Nam ſi non debuit Judas pecuniam tam nefariam a ſacerdotibus accipere; nec ſacerdotibus convenit eam Judæ offerre.

XLIV. Statuerunt ergo unanimi conſilio in uſum pauperum conferre. Ac maluerunt proinde ea pecunia emere *agrum figuli.* *Matth. XXVII. v. 7.*

XLV. Vnde dicatur iſte ager *Ager Figuli* non eadem eſt Interpretum opinio.

Digitized by Google

XLVI. Quidam volunt iſtum a figulo quodam onere paupertatis preſſo, ut æs alienum diſſolveret, venum fuiſſe expoſitum.

XLVII. Alii ad figlinam exercendam aptum fuiſſe putant; eo quod lutum ſeu argillam ad conficienda vaſa fictilia ſubminiſtraverit. Cui Hugo Grotius hoc addit, forraſſis ubertatem illius agri ad figlina opera exhauſtam fuiſſe, quod tam exiguo precio ſit divenditus.

XLVIII. Sunt qui propterea id nominis accepiſſe autumant, quod prope *portam figuli*, ſeu *fictilem* Hieremiæ cap. XIX. v 2. memoratam ſitus fuerit.

XLIX. Nonnulli conjectant ex eo id nominis datum agro, quod huc deportarentur fragmenta vaſorum fictilium: quomodo Romæ *Doliolo*, ſive teſtaceo monti a teſtis fictilium vaſorum nomen fuerit.

L. Aliqui in ea ſunt opinione, ac ſi prope templum habitaverit figulus, qui vaſa fictilia in templo uſurpata formaverit, & circa domum habuerit agrum, id eſt, locum quendam, in quem teſtas projecerit, unde ager iſte redditus fuiſſet ſterilis, ut pro tam vili precio neceſſum habuerit vendere poſſeſſor.

LI. At enim, quia ſepulturæ hic ager deſtinatus fuit; Judæi autem non intra Vrbem, ſed extra ejus pomœria ſepeliverunt mortuos, hæc ſententia vero non videtur conſentanea.

LII. Quicquid igitur ſit de agri hujus nomine, id certum eſt, fuiſſe extra Vrbem. Et S. Hieronymus *de Locis Hebraicis* teſtatur: adhuc ſua ætate locum illum Hieroſolymis extitiſſe ad Auſtralem plagam montis Sion, ubi tum quoque pauperum ac tenuioris ſortis hominum cadavera partim terra obruerentur, partim ſub dio compútre-

putreſcerent. Verba Hieronymi ita habent: *Acheldemach, ager ſanguinis; qui hodie quoque demonſtratur in Ælia ad auſtralem plagam montis Sion: & hactenus juxta Judæorum conſilium, mortuos ignobiles alios terra tegit, alios ſub divo putrefacit.*

LIII. Brocardus Monachus ſcribit, agrum illum juxta piſcinam ſuperiorem & natatoriam Siloah fuiſſe ſitum.

LIV. Adrichomius in *Theatro Terræ Sanctæ* refert, Helenam Imperatricem agri hujus medium quatuor muris, longitudine LXXII. pedum, latitudine vero quinquaginta feciſſe includi; ac ſuperius teſtudine, quæ ſeptem foraminibus, per quæ defuncta Chriſtianorum corpora dimitterentur, pateret, concamerari.

LV. Exinde vero is ager, poſtquam publice innotu- *Matth.*
it, quod emtus eſſet pecunia Judæ annumerata, ut prode- *xxvii. v. 8.*
ret ſanguinem innoxium, voce chaldaica dictus eſt HAKEL-DAMA, hoc eſt *ager ſanguinis:* ut habetur Actor. I. v. 9. & apud Vulgatum Matthæi Interpretem.

LVI. Bene Chryſoſtomus Homilia LXXVI. in Matthæum: *Nomen loco inditum omni clarius tuba ſceleratam eorum prædicat cædem. Si enim in corbonam pecuniam immiſiſſent, non ita manifeſta res facta fuiſſet: nunc vero prædio emto etiam poſteris rem univerſam prodiderunt.*

LVII. Emtus autem eſt ager εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις, *ad ſepulturam peregrinorum:* nempe, ut communis fert opi- *v. 7.*
nio, ad illorum ſepulturam, qui religionis ergo Hieroſolymam veniſſent, atque iſtic obiiſſent.

LVIII. Hilarius agrum hunc ceſſiſſe ait in uſum alienorum ſive *allophylorum,* hoc eſt, alterius gentis ac reli-

Mmm 3 gio-

gionis: quales multi Hieroſolymam venerunt, poſtquam Judæa a Romanis ſubacta erat.

LIX. Vel per *peregrinos* potius intellexeris *Proſelytos* ex gentibus ad verum Deum Iſraelis converſos, qui urbem ſanctam propter templum & ſacrificia in eo offerenda frequentabant. Hos enim tenuioris præſertim fortunæ hoſpites ægre videntur admiſiſſe Judæi in ſepulcra ſua; ob religionis tamen communionem de honeſta ſepultura iis proſpectum eſſe voluerunt.

LX. Jam ante tamen locum fuiſſe Hieroſolymis, ubi ſepelirentur peregrini, admodum eſt veriſimile: ſed in tanto undique confluentium numero amplius forte requirebatur ſpatium.

LXI. Quod de hoc agro refert Adrichomius, defunctorum corpora XXIV. horarum ſpatio in pulverem redegiſſe; eandemque naturam obtinuiſſe terra aliorſum avecta, fabulis potius, quam Hiſtoriæ videtur accenſendum.

LXII. Valde falluntur, qui agrum hunc ab ipſo Juda emtum arbitrantur. Et fovet tamen hanc opinionem Auguſtinus tom. IX. *tractat. de feria IV. cap. III.* ſed prævit Prudentius in *Pſychomachia* v. 534.

Infamem mercatus agrum de ſanguine amici
Numinis, obliſo luiturus jugera collo.

Et hunc ſecutus Arator *Hiſtoriæ Apoſtolicæ lib I.*

——— *Nam cum modo rura paraſſet*
Funeris ex precio, cum nomine ſanguinis emtus
Ceſpes, in externas componens buſta favillas
De tumulis fœcundet humum, caret impius agri
Fertilitate ſui.

LXIII. Atque hos in errorem videtur induxiſſe perverſa

verſa vocis ἐκτήσατο apud Lucam *Actor. I. v. 18.* interpretatio. Cum enim ibidem de proditore legatur: καὶ ἐκτήσατο χωρίον ἐκ μισθοῦ τῆς ἀδικίας, reddendum cenſuerunt: *Et emit agrum:* pro quo alii: *Et poſſedit agrum ex mercede iniquitatis.*

LXIV. Negari quidem nequit, verbum κτᾶσθαι eam interdum obtinere ſignificationem: ſed hoc loco aliter vertendum eſſe συνάφεια textus, Hiſtoriæque veritas requirit. Quomodo enim is agrum emere potuit, cujus in manibus precium amplius non eſt, cum contrahitur? vel qui poſſidere is dicatur, qui ne emtioni quidem ſupervixit? Nam mortem Judæ proditoris non diu poſt proditionem contigiſſe, admodum eſt probabile.

LXV. Rectius igitur vertendum erit illud ἐκτήσατο, *posſidere fecit*, vel, poſſeſſionis occaſionem ſuppeditavit. Habet enim merito hic locum Canon ille Hermenevticus: *Verba quæ actiones aut effectus denotant, de occaſione illorum ſæpe ſunt intelligenda.*

LXVI. Neque Judas ideo dici potuit χωρίον, ſeu *agellum poſſediſſe:* quod, quæ eſt Danielis Heinſii ſententia (huic jam olim etiam alios fuiſſe addictos ex Lyræ *Commentar. ad Acta* patet) partem aliquam ex eo ſepulcrum nactus fuerit. Nec enim illum agrum ſtatim ab exceſſu Judæ emtum conſtat; nec mors Judæ diu a proditione abfuit.

LXVII. Nec magis eſt probabilis Ludovici de Dieu opinio, qui putat Judam iſtis XXX. argenteis voluiſſe agrum figuli emere, eaque de re cum figulo, vel alio agri hujus domino transegiſſe: ſed poſtmodum pœnitentia ductum pecuniam obtuliſſe ſacerdotibus; & cum hi ſe eam accepturos negarent, in templum projeciſſe: iſtos autem

Digitized by Google

autem arcana Dei providentia illum ipſum agrum eôdem precio emiſſe. Cur enim, cum propiora & veriora habeamus, ad tam remota deſcendamus? Nam de Judæ emtione apud Evangeliſtam nihil quicquam exſtat, ſed ſacerdotes habito conſilio agrum dicuntur coemiſſe.

LXVIII. Ea autem emtione, quæ facta eſt triginta argenteis, impletum fuiſſe aſſeritur, quod per Prophetam JEREMIAM dictum erat.

Matth. LXIX. Verba Matthæi ita habent. Τότε ἐπληρώθη
XXVII. v. 9. τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου τοῦ Προφήτου, λέγοντος· καὶ ἔλαβον τὰ
τριάκοντα ἀργύρια, τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ
v. 10. υἱῶν Ἰσραήλ. καὶ ἔδωκαν αὐτὰ εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, καθὰ συνέταξέ μοι κύριος.

LXX. Hic magna ſeſe offert difficultas, quæque veterum ac recentiorum Interpretum ingenia vehementer torſit: quomodo nempe Evangeliſta impletum dicere poſſit Jeremiæ Prophetæ vaticinium, quod tamen in Jeremia non reperiatur. Unde B. Hieronymus *Comment. in Matthæum* non dubitavit ſcribere: *Hoc teſtimonium in Jeremia non invenitur; in Zacharia vero quadam ſimilitudo fertur: & quamquam ſenſus non multum diſcrepet, tamen & ordo, & verba ſunt diverſa.* Ac iterum libello de optimo genere interpretandi ad Pammachium: *In Matthæo redditis ab proditore triginta argenteis, & emto ex eis agro figuli, ſcribitur: Tunc impletum eſt, quod ſcriptum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, precium appreciati, quod appreciaverunt a filiis Iſrael: & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Hoc in Hieremia penitus non invenitur, ſed in Zacharia, aliis multo verbis, ac toto ordine diſcrepante.*

LXXI.

LXXI. Huic igitur difficultati ut obviam iretur, varias interpretes commenti ſunt conciliationes, de quibus nunc diſpiciemus.

LXXII. Quidam memoriæ lapſum S. Evangeliſtæ non dubitant adſcribere: illius lapſui occaſionem præbuiſſe autumant, partim nominum Jeremiæ & Zachariæ ſimilitudinem; partim etiam, quod Jeremias cap. XXXII. v. 2. habeat aliquid de agro a ſe emto ex præcepto Domini.

LXXIII. Eraſmus Roterodamus in hac claſſe collocandus eſt, qui inter cetera cum in hunc locum inquirit, in *Notis ad N. T.* ſcribit: *Etiamſi fuiſſet in nomine duntaxat memoriæ lapſus, non opinior quemquam adeo moroſum eſſe oportere, ut ob eam cauſam totius Scripturæ labaſceret auctoritas.*

LXXIV. In eandem ſententiam Nortonus Knachtbull, Anglus in *Animadverſionibus Paradoxis pag. 31.* non veretur ſcribere: *Quod ad nomen Jeremiæ attinet, non equidem dubito, quin fuerit* ἁμάρτημα μνημονικὸν, *nec temere explodendam eſſe reor ſententiam Auguſtini, vel Calvini, qui errore poſitum eſſe nomen Jeremiæ pro Zacharia ait. Forte voluit Apographi. Sed & Evangeliſtæ ſatis erat pronum & obvium, dum forte intentius cogitaret de loco Jeremiæ cap. XVIII. ubi verba facit de figulo, & cap. XXXII. ubi agit de emtione agri, & ejus nomen pro Zachariæ hoc loco incautus apponeret.*

LXXV. De Auguſtini ſententia, ad quam Nortonus provocat, mox agemus. Calvini verba Commentar. in Matthæum hæc ſunt: *Quomodo Jeremiæ nomen irrepſerit, me neſcire fateor: nec anxie laboro. Certe Jeremiæ nomen errore poſitum eſſe pro Zacharia, res ipſa oſten-*

Digitized by Google

dit. Sed quod ipſe fatetur Nortonus, librarii errorem eſſe exiſtimavit Calvinus: quam opinionem alios plures foviſſe poſtea oſtendemus.

LXXVI. Etiam Ludovico Capello hæc tribuuntur ſententia. Attamen non id diſerte dicit, ſed *Scribæ, qui Evangelium Matthæi deſcripſerit*, lapſum μνημονικὸν agnoſcit *lib. VI. Criticæ Sacræ cap. VII.* Interim eodem capite in ejusmodi ἁμαρτήμασι ipſis Evangeliſtis tribuendo ſic ſatis liberalis eſt. Ad locum Matth. XXIII. 35. ſcribit: *Itaque videtur vel Matthæus ipſe, vel qui primus* αὐτόγραφον *ex Matthæi* αὐτογράφου *deſcripſit, lapſu* μνημονικῷ *alterum pro altero poſuiſſe atq; ſcripſiſſe.* Et ad locum Actor VII. v. 16. *Videtur Stephanus, vel Lucas Stephani verba referens, vel librarius, qui primus Lucæ librum deſcripſit, lapſu* μνημονικῷ *hæc duo ſimul confudiſſe, atque commiſcuiſſe.*

LXXVII. At illa ſententia, quæ Scriptori a S. Spiritu illuſtrato memoriæ lapſum tribuit, tam eſt dura ac intoleranda, ut primum S. Theologiæ principium, Αὐτὸς ἔφα, *Spiritus S. dixit*, labefactet ac infringat. Nam ſi in uno alterove erroribus in ſcribendo obnoxii fuiſſent ſacri Scriptores, certi nequaquam eſſe poſſemus, quod, in aliis erroribus & cæſpitationibus fuerint immunes. Profecto a divinis ſcriptoribus non modo omnis abfuit falſitas, quæ mentiendo, ſed & quæ obliviſcendo fieret.

LXXVIII. Quamobrem periculoſa eſt illorum apud Hieronymum aſſertio lib. II *Commentar. ad Mich. V. v. 2. Sunt qui aſſerant in omnibus pæne teſtimoniis quæ de Veteri Teſtamento ſumuntur, iſtiusmodi eſſe errorem, ut aut ordo mutetur, aut Verba, & interdum quoque ſenſus ipſe diverſus ſit, vel Apoſtolis, vel Evangeliſtis non ex libro carpentibus teſtimonia, ſed memoriæ credentibus, quæ nonnunquam fallitur.*

LXXIX

LXXIX. Auguſtinus quidem *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum* itidem admittere videtur *ἁμάρτημα μνημονικὸν*, ſed longe alio ſenſu ac ſuperiores illi. Nam non fruſtra putat Evangeliſtæ occurriſſe aliud pro alio nomen Prophetæ, adeoque Deum ipſum ita ſcribi conſtituiſſe. Verba Auguſtini hæc ſunt: *Quid intelligendum eſt, niſi hoc actum eſſe ſecretiori conſilio providentiæ Dei, qua mentes Evangeliſtarum ſunt gubernatæ? Potuit enim fieri, ut animo Matthæi Evangelium conſcribentis pro Zacharia Hieremias occurrerit, ut fieri ſolet: quod tamen ſine ulla dubitatione emendaret, ſaltem ab aliis admonitus, qui ipſo adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, niſi cogitaret, recordationi ſuæ, quæ S. Spiritu regebatur, non fruſtra occurriſſe aliud pro alio nomen Prophetæ, niſi quia hoc ita ſcribi Dominus conſtituit.*

LXXX. Veruntamen grave eſt ſtatuere, quod non tantum permittente, ſed etiam volente ac operante S. Spiritu aliquid a veritate hiſtorica diſſonum S. Codici fuerit inſertum, & animadverſum licet, non correctum tamen.

LXXXI. At ratio, quam ſubjungit ſtatim Auguſtinus, aliquid habere videtur ponderis: nempe propterea unum Prophetam pro altero eſſe nominatum, ut admoneremur, *omnes Prophetas unius ejusdemque Spiritus ductu locutos eſſe, ac perinde fore, ex quo citentur teſtimonia: quod quæcunque per eos Spiritus S. dixerit, ſingula ſint omnium, & omnia ſingulorum.*

LXXXII. Dabimus ipſa Auguſtini verba: *Cum ita conſtituerit Dominus, prima illa cauſa utiliſſima debet facillime cogitari, etiam ſic eſſe inſinuatum, ita omnes S. Prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter ſe conſenſione con-*

ſtare, ut hoc multo amplius ſit, quam ſi omnia Prophetarum uno unius ore dicerentur, & ideo indubitanter accipi oportere, quæcunque per eos Spiritus S. dixit, & ſingula eſſe omnium, & omnia ſingulorum. Cum igitur & quæ dicta ſunt per Jeremiam, tam ſint Zachariæ, quam Jeremiæ, & quæ dicta ſunt per Jeremiam, tam ſunt Jeremiæ, quam Zachariæ, quid opus erat, ut emendaret Matthæus, cum aliud pro alio ſibi nomen occurrens a ſe ſcriptum relegiſſet? ac non potius ſequens Matthæus auctoritatem Spiritus S. a quo mentem ſuam regi plus nobis utique ille ſentiebat, ita hoc ſcriptum relinqueret? ſicut cum admonendo conſtituerat ei Dominus, ad informandos nos tantam verborum ſuorum inter Prophetas eſſe concordiam, ut non abſurde, imo congruentisſime, etiam, Jeremiæ deputaremus, quod per Zachariam dictum reperiremus.

LXXXIII. Ex his Auguſtini deſumta eſt Gloſſa Ordinaria ſuper hunc locum, quæ ita habet: *Secreto Dei conſilio factum eſt, ut animo Matthæi pro Zacharia occurreret Jeremias, quia omnes Prophetæ uno ſpiritu ſunt locuti, ita ut ſingula ſint omnium, & omnia ſingulorum. Quare ne Matthæus hoc emendaret, quod ſpiritu regente fecerat, per hoc admoneremur, tantum inter Prophetas eſſe concordiam, ut uni congrue deputetur, quod ab alio dicitur?* Et Venerabilis Beda Commentar. in hunc locum non ſententiam modo Auguſtini ſequitur, ſed eadem prope verba ab eodem mutuatur.

LXXXIV. Adſtipulatur quoque Johannes Gerſon tom. I. *in Monoteſſaro cap. CXLVI.* his verbis: *Quamvis hæc Prophetia ſit magis in Zacharia; nihilominus venit in mentem Hieremiæ, propter aliquam ſimilitudinem quorundam verborum hic poſitorum cum verbis ſuis. Et non curavit*

Digitized by Google

vit mutare: cum omnes Prophetæ uno Spiritu locuti ſunt, tamquam ſi unus Scriptor diverſis calamis conſcriberet, eadem ſcriptura videretur.

LXXXV. Sed nec iſta expoſitio ſuis caret ſcrupulis. Nam quia explicite additum eſt Prophetæ nomen, non apparet, quomodo unum pro altero ſubſtitui potuerit absque jactura veritatis, ſaltem hiſtoricæ.

LXXXVI. Interim notari hic meretur, quod nec Auguſtinus, nec Gloſſa Ordinaria, multo minus B. noſter Gerhardus ſimpliciter lapſum memoriæ tribuant Evangeliſtæ: quod tamen illis imputat Gerhardus Johannes Voſſius *Harmoniæ lib. II. cap. III. §. XVII.* Nam & Auguſtinus & Gloſſa Ordinaria ſecreto Dei conſilio hanc nominum mutationem factam eſſe volunt. B. vero Gerhardus noſter tam alienus eſt ab hac opinione, quæ memoriæ lapſum tribuit Evangeliſtæ, ut in hæc verba erumpat *Harmon. Evangel. cap. VIII. Cum Evangeliſtæ in contexenda Hiſtoria ſacra fuerint Spiritus S. amanuenſes, qui locuti ſunt & ſcripſerunt impulſi a Spiritu S. II. Petri I. v. 21. ideo talem quendam errorem Evangeliſtis tribuere in ipſum Spiritum S. foret injurium.*

LXXXVII. Sunt qui putant; hæc, quæ laudat Matthæus, olim lecta in Jeremia fuiſſe, ſed poſtea per quandam malitiam ſublata. Quam conjecturam etſi legimus apud Euſebium *lib. X. Demonſtrat. Evangel. cap. IV.* adeo tamen non eſt veroſimilis, ut nemo vel veterum, vel recentiorum, qui eam ſequeretur, ſit inventus.

LXXXVIII. Qui librario errorem tribuunt, in diverſas abeunt claſſes. Quidam volunt integre prius in Matthæo ſcriptum eſſe *Zachariæ*, ſed poſtea per oſcitantiam ſcribæ repoſitum eſſe nomen *Jeremiæ*. Quod in-

ter voces nonnulla ſit affinitas. Quæ ſententia jam olim inſinuata ab Origine *in Commentar. ad Matthæum*, itemque Euſebio l. I. poſtea placuit pluribus, præſertim Pontificiis, utpote, ad corruptionis arguendum fontem Bibliorum, maxime pronis. Eraſmo hæc ſententia præ ceteris placuit. Vnde hæc ſcribit: *Mihi vero proximum videtur, apud Græcos, errore ſcriptorum mutatum nomen, atque inde deceptum interpretem Latinum nobis tradidiſſe, quod legerat.*

LXXXIX. Ceterum, utut forſan nonnulli Codices incuria Scriptorum circa hunc textum corrumpi potuiſſent (id quod tamen nondum demonſtratum eſt) omnia tamen & ſingula exempla ita fuiſſe corrupta, ut nulla, ex quibus vera lectio haberi potuiſſet, integra manſerint, nequaquam admittendum eſt.

XC. Auctor *Commentariorum in Pſalmos* ſub Hieronymi latens nomine *tom. VII. in Pſalm. LXXVII.* Theodorus Beza, Johannes Piſcator, & nonnulli alii, literarum compendio exaratum primo fuiſſe exiſtimant ζȣ̃; unde quaſi Ἰȣ̃ foret, facili poſtea lapſu Ἰερεμίȣ factum ſit.

XCI. At vero unde quis probaverit per compendium primitus fuiſſe ſcripta nomina propria, ac ſolitæ ſunt numerorum notæ exarari? Nec dubium eſt, quin error hic poſt paulo animadverſus & correctus in nonnullis exemplaribus fuerit.

XCII. Aliqui conjiciunt, Evangeliſtam ſimpliciter poſuiſſe διὰ τȣ̃ Προφήτȣ, *per Prophetam:* ſed librarium, quod ſimilia reperiret in Jeremia, hujus Prophetæ nomen adſcripſiſſe margini, quod poſtea in ipſum textum irrepſerit. Quæ conjectura non tantum eo confirmatur, quod Matthæo ſit ſolemne ſine addito nomine V. T. vaticinia

nia

nia allegaro (vid. Matth. I. v. 22. cap. II. v. 15. & 23. cap. XIII. v. 35. cap. XXI. v. 4. cap. XXVII. v. 35.) ſed & B. Auguſtinus teſtetur, ſua ætate repertos eſſe Codices, qui nomen Prophetæ non exprimerent; imo & in Syriaca Paraphraſi idem omittatur.

XCIII. Auguſtini verba apponi merentur ex *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtar. cap. VII. Si quis autem movetur, quod hoc teſtimonium non invenitur in Scriptura Jeremiæ Prophetæ, & ideo putat fidei Evangeliſtarum aliquid derogandum; primo noverit, non omnes Codices Evangeliſtarum habere, quod per Jeremiam Prophetam dictum ſit, ſed per Prophetam. Poſſemus ergo dicere, his potius codicibus eſſe credendum, qui Jeremiæ nomen non habent. Dictum eſt enim hoc per Prophetam, ſed Zachariam. Unde putatur, codices eſſe mendoſos, qui habent nomen Jeremiæ; qui vel Zachariæ nomen habere debebant; vel nullius, ſicut quidam; ſed tantum: Per Prophetam dicentem: qui utiq; intelligitur Zacharias.*

XCIV. Eo inclinat quoque Wolffgangus Muſculus: *Apparet*, ſcribens, *pro Zacharia poſitum Jeremiam, a ſcriba forte, qui putaverit, Evangeliſtam de Jeremia ſentire; qui agri emti mentionem facit cap. XXXII. Nam Gloſſa Ordinaria admonet, in pleriſque codicibus Latinis non haberi Jeremiam; ſed ſimpliciter: Quod dictum eſt per Prophetam dicentem.* Item Georgius Calixtus Concordiæ Evangelicæ lib. VI. cap. X. *Veriſimile eſt*, ait, *Jeremiæ nomen a quodam margini adſcriptum in textum olim irrepſiſſe; cum non habeat illud Paraphraſis Syriaca, & Matthæo ſolenne ſit Prophetam ſimpliciter ſine addito nomine allegare, ut videre eſt cap. I. 22. c. II. 5. XIII. 35. Imo te-*

ſtetur

Digitized by Google

ſtetur Auguſtinus, ſua ætate repertos codices, in quibus iſta haberentur.

XCV. In eandem ſententiam Caſpar Barthius *Adverſarior. lib. L. cap. IV.* Melior *excuſando Evangeliſtæ ratio eſt, quam Viri docti excogitarunt. Nimirum gloſſam ineſſe huic verſiculo, & cum Apoſtolus ſolum ſcripſiſſet, Vt dictum eſt per Prophetam, hominem male curioſum & ſciolum plus ſatis, Hieremiæ nomen adjeciſſe, deceptum memoriæ ſuæ confidentia, cum Zachariam ſcribere debuiſſet, ſi omnino ſcelerata manu voluiſſet ſui quid divino Codici inſerere.*

XCVI. Idem placet Baronio *Appendice ad tom. I. Annal.* Quod *non Zacharias,* inquit, *ſed Hieremias citatus habeatur apud Matthæum, cum de antiqua quæſtione diverſa diverſorum habeantur opiniones; illa tamen nobis ſententia magis placet, ut nomen Hieremiæ aliunde in textum illapſum ſit; tum quod temporibus Auguſtini, ut ipſe teſtatur, Hieremiæ nomen non haberent codices omnes, nec omnino Syriacum; tum etiam, quod Matthæus ſæpe alias Prophetam citans, quem intelligat, nunquam exprimere conſuevit.*

XCVII. Hæc tamen conjectatio longe eſſet veriſimilior, ſi Origenes, Scriptor tam antiqvus, & in conferendis libris ſacris usque adeo diligens, & hoc loco differens, aliquam variantis lectionis feciſſet mentionem. Quapropter ipſe Auguſtinus nullam vidit in hac ſententia probabilitatem, quando l. I. commentatur: *Sed utatur iſta defenſione, cui placet: mihi autem cur non placeat, hæc cauſa eſt, quia & plures codices* (Latinos puta) *habent Jeremiæ nomen; & qui diligentius in Græcis exemplaribus Evangelium conſiderarunt, in antiquioribus Græcis ita ſe perhi-*

perhibent inveniſſe. Tum etiam veroſimile eſt admodum, id nominis a Syro omiſſum, quod conſtaret in ſcripto Jeremiæ hoc vaticinium reperiri.

XCVIII. Huc etiam accedit, quod nominatim Matthæus citet Eſaiam *cap. III. v. 3. cap. IV. v. 14. cap. IIX. v. 17.* Jeremiam *cap. II. v. 17.* Danielem *cap. XXIV. v. 15.* Vt nimis temere ſcripſerit Baronius, *Matthæum ſæpe alias Prophetam citando, quem intelligat, nunquam exprimere conſueviſſe.*

XCIX. Aliqui malunt dicere a Matthæo digitum intendi ad Jeremiæ cap. XVIII. v. 1. ſeqq. ubi Propheta jubetur ingredi *domum figuli* ollam conformantis pro lubitu.

C. Hic tamen quia præter nomen figuli vix quidquam afferri poſſit, quod ad Evangeliſtæ ſcopum ac textum qvadret, non eſt, cur huic expoſitioni diſpungendæ immoremur.

CI. Recurrunt igitur alii ad Jeremiæ cap. XXXII. Et cum Matthæus *emti agri, figuli, & peregrinorum* meminerit v. 7. 8. 9. opinantur comparationem inſtitui cum textu Jeremiæ, ubi itidem fiat mentio *emti agri v. 9. figulini vaſis,* in quod literæ emtionis fuerint repoſitæ, v. 14. & *peregrinorum,* in quorum poteſtatem urbs deventura eſſet v. 24.

CII. At enim quia plura in his locis non conveniunt, & difficilis & perplexa eſt eorundem conciliatio, merito ab illa manum abſtinemus.

CIII. Hinc nonnulli ex Jeremia quidem deſumtum volunt vaticinium, non tamen ex eo libro, qui in Canone habeatur; ſed ex deperdito quodam Apocrypho. Atque hanc conjecturam primus attulit Origenes, qui tom. II.

Homil. XXXV. in Matthæum ita: *Suſpicor aut errorem eſſe ſcriptionis* (σφάλμα γραφικὸν) *aut eſſe aliquam ſecretam Jeremiæ ſcripturam,* (ἀπόκρυφον) *in qua ſcribitur.*

CIV. Firmat hanc opinionem Hieronymus, qui in Matthæum ita ſcribit: *Legi nuper in Ebraico quodam volumine, quod Nazarenæ ſectæ Hebræus mihi obtulit, Jeremiæ apocryphum, in quo hæc ad verbum ſcripta reperi.* Neque tamen probat Hieronymus, ut ad apocryphorum auctoritatem locus hic referatur. Eandem ſententiam probat & pluribus confirmat Voſſius *in Harmonia pag. 210.*

CV. Parum abit ab hac ſententia Hugo Grotius, qui ex traditione Jeremiæ non ſcripta, ſed a Zacharia in literas relata depromptam conjicit hanc prædictionem. Verba ejus hæc ſunt: *Pro certo haberi debet multa apud Judæos vatum veterum oracula conſervata fuiſſe, non ſcripto, ſed memoria; quamquam poſtea qui a parentibus acceperant ea privatim annotarunt: unde factum eſt, ut ea oracula in libris ab Eſdra digeſtis non exſtarent. Jam vero & illud ſciendum eſt, veterum Prophetarum verbis uti ſolitos Prophetas poſteriores. Ita Ezechiel multa habet verbotenus ex Jeremia deſumta, ut apparet collatis locis Jerem. XXXI. v. 29. 30. Ezech. XIIX. 12. 3. 4. Inprimis autem Zacharias amat imitari locutiones Jeremiæ. Quis enim non videt, quod apud eum eſt cap. I. 4. ſumtum ex Jerem. XIIX. c. 2. XXXV. 15. quod eſt apud eum, cap. I. 6. ex Thren. Jerem. II. 17. quod eſt c. III. 8. ex Jer. XXXIII. 5.) Quapropter dicere etiam ſolent Judæi, Spiritum Jeremiæ fuiſſe in Zacharia. Quare non video, quid obſtet, quo minus & dictum hoc ab Jeremia primitus uſurpatum, hominumque memoria conſervatum, per Zachariam repeti Deus voluerit: quod tamen hic a Matthæo,*

thæo citetur primi auctoris nomine, quamquam in libris ab eo ſcriptis non exſtat.

CVI. Hanc de traditione ſententiam Apoſtolorum uſu alii munire contendunt, quod ſoleant citare aliqua, non quæ a Prophetis ſint ſcriptis conſignata, ſed per traditionem ſaltem propagata. *Si ex traditione* (verba ſunt B. Kesleri) *potuit Paulus nomina Magorum Ægyptiacorum Scripturæ Canonicæ inſerere. II. Timoth. III. 8. ſi ex traditione Judas Apoſtolus allegare, hiſtoriam in altercatione ſuper corpus Moſis, v. 9. Si itidem ex traditione introducere Enochum vaticinantem, etiam non abſurde Matthæus cenſeri poteſt attuliſſe ex traditione vaticinium Jeremiæ.*

CVII. At de Cabbala ſeu traditione Judæorum, cujus meminit Grotius, nimis longum foret hic differere, ac diſcutere, quid, quave ratione in ea probandum vel improbandum veniat. Hoc tantum monemus, in conſequentia ab ipſo formata nullam eſſe connexionem: cum Prophetæ anteceſſorum ſuorum ſcripta legere, eademque ſequi, verba item ac contextum ſæpe inde mutuare ſint ſoliti; Zachariam Jeremiæ verba, ab ipſo forte, dum viveret, uſurpata, etſi non conſignata, allegaſſe.

CVIII. Tantum certe abeſt, ut negemus ſtudium illud Prophetarum in lectione ſcriptorum Canonicorum priorum, ut contra dicamus atque ſummopere contendamus, tum ſcripta poſteriora, Prophetarum inprimis, tum ipſum N. Teſtamentum facilius nos intellecturos, ſi hoc obſervato ex collatione verba ac ſententiæ priorum in his teneantur, aureola B. Lutheri in Comment. ſuper Devteronomium præfatione ſubinde in memoriam revocantes: *Certum eſt,* inquit, *ut quemadmodum mundi ſapientes dicunt, Homerum eſſe patrem omnium poëtarum,*

 fon-

fontem, imo oceanum omnis eruditionis & ſapientiæ & eloquentiæ: ſic noſter Moſes fons & pater eſt omnium Prophetarum & librorum ſacrorum, id eſt ſapientiæ & eloquentiæ cœleſtis. Jucundiſſimum eſt ſane & tam intelligentiæ quàm memoriæ juvandæ commodiſſimum & utilisſimum, cernere veſtigia Prophetarum poſteriorum in Moſe, ut illum legerint, didicerint, docuerint, nocturna verſarint manu, verſarintque diurna. Ex cujus copiæ cornu omnes illorum opes ſumtæ ſunt, ut & ipſi de eo dicere posſint, ex plenitudine & abundantia illius omnes nos accepimus, ſicut ipſe prævidit & prædixit in cantico ſuo: Concreſcat in pluviam doctrina mea, fluat ut ros eloquium *meum.* Similia etiam a Rabbinorum non paucis ſtudioſe inculcari obſervatum eſt.

CIX. Interea de traditionis non ſcriptæ citatione hi etiam ipſi Judæi nihil plane meminerunt. Judicio unius Abarbenelis hac vice acquieſcere poterimus, qui prolixe hac de re egit in Commentario in Eſaiæ cap. II. & in Comm. in Mich. cap. IV. Ibi inter alia ſcribit: *Clarum eſt prophetias Eſaiæ* (cap. II.) *& Michæ* (cap. IV.) *easdem eſſe, nec differre, niſi quoad voces, quæ ſunt diverſa, & additam illuſtrationem. Similiter obſervabis, Moſen in Cantico* (Devt. XXXII. 36.) *dicere:* Cum judicaverit Dominus populum ſuum, tunc propter ſervos ſuos pœnitebit ipſum *&c. eundem etiam verſum a Davide repeti.* Pſalm. CXXXVI. 14. Quando judicat Dominus populum ſuum, propter ſervos ſuos pœnitet ipſum &c. *Et ſic plus vice ſimplici hoc occurrit in Prophetis, ut unus illorum ea proferat, quæ ab alio Propheta iisdem verbis jam ante dicta ſunt.* In Micham vero commentatur: *Eſaias & Micha eandem habuerunt viſionem propheticam, at prius Eſaias. Micha autem conſignaturus viſionem illam, multis uſus eſt verbis,*

quæ

Digitized by Google

quæ apud Eſaiam exſtant; non quod Micha ſubduxerit verba Eſaiæ, ſed quod viſionem ſuam enarraverit illis verbis, quæ tunc ex Eſaiæ ori ipſius erant indita.

CX. Reliquis vero argumentis præter alia hoc reſponderi poſſet: Quicquid ſit de illis, de quibus multum ultro citroque diſputatur, alia certe ratio eſt eorum, ac hujus dicti. Ibi tantum actiones memorantur; hic vero integra verba ex oratione Prophetæ de Meſſia citantur.

CXI. Neutra igitur ſententia firmo nititur tibicine. Non enim ſine periculo creditur ex Apocryphis addito expreſſo Prophetæ nomine ab Evangeliſta vaticinium Propheticum laudatum; vel traditionibus dubiis ac incertis divinam ac Propheticam auctoritatem tributam eſſe. Fac interim quædam Veterum dicta a poſteris conſervata eſſe, nec in canonem ſacræ Scripturæ relata; unde tamen quis probabit hoc Zachariæ dictum unum eſſe ex illorum numero: Conjecturæ ſunt, & nihil amplius: quibus in tanto negocio inniti tuto non licuerit.

CXII. Ad Apocryphum Hieronymo a Nazareno oſtenſum bene reſpondet Barthius Adverſarior. d. l. *Hoc a perfidis illis non alia ratione factum exiſtimo, quam ut auctoritatem Evangeliſtæ plane demerent, rati pro nullius judicii ſcriptore habitum iri, qui ex libro non recepto teſtimonium peteret.*

CXIII. Nec eſt, quod quis ad confirmandam hanc traditionem illud afferat, quod Matthæus Jeremiam inducat loquentem, non ſcribentem. Quis enim eſt qui neſciat, tam familiarem hanc locutionem Evangeliſtis eſſe, ut aliam vix reperire liceat? Conſiderentur modo omnia N.T. loca, ubi aliquid in V.T. prolatum allegatur

ſub phraſibus, *Dictum eſt, Dicit, Dixit, Dixerunt*, & ſimilibus, & apparebit, quod ſcripto ſimul conſignata hoc modo citentur. Porro utramque paginam implet apud Judæos כמו שנאמר *kemo ſchenneemar*, ſicut dicitur dum loca Scripturæ allegare animus eſt. Conferatur ſaltem, qui §. CIX. adductus eſt ex Abarbenele locus, & patebit ſemper adhiberi אמר *dicere*, cum tamen non niſi de genio Evangeliſtarum judicandum, quod modum loquendi Judaicum obſervaverint, cum eſſent Judæi.

CXIV. Superiori conciliationi affinis eſt ea, quæ nodum ita ſolvere conatur, *quod Zacharias vixerit in diſciplina Jeremiæ.* Hujus eſſe Prophetiam, licet a diſcipulo ejus Zacharia deſcriptam. Non diſplicet hæc interpretatio Petro Ravenello *in Bibliotheca Sacra, voce Jeremias.* Verba *illa*, inquit, *Acceperunt triginta nummos argenteos &c. non reperiuntur apud Jeremiam, ſed exſtant Zachariæ XI. citantur autem ſub nomine Jeremiæ: vel quia a Jeremia per Zachariam, qui in diſciplina ipſius, per manus tradita, fuerat inſtitutus, ad Eccleſiam pervenerunt.*

CXV. Verum primo contra hanc ſententiam militat, quod proximæ conjecturæ oppoſitum, phraſi illa, *Dictum eſt per Prophetam*, allegari vaticinium ab eodem quoque in literas relatum. Deinde ne minima quidem veriſimilitudine probabitur, quod Zacharias in diſciplina Jeremiæ fuerit, quippe quem ultra ſeſquiſeculum poſt Jeremiam vixiſſe ex chronologica ſupputatione nonnulli oſtenderunt. Denique ipſe Zacharias huic ſententiæ videtur adverſari, quando viſiones ſuas non ab altero acceptas, ſed ſibi ipſi oblatas & inſpiratas eſſe luculenter teſtatur *cap. I. v. 1.*

CXVI. Propius ad ſcopum fortaſſis collimant, qui vaticinium a Matthæo laudatum partim apud Je[illegible]iam,
[illegible]ar-

partim apud Zachariam legi ſtatuunt. In loco tamen Jeremiæ non conſentiunt. Quidam ſcilicet ad Jeremiæ *cap. XVIII. v. 1.* alii ad *cap. XIX. v. 1. ſeqq.* nonnulli vero *ad cap. XXXII. v. 6. ſeqq.* recurrunt. Alii denique ad Jeremiæ *cap. XIX. & XXXII.* ſimul recurrunt; ita ut apud Jeremiam prophetia quærenda ſit de agro, qui emtus eſt ſub conditione quoad ſitum, nomen, & profanationem *cap. XIX.* ſed quoad ſubſecutam ejus ſanctificationem temporibus Meſſiæ *cap. XXXII.*

CXVII. Neque vero negari poteſt morem eſſe Scripturæ, ut quando teſtimonium aliquod ex duobus conflatur Scriptoribus, ſatis ducant, ſi alterutrum nominent. Quomodo teſtimonium Matth. XXI. *v. 5* eſt ex Eſaiæ LXII. *v. 11.* & Zachar IX. *v. 9.* ad hæc illud Actor. I. *v. 20.* compoſitum ex verbis Pſalm LXIX. *v. 27.* & CIX. *v. 8.* Et teſtimonium I. Petri II. *v. 7.* conflatum ex verbis Pſalm. CXVIII. *v. 22.* & Eſai. VIII. *v. 14.*

CXVIII. Idcirco non inviti hanc ſententiam amplecteremur, modo non, quæ habentur apud Jeremiam, parum ad Evangaliſtæ locum viderentur pertinere.

CXIX. Igitur alii Zachariam binominem fuiſſe ſtatuunt, atque alio nomine dictum Jeremiam. Hanc ſolutionem ceteris præfert Thummius *Diſquiſitione de verbo Dei Theorem. I. de libris Canonicis & Apocryphis*, & placet Johanni Tarnovio *in Zachariæ cap. XI.* Henr. Müllero *in JESV patiente*: nec diſplicet eadem Eraſmo Roterodamo, Gerhardo, Joh. Voſſio, & Franciſco Gomaro: præſertim quia in confeſſo eſt, haut raro in Scriptura duo vel plura nomina uni perſonæ tribui.

CXX. Hæc ſi cui nondum ſatisfecerint, non expeditior tam vexatum locum a corruptela vindicandi videtur

via

Digitized by Google

via, quam ſi ſtatuamus, Jeremiam inter Prophetas primum habuiſſe locum, ac propterea Matthæum Zachariæ textum ſub Jeremiæ titulo protuliſſe, quod is primus in volumine Prophetarum eſſet; perinde uti ipſe CHRISTUS Luc. XXIV. v. 44. per Pſalmos deſignat Hagiographa, in quibus primum locum Pſalmorum liber obtinuit.

CXXI. Et ne quis putet, hæc gratis a nobis dici, ecce ipſa Talmudicorum verba dabimus, ſed latine verſa ex Maſſechet Baſa Bazra: *Ex traditione doctorum noſtrorum ordo Prophetarum talis eſt: Liber Joſuæ & Judicum, Samuelis & Regum, Jeremiæ & Ezechielis, Jeſaiæ & XII. minorum Prophetarum.* Et poſt pauca: *Cum vero Jeſaias tempore anteverterit Jeremiam atque Ezechielem, præponendus utique eſſet Jeſaias. Quandoquidem autem liber Regum finiatur in materia de vaſtatione, de eadem totus agat Jeremias, Ezechiel vero ab eadem materia incipiat, & deſinat in conſolationem, denique totus Jeſaias agat de conſolatione; ideo conjunxerunt devaſtationem cum devaſtatione, & conſolationem cum conſolatione.* Traditionem hanc citat R. David. Kimchi in Præfat. ad Jeremiam, & Abarbenel præfat. in Prophetas poſteriores.

CXXII. Atque hanc ſententiam hodie calculo ſuo probant Viri in literatura Ebraica excellentiſſimi, atque inter illos Johannes Saubertus *in variis lectionibus Matthæi*, & Johannes Friſchmuthius *in Diſſertat. de diviſione S. Scripturæ in Legem, Prophetas & Hagiographa*, Johannes Ligtfootus *in Horis Hebraicis & Talmudicis in Matthæum.*

CXXIII. Et tantum de Prophetæ nomine. Nunc videamus, utrum Zacharias & Matthæus ſententia ſatis con-

conveniant. Zachariæ ſunt iſta ex Ebræo ad verbum expreſſa: *Et dixeram illis: Si bonum videtur in oculis veſtris, afferte mercedem meam: Et ſi non, ceſſate. Et appenderunt mercedem meam XXX. argenteos. Et dixit Dominus ad me: Projice eos ad figulum* (in Ebræo eſt יוצר, quod in genere uſurpatur pro eo, qui arte format aut effingit aliquid; ſpeciatim deinde figulum notat) *Magnificentia precii* (hoc eſt, *magnificum precium) quo æſtimatus ſum ab illis: Et accepi XXX. illos argenteos, & projeci illos in domum Domini ad figulum.*

CXXIV. Septuaginta ſic reddiderunt: Καὶ ἐρῶ πρὸς αὐτούς, εἰ καλὸν ἐνώπιον ὑμῶν ἐστι, δότε τὸν μισθόν μου, ἢ ἀπείπασθε. καὶ ἔστησαν τὸν μισθούμενον τριάκοντα ἀργυροῦς. Καὶ εἶπε κύριος πρός με, κάθες αὐτοὺς εἰς τὸ χωνευτήριον (*in conflatorium:* Aquila rectius, πρὸς τὸν πλάστην) καὶ σκέψαι (al. σκέψομαι) εἰ δόκιμόν ἐστιν, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν. Καὶ ἔλαβον τοὺς τριάκοντα ἀργυροῦς, καὶ ἐνέβαλον εἰς τὸν οἶκον Κυρίου, εἰς τὸ χωνευτήριον.

CXXV. Hæc videntur quidem aliquantum diſcrepare a Matthæo: Sed ſi obſervetur regula, quam ſæpius inculcat B. Hieronymus, *quod Evangeliſtæ in allegatione vaticiniorum Propheticorum magis reſpiciant res & ſenſum, quam verba & ſyllabas,* facile apparebit, nullam occurrere diverſitatem atque diſcrepantiam quoad ſenſum.

CXXVI. Accedit, quod in Teſtamento Veteri, ſæpe a Judæis notetur, præcipue ab Aben-Eſra in Exodi XX. ſolere Scriptores ſacros modo clare ſua ſenſa exprimere, modo breviter: ſuffecerit, ſi commode quis poſſit intelligere. *Voces,* ait, *ſunt velut corpora; & ſenſus quaſi anima: & corpus ſe habet ad animam, ut vas quoddam, quapropter conſueverunt omnes omnium nationum ſapi-*

 entes

entes ſenſum ſervare, neque admodum curare diverſitatem vocum, modo ſenſu conveniant.

CXXVII. Introſpiciamus igitur textum Propheticum penitius. Poſtquam Zacharias paſtorale officium CHRISTI deſcripſerat, & inſignia paſtoralia in medium attulerat, duas virgas, ſeu baculos, per quos Lex & Evangelium intelliguntur; poſtquam item pœnas expoſuerat, quibus Ἀρχιποιμὴν cœleſtis ἀχαριςίαν populi Judaici viſitavit, ſubjungitur deſcriptio mercedis, quæ CHRISTO a Judæis fuit numerata, venditio ſcilicet pro vili precio XXX. argenteorum, qui poſtea figulo dati ſunt.

CXXVIII. Totum vaticinium in forma Dialogi proponitur. Cum enim in præcedentibus renuntiaſſet CHRISTVS paſtorali muneri, jam velut abituriens, a Judæis mercedem flagitat, & cum iis expoſtulat, dicens: *Si bonum vobis videtur in oculis veſtris, cedite mercedem meam; ſin minus, omittite.* Quæ non incommode licebit ita παραφράζειν. Strenue hactenus officio meo functus ſum. Jam vero perſpiciens ſummum animi veſtri ingrati crimen, & pertæſus laboris mei fruſtra exantlati, a vobis jam ſtat animus abire. Agite igitur, quod ipſa æquitas flagitat, & quod nec homines improbiſſimi iis denegant, qui ipſis fideliter miniſtrati ſunt. Agite, ſi placet. Et ſi æqvum atque commodum vobis videtur, numerate mihi debitam laboris mercedem. Quod ſi tamen præter omne jus & fas mercedem debitam mihi denegatis, deſiſtite modo, nec inſtabo ulterius, ſed Deo committam, veſtrumque animum ingratum reliquis, quibus me affeciſtis, injuriis deputabo.

CXXIX. Poſt hæc ſubjungitur, quid fecerint Judæi. Nempe pro more Veterum, quibus ſignata pecunia non

ita erat in uſu, ſed ſolebat appendi ad ſtateram (vid. II. Samuel. XIIX. *v. 12.* Jerem. XXXII. *v. 9.*) *Appenderunt*, inquit CHRISTVS, *mercedem meam*, uti ipſi putabant, & ſatis inique operam meam æſtimabant, *triginta argenteos.*

CXXX. Hoc ipſo indicatur, CHRISTVM pro incredibilibus ſuis in populum Judaicum beneficiis id tandem conſecutum præmii, ut a Juda proditore triginta argenteis ſanguinem ipſius ſtipulati fuerint; ſicque loco debitæ mercedis alium conduxerint, a quo ad mortem traderetur. Eleganter Ruffinus in Expoſitione Symboli Apoſtolici: *Bene mercedem ſuam dicit, velut impugnantis & exprobrantis affectum. Etenim tam multa opera bona apud eos egerat, cæcos eorum illuminaverat, claudis pedes, paralyticis greſſum, mortuis quoque reddiderat vitam. Pro iis ergo omnibus bonis mercedem reſtituunt ei mortem triginta argenteorum exiſtimatione penſatam.*

CXXXI. Pro eo, quod apud Zachariam dicitur; *Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos*, apud Evangeliſtam habetur: Ἔλαβον (ſcil. filii Iſrael) τριάκοντα ἀργύρια. *Acceperunt triginta argenteos.* Nec opus eſt, ut ἔλαβον pro *accepi* reddatur, &, pro ἔδωκαν legatur ἔδωκα; quamvis & Syrus ita verterit.

CXXXII. Non utique inter ſe pugnant, quod toti populo Propheta tribuit, ſolis Sacerdotibus & Scribis ab Evangeliſtis imputari; quippe qui ſoli cum Juda hoc proditionis precio paciſcerentur. Nam non modo hi, ut primores, totum repræſentabant populum; ſed poſtea etiam totius populi mens apparuit, quando per inſanum clamorem illum ſuo ſuffragio ſcelus illud comprobarunt.

CXXXIII. Sequitur in Propheta, quid precio XXX. argenteorum factum ſit: *Projice,* inquit Dominus ad CHRISTVM, *mercedem illam ad figulum.* Quandoquidem CHRISTVS Patris ſui judicium de mercede illa viliſſima, quæ nec digna, quam acciperet, audiret, ſic ironice de illa ait; *Magnificentia precii,* hoc eſt: Magnificum precium, *quo* precioſe ſatis *ab illis æſtimatus ſum.* Nempe his verbis ſumma Judæorum perſtringitur iniquitas, quod tam vili precio eum æſtimaverint, qui tantis laboribus defunctus longe majorem ac meliorem mercedem promeruerat.

CXXXIV. Hoc deſignat Evangeliſta per τιμὴν τοῦ τετιμημένου, *precium æſtimati illius,* id eſt, qui eſt inæſtimabilis, ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ; *quem tanti æſtimarint a filiis Iſrael.* Vbi juxta Euthymium, ſubaudienda eſt particula τινὲς, hoc ſenſu: *Quem tanti æſtimarunt nonnulli ex filiis Iſrael,* hoc eſt *Iſraelitæ.* Multo nempe id eſt concinnius, quam ſi cum Theophylacto illa, ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ cum voce τετιμημένου conjungas, & per ea Judam intelligas; vel etiam cum Franciſco Junio ad verbum ἔλαβον referas.

CXXXV. Tandem concludit Propheta, quomodo juxta Domini præceptum argentei in templum ſint projecti. *Et accepi triginta illos argenteos, & projeci eos in domum Domini ad figulum.* Sic Matthæus: καὶ ἔδωκαν αὐτὰ
Matth. XXVII. v. 10. εἰς τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως. *Et dederunt eos,* antea in templum projectos, *in agrum figuli.* Vltima Evangeliſtæ verba καθὼς συνέταξέ μοι κύριος, *ſicut mandavit mihi Dominus,* conveniunt cum eo Prophetæ: *Et dixit Dominus.*

CXXXVI. Quamvis autem projectio illa pecuniæ a Juda fuit facta, & emtio agri figuli a Sacerdotibus, utrum-

utrumque tamen CHRISTO tribuitur apud Prophetam; non ſolum quod hac pecunia, qua CHRISTUS proditus, figuli ager coëmtus fuerit; ſed etiam quod hæc omnia ſingulari ipſius CHRISTI providentia facta fuerint.

CXXXVII. Non enim hic cum Beza aliisque Reformatis ſtatuimus, propterea hoc factum eſſe, ut indicaretur, *Deum illorum hominum voluntatem malam horſum flexiſſe, ut iſte ponderet CHRISTUM, hi autem emerent.* Nam nihil ejusmodi in hoc vaticinio habetur: *ſed tantum indicatur, CHRISTI providentia hæc omnia licet mala, fuiſſe directa ad hunc finem bonum, cum Judas cuperet argentum in ſuum uſum convertere, & Sacerdotes mallent ad ſe recipere, tamen CHRISTUM, quamquam in ſumma exinanitione coram Pilato conſiſtentem, adegiſſe Judam ſua omnipotentia, ut mercedem iniquitatis redderet, & Sacerdotum animos permoviſſe, ne theſauro templi apponerent, verum agrum figuli emerent:* uti fere ſuper hunc locum ſcribit Johannes Tarnovius Theologus de Eccleſia noſtra bene meritus.

CXXXVIII. Atque ſic conſentientes habemus Prophetam & Evangeliſtam, ſi non quoad verba ſingula, attamem quoad ſenſum accurate. Vnde Hieron. libello ſupra laudato de optimo genere interpretandi: *Accuſent Apoſtolum falſitatis, quod nec cum Hebraico, nec cum LXX. congruat translatoribus; & quod his majus eſt, erret in nomine: pro Zacharia quippe Hieremiam poſuit. Sed abſit hoc de pediſſequo CHRISTI dicere; cui cura fuit non verba & ſyllabas aucupari, ſed ſententias dogmatum ponere.* Idem Commentar. l. II. in cap. V. Amos: *Hoc in omnibus Scripturis ſanctis obſervandum eſt, Apoſtolos, & Apoſtolicos viros in ponendis teſtimoniis de veteri Teſtamen-*

to, non verba conſiderare, ſed ſenſum, nec eadem ſermonum calcare veſtigia, dummodo a ſententiis non recedant.

CXXXIX. Poſtquam ex una difficultate nos extricavimus, ſuccedit alia non minoris ponderis, quæ eſt de morte Judæ proditoris. Etſi autem in eo omnes conſentiant, quod amiſſa pecunia corpus etiam & animam perdiderit; tamen de mortis genere per omnia non convenit.

CXL. Communis fert opinio, cui noſtrum quoque calculum addemus, ſuſpendio vitam finiiſſe.

CXLI. Loca, in quibus de morte Judæ proditoris agitur, duo ſunt; alter Matthæi cap. XXVII. v. 5. καὶ ἀπελθὼν ἀπήγξατο: alter Lucæ, Actor. I. v. 18. καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, καὶ ἐξεχύθη πάντα τὰ σπλάγχνα αὐτοῦ. Quorum verborum verſionem nondum afferre volumus, quod de iisdem tantopere decertari ſciamus.

CXLII. Quidam igitur necquicquam habent de ſuſpendio, ſed illud ἀπήγξατο interpretantur de morbi ſpecie, quæ a Medicorum filiis *Angina* appellatur, eſtque genus morbi acutiſſimi, quo fauces, ſive infima gulæ gutturisque anxietate incredibili coarctantur, atque præcluduntur.

CXLIII. Varias hujus morbi ſpecies recenſet Cornelius Celſus Medicorum Cicero *lib. IV. de re medica cap. IV.* Quid vetat verba ipſa referre? *Ut hoc autem morbi genus* (de quo capite præcedenti egerat) *circa totam cervicem, ſic alterum æque peſtiferum acutumque in faucibus eſſe conſuevit. Noſtri Anginam vocant, apud Græcos nomen prout ſpecies eſt. Interdum enim rubor, neque tumor ullus apparet, ſed corpus aridum eſt, vix ſpiritus trahitur, membra ſolvuntur, id συνάγχην vocant. Interdum lingua*

fau-

fauceſque cum rubore intumeſcunt, vox nihil ſignificat, oculi vertuntur, facies pallet, ſingultus eſt, id ὡς συνάγχη vocatur. Illa communia ſunt, æger non cibum devorare, non potionem poteſt, ſpiritus ejus intercluditur. Levius eſt, ubi tumor tantummodo, & rubor eſt, cetera non ſeqvuntur: id παρασυνάγχην appellant.

CXLIV. Quod ad originem vocis attinet, dicta eſt *Angina*, quod angat ac conſtringat, ſive, ut Cœlius Aurelianus lib. III ὀξέων cap. I. loquitur, quod *hominem laquei inſtar ſuffocet ac ſtrangulet.*

CXLV. Vt autem Lucam cum Matthæo concilient, ajunt, hunc morbum, poſtquam fauces præcluſiſſet proditori, ſpiritus ſive flatus incluſos non potuiſſe invenire exitum, ut tandem in unum quaſi collecti faſciculum magna vi corpus perruperint, ac viſcera ſic effluxerint.

CXLVI, Eodem morbo dicunt Achitophelem periiſſe, idque non modo Ebræorum Magiſtrorum auctoritate, ſed & LXX. verſione nixi, qui idem verbum ἀπάγχεσθαι uſurpent. Denique etiam hoc addunt, Judam, quod puer hoc infeſtaretur morbo, *Iſcariotæ* nomen accepiſſe.

CXLVII. Ceterum etſi non negaverimus, verbum ἀπάγχεσθαι de quavis ſtrangulatione, atque adeo ea, quæ per anginam accidit, generatim poſſe accipi; an tamen hoc in loco ſpeciatim illam denotet, id eſt, quod verſatur in quæſtione. Deinde aliquis dubitaverit, an tanta intus concluſi ſpiritus humani, niſi τὶ θεῖόν τι accedat, dari queat violentia, quæ ventri perrumpendo ſufficiat.

CXLVIII. Tum, quod de Achitophele dicitur, vix vero videtur ſimile, angina illum periiſſe, quandoquidem Hiſtoria ſacra dicat, eum *domui ſuæ præcepiſſe;* nimirum, quid

quid poſt ſe domeſticis de rebus & hæreditate fieri voluerit: quod ſane deliberatum ſeſe interimendi conſilium prodit. Quamobrem & Joſephus *lib. VII. cap. IX. Antiq. Judaic.* de ſuſpendio id accepit. Nec obſtat Rabbinorum ratiuncula, ac ſi ſit inconveniens, tanti animi tantæque prudentiæ virum adeo ſuccubuiſſe deſperationi, ut vitam finiviſſet laqueo. Quis enim ignorat, maximos ſæpe viros, quando Deus ex juſto eos deſerit judicio, eo præcipiti magis lapſu in extrema quævis ruere, quo in ſublimiori gradu antea fuerunt collocati? Et quid ſi angina periiſſe Achitophelem κατ' ἄνθρωπον ſtatuamus, num ex eo ſequetur, Judam quoque id feciſſe? Nam adhuc tamen in pluribus typus Judæ fuerit Achitophel, licet non pari mortis genere vitæ reperiſſet exitum. Quod verbo ἀπάγχεσθαι utantur LXX. ad rem nihil facit, niſi oſtendatur de Angina utrumque locum agere.

CXLIX. Porro quod Judas nomen *Iscarioth* anginæ morbo debeat, quo cum dum puer erat, conflictatus fuerit, lubricum valde aſſertum eſt. Non enim אסכרא *anginam* modo, ſed qualemcunque ſuffocationem notat. Quas inter quia ſuſpendium quoque habet locum, ſunt qui ab eo poſt mortem nomen accepiſſe conjiciunt, idque per quandam anticipationem ab Evangeliſtis proponi. Quamvis uti *parte I. cap. VIII. §. 38.* diximus, multo eſt probabilius, ab oppido *Kerioth*, natales & nomen Judam accepiſſe.

CL. Tum ſi vel maxime largiremur, Judæ hunc morbum in ætate puerili adhæſiſſe; non tamen exinde probaretur illico, quod ætate adulta eodem laboraverit, & demum fuerit exſtinctus.

CLI. Huc accedit, quod Lucas, qui tanquam inuſi-

tatum

Digitized by Google

tatum aliquod, horrendum, & id propter memorabile mortis genus deſcribit, id in notitiam omnium, qui Hieroſolymis habitarent, perveniſſe teſtetur. Angina vero, familiari Judæis morbo ſi periiſſet Judas, non video qui ad tantam admirationem Hieroſolymitanos potuiſſet rapere.

CLII. At vero ſi dixeris, non id tantopere percrebuiſſe Hieroſolymis, quod Judas angina eſſet exſtinctus, quam quod medius crepuerit, & viſcera effuderit, quoniam ſic anginæ effectus inſolens & prodigioſus eſſet; brevibus reſpondero, exceptionem illam non de nihilo videri; ſed eo inclinare nos, quod hæc Lucæ non tam ad mortem Judæ, quam ad emtionem agri figulini referenda ſint.

CLIII. De Friderico Arnsbergenſi Comite quem Albertus Abbas Stadenſis anno cIↃ CXXIV. obiiſſe affirmat, Auctor vitæ B. Godefridi Cappenbergenſis in *Monumentis Paderbornenſibus* pag. 226. laudata: *Dirupto ventris thorace idem Fridericus ſedens in prandio medius crepuit.* Idem ergo ſentiendum de iis, qui Judam morbo hydropico periiſſe exiſtimant. Nam quod aquæ intercuti tantum violentiæ adſcribant, quæ aliquem medium valeat disrumpere, neſcio an ejus rei exempla alia ſint ſcriptis conſignata. Et ſi vel maxime reperirentur ejusmodi obſervationes, quia tamen de hydrope in Sacra Hiſtoria nec vola apparet nec veſtigium, utique huic ſententiæ non licet tuto ſubſcribere.

CLIV. Hinc neque ingenioſas admittere poſſumus cogitationes Viri ſummi, Thomæ Bartholini, qui *Conſilio Medico de Cometa,* Judam melancholia cum hydrope complicata laborare potuiſſe conjicit, eo quod λακεῖν *crepaturam*

ram cum ſonitu, πρηνὴς γενόμενος vero inceſſum melancholicis ſimilem declaret. *Si igitur*, inquit, *ab interno principio animæ meatus Judæ melancholico obſtructus fuit, præceps in ſolum lapidoſum factus humidum aqua & atra bile ventrem potuit disrumpere, ut viſcera interna effunderentur.*

CLV. Succedit illorum ſententia, quæ tanto Judam mœrore affectum fuiſſe ſtatuit, ut vitæ penitus pertæſus ſeſe de ſublimi loco præcipitem dederit, atque iſthac ruina contritus viſcera effuderit. Dicunt enim illud ἀπάγχεσθαι interdum ſignificare *vi ac impetu mœroris vitam evadere*; interdum etiam non ipſam mortem denotare, ſed tantum ingentem animi mœrorem atque ægritudinem, & voluntatem mortis obeundæ. Tum vero πρηνὴς γενόμενος idem eſt, quod καταπρηνιχθεὶς, *in præceps datus*, quod & ſimpliciter πρηνιχθεὶς dicitur. Heſychius: πρηνὴς ἐπὶ πρόσωπον πεπτωκώς. Idem: πρηνιχθέντα, ἐπὶ πρόσωπον καὶ ἐπὶ στόμα πεσόντα.

CLVI. In præcipitium eo libentius inclinant, quod hominibus intemperiis & malo genio actis id genus exitii admodum ſolenne fuerit; præcipitio autem interemtis viſcera quandoque effundi ſolita: ut illi apud Lucanum lib. II.

> Qui *ſe præcipiti jaculatus pondere, dura*
> *Diſſiluit percuſſus humo.*

Et ſorori Pſyches quæ memorante Apulejo lib. V. Metamorph. *Saltu ſe maximo præcipitem dedit; perque ſaxa cantium membris jactatis atque diſſipatis, & perinde, ut merebatur, laceratis viſceribus ſuis, interiit.*

CLVII. Nituntur illi hac hypotheſi, quod Matthæus non deſcribat ultima proditoris fata, ſed tantum angorem

rem ac mœrorem per ſuum ἀπήγξατο deſignet. Id vero fundamentum quia nobis admodum videtur fragile, cum illis facere non audemus. Æque enim Matthæus exitum calamitoſum Judæ recenſet ac Lucas: niſi quod hic effuſionem viſcerum adjungat: quæ quomodo facta ſit, vel fieri certe potuerit, poſtea videbimus.

CLVIII. Præterea, licet præcipitium non ſit inuſitatum ac infrequens mortis genus, ac alii legantur quoque in eo miſeriarum finem quæſiviſſe; non tamen illico eſt concludendum idem elegiſſe proditorem. Et quamvis etiam ruptura ventris, effuſioque viſcerum ab hoc præcipitio ſemel atque iterum evenit (videatur II. Paralipomen. XXV. v. 12.) nihil tamen prohibet, quo minus eundem effectum in Juda ab alio principio ortum traxiſſe aſſeramus.

CLIX. Nova illorum eſt opinio, qui maxime probabile eſſe exiſtimant, quod Diabolus Judam, cum poſt projectos in templum nummos recederet, ad ſuos forſan reverſurus, in ſublime raptum ſtrangularit, atque præcipitem dederit, ita ut ad terram alliſus rumperetur medius; vel diabolus etiam omnia inteſtina ejus effuderit, & tam horrendo exitu egreſſus fuerit. Atque hoc inſolens mortis genus totius urbis admirationem ſubſecutam eſſe volunt. Primus quod equidem ſciam, hujus ſententiæ auctor eſt Johannes Lightfootus, S. Theol. D. & Collegii S. Aulæ Catharinianæ in Academia Cantabrigienſi Præfectus in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Evangelium Matthei.*

CLX. Potiſſimum, hujus ſententiæ robur in eo conſiſtit, quod diabolus Judam corporaliter, ut ita loquar, occupaverit. Quæ tamen ſententia, uti ex *parte I. cap. XIV.* §. *59.* clarum eſt, nobis non probatur.

Digitized by Google

CLXI. Sed ſi vel maxime Diabolum ſecundum ſubſtantiam invaſiſſe Judam ſtatuamus, non tamen exinde ſequetur, ab inſeſſore Diabolo Judam eſſe ſtrangulatum, & effuſa ac diſperſa viſcera.

CLXII. Verba etiam iſta: *γνωστὸν ἐγένετο πᾶσι τοῖς κατοικοῦσιν Ἱερουσαλὴμ*, quæ ad agrum Hakeldama commodius referri diximus, ſi itidem de proditoris loquerentur exitu, id deſignare poſſunt, quod omnes cognoviſſent proditorem e veſtigio pœnas dediſſe, & quidē morte tam horrenda. Nam utut ſuſpendium ſui non adeo eſſet inſolens, ut mirum videretur omnibus; in Juda tamen, CHRISTI non ita pridem diſcipulo, poſt proditore, mirum fuit: præſertim quando tam memorabili effectu, ruptura ventris, & effuſione viſcerum obſignaretur.

CLXIII. Denique quia de Diabolo Judam ſtrangulante & disrumpente in Sacris nihil exſtat; quæ tamen ſi fuiſſent facta ob perennem rei memoriam nequaquam omiſiſſent Evangeliſtæ, non immerito ab hac opinione recedimus.

CLXIV. Quapropter ad ſuſpendium Judæ progredimur. Sed qui pro eo depugnant, aliter atque aliter de eo ſtatuunt.

CLXV. Theophylactus & Euthymius Judam ſe quidem primo ſuſpendiſſe volunt; ſed, vel arbore in terram inclinata, vel aliquibus ſupervenientibus, qui laqueum adimerent, ſupervixiſſe aliquantulum, Deo ſic eum per miſericordiam invitante ad pœnitentiam; at poſtea novis actum furiis ſemet præcipitem dediſſe, ut ſic medius creparet, viſceraque effunderet.

CLXVI. Huic ſententiæ nihil aliud opponimus, quam Sacræ Scripturæ & antiquiſſimorum Eccleſiæ Doctorum ſilentium.

CLXVII. Pa-

Digitized by Google

CLXVII. Papias, ut refert Oecumenius *in Actor. cap. 1.* itidem ſuſpendio ſupervixiſſe, & ad magnum impietatis exemplum in mundo circumvagatum tradit: ſed corpus ejus adeo intumuiſſe, ut progredi non potuerit, ac tandem in loco anguſto a curru tranſeunte ſic fuerit oppreſſus ut rupto ventre prolaberentur inteſtina.

CLXVIII. Verba Oecumenii hæc ſunt: Ὁ Ἰούδας οὐκ ἐναπέθανε τῇ ἀγχόνῃ, ἀλλ' ἐπεβίω, κατενεχθεὶς πρὸ τοῦ ἀποπνιγῆναι. καὶ τοῦτο δηλοῦσιν αἱ τῶν Ἀποστόλων πράξεις, ὅτι πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. Τοῦτο δὲ σαφέστερον ἱστορεῖ Παπίας ὁ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου μαθητὴς, λέγων. Μέγα ἀσεβείας ὑπόδειγμα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ περιεπάτησεν Ἰούδας. Πρησθεὶς γὰρ ἐπὶ τοσοῦτον τὴν σάρκα, ὥστε μὴ δύνασθαι διελθεῖν, ἁμάξης ῥαδίως διερχομένης, ὑπὸ τῆς ἁμάξης ἐπιέσθη, ὥστε τὰ ἔγκατα αὐτοῦ ἐκκενωθῆναι. *Judas non eſt mortuus, ſed ſupervixit. Dejectus eſt enim prius, quam præfocaretur. Idque Apoſtolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius. Hoc autem planius ſcripſit Papias, Johannis Apoſtoli diſcipulus, dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permanſit Judas. In tantum enim corpore eſt inflatus, ut progredi non poſſet: cumque currus leni curſu pertranſiret, curru compreſſus eſt, ita ut effunderentur ejus inteſtina.*

CLXIX. Papiam quia futiliſſimum Scriptorem nominat Euſebius, quique omnes traditionum fabellas mire amplecteretur, & ſcriptis mandaret, multaque falſa abſurdaque de CHRISTO & Apoſtolis ſcriberet, eo minus ipſi fidem habemus.

CLXX. Oecumenius porro aliorum ſententiam refert de capitis tumore, item oculorum & membri genitalis, deque ſanie ac vermibus totius corporis: & quomodo poſt longa tormenta in prædio ſit mortuus eo cum fœtore, ut diu manſerit deſertum.

Digitized by Google

ait: Μεταμέλον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ, καὶ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, καὶ ἀγχόνην διδάσκει. *Pœnitentiam* (Princeps mundi) *immiſit proditori, & laqueum illi commonſtravit, & ſuſpendium, quo ſtrangularetur, edocuit.*

CLXXVI. Non equidem ignoro, quid ſentiant de his Epiſtolis Viri docti, dum nonnulli plane confictas & ſuppoſititias cenſuerunt, inter quos ſunt David Blondellus in *Præfatione Apologiæ pro ſententia Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris*, & in *Epiſtola* ad Jacobum Vſſerium *apud Hammondum*, Edmundus Albertinus *libro II. de Euchariſtia*, Johannes Dallæus *lib. IV. de Jejunio & Quadrageſima.* Attamen non deſunt, qui genuinas eſſe affirmant, ac rationibus non leviculis probant, quorum ſunt in numero Dionyſius Petavius *tom. IV. de Dogmatibus Eccleſiaſticis part. II. in Appendice*, Jacobus Vſſerius *in Epiſtola Appendici Ignatianæ præfixa*, Henricus Hammondus *Diſſertat. II. adverſus Blondellum a cap. I. ad XXV.* & inprimis illarum editor Iſaacus Voſſius *in Præfatione, & paſſim in Notis.* Sint igitur quædam inter illas antiqui Doctoris nomen injuria præ ſe ferentes, de omnibus tamen idem ſentire nimis durum eſſe arbitror. Sane Iſaacus Caſaubonus nonnullarum ex illis antiquitatem novis rationibus tueri paratus fuit, uti conſtat ex *XVI. exercitat. ad Baronium*, *Num. CL.* Sed demus hæc ipſa, quæ adduximus verba Ignatium auctorem non habere, vetuſtus tamen procul dubio ſcriptor fuit, qui epiſtolam illam ad Philippenſes exaravit.

CLXXVII. Succedat antiqvus ille contra Cataphrygas Scriptor Anonymus, qui apud Euſebium *lib. V. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XV.* ait, Montanum & Maximillam, eodem periiſſe letho, ac Judam. Jam autem conſtat hos duos

ſuſpendio

ſuſpendio vitam finiviſſe. Verba Auctoris ipſa adſcribam: Ἄλλῳ θανάτῳ τελευτῆσαι λέγονται Μοντανός τε καὶ Μαξιμίλλα. Τούτους γὰρ ὑπὸ πνεύματος βλαψίφρονος ἑκατέρους ὑποκινήσαντος, λόγος ἀναρτῆσαι ἑαυτοὺς οὐχ' ὁμοῦ. κατὰ δὲ τὸν τῆς ἑκάστου τελευτῆς καιρὸν φήμη πολλή. καὶ οὕτω δὲ τελευτῆσαι καὶ τὸν βίον καταστρέψαι, Ἰούδα προδότου δίκην. *Alio mortis genere interiiſſe dicuntur Montanus & Maximilla. Ambo enim, ut fama eſt, ab inſano ſpiritu incitati, laqueo ſibi gulam fregerunt: non quidem ſimul ſed ſua quisque mortis tempore: atque ita inſtar proditoris Judæ vitam finierunt.* Sequatur Chryſoſtomus qui *Homil. I. in fer. V. paſſ. Dom.* Guttur *profanum quod hodie CHRISTO extendis ad oſculum, craſtino extenſurus es ad laqueum: Malo tuo didiciſti argentum expendere; mox incipies & corpus proprium ponderare.* Etiam de ſuſpendio aſſentit Nazianzenus, ſive potius Apollinaris in Tragœdia CHRISTUS *Patiens:* Βρόχον κρεμαστὸν ἐξανάψεις ἀγχόνης ψυχὴν ἀφεῖναι τοῖς βροχώμασι τρέχων: *Laqueum penſilem aptabis, animam efflare ſuſpendio feſtinans.* Sic Prudentius *in Pſychomachia* verſibus etiam ſupra laudatis:

Infamem mercatus agrum de ſangvine amici
Numinis, obliſo initurus jugera collo.

Item Victorinus Pictavienſis Epiſcopus *Carm. de JESV CHRISTO Deo & Homine:*

—— *tradens dedit oſcula ſignum*
Perfidus, & juſto confregit guttura nodo.

Nec non Arator Diaconus in *Hiſtoria Evangelica:*

Aeris ut medio communi poneret hoſti
Debita pœna locum: cœlo terraque peroſus
Inter utrumque perit: nullis condenda ſepulcris
Viſcera rupta cadunt.

Quem

Digitized by Google

Quem imitatur Bernhardus *Sermon. VIII. in Pſalm. XLI. Judas in aëre crepuit medius, aërearum collega poteſtatum, utpote quem veri Dei & hominis, qui de cælo veniſſet, operaturus ſalutem in medio terræ, hujus, inquam, proditorem nec cælum reciperet, nec terra.* Niſi fortaſſis à Beda mutuatus eſt, qui in *cap. 1. Actor.* ſequentia commentatur: *Dignam ſibi pœnam traditor invenit, cum guttur, quo vox proditionis exierat, laqueo necavit. Dignum etiam locum quæſivit, ut qui Angelorum & hominum Dominum prodiderat, cælo & terræ prorſus quaſi aëris ſpiritibus ſociandus juxta exemplum Achitophel & Abſolon in medio aëris periret.*

CLXXVIII. Auguſtinus quoque jam diu ante ſuſpendium Judæ inculcaverat. Sic enim lib. I. de Civ. Dei cap. XVII. *Judæ factum merito deteſtamur, eumque veritas judicat, cum ſe laqueo ſuſpendit, ſceleratæ illius traditionis auxiſſe potius quam expiaſſe commiſſum.* Et *libr. L. homiliarum hom. XXVII.* Quod *Judas fecit in corpore ſuo, hoc factum eſt in anima ipſius. Quomodo qui ſibi collum ligant, inde ſe occidunt, quia non ad eos intrat ſpiritus aëris hujus: ſic illi, qui deſperant de indulgentia Dei, ipſa deſperatione intus ſe ſuffocant, ut eos Spiritus S. viſitare non poſſit.* Nec aliter Hieronymus *lib. II. Commentar. in Eſaiæ cap. V.* Achitophel *quoque & Judas, quorum alter David, alter Dominum prodiderunt, fune longiſſimo trahentes peccata ſua periere ſuſpendio: putantes malum conſcientiæ præſenti morte finiri, & nihil eſſe poſt mortem.* Ac eadem plane verba habentur *lib. II. Commentar. in Lamentat. Hieremiæ cap. III.* Idem *lib. II. Commentar. in cap. V. Amos:* Judas *periit infelix, qui abundantiori abſorptus triſtitia, perditioni homicidium copulavit; & homicidium omnibus pejus homicidiis:*

 ut

Digitized by Google

ut ubi putabat remedium & mortem ſuſpendii finem malorum; ibi leonem & urſum & colubrum reperiret. Ac denuo in cap. II. Nahum: *Judas de ovili CHRISTI fuit, & raptus a leone ſuſpendio ſuffocatus eſt.* Sic & Ambroſius in Pſalm. CXVIII. *Ipſe* (Satanas) *eſt incentor, ipſe accuſator, ipſe in Judam introivit, ipſe eum ad proditionem impulit, ipſe miſit ad laqueum.* Videatur idem *lib. II. de Pœnitentia cap. V.*

CLXXIX. Quia de ſuſpendio Judæ certi ſumus, non erimus ſolliciti, utrum in urbe, an extra urbem; domi nec ex lacunari, an e paxillo; num in horto, an in agro vitæ finem, mortis æternæ initium repererit.

CLXXX. Eo tamen pervaſit hominum curioſitas, ut arborem ipſam ſe reperiſſe crediderint. Juvencus ex licentia poëtica de ficu ſe ſuſpendiſſe cecinit lib. IV. Hiſtor. Evangelicæ:

Exorſusque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas
Informem rapuit ficus de vertice mortem.

Hoc non attendens Beda hiſtorice ac proprie accepit libro *de locis ſanctis cap. IV.* inquiens: *Portam David egredientibus fons occurrit in Auſtrum vel vallem directus, ad cujus medietatem ab occaſu Judas ſe ſuſpendiſſe narratur. Nam & ficus magna ibi & vetuſtiſſima ſtat.* Hanc ficum Monachos Hieroſolymitanos adhuc peregrinantibus oſtendere Itineraria narrant.

CLXXXI. Adrichomins in *Theatro Terræ Sanctæ* Sycomorum fuiſſe ait, eamque adhuc exſtare: locum vero ſuſpendio aſſignat ad Occidentale latus montis Sion in quadam ſylvula.

CLXXXII. Alii fabulantur Judam de ſambuco ſeſe ſuſpendiſſe; & cum prius illa arboris ſpecies fuiſſet grata

ob

Digitized by Google

ob odoris ſvavitatem; poſt ſuſpendium Judæ mutato odore grato in graveolentiam multum de ſua perdidiſſe gratia.

CLXXXIII. Sed quid mirum poſt tam curioſam indagationem repertam eſſe arborem a Juda ad ſuſpendium electam, cum Pontificii reſtim, quam injecerit collo, invenerint? Hæc enim poſtquam diu inter ſacras reliquias pependit Romæ, ſuperiori ſeculo illuſtris Fronsbergius, rei inſolentia delectatus, detraxit, & ſingularis inſtar ſpolii Auguſtam Vindelicorum deportavit.

CLXXXIV. At magis adhuc mireris *Cajanos*, ſeu *Cainæos* priſcæ Eccleſiæ hæreticos, qui Judam miris laudibus ac honoribus extulerunt, quod tradendo Servatorem ſalutem generis humani promoverit. Tertullianus de Præſcription. adverſus hæreticos cap. XLVII. de iisdem ita ſcribit: *Nec non & erupit alia quoque hæreſis, quæ dicitur Cainæorum* (in Rhenani editione male legitur *Chaldæorum*) *Et ipſi enim magnificant Cain, quaſi ex quadam potenti virtute conceptum, quæ operata ſit in ipſo. Nam Abel ex inferiori virtute conceptum, procreatum, & ideo inferiorem repertum. Hi qui hoc aſſerunt, etiam Judam proditorem defendunt, admirabilem illum & magnum memorantes, propter utilitates, quas humano generi contuliſſe jactatur. Quidam enim ipſorum gratiarum actionem Judæ propter hanc cauſam reddendam putant. Animadvertens enim, inquiunt, Judas, quod CHRISTUS vellet veritatem ſubvertere, tradidit illum, ne ſubverti veritas poſſet. Et alii ſic contra diſputant, & dicunt: Quia poteſtates hæ mundi nolebant pati CHRISTUM, ne humano generi per mortem ipſius ſalus pareretur, ſaluti conſulens generis humani, tradidit CHRISTUM, ut ſalus, quæ impediebatur per virtutes, quæ*

Digitized by Google

pateretur CHRITUS, impediri omnino non poſſet: & ideo objiciebant, ne per paſſionem CHRISTI non poſſet ſalus humani generis retardari. Videatur porro de illis Irenæus *lib. I. adverſus hæreſes cap. ult.* Epiphanius *hæres. XXXVIII.* Hieronymus Auguſtinus *de hæreſ. cap. XVIII.* Philaſtrius *de hæreſibus Hær. XXXIV.* qui etiam Cerinthum *Judam traditorem honoraſſe* ſcribit *hæreſi XXXVI.*

CLXXXV. Recte vero Epiphanius horum dementiam refellit ex ipſius Judæ verbis, ſe peccaſſe confitentis prodendo ſangvinem innoxium: ut plura adverſus eos adducere ſupervacaneum videatur. Bene igitur apud Cyprianum Orientales ſcribunt Epiſt. LXXV. edit. Pamel. *Judas perfidia ſua & proditione dignus videri non poteſt, quaſi cauſam bonorum tantopere ipſe præſtiterit, ut per illum mundus & gentium populus liberaretur.*

CLXXXVI. Non ſane cogitavit Judas de ſalute generis humani, ſed de pecunia. CHRISTVS cogitavit de ſalute noſtra, quam perfecit. Chriſtum amandum, Judam damnandum; CHRISTUM glorificandum, Judam deteſtandum pii omnes exiſtimant.

CLXXXVII. Inter Donatiſtas hæreticos peculiaris ſecta erat, cujus aſſeclæ dicebantur *Circumcelliones.* Hi non ſolum in alios immania perpetrabant facinora, ſed nec ſibi eadem inſania & feritate parcebant. Nam per mortes varias, præcipitia inprimis ſe ipſos uſura lucis privabant. Et in iſtum furorem alios ſeducebant, hoc pacto illos Martyres fieri aſſerentes. Honorius Auguſtodunenſis libello de Hæreſibus: *Circumcelliones, id eſt, agreſtes, item Cotopitæ. Hi amore martyrii ſemetipſos interimunt, ut martyres nominentur.* Philaſtrius de Hæreſibus c. LXXXIV. *In Africa ſunt qui Circuitores dicuntur, hi circumeunt terras, & quos inveniunt in via, cogunt eos ut interfi-*

Google

interficiantur ab illis, dicentes ſe deſiderare pati martyrium, & ſub cauſa hac multi latrocinantur interdum. Quidã autem ex his velut Biothanati moriuntur, ſeſe dantes ad præcipitium, diverſumq; ſubeunt calamitatis interitum: qui cum ſine cauſa perire ita properant, honeſta mortis ſuſtinent detrimenta, & judicio Dei futuro ſe potius implicant, quam ſolvunt. Contra hos diſputans B. Auguſtinus, eos Judam traditorem imitari ſcripſit lib. I. *contra Gaudentium cap. XXXVII.* Et *lib. II. contra literas Petiliani* (hic unus ex hac fæce erat) *cap. XLIX.* Donatiſtas mortem ſpontaneam ſibi afferentes, *inimicos CHRISTI, amicos Diaboli, diſcipulos ſeductoris, condiſcipulos traditoris* nuncupat; *ſpontaneas mortes ab uno magiſtro utroſque didiciſſe* affirmans, *illum laqueum, iſtos præcipitium.* Eodem capite inquit: *Non veneramur nomine martyrum eos, qui ſibi collum ligaverunt.* Vide eundem Auguſtinum Enarrat. in Pſalm. CXXXII. ubi propter peſſimos agones quos certabant Agoniſticos vocari aſſerit. *Dicant* inquit, *quod eos vocant, & audietis Agoniſticos eos vocant. Sic eos, inquiunt, appellamus propter agonem. Certant enim & illi, & dicit Apoſtolus: Certamen bonum certavi. Qui ſunt, qui certant adverſus Diabolum & prævalent; milites Chriſti agoniſtici vocantur. Vtinam ergo milites Chriſti eſſent, & non diaboli.*

CLXXXVIII. Αὐτόχειρες autem, ut & hoc addamus, in primitiva Eccleſia privabantur honorata ſepultura. Concilium Bracarenſe I. Canon. XXXIV. *Placuit, ut qui aut per ferrum, aut venenum, aut ſuſpendium, aut quolibet modo violentam ſibi ipſis inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Pſalmis ad ſepulturam eorum cadavera deducantur.* Et Concilium

Valentinianum Ann. IↃ CCCLV. cap. XII. *In duello caſus tanquam ſui homicida, & propriæ mortis ſpontaneus appetitor, a Dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadaver ejus cum pſalmis vel orationibus ad ſepulturam deducatur.*

CAP. VIII.

De iis quæ perpeſſus eſt JESUS, prius in ædibus Pilati, deinde & Herodis. Initio capitis agitur de Pilati nomine, patria, munere & morte. De Prætorio Pilati, & cur Judæi illud ingredi noluerint. Diſceptatio Pilati cum Proceribus Judæorum. Controverſia, Annon licuerit amplius Judæis capitali ſupplicio in ſontes animadvertere, diſcutitur. Interrogatio Pilati judicialis CHRISTIque reſponſio, & ſilentium. Tranſmiſſio CHRISTI ad Herodem Antipam. De veſte CHRISTI candida fuſe diſſeritur, eaque occaſione ex Antiquitate Eccleſiaſtica Baptizatorum Veſtes albæ illuſtrantur. Finitur caput in Syncretiſmo Pilati & Herodis.

I.

ORdinis nunc ratio poſtularet, ut diceremus, quomodo CHRISTUS ex ædibus Caiphæ ad Pontium Pilatum raptus ſit. Sed placet his præmittere brevem de Pilati nomine, natalibus, munere, & morte hiſtoriolam.

II. Pilatum nonnulli dictum volunt a Pilo alii a *Pila*. At cur hodie in Galliis Domini de Pila tam famoſo ſtirpis conditore ſuperbiant, ſatis mirari nequeo.

III. Svaviter nugantur, qui *Pilam* ei matrem, & *Atum*

Digitized by Google

tum Patrem fuiſſe tradunt, ac ſi exinde *Pilati* nomen acceperit. Mirum etiam cur Clariſſ. Kirſtenius in Notis ad Arabicam Paraphraſin Matthæi tantopere deſudet, ut nomen Pilati ab Arabica deducat origine: cum ipſe fateatur, vix Arabicum eſſe: & re vera Arabicum non ſit.

IV. Prænomen ei fuit *Pontii*. An autem e *Ponto* oriundus fuerit, certo definiri non poteſt. Sequitur tamen hanc opinionem Theophylactus *in cap. XXVII. Matthæi.*

V. Legenda aurea *Pontii* nomen ipſi adhæſiſſe ſcribit, quod a Romanis ad inſulam *Pontianam* judex quondam miſſus ſit. Sed ubi terrarum ſita fuerit hæc inſula, id quidem nemo ex Geographis hactenus tradidit.

VI. Lyra Pilatum ex Burgundia oriundum cenſet, patriamque ei aſſignat Lugdunum, dicitque *Pontii* nomen frequentatum olim in Burgundia. Quid, quod aliqui Lugdunenſibus Batavis eundem velint obtrudere?

VII. Alii pro certo venditant Viennis in Gallia hanc lucem adſpexiſſe: quam tamen traditionem explodit Abrahamus Gœlnitzius in *Vlyſſe Gallo-Belgico.*

VIII. Ab his diſcedunt illi, qui Valentiæ natum arbitrantur. Et Vienna quidem Valentiam verſus contendentibus a ſiniſtro latere Rhodani oſtenditur domuncula in viridario, qua in ferunt primo vitalem lucem adſpexiſſe.

IX. Sabellicus Pforchemium, quod eſt oppidum admodum munitum in ditione Epiſcopi Bambergenſis, Pilati facit patriam. Quam traditionem alii ſecuti ſunt, qui Pilatum Pforhemii natum, a Romanis vero ob fortitudinis famam evocatum, & honorificis muneribus admotum volunt.

X. Sed ſcribunt vulgi hanc eſſe fabulam, Mameranus

nus Lucenburgenſis in *Deſcriptione itineris Caroli V. ab Anno* CIↃ IↃ *XLVII.* & Thraſybulus Lepta *in vita Georgii a Seinsheim lib. II.*

XI. Etſi noſtrum non eſt tantas de patria Pilati lites componere; multo tamen videtur probabilius, Pilatum aut Romanum fuiſſe, aut Italum: cum aliarum gentium hominibus provincias devictas non facile regendas commiſerint.

XII. Non fuit Pilatus Palæſtinæ *Præſes*, quamvis ipſum ita nuncupent Oroſius *lib. VII. cap. IV.* Ivo Carnotenſis, Freculphus *tom: II lib. I. cap. VI.* aliique plures. Non enim peculiaris provincia erat Judæa, ſed ad Syriam pertinebat. Quamvis belli tempore fuerint diviſæ, ut Veſpaſiano Judæa, Muciano Syria pareret Vitelliano tumultu.

XIII. Non plane eſt de nihilo, quod Pilatum *Syriæ legatum* fuiſſe ſcribit Lactantius lib. IV. cap. XVIII. in his verbis: *Ita Judas præmio illectus tradidit JESVM Judæis. At illi comprehenſum, ac Pontio Pilato, qui tum Legatus Syriam regebat oblatum cruci affigi poſtularunt.* Barthius tamen *Adverſarior. lib. VII cap. II.* mendoſos exiſtimat Lactantii codices, & ſcribendum; *qui ſub Silano Judæam regebat.*

XIV. Utique ſub Syriæ Præſide Pilatum Judæam rexiſſe certum eſt: adeo ut coram Vitellio Pilatum aliquando accuſaverint Judæi, quod Samaritanos occidiſſet. Videatur Joſephus Antiquitatum Judaicarum lib. XVIII. cap. V. Interim ſi pro *Syria* in Lactantio legeretur *Judæa*, felicius res componeretur. Certum namque eſt, Præſides legatos ſuos habuiſſe, qui interdum partem aliquam provinciæ curarunt.

XV. Rufinus Pilatum alibi *Judææ rectorem*, alibi *præfectum Judææ appellat.*

XVI. O-

Digitized by Google

XVI. Omnium optime Tacitus Annal. XV. Pontium Pilatum *Procuratorem* vocat. *Auctor nominis ejus CHRISTUS,* de Chriſtianis agens, inquit, *qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Hunc quadamtenus ſequitur Tertullianus *in Apologetico cap. XXI.* ſcribens: *CHRISTUM poſtremo oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti.* Et Cyprianus de Idolorum vanitate: *Hunc magiſtri eorum, atque primores, hoc eſt, quos & doctrina ille, & ſapientia revincebat, accenſa ira, & indignatione provocata poſtremo detentum Pontio Pilato, qui tum ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes.*

XVII. Nimirum provinciæ minores a ſolis Procuratoribus regebantur, quorum præcipuum ac proprium erat munus, ut reditus ac tributa colligerent, aliaque curarent, quæ ad fiſcum. Sed quoniam nullo alio Præſides res ſæpe cogebat jus inter provinciales dici, etiam in re criminum, factum, ut juriſdictionem ſibi aliquam ſumerent exemplo Præſidum. Id Procuratorum genus, notæ & diſcriminis cauſa, dicti paſſim in legibus Romanis *Procuratores Vice Præſidis,* aut *cum poteſtate;* quemadmodum recte de eo diſſerit Juſtus Lipſius *Commentar. ad XII. Annal. Taciti.*

XVIII. Ex hoc igitur Procuratorum numero Pilatum fuiſſe vel ex eo conſtat, quod ſibi poteſtatem arrogat animadvertendi in reos, & gratiam iiſdem faciendi. Nempe imperium merum, ſeu poteſtatem animadvertendi cum exercitu & copiis militaribus a Tiberio Cæſare accepiſſe exiſtimamus, ut Judæos aſſidue tumultuantes, vel tributa Cæſari dare detrectantes compeſceret. Ideoque etiam

Digitized by Google

Pilatus ſigna Romana & Cæſaris effigiem, præter conſvetudinem, ad contumeliam legis Judaicæ, Hieroſolymam intulerat, ut ita Judæos ad venerationem Cæſaris adigeret: ut eſt apud Joſephum *lib. XVIII. Antiquitatum cap. IV.*

XIX. De morte Pilati non una eſt Scriptorum ſententia; Joſephus *lib. XVIII. cap. V.* refert, Pilatum juſſum fuiſſe Romam proficiſci, ut reſponderet ad objecta per Judæos crimina, ſed prius quam veniret in urbem, Tiberium Imp. vita exceſſiſſe.

XX. Sunt qui Pilatum propterea Romam a Tiberio vocatum fuiſſe aſſerunt, ut rationem redderet judicii de CHRISTO innocente lati.

XXI. Id etſi non probari poteſt argumentis validis, tamen Tiberium non ignarum fuiſſe eorum quæ cum CHRISTO acta ſunt, colligere ex Juſtino poſſumus, qui *Actorum Pilati* meminit; & Pilatum ipſum ad Tiberium ſcripſiſſe non ſemel in *Apologetico* teſtatur Tertullianus; ex quo id procul dubio hauſerunt Gregorius Turonenſis *Hiſtor. Francorum lib. I. cap. XXI. & XXIV.* & Haymo Epiſcopus Halberſtadienſis *lib. II. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. IX.* Oroſius de eo ita lib. VII. cap. IV. *Pilatus præſes Palæſtinæ provinciæ ad Tiberium Imp. atque ad Senatum retulit de paſſione & reſurrectione CHRISTI.* Eo reſpexiſſe credo Gervaſium Tilberienſem in Otiis Imperialibus ſcribentem: *Tiberium per Pilatum libenti animo miracula virtutesq́; CHRISTI ſuſcepiſſe narrat hiſtoria.*

XXII. Non enim Romæ modo, ſed & in provinciis ſingulorum dierum acta ſumma cum cura conſcribebantur: ut adeo Rectores provinciarum non per literas tantum, ſi quid occurreret memoratu dignum, Imperatorem certiorem facerent; verum etiam Acta rerum memorabilium

Digitized by Google

bilium ſuo juſſu confecta ad eundem transmitterent.

XXIII. Horum Actorum Pilati notitia pervenire potuit ad Chriſtianos per aliquem e Cæſarum miniſtris, qui ad CHRISTUM converſus, quæ ipſe ſcrinia tractans Auguſtorum comperiſſet, fidelibus expoſuerit.

XXIV. Inſignis attamen eorum impoſtura eſt, quos non puduit epiſtolam Pilati & Acta a ſe conficta pro genuinis monumentis venditare.

XXV. Quod quidem auſum in memoriam mihi revocat offucias Paganorum quibus primitivam Eccleſiam vexarunt. Nam & hi quoque Acta quædam Pilati confinxerant, in quibus CHRITUM merum modo eſſe hominem, ac ob delicta ſua punitum habebatur: quorum obtentu contra Chriſtianos actum eſt acerbius. Tangit eadem Acta Euſebius Hiſt. Eccl. lib. IX. cap. V. *Denique, inquit, cum Acta quædam apud Pilatum ſuper Servatore noſtro habita compoſuiſſent, plena impietatis adverſus CHRISTUM; ea per omnes provincias Imperii Maximini ipſo jubente dirigunt; mandantes per literas, ut ubique locorum tam in agris, quam in civitatibus publice proponerentur; utque ludimagiſtri pro dictatis hæc declamanda & memoriæ commendanda pueris traderent.* Et cap. VII. *Pueri item in ſcholis toto die nihil aliud præter JESUM & Pilatum, & Acta illa ad noſtram contumeliam conficta in ore habebant.* Eorundem Actorum meminerunt Acta Præſidialia Tarachi, Probi & Andronici cap. IX. ubi Maximus Præſes hæc dicit: *Inique non ſcis, quem invocas CHRISTUM, hominem quidem fuiſſe, factum ſub cuſtodia Pontii Pilati, & punitum: cujus exſtant Acta paſſionis.* De horum Actorum falſitate quædam attulit Euſebius Hiſtor. Eccl. lib. I. cap. IX. ubi ex Chronologia eadem convellit.

 XXVI. Præ-

XXVI. Præterea falſa quoque eſt Epiſtola Pilati, quæ ex PſeudEgeſippo deſcribitur, & ab Ivone Carnotenſi in *Chronica*, itemque in *Compilationem Chronologicam* a Piſtorio *Tom. I. Scriptorum Rerum Germanicarum* relata eſt.

XXVII. Neque audiendus eſt Sixtus Senenſis, qui illam ipſam epiſtolam, diverſa tamen latinitate conceptam in Vaticana, ut ait, a ſe inventam, pro vero & germano antiquitatis monumento publicavit.

XXVIII. Miſſa igitur facimus Pilati Acta, & ad ejus exceſſum revertimur.

XXIX. Euſebius eundemque ſecuti Oroſius, Haymo, Pilatum volunt ſibi ipſi violentas intuliſſe manus. Euſebii verba latine facta hæc ſunt lib. II. cap. VII. *Neque vero illud prætereundum eſt, Pilatum ipſum, qui Servatorem noſtrum morti addixit, poſtmodum imperante Cajo, cujus nunc tempora proſequimur, in tantas incidiſſe calamitates, ut mortem ſibi conſciſceret, ſuorumque ipſe ſcelerum vindex eſſe coactus fuerit: Divina ſcilicet juſtitia in illum, ut par erat, ſæviente. Idque a Græcis Scriptoribus proditum eſt, qui Olympiadum ſeriem, & quæ quibusque temporibus geſta ſunt, conſcripſere.* Idem ſcribit Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francor. lib. I. cap. XXIV. *Pilatus autem non permanens impunitus, pro ſuæ malitiæ ſcelere, hoc eſt, pro nece, quam in Dominū noſtrum JESUM CHRISTUM exercuit, propriis ſe manibus interficit: quem Manichæum fuiſſe multi putant, ſecundum illud, quod in Evangelio legitur: Venerunt quidam de Galilæis nunciantes ei, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis eorum.* Idem teſtatur Ado Viennenſis Ætat. VI. *Pilatus, qui ſententiam damnationis in CHRISTUM dixerat, & ipſe perpetuo exilio recluditur: tantisque ibi irrogante Cajo languoribus*

coarctatus eſt, ut ſua ſe transverberans manu malorum compendium mortis celeritate quæſierit. Iisdem probe verbis ex Oroſio ſumtis utitur Johannes Sarisberienſis de Nugis Curialium lib. VIII. cap. XVIII.

XXX. Viennæ in Galliis grandis conſpicitur turris, a Tiberio, ut ferunt, exſtructa, in qua vitæ ſuæ vim intuliſſe Pilatum narrant. Videatur Abrahamus Gölnitz *in Vlyſſe Belgico*, Limnæus *Notitiæ Regni Galliæ* lib. VI. cap. XXXVII. & Martinus Zeilerus *Itinerar. Galliæ cap. IV.*

XXXI. Quod ſi vero Johannem Antiochenum audimus, Pilatus a Nerone in carcerem conjectus, ac non multo poſt capite fuit plexus. Integram narrationem, quæ habetur in Excerptis Peireſcianis, prout eandem ex Græcis Latinam fecit Henricus Valleſius, adſcribemus. *Interim Nero vacabat ſtudiis Philoſophiæ, atque inter cætera de Chriſto inquirebat, quem quidem adhuc ſupereſſe in vivis arbitrabatur. Sed cum comperiſſet illum a Judæis in crucem actum eſſe, iratus Annam & Caipham cum Pilato vinctos ſiſti juſſit, ab iisque ſciſcitatus eſt, quæcunque in ejus judicio acta eſſent. Et Annas quidem & Caiphas illum a ſe ex præſcripto legum ſuarum judicatum eſſe dixere, nec ſe adverſus majeſtatem Principis quidquam deliquiſſe: a Pilato enim præſide cuncta pro arbitrio eſſe geſta. Quibus auditis, Nero Pilatum gladio animadvertit, quod tantum virum abſque Principis auctoritate auſus eſſet morte mulctare.* Sed ſuſpecta mihi vel idcirco redditur narratio, quod Hannas Pontifex cum Caipha & Pilato vinctus Romam deductus dicitur, quem utpote jam tempore paſſionis Chriſti grandævum, ad Neronis tempora vixiſſe plane mihi non ſit veroſimile.

XXXII. Martinus Cruſius neſcio quo auctore re

 fert

Digitized by Google

fert, Pilati cadaver tempore Caligulæ in Tiberim dejectum, & poſt in Rhodanum Viennam verſus delatum, tandem ad Helvetiorum montes abductum, & prope Undervvaldum in lacum quendam præcipitatum fuiſſe, qui *Pilati lacus* exinde dictus.

XXXIII. De Pilati lacu conſtans multorum ſcriptorum eſt ſententia, quod ſi quid ſordium in eum injiciatur, ſtatim cœlum in atras nubes coëat, ac fulminibus, grandinis & nimborum fragore detonet cum totius viciniæ damno & terrore.

XXXIV. Non indigna lectu ſunt, quæ de hoc laco ad Pomponii Melæ lib. I. commentatur Joachimus Vadianus, quæ huc non piget referre. *In Helvetia prope Lucernam veterem, & percelebrem urbem, mons eſt praaltus, quem ob fragoſam aſperitatem & præcipitem altitudinem, etiamnum vernacula lingua Fractum cognominant, aliena lingva durante veſtigio Fracmont. Infra cujus editiſſimum verticem lacus eſt, Pilati cognomento, anguſtus admodum & palus verius quam lacus, in quem de induſtria injecta maximas tempeſtates ciere, & omnia undis opplere ajunt: quæ verò caſu incidant, nihil irritare eum, tanquam planè humano ſenſu culpa carere, quod caſu ſit, intelligat. Capit res fidem, quod pacatum irritare auſos, mox ſuiſſe capite plexos, ob illatam accolis calamitatem, oppidani referunt. Ego anno ſuperiore cum menſe Auguſto Lucernam veniſſem lacus viſendi gratia, a doctiſſimo & vere ingenuis moribus prædito Johanne Xylotecto Canonico Lucernate, humaniſſime exceptus, & in ipſum poſtridie montem eductus ſum, comitantibus nos Oſwaldo Myconio, erudito, & plane ingenui candoris homine, & Conrado Grebelio Tigurino, Grebeliæ meæ fratre ſpectatiſſimæ indolis adoleſcente. Ac prima quidem*

Digitized by Google

luce oppidum egreſſi, in mediam fere montis altitudinem, equis difficili ſanè, nec admodum trita via vehebamur: mox equitandi amplius cum copia non eſſet, jumentis in proxima paſcua dimiſſis, & conducto, qui nos anteiret, paſtore, baculis nixi, reliquum altitudinis pedites arctiſſima ſemita, quaque non cuivis iter fuerit, per ingentes hinc & inde rupium anfractus ſcandendo exſuperavimus. Demumque non ſine ſudore ad Paludis marginem perventum eſt. Mons ipſe, cetera ferè præceps, eo in loco paſcuus eſt, & ingenti ſeſe ambitu in ſpeciem orbis inclinans valle profunda reſidet, ipſo in meditullio lacum ſuſtinet, tenui tantum junco veſtitum, & horrida juxta clauſum ſylva: quodque ſolum adeunti religionem incutiat, alto undique ſilentio ſeptum. Nullus in eum rivus influit, nullus exit, aqua nigricans, phlegethontæa, & plusquam paluſtris immota jacet: nec venti facile torpentem excierint. Auſtro enim & Zephyro reliqua montis pars altiſſime aſſurgens late obducitur, ab Euro & Aquilone loci profunditas & quam dixi, denſa ſylva tuetur. Mirum autem hybernis eum nivibus non creſcere, nec rurſum æſtivis contrahi caloribus, deſide aqua perpetuo (ut ferunt) tenore ſuos ſeſe intra limites continente. Illud retulerim, nos in adſcenſu, à paſtore illo, qui ducebat, tantum non jurisjurandi ſacramento adactos fuiſſe, ne quid importunius tentaremus viſo lacu, aut ne quid injiceremus. Capitis ille ſui aleam ludi ajebat, iterum iterumque modeſtiam, atque etiam ſilentium tanquam ad ſacra perduceret, expoſtulans. Quare ut veteri loci famæ quicquam tribuerem, non parum, fateor, commotus ſui. Quanquam fabuloſum eſſe conſtat, quod de Pilato quidam ſomniarunt, cerni eum quotannis in lacu, videlicet judicis habitu, nec annum ſupervivere poſſe, qui viderint, magna vanitate. Hæc enim

morta-

mortalium levitas eſt, ut locis natura numine aliquo inſignibus fabularum præſtigias adnectant: & interim natura, neſcio quomodo comparatum, ut non difficile credant, qui audiunt, religionis vi quadam ad hoc ipſum nos alliciente, & in hanc etiam credulitatem rerum novarum adeunte cupiditate. Porro verum ſit nec ne, quod de memorato lacus ingenio conſtans accolarum fama circumfert, ne nunc quidem dixerim, cum experiri mihi non licuerit: ac ne ſi licuerit quidem, id facere ſine magno diſcrimine potuiſſem. Sed pleraque tamen omnia ut recipiam, multorum experientia, & auctoritate deprehenſa, confirmataque natura miracula omnibus prope in partibus ejus inſignia monent; ut interim non referam, cum mihi loci Genium viſum eſſe, qui in loco præſertim tam edito, haud difficile nata de ſe fama reſpondere poſſit. Adeo enim excelſus mons eſt, ut a prima luce ad lacum videndum mox ad ſummum montis verticem egreſſi, & citra moram longo deſcenſu ad equos reverſi, occaſu jam ſolis cum noctis principio urbem ingreſſi fuerimus, duabus plurimum horis ad cibum medio in monte capiendum inſumptis.

XXXV. Sed ridet hanc vulgi ſententiam Conradus Geſnerus in Deſcriptione hujus montis, imo ipſum Vadianum mutaſſe ſententiam teſtatur. Sic Daniel Eremita in Deſcriptione Helvetiæ: *Mirum, quod de eo lacu vulgus nugatur: ſed nec fidem meretur, nec habet.*

Matth. XXVII. v. 2. Marc. XV. v. 1. Luc. XXIII. v. 1.

XXXVI. Hæc pro tempore de Pilato ſufficiant, ad cujus Prætorium e domo Caiphæ vinctum duxerunt JESUM.

XXXVII. Quærit Chryſoſtomus *Homil. LXXXV. in Johannem.* Quare Judæi CHRISTM non occiderint, ſed ad Pilatum adduxerint? Et reſpondet: Μάλιςα

μὲν

μετὰ τὸ πλὺ τῆς ἀρχῆς αὐτῶν, καὶ τῆς ἐξουσίας ἀποτετμῆσθαι λοιπὸν, ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων κειμένων. *Præcipua cauſa erat, quod parte maxima dominationis ſuæ fuerint privati, quum eſſet eorum Reſp. in Romanorum poteſtate.*

XXXVIII. Vox Πραιτώριυ non eſt Græca, ſed Romana, Græcis ſcripta literis, & a Procuratoribus, ac militibus Romanorum præſidiariis una cum aliis nominibus in uſum fori Judaici delata.

XXXIX. Apud Romanos Prætorium dicebatur tabernaculum, quod Duces exercituum, vel Imperatores, ſeu Proconſules, ſive Dictatores, ſive Prætores, ſive etiam Tribuni militum, qui conſulari cum poteſtate eſſent, occuparent: & nomen inde habet, quod initio Coſs. qui plerumque bella adminiſtrabant, Prætores dicerentur. *Auguſtale* vocat Quinctilianus lib. VIII.

XL. In Provinciis autem Prætorium quoque dicebatur locus, in quo Prætor, hoc eſt Proconſul jus dicebat. Et in hac ſignificatione plerique Interpretum Prætorii vocem hoc loco accipiunt.

XLI. Alii vero Pilati Prætorium nihil aliud fuiſſe exiſtimant, quam amplam illam aulam, quæ in ejus palatio ab atrio venientes excipiebat, ubi milites cuſtodes agendis excubiis commorabantur. Tribunal autem Pilati non intus in Prætorio, ſed foris extra Prætorium fuiſſe exiſtimant.

XLII. Ipſi tamen Judæi non ingreſſi ſunt Prætorium, ne contaminarentur, ſed ut Paſcha ipſis liceret comedere. *Joh. XVIII. v. 28.*

XLIII. Per *Paſcha* hic intelligi *paſchalem agnum*, non autem *victimas paſchales* per ſeptem Azymorum dies mactari ſolitas, jam tum parte I. cap. XI. § LXV. & ſeq. monitum eſt; quam ſententiam quoque putamus eſſe veriſſimam.

 XLIV. Per-

Digitized by Google

XLIV. Perverſa horum hominum erat religio, qui ſe credebant, Procuratoris, quod Judæus non eſſet, innoxio Prætorio profanari; cum ipſi tot injuſtis artibus molirentur necem homini innocentiſſimo, imo infinitis modis de ipſis optime merito.

XLV. Jure igitur exclamat Augſtinus Tractatu CXIV. in Johannem: *O ſtulta hypocriſis! habitaculo videlicet contaminaretur alieno, & non contaminaretur ſcelere proprio?*

XLVI. Merito hoc hypocriſi & traditionibus humanis tribuendum eſt, quibus varia divinæ legi addiderant, eaque inde collegerant, quæ revera neque verbis, neque ſenſu in eadem continerentur.

XLVII. Mortuorum contactu impuritas contrahebatur, uti conſtat ex Levitici cap. XXI. & XXII. Hanc domui illi, ubi capitales ſententiæ ferebantur, inferri cenſuerunt.

Joh. XVIII. v. 29. XLVIII. Pilatus, qui juſtam habuiſſet cauſam viciſſim ipſos faſtidiendi, cum ad ſe ingredi dedignarentur, aut ſaltim in aliud tempus rejiciendi; accommodat ſe tamen illorum moribus, cedit eorum pertinaciæ, ac foras ad eos progreditur.

XLIX. Prodiit autem, ut certior fieret de JESU ſive culpa ſive innocentia, dum quærit: *Quam accuſationem affertis adverſus hunc hominem.*

L. Non cedit Pilatus Pontificum auctoritati, ut absque cauſæ cognitione CHRISTUM damnaret: ſed capita prius accuſationis proferri flagitat. Romanis enim moribus accuſatio cognitionem debuit præcedere.

Joh. XIIX. v. 30. LI. Satis arroganter reſpondent accuſatores: *Si non eſſet hic maleficus,* & facinoroſus, *nunquam,* quæ noſtra eſt religio,

religio, *eundem* in manus tuas *tradidiſſemus.* Quo ipſo, ut Leo ait Serm. VIII. de Paſſione: *Ipſum quidem exſecutorem ſententiæ, non autem cauſæ arbitrum voluerunt.*

LII. Nos omnes vere ſumus κακοποιοὶ, quia non eſt inter nos, qui faciat bonum: ſed CHRISTUS ut noſtra expiaret facinora, recepit in ſe noſtram malitiam, ac coram publico judicio κακοποιὸς ſe appellari paſſus eſt. O incredibilem patientiam!

LIII. Pilatus probe intelligens, oblique ſe hoc ſermone perſtringi, quod detrahat ipſorum auctoritati, prudentiæ ac probitati, quando eos non judicat fide dignos, propter quos ſine ulteriori inquiſitione mortis ſupplicium in reum ſtatuat: hinc par pari referens mordaci ipſos vellicat dicterio, dicens: *Accipite vos ergo eum, & ſecundum veſtram legem judicate.*

LIV. Sunt qui hæc Pilati verba ſic interpretantur, ac ſi permiſerit Judæis, ut ſi quid contra ipſorum ſacra admiſiſſet CHRISTUS, in quibus αὐτονομία ipſis ab Imperatoribus Romanis conceſſa erat, illum juxta leges ſuas judicarent, hoc eſt, vel virgis cæderent, vel publica aliqua notarent ignominia.

LV. At vero quia vox κακοποιὸς proprie uſurpatur de facinoroſo capitis reo; tum vero CHRISTUS vinctus cum ſolenni pompa ad Prætorium fuit ductus, ex eo facile intelligere potuit Pilatus, decretoriam ipſos flagitare ſententiam.

LVI. Quidam igitur exiſtimant poteſtatem fuiſſe Judæis datam hoc Pilati reſponſo, ut capitis pœnam in CHRISTUM dictam darent executioni, ſi quid commiſiſſet contra ipſorum inſtituta, quod fas eſſet morte expiari.

LVII. Pleraque hæc, ſi non omnia, dependent utique

 a gravi

Digitized by Google

a gravi illa & ſuo uſu maxime illuſtri controverſia de Poteſtate, quæ in judiciis capitalibus exercendis ea tempeſtate fuit penes Synedrium.

LVIII. Nimirum hic diſſentiunt docti viri tum antiquitatis univerſæ, tum rerum ſcriptorumque Judaicorum peritiſſimi. Et horum quidem alii, & habuiſſe Judæos eo tempore & retinuiſſe fere usque ad urbis excidium auctoritatem ſuam quoad jus vitæ & necis, ſtatuunt: alii ablatam eam volunt paulo ante paſſionem Salvatoris noſtri.

LIX. Fundamenta utriusque ſententiæ brevibus exponemus; unde quid recipiendum veniat, conſtabit facile.

LX. Ante omnia probe obſervandum, judicia capitalia apud Judæos diverſorum fuiſſe generum. Alia ad ſacra ſpectabant ac templum, alia ſeorſum ad forum pertinebant. Deinde, quod, cum a Babylonica captivitate regnum domus Davidicæ jam pridem ceſſaſſet, ac reſtaurata Reipubl. forma Ducibus tandem fuiſſet privata, Romano imperio ſubjecta, in provinciam vel ipſa Judæa, vel ut pars Syriæ redacta ſit. Porro in provinciam redigere, ut Romana docet hiſtoria, olim non conſtitiſſe intra tributi impoſitionem; ſed cum id fieret, patriam libertatem & leges inſuper avitas fuiſſe ademtas, ſuffectasque in locum Romanas leges cum Prætore, qui ex illis Rempubl. inſtitueret, & jus diceret, inſuper imperium belli gerendi cauſa haberet.

LXI. Poſtquam igitur Judæi jure omnia perdidiſſent jura, Romanis ſubjecti etiam judicia capitalia in ſacris amiſerunt; Cæſarum tamen magnanimitate ac moderatione, qua non cogebant ſubjectos patria jura tranſcendere, ut loquitur Joſephus, & abſtruſa atque mirabili

cultus

cultus divini ratione factum monent, ut Judæi vetus privilegium τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι, *patriis moribus & ſacris uti*, ſalvum & incolume conſervaretur, ſimul idque poteſtatis primario eorundem Magiſtratui gentilitio ſive Synedrio relinqueretur; ut, ſi quis popularium ſacra temeraret, Deumq; patrium violare & ejus religionem profanare impio auſu præſumeret, in hunc non tantum carcere, flagris aliisque minoribus pœnis, ſed &, ſi facinoris id poſtularet magnitudo, ſupplicio ſupremo animadvertere poſſet.

LXII. Itaque Judæis judicia illa capitalia, quæ ad forum proprie pertinent, ut ſi qui civilem quietem turbarent, Reipublicæ detrimentum afferrent, aut Imperatoriam Majeſtatem læderent, ademta, ea vero ex gratia Cæſarea relicta manſiſſe volunt, quæ templum & ſacra attingerent, etiam ſub ipſis Romanis Syriæ Præſidibus & Judææ Procuratoribus, hocque jus vitæ & necis ipſis ſuperfuiſſe ad templi usque excidium; iſtis interim caſibus exceptis, ſi plane peregrinus eſſet, qui ſacris Judaicis contumeliam feciſſet.

LXIII. Tandem vero quod Judæi poſtea privarentur ipſo hoc etiam jure, anſam dediſſe ſtatuunt Herodem Chalcidis dynaſtam, cui Claudius Imp. poteſtatem in templum Hieroſolymitanum & ſacrum ærarium, facultatemque eligendorum ſummorum Pontificum, hæreditario jure conceſſerat, ut refert Joſephus lib. XX. Antiquitat. cap. I. mortem autem Portii Feſti occaſionem ulteriorem præbuiſſe; ac a morte ejus, dum Judæi Præſide carerent, ſævitiam ac crudelitatem in Apoſtolos cauſam exſtitiſſe, ut ab Albino Præſide potentia hac atque auctoritate, qua interea licenter fuerant abuſi, exuerentur.

LXIV. Cum enim male haberet cordatiores inter ipſos Judæos,tanquam quibus minime erat obſcurum, per meram injuriam & impotentiam homines nullorum ſcelerum reos e medio ſublatos eſſe; ideo de facti hujus indignitate tum apud Agrippam Juniorem, Herodis e fratre filium, Trachonitidis Tetrarcham, tum & apud novum Præſidem Albinum graviſſime conqueſtos fuiſſe putant. Anano itaque ab Agrippa Pontificialẽ eſſe ablatam dignitatem, Synedrio autem auctoritatem tantum non omnem tum ſimul ademtam videri, quæ omnia verbis Joſephi muniunt.

LXV. Sacras igitur cauſas ad Synedrii tribunal pertinuiſſe, ac licuiſſe huic ſontes cum leviore caſtigatione, tum pœnis capitalibus coërcere, probant multis.

LXVI. Prius præcipue demonſtrant ex Pauli adverſus CHRISTI diſcipulos conatibus a Synedrio decretis & probatis,quos Actor. XXII. v. 4. 5. recenſet. *Hanc viam perſecutus ſum usque ad mortem, alligans & tradens in cuſtodias, viros ac mulieres, ſicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit, & omnes majores natu, a quibus & epiſtolas accipiens, ad fratres Damaſcum pergebam, ut adducerem inde vinctos in Jeruſalem, ut punirentur.* Jungunt locum Actor. IX. 2. & ipſius Servatoris dictum Matth. X. 17. *Tradent vos Synedriis & in Synagogis ſuis flagellabunt vos.* Confirmant exemplis Actor. V. 40. II. Corinth. XI. 24.

LXVII. Alterum,nempe vitæ etiam ſupplicium a ſontibus ſumſiſſe Synedrium,declarant ex Actor. VII. hiſtoria S. Stephani,ubi criminalem jurisdictionem & merum imperium Judæi vere exercuerint, ferendo adverſus Stephanum capitalem lapidationis ſententiam.

LXVIII. Porro Tertulli Oratoris Judaici, nomine

Ananiæ

Ananiæ Pontificis & Seniorum,apud Felicem Præſidem adverſus Paulum inſtitutam accuſationem hic laudant Actor. XXIV. 5. 6. 7. *Invenimus hunc hominem peſtiferum & concitantem ſeditiones omnibus Judæis in univerſo orbe & auctorem ſeditionis ſectæ Nazarenorum,qui etiam templum violare conatus eſt, quem & apprehenſum voluimus ſecundum legem noſtram judicare. Superveniens autem Tribunus Lyſias cum vi magna eripuit eum de manibus noſtris, jubens accuſatores ejus ad te venire.*

LXIX. Cui addunt Lyſiæ diſerta verba Actor.XXIII. 27. *Virum hunc comprehenſum à Judæis, cum jam futurum eſſet, ut ab eis interimeretur, ſuperveniens cum militum manu, erui, edoctus Romanum eſſe.*

LXX. Ad præſens igitur de vita CHRISTI judicium quando redeunt, inculcant, propter intentatam templi profanationem, plebis ſeductionem, & violatam blaſphemiis religionem, a furum manipulo, quos ſummi Sacerdotes, Scribæ & Seniores ad illum prehendendum miſerant, ante omnia ad Senatum Synedrii (quam vocem Matthæus cap. XXVI. 59. Marcus cap. XIV. 55. Lucas cap. XXII. 66. expreſſim uſurpant) eum eſſe protractum; cujus rei duo teſtes contra illum producti Matth. XXVI. 60. 61. quibus cum blaſphemia accedere viſa fuiſſet, jure ſuo, quod in ſacra hac cauſa ei competebat, uſum fuiſſe Senatum, & capitalem ſententiam pronuntiaſſe, ut Marci XIV. 64. legitur: *Omnes condemnaverunt eum reum eſſe mortis:* cum Pontifex qui ſuffragia colligebat, ſententiam conceptis verbis rogaſſet : *Quid vobis videtur,* ac votis concordibus clamaſſent, *Reus eſt mortis*. Matth. XXVI. 66.

LXXI. Quod autem metus eſſet, ne ingens oriretur, ſeditio,

ſeditio, ſi Synedrium de CHRISTO ſupplicium ſumeret, uti id monuerunt Matthæus cap. XXVI. 5. Marcus cap. XIV. 2. Lucas cap. XX. 2. cum ob imminens Paſchatos feſtum infinita hominum multitudo Hieroſolymas confluerer, inter quos innumeri, quos CHRISTUS miraculis & doctrina ſibi obnoxios reddiderat, poſtridie in conſultationem veniſſe, quomodo, quod decreverant, effici poſſet, ita ut ſine Synedrii culpa CHRISTVS interimi crederetur, & ſceleris invidia in alios omnes potius quam in ejus auctores redundaret. Matth. XXVII. 1. 2. Marci XV. 1. hoc tandem cepiſſe conſilii, Procuratoris Pilati uterentur opera, qui eo eſſet adigendus, ut CHRISTVM, ſuis præjudiciis jam condemnatum, jure interimere cogeretur.

LXXII. Quapropter mutata accuſationis formula, eorum malefactorum CHRISTVM factum eſſe cenſent reum, quorum cognitionem ac judicium ſubterfugere non poſſe Præſidem noverant; nimirum ſeditionis læſæque majeſtatis criminis. Luc. XXIII. 1. 2.

LXXIII. Hæc ſumma illius eſt ſententiæ; cui dum quædam videntur adverſari, illorum ſolutiones paucis etiam addemus.

LXXIV. Quod de Stephano capitis ſupplicium fuerit ſumtum, non jure, ſed, quod dicitur, de facto, judicio nempe zeli, quod erat haut inſolitum apud Judæos, factum, regerunt alii. At hoc ex eo hi refutant, quod in zeli judicio nec judex, nec accuſator, nec teſtis, nec ſententiæ pronuntiatio, nec denique ſupplicii forma conſveta locum habuerit, ſed duntaxat בשעת מעשה *Beſchaat maaſe*, in ipſo, dum committebatur facinus, momento a zelotis, id eſt, privato zelo ductis ſupplicium capitale infligi permitteretur.

LXXIV. De

LXXV. De dicto etiam & ipſa Judæorum confeſſione, Johan. XVIII. 31. *Nobis non licet interficere quemquam*, quando objicitur, debere judicari arguunt ex objecto: ſcilicet de reo criminis læſæ majeſtatis aut ſeditionis, quo de agebatur coram tribunali.

LXXVI. Quod denique Lyſias Tribunus Paulum Actor. XXIII. 27. e manibus Judæorum rapuerit, ac in caſtra deduxerit, non ex eo factum, quaſi non licuiſſet Synedrio uti jure vitæ & necis, cum diſerte aliquoties dicatur, confitente etiam Lyſia, quod eum interficere voluerint; ſed quod Romanus eſſet: id quod ipſe Lyſias ibidem fatetur: at vero ex ſuperioribus conſtat, non licuiſſe omnino in plane peregrinum capitali ſupplicio animadvertere, quamvis contra ſacra viſus fuiſſet peccaſſe.

LXXVII. Altera ſententia, quæ ſtatuit Judæis tempore paſſionis Dominicæ capitalia judicia omnia fuiſſe ademta, in duas fere iterum abit partes: dum alii ſimpliciter Judæis omne jus per Romanos ſublatum volunt: quæ maxime communis eſt opinio; alii non jus & auctoritatem, etiam in ullo crimine, ſed exercitium ordinarium ceſſaſſe, idque adeo non per Romanorum violentiam, ſed ſuam oſcitantiam.

LXXVIII. Scilicet hi volunt integrum fuiſſe Judæis in latrones, homicidas, aliosq; Reipubl. turbatores animadvertere; at mera negligentia ac intempeſtiva lenitate, aut ſtolidiſſima Iſraelitæ, quà Iſraelitæ, æſtimatione, de cæde & ſangvine aliisque flagitiis animadvertere deſiiſſe. Unde factum, ut adeo intractabilis redderetur nequitia, ex multitudine latronum & homicidarum, ut præ ea tremeret auctoritas Synedrii, non auſa interficere interfectores, niſi cum tuto & ſine periculo id fieri poſſe putarent, in

 paupe-

pauperibus ac Chriſtianis, etiam poſt CHRISTI aſcenſionem usque ad deſolationem urbis. Ia igitur quadrageſimo anno ante templi excidium, ſesquianno fere ante CHRITI crucifixionem, ſua culpa judicia capitalia amiſſa fuiſſe: quamobrem compulſus Synedrii conſenſus reliquerit conclave Gaſith, ubi ex loci qualitate alias tenebatur ad judicandos ſceleſtos, ac aliorſum conceſſerit.

LXXIX. Fundamenta hujus opinionis fere non niſi in teſtimoniis conſiſtunt Talmudicis, præcipue in Jeruſchalmi Sanhedrin, & Babylon. Avoda Sara, ubi refertur: *Quadraginta annis ante vaſtatum templum ablata fuiſſe judicia capitalia ab Israele, oſtiaque templi eo tempore ſponte fuiſſe aperta.*

LXXX. Ad CHRISTI igitur necem quando pergunt, licuiſſe equidem Judæis tunc temporis, putant, jure ſuo, vitæ ſupplicium de ſontibus ſumere, ac ſumturos etiam procul omni dubio fuiſſe, niſi a turba ſibi habuiſſent metuere: unde voces illæ: Non licitum eſt nobis interficere quemquam; rem ergo devolviſſe ad Pilatum, qui conficeret.

LXXXI. Relicta media, eademq; ſi omnia recte perpendantur, ac quid valeat antiquitas, quid ferre recuſet, æſtimetur, improbabili opinione, ex prima & hac ultima patet, convenire illarum auctores in eo, quod Judæi tempore CHRISTI usque ad vaſtationem urbis jus aliquod habuerint vitæ & necis; differre, quod priores velint jura ſacra eaque ſola iis ſemper manſiſſe, ſarta atque tecta, etiam quoad uſum; modo voluerint ipſi; jura vero externa ſive profana nullatenus ad eos pertinuiſſe; ceteri vero, & ſacra & civilia jura ad eos ſpectaſſe, ſed uſurpationem omnium ordinariam periiſſe ipſorum culpa paulo ante mortem CHRISTI.

LXXXII.

Digitized by Google

LXXXII. Quid præferendum nobis videatur, dicemus, quando, quid in probationibus poſterioris ſententiæ deſideretur, addiderimus. Veſtigia nempe Talmudicorum ſola nimis tuto hic leguntur, cum pugnet cum rei veritate, jura etiam in civilibus & criminalibus ſumma Judæos tenuiſſe, quod in provinciam cum Syria redacta eſſet Judæa: quæ res longe aliud exigit: uti ſupra fuit monitum: id quod ipſi commonſtrarunt Præſides Romani, qui judicia capitalia in Judæa extra ſacras cauſas exercuerunt: ut Lucæ XIII. 1. in latronum itidem duorum crucifixione, ac multa porro a Præſidibus exercita exempla apud Joſephum declarant. Glorioſum autem nimis ac fallax Iudæorum cerebrum non poteſt præjudicare veritati.

LXXXIII. Ad loca verò Talmudica, ubi de juris ceſſatione *quadraginta annis* ante exciſum templum & Synedrii migratione & apertione portarum agitur, quæ ad CHRISTI tempora optime quadrare putant, propter ſciſſum velum, cujus fit mentio in N. T. regerunt, componi facile poſſe, ac cum Joſepho ac veritate conciliari, ſi ibi in noſtris exemplaribus textus dicatur corruptus, ut pro ארבע שנים *Arba Schanim, quatuor annos*, poſtea facili lapſu ſubſtitutum ſit ערבעים שנה, *Arbaim ſchana, quadraginta annos*: nec id ſine ratione, quoniam portæ illæ apertæ iſtud potius deſignent prodigium, quod inter cetera, quæ urbis & templi excidium Albino adhuc Præſide, proxime præceſſerunt mala omia, a Joſepho narratur.

LXXXIV. Nunc tota controverſia probe expenſa putamus priorem illam ſententiam probabiliorem eſſe reliquis omnibus, ac firmioribus niti fundamentis: nimi-

Digitized by Google

rum Synedrio jus vitæ & necis manſiſſe in rebus ſacris, etiam tempore CHRISTI; in rebus vero aliis forenſibus Reipubl. ad Præſides ſpectaſſe, ut utrumque verum ſit & fuiſſe penes ipſos auctoritatem occidendi, & non fuiſſe, ſed id pro diverſitate objectorum. Qua ratione optime cohærebunt, quæ in hac paſſionis CHRISTI hiſtoria paſſim circa eam rem occurrunt.

LXXXV. Quod igitur ad Pilati reſponſum attinet, ut poſtliminio ad illud revertamur, exiſtimamus id cum aculeata quadam mordacitate conjunctum hunc fere ſenſum habere, quem his verbis expreſſit B. Gerhardus: *Audio vos expetere, ut in hunc reum inauditum mortis ſententiam pronunciem: at nec legibus nec moribus Romanis hoc receptum eſt. Vos judicate eum ſecundum legem veſtram. Perpetuo gloriamini de veſtris legibus, de veſtro cultu, de veſtro Deo, ac gentes reliquas tantopere averſamini, ut ne quidem prætorium contrahendæ immunditiei volueritis ingredi. Mirum igitur eſt, populum tam ſanctum a Deo ſuo legem accepiſſe tam iniquam, ut abſque prævia cauſæ cognitione capitale ſupplicium alicui irrogandum poſtulare auſit. Quod ſi talem habetis legem, ipſimet eum judicate; ſi ſufficit veſtra examinatio, ſufficiat etiam veſtra ſententia: ſi me indignum judicatis, cui rationes veſtræ ſententiæ damnatoriæ exponatis, etiam vos indignos judico, quorum crudelitati miniſtrum me præbeam. Si non debeo eſſe judex cauſæ, nolo etiam eſſe executor ſententiæ. Judicate eum ſecundum veſtram illam iniquiſſimam legem. Sed tamen cavendum vobis erit, ne ſi ex odio & invidia immeritum occidatis, graves hoc nomine pœnas Cæſari Romano luatis.*

LXXXVI. Proceres Judæorum probe intelligentes acri & mordaci ſermone Pilati ſe pungi: ideoque auctori-

tatem Præſidis reveriti ſubmiſſius reſpondent: *Nobis non licet quemquam interficere:* quia eſt actio forenſis de ſeditione deque crimine læſæ majeſtatis, quæ ad nos non ſpectat, ſed ad te. *Joh. XVIII. v. 31.*

LXXXVII. Chryſoſtomus, Auguſtinus, aliique e Patribus illud de feſto Paſchatis & ſeptem Azymorum diebus accipiunt: ac ſi tum propter feſti ſanctitatem illis non licuerit ultimum ſupplicium in aliquem ſtatuere.

LXXXVIII. At verior, uti dixi, ſententia eſt, judiciorum capitalium poteſtate in profanis ac politicis tum Judæos caruiſſe, ademta ſibi paulo ante, à Romanis, quando in provinciam eſt redacta Judæa.

LXXXIX. Neque ſic pugnat, quod ſupra oſtenſum, cum hac ſententia, quod CHRISTUS: communi decreto Concilii ἔνοχος θανάτου *reus mortis*, declaretur: quia ipſi de alia cauſa, nempe de ſacra, de violato templo judicabant, de alia, nempe forenſi, de ſeditione ſcilicet apud Pilatum accuſabant.

XC. Non ignoro tamen, quæ nonnullorum ſit opinio; in iis, quæ ad crimen læſæ Majeſtatis, aliterve ad Remp. & imperium pertinerent, nec cognitionis nec executionis poteſtatem habuiſſe: permiſſu tamen Præſidis licuiſſe illis decernere de delictis ad legem pertinentibus; imo in talibus non leviores modo pœnas ſumere conceſſum fuiſſe, ſed etiam capitales.

XCI. Hoc tamen vel propterea mihi non probatur, quod nec per leges & inſtituta Romanorum id facere, ſi vel maxime voluiſſet, potuiſſet. Præſides enim provinciarum habebant quidem jus gladii, ſed hanc poteſtatem, quæ alias *merum* appellatur *imperium*, mandari non potuiſſe cer-

Digitized by Google

tum eſt. In quam rem notari meretur l. 1. §.1.D. de offic. ejus cui mand. *Qui mandatam juriſdictionem ſuſcepit, proprium nihil habet, ſed & ejus, qui mandavit, juriſdictione utitur. Verius eſt enim, more majorum juriſdictionem quidem transferri, ſed merum imperium, quod lege datur, non poſſe tranſire.*

XCII. Quod ad Stephanum Actor. VII. ejusque lapidationem attinet, id ex jure in rebus ſacris dependiſſe, ex ſupra dictis jam conſtat. Quod Jacobum Herodes interfecit, huc non pertinet: quia is regiam obtinuit dignitatem poteſtatemque, & templi præfecturam ab Imp. Claudio ſibi commiſſam uſurpavit.

XCIII. Vera igitur hæc fuit cauſa, cur CHRISTUM ad Pilatum duxerint, ut is ſcilicet id de ipſo ſtatueret, quod ſibi per plebis injuriam & vim exercere conſultum non putabant, nec pares ſe invidiæ cenſebant: & ſimul in eundem infame ſupplicii genus derivarent, nempe crucifixionem.

XCIV. Poſtremum confirmat Johannes, quando CHRISTI reſponſa implenda eſſe teſtatur, quibus prædixerit, quod genus ſupplicii ſubiturus eſſet. *Joh. XIIX. v. 32.*

XCV. Prædictiones CHRISTI de morte ſua duplicis ſunt generis, & quædam eo ſpectant, ut gentibus tradatur & occidatur: quæ exſtant Matth. XX. 18. Marc. X. 33. Luc. XVIII. 31. quædam ipſum ſupplicii genus exprimunt, crucifixionem ſcilicet: quales habentur Matth. XX. 19. & cap. XXVI. 2. Joh. III. 14. cap. XII. 32. Ad utrumque nos procul dubio remittit Evangeliſta, maxime vero ad poſterius, quia vocabulum ποῖος qualitatem ſupplicii proprie videtur indicare.

XCVI. Ceterum Judæi animadvertentes Præſidi ſtare ſententiam, quod niſi gravem audiret accuſationem, judicium

cium adverſus JESUM nollet inſtituere, tandem initium faciunt accuſationis.

XCVII. Violatæ religionis aut blaſphemiarum illum non accuſant, qualem accuſationem apud Romanum Præſidem non magni fore momenti facile intelligebant. *Luc. XXIII. 2.* At ſumma accuſationis capita hæc erant; quod *populum ſeduceret;* quod *vetaret tributa dari Cæſari;* quod ſe *CHRISTUM Regem venditaret.*

XCVIII. Hæc tria crimina pulcre ſibi videbantur commenti, quæ maxime commoverent Pilatum, eo quod conjunctim pertinerent ad læſam Majeſtatem Cæſaris: quod quidem crimen, ſcelerum omnium, quæ committi inter mortales poterant, habebatur atrociſſimum.

XCIX. Verum quid his mendaciis impudentius? Populum ſubvertere mentiuntur eum; de quo ipſorum legati nuper fuerant teſtati, *quod viam Dei in veritate doceret.* Matth. XXII. 16. Cæſari tributum intervertere velle nugantur ipſum; qui quatriduo ante de cenſu rogatus reſponderit: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.* Matth. XXII. 21. Regnum illum appetere fabulantur; qui regnum a Judæis oblatum fugerat. Johan. VI. 15.

C. Aliud igitur erat, quod urebat hos homines, nempe plebem a traditionibus & ſuperſtitionibus Phariſæorum abduci. Verum diſerte de hoc conqueri non ſuſtinebant.

CI. Pilatus audita Judæorum accuſatione ingreditur Prætorium, foris relicta turba, & JESUM privatim ad ſe accerſit, ut absque tumultu ex eo, num ita res haberet, expiſcaretur. Et priora quidem duo crimina diſſimulat. *Joh. XIIX. 33.* Primum; quod putaret ad religionem Judæorum & quæſtiones de doctrina ad ſe nequaquam pertinentes ſpectare.

ctare. Alterum; vel quod ſentiret eſſe commentitium; vel, quod non eſſet novum, hac de re diſputari apud Judæos. Nam tota Phariſæorum ſecta ſentiebat populum Deo peculiariter dicatum non oportere cenſum dare gentilibus.

CII. De tertio capite, quod erat de regno affectato, percontatur JESUM, quod ſua intereſſet præcipue, & ad publicam tranquillitatem pertineret: ſiquidem hactenus illa unica multarum ſeditionum & graviſſimarum cladium cauſa fuerat, quod Judæi talem Meſſiam exſpectarent, qui regnum Davidis inſtauraret, & Israëli libertatem & priſtinum regnum inſtitueret.

Matth. XXVII. v. 11. Marc. XV. v. 2. Luc. XXIII. v. 3. Joh. XIIX. v. 33.

CIII. Interrogat itaque Pilatus JESUM, *Tune es Rex Judæorum?* Exquirens procul dubio num ille eſſet Rex, qui hactenus populum lactaſſet reſtitutionis ſpe, quæ tot ac tantarum turbarum & motuum feralium cauſa fuiſſet.

Joh. XVIII. v. 34.

CIV. Rogante hoc Pilato, viciſſim ex eo libere quæſivit CHRISTUS, utrum ex ſe iſthoc quæreret, an ex aliis id ipſum accepiſſet. *A temetipſo tu hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me?*

CV. Hac interrogatione voluit JESUS occaſionem ulterius quærendi præbere Pilato, ut eo ipſo malitiam Judæorum detegeret, ſuam innocentiam declararet, & Pilatum ad religioſam pietatem revocaret.

CVI. B. Lutherus verba CHRISTI ſic παραφράζει, Tom. IV. Altenb. pag. 667. prout ex Germanico in latinum a me verſa ſunt: *Ex me quæris Pilate, an ſim Rex Judæorum, hoc eſt, an res novas contra Cæſarem molitus ſim. Tuam ipſius teſtor conſcientiam, an id in me derives criminis. Per te quidem id non profiteberis. Reſpondeat tibi conſcientia tua,*

tua, imo reſpondeant oculi. Vides me coram te ſtantem captum & ligatum: nec tamen in tumultu apprehenſus ſum, nec concio plebis circa me eſt, quæ ad arma conclamet; Sed perſonam gero captivi vinctique hominis: nec ſeditionis contra Cæſarem excitatæ inſimulari queo.

CVII. Ægre videtur hanc interrogationem CHRISTI tuliſſe Pilatus. Quapropter in hæc verba erumpit: *Num ego Judæus ſum? Gens tua & Pontifices te tradiderunt mihi. Quid feciſti?* *Joh. XVIII. v. 35.*

CVIII. Ejusmodi, puto, verborum illorum ſenſus erit. An me Judæum eſſe putas, qui Prophetarum veſtrorum fabulas ſcruter, illisve aliquid tribuam? Equidem homo Romanus ſum, & huic regioni præfectus, non ut ſuperſtitionibus veſtris me immiſceam; ſed ut jus dicam, pacem publicam conſervem, & ſeditioſe tumultuantes compeſcam. Et per me quidem vobis quieſcere licebat, neque tibi ex me periculum imminebat, qui veſtras de doctrina & cultu veſtro concertationes parum moror. Sed populares tui, & qui ſunt inter vos Antiſtites ſacrorum te tradiderunt mihi, modis omnibus agentes, ut occidaris. Hi autem te accuſant regni affectati: quod ſi falſum eſt, quid commiſeris eloquere. Certe magnum quid te deſignaſſe oportet, quod tam unanimi conſenſu in caput tuum conſpirent.

CIX. Etſi Pilatus hoc edicto plus quam prætorio jam ſe reſponſo reddiderat indignum; JESUS tamen, ne quid intermitteret, quod conducere videretur, ut animo Pilati religioſa pietatis reverentia implantaretur, ulterius ipſi reſponder, apertius docens, quale regnum ſit id, de quo Prophetæ locuti fuiſſent.

CX. Negat, ab ſe quidquam periculi eſſe imperio Romano: ut cujus regnum neutiquam ejus eſſet indolis, ac mundi hujus regna ſolent.

Digitized by Google

Joh. XIX. v. 36. CXI. *Regnum*, inquit, *meum non eſt de hoc mundo.* E cœlo ſuam habet originem, cœleſti adminiſtratur modo, cœleſtia exigit officia, & cœleſtes animos, cœleſtia proponit beneficia, ad regnum ducit cœleſte, & ſicut inchoatur in hoc, ſic perficitur in futuro ſeculo.

CXII. Optime Auguſtinus ad hunc Johannis textum Tractatu CXIX. *Audite Judæi & gentes: audi circumciſio; audi præputium; audite omnia regna terrena. Non impedio dominationem veſtram in hoc mundo. Regnum meum non eſt de hoc mundo. Nolite metuere metu vaniſſimo, quo Herodes ille major, cum* CHRISTUS *natus nunciaretur, expavit, & tot infantes, ut ad eum mors perveniret, occidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior. Regnum, inquit, meum non eſt de hoc mundo. Quid vultis amplius? Venite ad regnum, quod non eſt de hoc mundo. Venite credendo, & nolite ſævire metuendo.*

CXIII. Porro regnum ſuum mundanum non eſſe indolis mundanæ eo adſtruit, quod qui ad tale regnum adſpirant, amare ſoleant ingentem turbam, quæ pro Rege ſuo decertare ſit parata, ne in manus hoſtium veniret. *Si ex mundo hoc eſſet regnum meum, miniſtri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis.* Et ut in hac ſententia eo magis confirmaret Pilatum denuo concludens repetit: *Nunc autem regnum meum non eſt hinc.*

CIV. Ex his cognovit Pilatus, non eſſe, quod ab hoc Rege ſibi metuant Romani: interim, quia regnum ſibi vindicare audiebat, ſed regni genus diſtingvere, quæſivit, *an*
Joh. XVIII. v. 37. *quomodocunque foret Rex.*

CXV. Delapſus forte eſt Pilatus ad opiniones gentilium, qui de diviſo orbis imperio inter Deos fratres multa fabulabantur, tradentes ſcilicet, quomodo Jovi regnum

regnum cœlorum, Neptuno regnum maris; Plutoni regnum terrarum & inferorum ceſſiſſet.

CXVI. Fortaſſis etiam, quæ Voſſii conjectura eſt, in mentem venit Pilato Stoicorum ſubtilitas, quibus ſapiens idem ac Rex erat.

CXVII. Firmabimus hanc Philoſophorum Veterum opinionem aliquot teſtimoniis. Plato in Menexeno: Ὁ δίξας σοφὸς καὶ ἀγαθὸς εἶναι κρατεῖ καὶ ἄρχει. *Quicunque ſapiens aut bonus habetur dominatur & imperat.* Cicero lib. I. de Finibus: *Sapiens rectius appellabitur Rex, quam Tarquinius, qui nec ſe, nec ſuos regere potuit.* Horatius etiam ex mente Stoicorum, ſed cum ſale Satyrico *lib. I. Epiſt. I.*

Ad ſummum: ſapiens uno minor eſt Jove, dives
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum:
Præcipue ſanus, niſi cum pituita moleſta eſt.

CXVIII. Pilato reſponſum eſt a CHRISTO: *Tu* *Matth.*
dicis, ut apud Matthæum & Marcum habetur: ſive, ut eſt *XXVII. v. 11.* *Marc. XV.*
apud Johannem: *Tu dicis, quod Rex ſum ego.* Quo Hebra- *v. 2.*
iſmo ingenue ſe Regem confitetur, ſed qualem dixerat. *Luc. XXIII.* *v. 3.*

CXIX. Nec ſuffecit CHRISTO ſi ſe Regem di- *Joh. XIIX.* *v. 37.*
ceret; addidit, *ſe ad hoc natum, inque mundum veniſſe,* ut *Joh. XIIX.* *v. 37.*
regnaret. Subdidit etiam, in hoc regnum ſuum conſiſtere, ut *veritatem teſtetur*, hoc eſt pro ſtylo Evangeliſtæ, *veritatem doceat*; cui, qui veritatem amant, credant, ac nulla vi adacti, ſed ſponte obtemperent.

CXX. Pilatus audiens CHRISTUM de veritate *Joh. XIIX.*
multum gloriari, ſubjungit: *Quid eſt veritas?* *v. 38.*

CXXI. Magna Interpretum manus εἰρωνικῶς hæc dici a Pilato putat: at, ſi acuratius de hoc tropo loqui veli-

 mus,

Digitized by Google

mus, ironia non eſt; ſed potius ſupinum quendam veritatis contemtum, & faſtidium in animo Pilati arguit.

CXXII. Hæc igitur forte ſententia Pilati fuerit. Si de veritate religionis inter te & Judæos eſt concertatio, illa non judicatur a me tanti momenti, ut veſtris altercationibus dirimendis diem perdam. Vel: Quid eſt veritas, cujus teſtandæ gratia tu veniſti in mundum? An ergo tu ſolus veritatem noveris, & præter te alius nemo? an ſolus tu es, quem Dii diligunt, & quem veritatem docuerint, reliquis omnibus in errorum caligine conſtitutis? Quid vero abs te ſtultius fieri poterat, quam tale quid tibi arrogare, & inſuper propter veritatis profeſſionem te ipſum omnium odiis exponere, & tantum periculum ſubire? Quis enim de veritate certiorem te reddat, inter tot ac tam diverſas de Deo & ejus cultu, deque ſummo hominis bono ſententias, quibus mundus hic ſcinditur? An neſcis omnium ſectarum duces veritatis notitiam profiteri, & alios pro cæcis & ignorantibus contemnere. Vel: An tibi non ſatis eſt Judæos diverſam a reliquis gentibus religionis formam ſequi (quod illis hucusque per Romanos ex privilegio quodam ſingulari licet) niſi tu novæ ſectæ auctor ſis, qua & illi, & gentes omnes damnentur? Quin potius omiſſis hiſce cogitationibus eam ſequeris cultus divini formam, quam inter tuos vulgo receptam eſſe vides, & quæ nullo cum periculo conjuncta eſt.

CXXIII. Proponitur hoc modo in Pilato ingenium ſapientum hujus ſeculi, qui in corde ſuo rident controverſias de fidei capitibus, easque tanti momenti eſſe non ſtatuunt, ut propter eas fieri debeant animorum diſtractiones.

CXXIV. Sed utcunque non abſurde ita explicaveris ſenten-

ſententiam Pilati, non deſunt tamen, qui ſerio a Pilato quæri autumant, quænam ſit illa veritas, cujus ſe Doctorem aut Regem profiteretur: ſicque jam olim Theophilactum accepiſſe, hæc ejus verba latine facta docent: *Indigebat tempore illa quæſtio. Sed quod inſtabat, id erat, ut eriperetur JESUS furori Judæorum. Itaque non exſpectato reſponſo ſtatim ad illos egreditur Pilatus.*

CXXV. Cum de hac veritate ſive ſerio quæſiviſſet Pilatus, ſive eandem forſan ſubſannaſſet, ad Synedrii delegatos, & ad populi conglomeratam multitudinem ivit, & dixit: Examinavi hominem de criminibus objectis, *Luc. XXIII. v. 4.* nec ullum in eo invenio capitis ſupplicio dignum. Id *Joh. XVIII. v. 38.* enim ſibi volunt verba iſta: *Ego nullam cauſam invenio in hoc homine.*

CXXVI. Hoc Pilati judicium ægre auditum a Judæis: qui idcirco, ne qua poſſet elabi JESUS, varios criminum *Matth. XXVII. v. 12.* articulos in illum congerunt, ſperantes, in ea copia aliquod ſaltim fore, quod judicem moveret. CHRISTUS *Marc. XV. v. 3.* autem ad hæc nihil omnino reſpondit.

CXXVII. Pilatus intelligens, quod res ageretur odiis privatis, captabat occaſionem liberandi reum a cauſa. Itaque ſermone ad CHRISTUM converſo eum invitat ad reſpondendum, ut ne ſibi ipſi deſit cum faventem ju- *Matth. XXVII. v. 13.* dicem ſit nactus. *Non reſpondes*, inquit, quicquam in tan- *Marc. XV. v. 4.* to capitis periculo? *Nonne audis, quanta adverſus te dicant teſtimonia?* Sic enim exiſtimabat, neminem melius poſſe calumnias diluere, quam ipſum.

CXXVIII. JESUS autem nec Judæis, nec Pilato *Matth. XXVII. v. 14.* quidquam reſpondebat: non, quod tacendo conſentiret *Marc. XV. v. 4.* calumniis; ſed ut tacendo eas elevaret.

CXXIX. Non male Ambroſius *Commentar. lib. X. in*

Luc. cap. XXIII. Accuſatur Dominus, & tacet. Et bene tacet, qui defenſione non indiget. Ambiant defendi, qui timent vinci. Non ergo accuſationem tacendo confirmat, ſed deſpicit non refellendo.

CXXX. Præterea præire nobis JESUS voluit exemplo patientiæ. Nam efferatum hominem reſpondendo irritamus magis; tacendo ſæpe in ruborem damus.

CXXXI. Silet etiam CHRISTUS, qui tantam adverſariorum prævidebat pertinaciam, ut nullo ſatisfieri reſponſo poſſet. Hinc apte Auctor Operis Imperfecti *homil. XXXVIII.* Dominus *tacendo compeſcere ſtuduit, quod reſpondendo compeſcere non potuit.* Et Hieronymus: *Tacebat, quod ſciret, quicquid tandem reſpondiſſet, torquendum ad calumniam.* Quo caſu ipſi etiam Gentiles ſilentium ſvaſerunt: Plinius *lib. VII. Ep. VI.* Haud *minus oratorium interdum eſt tacere, quam loqui.* Euripides: *Σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἀπόκρισις.*

CXXXII. Adde, quod jam animum obfirmarat ad ſubeundam mortem. Et ſi multum ut poterat voluiſſet ſe purgare, viſus eſſet mortem velle ſubterfugere. Itaque ſic mori volebat, ut conſtaret ſe volentem mori.

CXXXIII. Deniq; *triumphali*, ut Ambroſius appellat, *ſilentio* etiam divinitatẽ ſuam teſtatus eſt. Homo continere ſe vix poteſt, quo minus iniquas a ſe devolvat calumnineas. CHRISTUS potuit, qui fragilitatis omnis humanæ, quæ quidquam cum peccato haberet conſortii, expers fuit. In hanc ſententiam ſcribit Cyprianus libro de Bono Patientiæ: *Inter cetera admirabilia virtutum, quibus indicia divinæ majeſtatis expreſſit* (CHRISTUS) *paternam quoque patientiam tolerantiæ tenore ſervavit.*

Matth. XVIII. v. 14. CXXXIV. Et hæc fortaſſis cauſa fuit, cur Pilatus tam per-

pertinax Domini ſilentium demiraretur: ratus, non eſſe humanum tam profundum in tam arctis rebus ſilentium. Hinc Theophylactus Commentar. in Marcum ſcribit: *Admirabatur Pilatus, quod cum legis peritus eſſet ac eloquens, & quod poſſet per defenſionem abſtergere calumnias, nihil diceret, ſed ſuſtineret fortiter calumnias.* Marc. XV. v. 5.

CXXXV. Igitur Pilatus, quamquam paganus homo ac irreligioſus, tamen abhorrens a damnatione hominis, quem innocentem ſuſpicabatur, nihil relinquit intentatum, quo liberet eum, quandoquidem videt ex ipſo nihil auxilii ſuppeditari, quo poſſit liberari.

CXXXVI. Pontifices vero, ubi viderunt Pilatum eſſe propenſiorem erga JESVM, ac periculum eſſet, ne ex manibus ſuis elaberetur, *accuſavere eum vehementius*, crimina criminibus, mendacia mendaciis connectentes. Imo & nõ ſeditioſus eſt, inquiunt, cui ſufficienti eſt indicio, quod non uno loco ubſiſtere & concionari fuit contentus, ſed univerſam regionem pervagatus eſt ſua doctrina *commovendo populum, exorſus inter Galilæos, & progreſſus* ad hanc principem *usque* civitatem *Hieroſolymam.* Luc. XXIII. v. 5.

CXXXVII. Pilatus, ubi de Galilæa audiret, quæſivit, num JESUS e Galilæa foret oriundus. Eo cognito, quod vulgo crederetur Nazarenus, quia illic educatus fuerat, & verſatus, occaſionem hanc arripuit mittendi CHRISTUM ad Herodem, Tetrarcham Galilææ, (hæc provincia cum regione transjordana ex teſtamento Patris ei obtigerat) quod ſic ſe extricare poſſe hoc judicio exiſtimaret, aut ut majorem ab eo iniret gratiam. Ita Veſpaſianus cum imperio agens in Judæa, poſtquam Tarichæus civitatem, quæ a Romanis defecerat, expugnavit, pluribus punitis, permiſit Agrippæ facere quod vellet his, Luc. XXIII. v. 6. v. 7.

qui

qui ex regno ipſius eſſent. Joſephus *lib.III. de Bello Jud,c. ult.* Commode autem contigit, quod eo tempore Herodes eſſet Hieroſolymis: quem credibile eſt eo veniſſe, ut Paſcha celebraret.

CXXXVIII. Parum vero abeſt, quin credam Pilatum hac ipſa tranſmiſſione ad Herodem clanculum quoque pungere voluiſſe Herodem, quod Galilæi ſui tali eſſent ingenio, qui in ſeditiones & turbas eſſent proclives. Nam, ut Theophylactus ſcribit, *Galilæi ſemper ſeditioſi rerumque novatores fuere.*

CXXXIX. Herodes ille, de quo hic ſermo, eſt is, cui cognomen *Antipas*, filius Herodis Magni, ſive Aſcalonitæ infanticidæ; maritus vero Herodiadæ ex Ariſtobuli fratre natæ, anteaque Philippo nuptæ: patruus Herodis Agrippæ, a quo in Actis legimus Jacobum majorem fuiſſe occiſum, & Petrum in carcerem conjectum: denique avunculus magnus Agrippæ, coram quo orationem habuit Paulus, ut eſt Actor. *cap. XXVI.*

Luc. XXIII. v.8. CXL. Herodi mire id gratum accidit, partim, quod honoris & officii cauſa id a Pilato factum arbitraretur; partim quia jamdiu erat, ceu teſtatur Lucas, quod multa de CHRISTO audiviſſet, & avidus eſſet conſpiciendi alicujus miraculi, qualia didicerat ab eo permulta geſta.

CXLI Sed ſpe ſua excidit, Nam etſi CHRISTUM variis de rebus interrogaret, cupiens aliquid ab illo prolicere, nec reſponſum aliquod audivit, nec ſignum vidit; quia utroque ob crudelitatem & obſtinatam impietatem indignus erat.

CXLII. Sciebat CHRISTUS, eundem eſſe, quem vulpem quondam vocaverat; qui etiam Philippo fratri, Tra-

Trachonitidis tetrarchæ nefarie eripuiſſet Herodiadem uxorem. Sciebat quoque, ab eo, in Herodiadæ gratiam Johanni Baptiſtæ præciſam cervicem. Accedebat ad hæc omnia, quod non amore veritatis, ut redderetur melior, ſed more aularum, ex mera duntaxat curioſitate ipſum interrogaret.

CXLII. Interea delegati, qui una venerant, acriter accuſarunt JESVM, ut ſic etiam Herodi redderent ſuſpectum: quaſi qui Davidis affectaret ſolium, ad quod non Galilæa minus, quam Judæa pertineret.

CXLIII. Herodes autem nihil commotus eſt illorum criminationibus, quas ab invidia profectas facile potuit conjicere. Sed ſatis habens contemnere, a quo contemni ſe putaret, ei ſine dubio cum miniſtris ſuis variis ſcommatibus illuſit, cui argumento eſt, quod *candida* veſte illum fecit indui.

CXLIV. *Candidam* appello veſtem, quæ S. Lucæ audit λαμπρά. Vi ergo vocis non alba ſolum fuit iſta veſtis, ſed etiam ſplendida, hoc eſt cum fulgore quodam relucens ex albore. Non enim parum eſt diſcriminis inter *candidum* & *album*, quod in colore candido ſit ſplendor quidam, qui non eſt in albo: unde *nivem candidam* proprie dicimus, *pallorem* autem *album*, non candidum. Hinc etiam λευκότης quandoque opponitur λαμπρότητι, & manifeſta inter albas veſtes & λαμπρὰς conſtituitur differentia, quemadmodum id nos non ſivit ignorare exaſciata Caſauboni *in Exercitationibus AntiBaronianis* induſtria.

CXLV. Neque tamen ſunt reprehendendi, qui *albam* hoc loco ſimpliciter reddunt veſtem. Λευκὴν enim & λαμπρὰν haberi quandoque pro Synonymis facile licebit comprobare. Apud Hippocratem libro *de Diæta in mor-*

bis acutis λαμπρὸν, λευκὸν, & διαφανὴς de eodem uſurpantur. Sancti Angeli ſolent ἐν λευκοῖς apparere, uti elucet ex Matth. XXVIII. v. 3. Marc. XVI. v. 5. Johann. XX. v. 12. Actor. I. 10. Et quia Angelus Cornelio centurioni qui apparuit ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ conſpiciendum ſeſe præbuit, Actor. X. v. 30. quidni harum vocum ſignificationem non incommode converti poſſe cenſeamus?

CXLVI. Alba autem, ſive candida veſte Reges olim uti ſolebant; forte ad candorem animi, & demonſtrandam vitæ morumque innocentiam.

CXLVII. Ægyptiorum Regibus albas in pretio fuiſſe veſtes, vel ex eo patet, quod Joſephus Patriarcha inter cetera eminentiæ inſignia ſtolam ipſi byſſinam conceſſerit: quo de vide Interpretes ad Geneſ. cap. XLI. v. 42. Philonem in vita Joſephi, & Hieronymum Sopranem *Digreſſion. I. de re veſtiaria Judæorum diſp. III. cap. V. §. III.*

CXLVIII. In Perſarum quoque Regum veſtibus album colorem una cum purpureo deprehendimus. De Cidari, ſive Diademate Regio Curtius lib. III. *Cidarin Perſæ Regium capitis vocabant inſigne. Hoc cærulea faſcia albo diſtincta circuibat.* Rurſusque lib. VI. de Alexandro; *Itaque purpureum diadema, diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit.*

CXLIX. Et in reliquarum gentium Regio dominatu, Diadema faſcia fuit candida, qua Regum frons præcingebatur. Hinc Lucianus in Navigio, ſeu de Votis, *Diadema* vocat ταινίαν λευκὴν περὶ τῷ μετώπῳ. Idem in Dialogo Diogenis & Alexandri, *Diadema* ſequenti verborum ambitu deſignat: διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλήν. Ammianus Marcellinus lib. XII. Diadema nuncupat *Faſciolam candidam Regiæ majeſtatis inſigne.*

CL. Hinc

CL. Hinc eſt, quod teſte Valerio Maximo lib. VI. cap. II. Favorinus Pompejo candida faſcia crus alligatum habenti, regias vires exigui panni cavillatione exprobravit, dicens: *Non refert, qua in parte corporis ſit Diadema.* Eundem Pompejum notat Cicero, cum ait Epiſt. III. lib. II. ad Atticum: *Et Epicratem ſuſpicor, ut ſcribis, laſcivum fuiſſe: etenim mihi caligæ ejus, & faſciæ cretatæ non placebant.* Svetonius quoque in Julio Cæſare cap. LXXIX. inter cetera regii nominis a Cæſare affectati indicia ponit, *Coronam lauream candida faſcia preligatam* ſtatuæ ejus non inviti a quodam e plebe impoſitam.

CLI. Reges quoque Romanorum etſi Trabeas geſtarunt purpureas, album tamen iis erat immixtum. Svetonius in libro de genere veſtium apud Servium, ad illud Virgilii lib. VII. Æneid.

Ipſe Quirinali trabea cinctuque Gabino:

tria Trabearum genera ſtatuit: *Diis ſacratum, quod erat tantum de purpura: Regium, quod erat purpureum,* cui *tamen album immixtum; tertium Augurale, de purpura & cocco.*

CLII. Judæorum quoque Regibus candidas Veſtes in deliciis fuiſſe nonnulli contendunt. Mallem tamen id firmioribus fieret argumentis, quam eo quod ex Servatoris nectitur verbis veſtitum Salomonis cum liliis agri comparantibus Matth. VI. v. 28. Joſephi tamen locus de Archelao non eſt prætermittendus initio libri II. de Bello Judaico. Hic *diebus ſeptem in lugendo Patrem conſumtus, epulisque feralibus prolixe populo exhibitis, candida veſte indutus procedit ad templum.* Vtut enim non a poteſtate ſolum, ſed etiam ab ipſo Regis nomine ſe temperaturum affirmaret; candidatus tamen regni erat, ac id propter habitu regio indutus in conſpectum populi procedebat.

Digitized by Google

CLIII. Præterquam autem quod in Regiis veſtibus inſignis eſſet color candidus, etiam Sacerdotalem veſtitum hoc inprimis colore illuſtrem fuiſſe novimus. Ipſe Deus Aaronis ſanctas veſtes lineas, quæ albæ utique fuerunt, voluit confici Levitic. XVI. v. 4. Nec fere alio in habitu Gentilium Sacerdotes deprehendimus. Silius Italicus lib. III. —— *Stat veſte Sacerdos*

Effulgens nivea.

Plinius de Druidis *lib. XVI.* cap. ult. *Sacerdos candida veſte cultus arborem ſcandit.* Veſtalibus non niſi alba veſte uti licitum Suidas in *voce* Νυμᾶς annotavit. Germanorum quoque Sacerdotes fœminas albis indutas Strabo nobis ſiſtit *lib. VII.* Apulejus lib. XI. Metamorph. *Tunc influunt turbæ ſacris divinis initiatæ viri fœminæque omnis dignitatis & omnis ætatis linteæ veſtis candore puro luminoſi.* Et paulo poſt: *Antiſtites ſacrorum Proceres illi, qui candido linteamine cinctum pectorale adusque veſtigia ſtrictim injecti.* Hinc religioſa veſtis nuncupatur à Svetonio in Othone cap. XII. *Otho ſacra Iſidis in lintea religioſaque veſte propalam celebraſſe fertur.* Procul dubio igitur boni ominis ergo his veſtibus Pagani quoque ſunt uſi, quia *albus color præcipue decorus Deo*, ut affirmavit Cicero *lib. II. de Legibus.* Sed & in Eccleſia Veteri Sacerdotes albati ſacra faciebant. Hieronymus lib. I. contra Pelagianos: *Quæ ſunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, ſi Epiſcopus, Presbyter & Diaconus, & reliquus ordo Eccleſiaſticus in adminiſtratione ſacrificiorum candida veſte proceſſerint.*

CLIV. Cum igitur veſtis candida apud Veteres Regia pariter & Sacerdotalis eſſet, non ſine ſingulari myſterio à providentia divina factum eſt, quod CHRISTVS verus Rex, verus Sacerdos a ſuis irriſoribus candida veſte

amici-

Digitized by Google

amiciretur. Nam licet illorum malitia nihil ſpectaverit aliud, quam ut quæſiti regni crimen hac veſte CHRISTO exprobrarent, nihil tamen prohibet, quo minus Deum inter hæc ludibria gloriæ Filii ſui inſciis hoſtibus conſuluiſſe exiſtimemus.

CLV. Et quia Livius *Dec. V. lib. V.* gratulantium quoque habitum agnoſcit *veſtem candidam*; par eſt credere Herodem CHRISTO per ludibrium de imaginario regno gratulatum.

CLVI. Quia vero albus color etiam innocentiæ ſolet eſſet indicium, eo ipſo vel ab invito præclarum innocentiæ teſtimonium perhibitum putamus. Unde bene ſcribit Ambroſius in *Luca cap. XXIII.* Non otioſum, quod veſte alba induitur ab Herode. *Immaculatæ tribuens indicia paſſionis: quod agnus Dei, ſine macula peccata mundi ſuſciperet.*

CLVII. Nec rejicula *hæc* eſt conjectura; quia morti adjudicatis veſtes atræ ac pullæ dari ſint ſolitæ, color vero albus ſignum abſolutionis fuerit: & Joſephus etiam referat apud Judæos eam viguiſſe conſvetudinem, ut reus coram judicio ſe ſiſteret atratus: Herodem ideo hac veſte candida ſignificare voluiſſe, CHRISTVM honorem regium miſere affectantem abſolvendum potius, quam capitali ſupplicio afficiendum eſſe.

CLVIII. Album colorem innocentiæ dixi fuiſſe indicium. Hoc igitur præcipue ſpectavit Eccleſia priſca, quando in more habuit, ut recens baptizati albis induerentur, ad deſignandam ſcilicet, quam a peccatis loti acceperant, ſanctitatem. Pulchre Paulinus *Epiſt. XII. ad Severum: Inde Parens ſacro ducit de fonte Sacerdos*

Infantes niveos corpore, corde, habitu.

 De

De eadem veſte & myſtica ejus ſignificatione interpretor, quod idem Paulinus *Epiſtola XXXVI. ad Macarium* ſcribit de ſene per miraculum a naufragio liberato, ac pauló poſt baptizato: *Accipe eum latius in Domino, ut bonum CHRISTI odorem, ut agnum menſis novorum, quem ad unanimitatem tuam, de rudi matris Eccleſiæ fœtu, immaculatum candente lanitio paſtor exigui gregis, ſed magni pignoris munerator, ut xenium ſpirituale transmiſi.* Svaviter quoque, de hac candida veſte cantat Lactantius, ſive, ut alii volunt, Fortunatus Venantius *Carmine de Reſurrectione Domini:*

Rex ſacer ecce tui radiat pars magna trophæi,
Cum puras animas ſacra lavacra beant.
Candidus egreditur nitidis exercitus undis,
Atque vetus vitium purgat in amne novo.
Fulgentes animas veſtis quoque candida ſignat
Et grege de niveo gaudia Paſtor habet.

Pluribus de hac veſte candida, integritatis per CHRISTUM in Baptiſmo impetratæ indice agit Ambroſius libro *de iis, qui initiantur myſteriis cap. VII.* ubi & hæc legas: *Accepiſti veſtimenta candida, ut eſſent indicium, quod exueris iuvolucrum peccatorum, & indueris innocentiæ caſta velamina.* Rabanus Maurus *lib. I. de Inſtitutione Clericorum:* Induuntur *baptizati albis veſtibus ad ſignificandam innocentiam & puritatem Chriſtianam.*

CLIX. Sed erat quoque hæc Candida baptizatorum veſtis ſymbolum lucis & illluminationis per ſacrum Baptiſmum acceptæ. Hinc, qui ſub Dionyſii Areopagitæ latet nomine, antiquus ſcriptor veſtes illas φωτοειδεῖς hoc eſt, *luminoſas*, appellat, & λαμπροφορεῖσθαι, *in albis eſſe.* Eleganter eo collineat Imperator Valentinianus in *conſtitutione,*

quæ

quæ exſtat *leg. ult. Cod. Theodoſiani de ſpectaculis*, his verbis: *Quamdiu cœleſtis lumen lavacri imitantia novam ſancti Baptiſmatis lucem veſtimenta teſtantur.* Sed & ideo Baptiſmum φώτισμα & φωτισμὸν dicebant, ut Juſtinus Martyr *Apologia II. pro Chriſtianis*, Gregorius Nazianzenus, *Orat. in ſanctum Baptiſma*, & alii. Et φωτίζεσθαι Veteribus erat βαπτίζεσθαι. Clemens Alexandrinus *Pædagog. lib. II. cap. VI.* βαπτιζόμενοι, φωτιζόμεθα· φωτιζόμενοι, υἱοποιούμεθα· υἱοποιούμενοι, τελειούμεθα· τελειούμενοι, ἀναθανατιζόμεθα. Quamobrem Ebræor. *X. v. 32.* φωτισθέντες, Paraphraſtes Syrus, Arabs & Æthiops verterunt *Baptizati*. Verba integra hæc ſunt: Ἀναμιμνήσκεσθε δὲ τὰς πρότερον ἡμέρας, ἐν αἷς φωτισθέντες, quæ ad verbum ita ſonant: *Recordamini vero priſtinorum dierum in quibus illuminati eſtis.* Imo ipſi Chriſtiani dicti fuere φωτισθέντες, *illuminati*, quia in Baptiſmo, & per eundem facti filii lucis, qui ante cœci & filii tenebrarum erant. Videatur Gregorius Nazianzenus Orat. in *Sancta lumina:* &, *in ſanctum Baptiſma*; & Chryſoſtomus *Homil. XXI. ad illuminandos.* Hinc & φωτιστήριον idem Veteribus erat ac βαπτιστήριον.

CLX. Quoniam autem ſtatum & ſolenne baptizandi tempus erat feſtum Paſchatis, baptizati veſte candida induti incedebant per Paſchalem illam hebdomadam, ac demum octavo die veſtitum mutabant. Chryſoſtomus *Sermon. VIII. de Reſurrectione* inquit: *Eo die, quo Paſchalis ſolennitas concludi ſolita fuit, Neophytos commutaſſe habitum, quem candidum eo usq; geſtarint.* Unde etiam ſolennitas hujus hebdomadæ, *dies*, ſeu *feſtum Neophytorum* vocatur ab Auguſtino *Epiſtola CXIX. ad Januarium.* Hinc quoque Dominicus ille dies Paſchalem excipiens, quem nos *Quaſimodogeniti* nominamus, *Dominica in Albis*, & tota hebdomada *in Albis* vocabatur. CLXI.

Digitized by Google

CLXI. Sicut igitur, ceu dixi, albati per illud temporis incederent, ita qui tum ex Neophytis de vita decederent, uti etiam revera ita erat, *in albis* dicebantur obiiſſe. Paulus Diaconus *lib. VI. Hiſtor. Longobard. cap. XV.* de Codrate Rege Anglo Saxonum: *Is*, ait, *cum Romam perveniſſet a Sergio Papa baptizatus, Petrusq; appellatus, & adhuc in albis conſtitutus ad regna cœleſtia migravit.* Credo vel apud Diaconum, vel apud Bedam in mendo cubare nomen Regis. Nam hic *Ceadvallam* nuncupat. Verba Bedæ *lib. V. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Gentis Anglorum cap. VII.* ad hunc locum pertinentia, ita habent: *Illo* (Romam) *perveniens Pontificatum agente Sergio, baptizatus eſt die ſancto Sabbathi Paſchalis, anno ab incarnatione Domini ſexcenteſimo octogeſimo nono, & in albis adhuc poſitus, languore correptus duodecimo Kalendarum Majarum die ſolutus eſt a carne, & beatorum eſt conſortio ſociatus in cœlis.* In Epitaphio, quod ſequitur apud Bedam pro *ablatum* reſcribendum eſt *albatum* hoc modo;

Fonte renaſcentis, quem CHRISTI gratia purgans,
Purgans albatum vexit in arce poli.

Apud Paulum Diaconum verſus ita habent;

Unda renaſcentum (quæ CHRISTI gratia) purgans
Protinus albatum vexit in alta poli.

Simile exemplum conſignavit Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francorum lib. II. cap. XVIII. *Baptizatus puer,* (de Chrotildis Reginæ filio loquitur) *quem Ignomerum vocitaverunt, in ipſis, ſicut regeneratus fuerat, albis obiit.* Et mox Reginam ſic loquentem introducit: *Mihi autem dolore hujus cauſa animus non attingitur, quia ſcio in albis ab hoc mundo vocatos Dei obtutibus nutriendos.* CLXII.

Digitized by Google

CLXII. Ut tam volupe ſit lectori meo hanc digreſſionem de candida Baptizatorum veſte cognoſcere, quam mihi fuit ſcribere, ex animo precor. Mihi certe voluptas obtingere major vix poterit, quam talia ex antiquis Eccleſiæ priſcæ ritibus obſervare, quæ ad niveum genuinæ pietatis amorem manu nos quaſi ducunt. Inter illa autem quin potiſſimum habeant locum quæ ad hiſtoriam Baptiſmi veterum Chriſtianorum ſpectant, nemo inverit infitias. Nunc vero ad CHRISTI veſtem revertimur, quam nos pro *candida* habemus; in quo tamen quia non ſunt omnes omnino conſentientes, eorum quoque ſententias audiemus.

CLXIII. Et nonnulli quidem λαμπρὰν ἐσθῆτα hic reddunt *Veſtem puram.* Attamen, quia hæc interpretatio generalis eſt, & tam candidæ, quam aliis convenire poteſt veſtibus, non eſt cur refellendæ huic opinioni diu immoremur.

CLXIV. Scio quidem apud Judæos & Romanos fulloniam ſollicite fuiſſe exercitam, cujus beneficio ſordes ac maculæ ex veſtimentis eluerentur, eumque in uſum ſulphur ac cretam inprimis adhibuiſſe fullones. Neque tamen de hoc veſtimento CHRISTI affirmare tuto licuerit, idcirco λαμπρὰν vocari, quod eo modo pura fuerit reddita. Quamobrem nec de Fullonibus veterum, neque de priſcis ritibus ad eos pertinentibus hic quidquam afferemus, ſatis habentes curioſum lectorem ablegare ad Octavii Ferrarii *de re Veſtiaria part. I. lib. I. cap. XXI.* Laurentii Ramirez de Prado *Pentecontarchum cap. II.* Laurentii Pignorii *Commentarium de Servis pag. 176.* Chriſtophori Coleri *Parerga Juris cap. XIV.* Nicolai Henelii *Otium Vratislavienſe cap. XXXII.* Johannem Conradum

Digitized by Google

Dieterichum apud Dilherrum *in Diſputationibus Academicis tom. I. Diſput. VIII. pag. 205.* qui ſingularia non pauca in hoc genere obſervarunt.

CLXV. Nunc ſuccedant illi, quibus λαμπρὸν per *magnificum*, & *elegans* exponere viſum eſt. Inter hos eſt Johannes de la Hayne, cujus in Bibl. Max. Tom. XIV. in *Commentariis* ad hunc locum verba ſunt ſequentia: *Vox illa græca* (λαμπρὸς) *potius ſplendoris & elegantiæ ſignificativa, quam coloris eſt.* Nec abit multum ab hac opinione Hugo Grotius, ſic tamen ut ad Syrum, qui *veſtem coccineam* interpretatus eſt, prope accedat, de quo poſtea videbimus. Ita autem Grotius: ἐσθῆτα λαμπρὰν *fulgentem Arabs intelligit; album Latinus; neutrum ſatis certum. Nam ut ſupra de eo, qui magnifice epulabatur dixerat:* εὐφραινόμενος λαμπρῶς: *ita & hic* λαμπρὰν ἐσθῆτα *intelligit veſtem ſplendidiorem: quomodo & Jacobus appellat veſtem hominum opulentiorum. At hic inſuper privato cultu ſplendidiorem veſtem par eſt intelligi. Nam irriſit eum Herodes, ut majora captu ſuo ſtulte appetentem: ita ut are forte non aberraverit Syrus, qui veſtem coccineam eſt interpretatus.*

CLXVI. Verum quando Grotius non ſatis certum eſſe aſſerit, τὸ λαμπρὸν hic denotare *album*; ipſe cogitare debuiſſet, nec id certo dici poſſe, λαμπρὰν ἐσθῆτα ſignificare hoc loco *ſplendidiorem veſtem*. Quandocunque enim unius vocis plures dantur ſignificationes, quarum ſingulæ textui quodammodo conveniunt, quamdiu nobis de mente ſcribentis non conſtat examuſſim, indubitato aſſerere non poſſumus, quæ nobis probatur, vere illam eſſe, quam auctor intendit, ſignificationem, utut una atque altera præ ceteris magis ſit probabilis.

CLXVII. Quia autem τὸ *candidum*, quatenus albo præci-

Digitized by Google

præcipue convenit colori, nobis per τὸ λαμπρὸν heic loci denotari propter rationes antea allatas vero viſum eſt ſimilius, illi placuit ſubſcribere ſententiæ: nec putamus Grotii opinionem præ noſtra probabiliorem eſſe. Neq; enim ex eo, quod de divite epulone Luc. XVI. v. 19. legimus, illum λαμπρῶς, hoc eſt, *magnifice, ſpendide* delitiis indulſiſſe, ſequitur; hoc loco λαμπρὰν ἐσθῆτα *ſplendidiorem veſtitum* deſignare. Nam quod ad Jacobi locum attinet *cap. II. v. 2.* ἐσθὴς λαμπρὰ tam ibi denotare poteſt veſtem *candidam*, prout nonnulli quoque reddideruut, quam aliam quamvis nitidam & elegantem. Imo pro illa quoque decertant Is. Caſaubonus *in Exercitat. Anti Baronianis*, Hieron. Sopranes *Digreſſ. I. de re Veſtiaria Judæorum Diſp. I. c. III. §. III.* & Ludovicus de Dieu *Commentar. ad Luc. XXIII.* Et quidſi etiam apud Jacobum haberet locum Grotiana interpretatio, quā multi ex Noſtratibus, & jampridem B. quoque Lutherus ſuo calculo approbarunt; non tamen exinde ad præſentem locum liceret firmiter concludere.

CLXVIII. Quod vero Grotius exiſtimat, vel ideo *privato cultu ſplendidiorem veſtem par eſſe intelligi; quod irriſerit CHRISTUM Herodes, ut majora captu ſuo ſtulte expetentem*, id necdum nos trahit in aſſenſum hujus explicationis. Nam irriſio illa locum tamen potuit habere, licet veſtis non eſſet pretioſa atque ſplendida. In candido colore veſtimenti nos illuſionis caput conſtitiſſe putamus, non in ſplendore vel materiæ vel formæ alio. Atque uti poſtea in Pilati prætorio coronam non auream, ſed ſpineam capiti ſacrato impoſuerunt; nec ſceptrum argenteum vel eburneum, ſed arundineum ſanctiſſimæ dextræ indiderunt: ita fortaſſis nec in Herodis aula pretio-

ſam quandam veſtem, qua JESUM amicirent, ſollicitè indagarunt, ſed contenti forte fuerunt alba toga, qua vel Herodes, vel miniſtrorum aliquis non amplius uteretur.

CLXIX. Neque tamen hæc in aliam credo finem a Grotio afferri, quam ut probet interpretationem Syri, qui λαμπρὸν hoc loco pro *coccineo colore* accepit. Ad hanc igitur claſſem quoque refero, qui pro colore purpureo militant, inter quos ſunt Æthiops Interpres, Baronius *in Annalibus*, Montacutius *Originum Eccleſiaſticar. tom. I. part. poſteriori pag. 387*. Nec plane improbatur illa Johanni Gvilielmo Stuckio *Antiquitatum Convivalium lib. II. cap. XXVI.* ubi hæc ſcribit: *Huc quoque facit* ἐσθὴς λαμπρά, *veſtis ſplendida, ſeu, ut Vulgatus Interpres vertit, alba, qua CHRISTUS per ludibrium ab Herode fuit indutus. Illa enim revera argumentum fuit CHRISTI innocentiæ, & regiæ dignitatis. Luc. XXIII. Forſan ut* ἐσθὴς καθαρὰ, & καθαρὸν ἱμάτιον, *id eſt, pura veſtis a Plutarcho pro alba uſupatur, ſicut Bayſius teſtimoniis quibusdam probat: Sic* λαμπρᾶς *vocabulum eodem modo uſurpatur: niſi malimus purpuream veſtẽ intelligere, cujusmodi veſte a Judæis per ludibrium fuit amictus.*

CLXX. Caſaubonus apud Syrum pro זחוריתא qua & hoc loco λαμπρὰν, & Matth. *XXVII.* v. 28. κοκκίνην reddidit, legendum putat זהוריתא ut ה loco ח ponatur, & ſic a radice זהר *ſplenduit, fulſit*, derivat.

CLXXI. Quando equidem ejus vocis uſum apud Vet. Teſtamenti Thargumiſtas quærimus, primo cum ה ſcribi זהורי vel זהורתא videamus, deinde idem notare, quod Syriacum illud, nempe *coccineum*, obſervamus, cum pro Hebræo שָׁנִי id eſt, *cocco* poni ſoleat. Sic etiam apud Talmudicos, tum quoad literas, tum quoad ſignificationis

uſum occurrit: v. g. quando dicunt in Joma cap. IV. f. 39. 1. *Lingva coccinea* (ſeu rubra illa particula lanæ pexæ ac ad modum lingvæ formatæ, quæ ad caput hirci emiſſarii alligari ſolebat) *quandoque albeſcebat, quandoque non.*

CLXXII. Interim quoniam Syrus noſtræ explicationi e diametro repugnat, paucis, tum quid de Caſauboni nota de obſervato ſphalmate, tum quid de ipſa hujus loci verſione nobis videatur, erit dicendum.

CLXXIII. Multi multoties corruptionis Syriacum arguunt textum, Tremellius, Junius, Druſius, Spanhemius, Ludovicus de Dieu, aliique, inter quos etiam ſæpe non poſtremus hic Caſaubonus: at ſæpiſſime præter meritum: quapropter plus vice ſimplici a B. Hackſpanio & aliis notantur. Quoad hunc igitur locum etſi facilis lapſus initio non agnitus poſtea pro vitio agnoſci forte noluerit, non deſunt tamen, qui mutationem illam non ex incuria ſcribæ, ſed ex lingvæ genio profectam autumant, cum ejusdem organi literas more ſolito inter ſe permutari contingat. Accedit, quod B. Hackſpanius ex valde antiquo MS. Syriaco IV. Evangeliſtarum Bibliothecæ Altorphinæ hanc ipſam hujus loci ſcriptionem per ח confirmet.

CLXXIV. Quoad ſenſum vero a Syro expreſſum notandum putamus, auctoritatem ejus, etſi maxima ſit, Græco non æquiparandam, multominus præferendam eſſe, præcipue ſi in avthentico aliud innui manifeſto colligi queat: unde verſio ilia a Theologis & Philologis ſæpe virgulam cenſoriam eſt promerita: v. g. quando in Græco legitur βεελζεβοὺλ, in Syro eſt בעלזבוב, *Beelſebub*, ſenſu multum diverſo, nec tamen convenienti. Simile obſervare eſt in multis aliis.

CLXXV. Sed quicquid ſit de eo, omnes illos, qui per

 λαμ-

λαμπρὰν ἐσθῆτα *purpuream* vel *coccineam* hic intelligunt veſtem, ad ſplendorem & fulgorem reſpexiſſe credo, quem *purpuræ* varii ſcriptores tribuunt. Sic Lucretius lib. II. v. 51.

Nec clarum veſtis ſplendorem purpureai.

Et eodem libro v. 500.

——— *Melibœaque fulgens*
Purpura Theſſalico concharum tincta colore:

Tibullus lib. IV. de Meſſala:

Nam modo fulgentem Tyrio ſubtegmine veſtem
Indueras.

Plinius de Tyria purpura lib. IX. cap. XXXVIII. *Laus ei ſumma color ſangvinis concreti, nigricans adſpectu, idemq́; ſuſpectu refulgens.* Seneca Natural. Quæſtion. lib. I. cap. V. *Purpuram Tyriam, quo melior ſaturatiorque eſt, oportet altius teneas, ut fulgorem ſuum oſtendat.* Flavius Vopiſcus in Aureliano: *Pallium purpureum divini fulgoris.*

CLXXVI. Nec coccus hac ſplendoris caret nota. Cur enim alias ardentem nominaret Silius hoc verſu:

At contra ardenti radiabat Scipio cocco.

Quo refero illud Horatii lib. II. Sermon.

——— *Rubro ubi cocco*
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos:

Unde Perottus in Cornu Copiæ non male: *Coccineus color eſt, qui exuberantiam quandam & ſplendorem ruboris oſtendit.*

CLXXVII. Interim quamdiu non probabitur ex ſacris literis τὴν λαμπρὰν ἐσθῆτα ſignificare veſtem purpuream vel coccineam, nunquam adducar ut credam, ejusmodi veſtitum ab Herodianis CHRISTO fuiſſe tributum, ſed candori meo inhærebo.

CLXXVIII. Illuſus hac candida veſte JESVS remittitur

Digitized by Google

titur ad Pilatum. Nec dubitandum, quin in via, & cum iret ad Herodem, & cum rediret, multorum ſannis inſtar fatui fuerit exceptus.

CLXXIX. Ab hoc tempore Herodes & Pilatus ſunt reconciliati, cum antea fuiſſent inimici. Nam CHRISTUS *velut reconciliationis xenium*, ut eleganter loquitur Ruffinus in Expoſitione Symb. Apoſtol. ad Herodem miſſus erat.

CLXXX. Simultas illa vel ex æmulatione orta, ex qua facile oriuntur odia: vel, quod Pilatus involaſſet quædam, quæ ad Herodis pertinerent jurisdictionem; præcipue autem, quod ut Lucas memorat cap. XIII. v. 1. *Galilæorum ſanguinem cum ſacrificiis eorum miſcuiſſet*, hoc eſt, eo tempore, cum ſacrificarent, obtruncaſſet.

CLXXXI. Reconciliatio autem orta eſt ex eo, quod judicium de JESV, tanquam Galilæi, Herodi, utpote Galilææ Regi detuliſſet. Ex quo apparet, quid ſit illis reſpondendum, qui Pilatum putant in majeſtatem Cæſaris peccaſſe, dum reum coram ſuo foro accuſatum ad alienum forum transmiſerit.

CLXXXII. Hæc autem reorum transmiſſio inter Præſides provinciarum non plane fuit inſolens. Nam *L. Non eſt dubium.* ff. de Cuſtodia & Exhibitione reorum hæc leguntur verba: *Illud a quibusdam obſervari ſolet, ut cum cognovit & conſtituit, remittat illum cum elogio ad eum, qui provinciæ præeſt, unde is homo eſt, quod ex cauſa faciendum eſt.*

CLXXXIII. Quomodo ab omni ævo ad hanc usque ætatem etiam inimiciſſimi contra CHRISTVM & CHRISTI ſectatores conſentiant, notius eſt, quam ut commemorari debeat; manifeſtius, quam explicari indigeat; turpius, quam poſſit excuſari. *CLXXXIV.*

Digitized by Google

CLXXXIV. Impia autem pax eſt, quam conglutinat injuria probitatis, odium veritatis, livor adverſus innocentiam.

CAP. IX

De Conſvetudine dimittendi captivum in feſto Paſchatos. De Somnio conjugis Pilati. De facinoroſi Barrabæ liberatione. De Flagellatione CHRISTI. De rubra ejus Chlamyde. Fuſior diſſertatio de Purpura & Cocco. De Corona CHRISTI ſpinea. De Calamo Eidem pro ſceptro tradito. De adoratione CRISTI irriſoria. Pilati timores ex quo CHRISTVS ſe Filium Dei prædicat, ejusque ſtudium pro ipſo liberando. Judæi CHRISTVM majeſtatis accuſant. De Pilati tribunali. Inconditi Judæorum *CHRISTVM* ad crucem depoſcentium clamores. An Crucis ſupplicium apud Judæos uſitatum. De *Lotione* manuum Pilati. Judæorum in ſe diræ. Decretoria in *CHRISTVM* ſententia.

I.

PIlatus ubi videt ab Herode remitti reum, nec ſucceſſiſſe, quam ingreſſus, viam, nunc inſiſtit aliam, & ex judice cœpit eſſe Patronus JESV, id unice volvens animo, ut ſe expediret, eundemque dimitteret.

Luc. XXIII. v. 13. II. Quamobrem *convocatis Principibus Sacerdotum, & magiſtratibus, ac populo,* qui illos comitabatur, in hanc

v. 14. ſententiam *locutus eſt ad illos: Obtuliſtis mihi hunc* quem præſentem videtis miſerum *hominem,* eumque accuſaſtis *veluti avertentem populum* ab obedientia Cæſaris ac legum veſtrarum: *& ecce* ego vobis exſpectan-

tibus

Digitized by Google

tibus ac audientibus eum *interrogavi*, meiſque interrogationibus ſum conatus expiſcari verum; *nec* v. 15.
reperio tamen *illum ulli horum criminum obnoxium, de quibus eum accuſatis*. Idem accidit Herodi, qui me certius his de rebus poterat judicare, quippe legum veſtrarum peritus. *Nam* hac cauſa *remiſi vos ad illum*, & cognitionem ad ipſius tribunal rejeci. Et ſane in hac tota cauſa nihil vobis inſciis egi, nec meo præjudicio cauſam veſtram gravare volui; ſed eam integram una vobiſcum ad illum retuli, ubi eam denuo agere licuit. Quod ſi autem Herodes comperiſſet eum nocentem, certe non paſſus fuiſſet elabi. Nunc *ecce* quoniam comperit, *nihil morte dignum* capitalique pœna expiandum *ab eo deſignatum*, illuſit tantum homini, interim abſolvens a capitis periculo.

III. Pilatus non modo ſacri & civilis ordinis Primores, ſed etiam populum convocat, exiſtimans ſcilicet non defuturos in tanta multitudine, qui patrocinium innocentis CHRISTI ſuſcepturi ſint: præſertim quia ante paucos dies ſummo cum tripudio & lætis acclamationibus eum exceperant.

IV. Quod Pilatus dicit, *ἀνέπεμψα γὰρ ὑμᾶς πρὸς αὐτόν*: *nam remiſi vos ad illum*: de proceribus Judæorum ad Herodem miſſis intelligendum: quomodo & Syrus accepit. Sed in nõnullis libris legitur: *Ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς*: *nam remiſit eum ad vos*: ut ſenſus ſit: ab Herode remiſſum eſſe JESUM tanquam videndum potius, quam morte dignum.

V. Subjunxit Pilatus, velle ſe propterea non quidem plane impunitum dimittere, ne nihil poſtulato Judæorum largiatur; attamen nec pœna capitis afficere, quia

hoc nimis foret crudele in eo,quem innocentem putaret. Mediam igitur ſe viam inſtiturum, qualis, ſi cædatur flagellis. *Caſtigatum ergo,* inquit, *illum dimittam.* Qua *caſtigandi* voce proprie virgæ aut flagella ſignantur.

VI. Hoc igitur agebat Procurator, quod ſperaret fore, ut conſpecto JESV tot ludibriis & flagris affecto miteſceret Judæorum furor, nec amplius inſiſteret importunæ poſtulationi.

VII. At Judæi ad hæc ſilebant. Nos tamen non ſileamus,ſed indignitate rei moti exclamemus. Deum immortalem! Tantamne vecordiam,tantam impudentiam in animum Pilati incidere potuiſſe,ut homo politicus, civis Romanus, multo rerum uſu præſtans, adhæc adminiſtrator ejus regionis,quam in officio contineri plurimum Reipubl. intererat, imo Imperatoris Romani vicarius, in loco juſtitiæ ſacro, in judicio denique adhunc modum argumentetur. *Nulla eſt in homine illo noxa: Ergo caſtigatum, aut virgis cæſum, dimittam.* Ergone in eum locum res Romanæ pervenerunt Pilate, ut qui innocentes ſint, flagris caſtigentur? Quæ unquam gens tam barbara,tamque immanſveta fuit, in qua huic ſimilis ſententia audita ſit? Et quid in CHRISTO verberibus aut flagris dignum eſt, ſi neque tu, neque Herodes, noxam aliquam in eo potuiſtis deprehendere? Sed ita ſolet accidere, ut qui hominum favorem,& hujus ſeculi gloriam Deo, & ejus honori præferunt, ſibi ipſis extremam accerſant ignominiam.

VIII. Quod ſi veris Chriſtianis idem contingat, ut conniventibus illis,quibus ipſorum patrocinii incumbit, ac illorum innocentia ſatis eſt perſpecta, flagellentur, proſcriptione,exilio, carcere, vinculis coerceantur, cogitemus

mus & hoc pertinere ad membrorum cum capite convenientiam.

IX. Interea in mentem venit Pilato, quomodo etiam abſque omni ſupplicio captivum poſſet dimittere: quandoquidem inſtaret feſtum Paſchale, cujus ergo quotannis aliquis e captivis ſoleat liberari. Hæc enim ſententia eſt verborum Matthæi: *In feſto autem conſueverat Præſes unum multitudini dimittere vinctum, quem voluiſſent.* Sive ut apud Lucam: *Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum.* Pro quo Johannes: *Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum dimittam in Paſcha.*

Matth. XXVII. v. 15. Luc. XXIII. v. 17. Joh. XIIX. v. 39.

X. Sunt qui putent, ſolennem hanc unius rei liberationem, non in Paſchatis modo, ſed & in reliquis Judæorum majoribus feſtis locum habuiſſe: quibus anſam dediſſe videtur Matthæus, in quo legitur κατὰ δὲ ἑορτὴν: quod Syrus reddidit, *in omni feſto.*

XI. At generaliter de feſto cum loquuntur Matthæus, & Marcus, Paſchale feſtum (hoc & diſerte indigitat Johannes) intelligendum: quod reliquorum feſtorum caput quoddam erat, & præcipua feſtivitas. Sic alibi ſimiliter videas ἑορτὴν pro Paſchate poni καθ' ἐξοχὴν: ut Matth. XXVI. 5. Marc. XIV. 2. Luc. II. 42. Johan. IV. 45. Et quamvis Beza hic particulam diſtributivam κατὰ urgeat; non tamen ſemper illa diſtribuendi vim ſortitur: hoc certe loco univerſalitatem hujus feſti quotannis recurrentem ſignificans.

Marc. XV. v. 6.

XII. Non plane tamen alienus eſt ab hac ſententia Iſaacus Caſaubonus Exercit. XVI. §. XX. ſic ſcribens: *Niſi malit aliquis extendere illa verba ad feſta etiam alia nobiliora: non enim dixerat Matthæus & Marcus* κατὰ δὲ τὴν ἑορτὴν, tempore hujus feſti: *ſed ambo ſine articulo,* κατὰ δὲ ἑορτὴν,

Digitized by Google

τῶν, tempore feſti, *quod Gallice diceremus*, es feſtes, *vel etiam* a chasque feſte. *Docti judicent. Mihi quidem articulus non temere videtur prætermiſſus.*

XIII. Quicquid ſit, ex hoc loco nemo tamen firmiter probaverit, CHRISTVM eadem cum Judæis die, prima nempe azymorum, Paſcha comediſſe, ac eadem quoque crucis ſupplicium ſubiiſſe. Nam Paſcha a Pilato laxe ſumitur, ut ſimul comprehendat tum paraſceven, quia ad Paſcha præparet, tum non primum modo, ſed ſequentes etiam azymorum dies, id quod jam parte I. cap. XI. §. XLIV. & XLVII. tetigimus. Nec ipſo die Paſchali vacaſſent Judæi judicio capitali: quod fuiſſet profanare diem tam religioſum.

XIV. An autem hic mos Judæorum fuerit proprius, an eundem a Romanis, aut Græcis acceperint, in controverſiam venit.

XV. In Græcia religionis cauſa capitis damnatos pœnæ exemtos, vinculisque exſolutos ex Platonis *Phædone*, Pauſaniæ *Corinthiacis*, Achillis Statii *lib. VII. de Clitophontis & Leucippes Amoribus* patet: quos & in hoc argumento laudavit Johannes Henricus Vrſinus *Analectorum Sacrorum lib. I. Sect. XLI.* Nec eſt probabile tamen, ſuperſtitionem Græcorum ſuo hoc ritu ſecutos Judæos.

XVI. Quamobrem Grotius & Voſſius profectum credunt morem a Romanis, qui lectiſternii tempore vincula captivis adimi juſſerint. Sic enim Livius dec. I. lib. V. *Vinctis demta in eos dies vincula: religioni deinde fuiſſe* ferunt, *quibus eam opem Dii tuliſſent, vinciri.*

XVII. Hinc putant laudati Scriptores, Auguſtum Cæſarem, ut gratificaretur Judæis, hoc Præſidibus, quibus nulla alioqui ignoſcendi poteſtas, conceſſiſſe, ut in feſto

Digitized by Google

præcipuo, hoc eſt, Paſchæ, permiſerit iis, uni ex captivis vincula demere, atque illum carcere emittere.

XVIII. Ceterum a lectiſternii Romani ſacris morem hunc cepiſſe, tam mihi non probatur, quam ſi quis Scenopegiorum feſti cerimonias ab iisdem velit petitas. Nam in illis fiebat quodammodo, quod per octo lectiſterniorum Romanorum dies: *Tota urbe patentibus januis, promiſcuoque uſu rerum omnium in propatulo poſito, notos ignotosq; paſſim advenas in hoſpitium ductos ferunt: & cum inimicis quoque benigne ac comiter ſermones habitos, jurgiis ac litibus temperatum:* quæ iterum Livii verba ſunt.

XIX. Conſvetudinem igitur Judaicam fuiſſe cenſemus: idque ferme patet ex verbis Pilati Johannis XVIII. 39. ἐστὶ δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ὑμῖν ἀπολύσω: *Eſt vobis conſvetudo, ut unum vobis dimittam.*

XX. Ita autem hæc invaluit conſvetudo, ut *neceſſitatem* imponeret provinciæ rectori (vid. Luc. XXIII. 17.) *Luc. XXIII. v. 17.* vel quod progreſſu temporis vim neceſſitatis obtinuerat in populo traditiones & conſvetudines pertinaciter urgente: vel quia decreto Cæſaris erat confirmata, ut priſtinæ libertatis aliquam concederet umbram populo duræ cervicis, quo ſervitutem minus ſentiret. *Sic enim quasdam gratias præſtant gentes iis quos ſibi ſubjiciunt, donec confirmetur ſuper eos jugum ipſorum:* ut ſcite loquitur Origenes Tractatu XXXVI. in Matthæum.

XXI. Quomodocunque tamen neceſſitas illa fuerit comparata, hoc temperamento videtur mitigata, ut ipſe Præſes aliquos, & forte duos tantum nominaret, ex quibus alterutrum liberandi poteſtas populo daretur.

XXII. Inſtituta autem hæc videtur conſvetudo, vel in memoriam liberationis ex ſervitute Ægyptiaca. Nam

 cum

cum & ipſi fuiſſent in Ægypto veluti in carcere conſtricti, liberationem ſuam ex eo rectius oſtentari haut poſſe cenſuerunt, quam dimiſſione alicujus captivi.

XXIII. Vel inventa eſt in Paſchalis beneficii memoriam, ut dimittendo unum, & reliquos captivos occidendo, indicarent interfectionem primogenitorum ab Angelo percuſſore & gratiam Iſraelitis a Deo factam.

XXIV. Vel denique cœpit iſta conſvetudo ex liberatione Jonathanis Saulis filii, quem Patris decreto morti addictum populus ſua interceſſione liberavit ab interitu. I. Samuel. XIV. 45.

XXV. Ad hæc quia peregrinis & advenis miſericordia exhiberi juſſa feſto Paſchatis, eandem etiã vinctis, unique mortem commerito exhibendam forte collegerunt.

XXVI. Ac ſpeciem quidem aliquam pietatis & miſericordiæ habet iſta conſvetudo: quo reſpiciens Auguſtinus Tract. CXV. in Johannem ſcripſerit: *Non reprehendimus, o Judæi, quod per Paſcha liberatis nocentem, ſed quod occiditis innocentem.* Sed ſi penitus eam inſpicimus, revera eſt contraria divinæ de puniendis maleficis legi officioque Magiſtratus. Vnde recte ſcripſit Theophylactus in Johannis c. XIIX. *Judæi docentes doctrinas, mandata hominum, plurimum juxta mandata hominum protulerunt, nec divinis uſi fuerunt legibus: unde & hoc ita ſe habet, inque conſvetudinem abiit, etiam abſque ratione, qualia multa abſque legis præcepto.* Merito igitur in auribus ac animis ipſorum ſonare debuiſſet divinum illud edictum. *Qui* enim *juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.* Proverb. XVII. v. 15.

XXVII. Quod ipſum utinam conſiderarent tum Magnates, temere delinquentibus gratiam non raro facientes;

entes; tum illi quoque qui prece, vel pretio, aliisque modis hoc *Aggratiandi*, ceu vocant, *Juris* exercitium extorquent.

XXVIII. Hæc vero conſvetudo Judaica non erat a temporibus antiquis; quibus, ſi quid contra legem Moſaicam peccatum foret, nulli erat ignoſcendi poteſtas; non Regi, non Synedrio, non toti populo. Omnino enim obtinebat, quod divinus ad Hebræos epiſtolæ ſcriptor ait cap. X. 28. *Qui aſpernatus fuerit Moſis legem, absque miſericordia ſub duobus, aut tribus teſtibus moritur.*

XXIX. Sed quod ſuo Paſchati juniores Judæi tribuerunt, id gentiles Romani Imperatores, in quinquennalibus decennalibus ac vicennalibus ſuis obſervarunt, leviorum criminum reos vinculis exſolvendi, miſſa ad hoc Impp. lege, quam *Indulgentiam* vocabant. Græci hanc Indulgentiam vocant *δωρεάν*. Gloſſæ veteres: *θεία δωρεὰ, Indulgentia.* Huc pertinet inſignis Euſebii locus ex libro de *Martyribus Palæſtinæ*, ubi agit de Romano Martyre; *Cum Imperatoris vicennalia jam adeſſent, & ex ſolenni more univerſis, qui in cuſtodia tenebantur, indulgentiam publice per præconem annunciata eſſet, ſolus ad quatuor usq; puncta diſtentos habens pedes in ipſo jacens nervo fractis laqueo faucibus, martyrio, ſicut optaverat, exornatus eſt.*

XXX. Chriſtianos autem Imperatores hanc Indulgentiam ob Paſchalis feſti ſolennia captivis feciſſe certum eſt. Ac primum Impp. Valentiniani, Valentis & Gratiani conſtitutio III. Non. Maji Lupicino & Joviano Coss. id eſt, anno a nato CHRISTO CCCLXVI. data in Cod. Theodoſiano refertur ſub Tit. *de Indulgentiis Criminum*, in hæc verba: *Ob diem Paſchæ, quem intimo corde celebramus, omnibus, quos reatus adſtringit, carcer incluſit, claustra diſſolvimus.* Iidem Principes anno ſequenti, ſecundo

priorum

Digitized by Google

priorum duorum conſulatu aliam conſtitutionem ediderunt, quæ in eodem Codicis Theodoſiani titulo legitur. Ea ſic habet: *Paſcha celebritas poſtulat, ut quoscunque nunc ægra expectatio quæſtionis pœnæque formido ſollicitat, abſolvamus.* Poſtea anno CCC LXXXIV. Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, Arcadio & Bautone (vel ut Caſſiodorus, *Baucone*, ut Socrates lib. V. Hiſt. Eccleſ. cap. XII. cum Mariano Scoto, *Baudone*) Coſs. deinceps *non exſpectanda indulgentiæ ſuæ reſcripta ad laxandas vinctis ob Paſchalem feſtivitatem carceris fores* conſtituerunt: *Sed ubi primum Paſchalis dies exſtitiſſet, omnium confeſtim vincula ſolvi: nullumque carcere teneri incluſum:* Quemadmodum ex l. Nemo de Epiſcop. audient. in Cod. Juſtinian. & l. Nemo, de Indulgent. Crim. in Cod. Theod. apparet. Atque ex hoc more lucem capit Gregorius Nyſſenus, cujus verba ex Oratione III. *de Reſurrectione CHRISTI* latine facta afferemus. *Nullus a Deo ægritudine preſſus, & obnoxius eſt, qui non per hujus feſti* (de Paſcha loquitur) *magnificentiam, mali ſui remiſſionem ſentiat, atque levamen. Hoc die nexi ſolvuntur, debitor dimittitur, ſervus bono & humano præconio atque edicto Eccleſiæ manumittitur.* Et Chryſoſtomus *Homil. in Pſalmum II. Quemadmodum Rex qui publicum feſtum celebrat, eos quidem qui ſunt in carcere liberat; illo autem tempore nullum, qui in ipſum aliud admittit, morte afficit, ita etiam CHRISTVS cum publicum feſtum paſſionis perageret, & mundo impatibilitatē procuraret, non ſolum reos abſolvit, ſed eos etiam, qui in ipſo tempore peccabant, non perdidit. Quemadmodum enim qui ſunt apud nos Principes, tempore Paſchæ nullum quidem puniunt; eos autem qui ſunt in carcere, abſolvunt, hoc prius fecit CHRISTVS.* Inprimis

autem

Digitized by Google

autem Ambroſius, qui, cum Valentinianus Junior Imp. Arianorum inſtinctu paulo ante Paſcha ſæviret in Catholicos, de eo ad Marcellinam ſororem queritur ſequentibus verbis Epiſt. XXXIII. *Itaque ſanctis diebus hebdomadis ultimæ, quibus ſolebant debitorum laxari vincula, ſtrident catenæ, imponuntur collo innocentium.*

XXXI. Ex quo patet non promiſcue omnibus captivis eandem obtigiſſe indulgentiam, ſed potiſſimum debitorum mole preſſis. *Sacrilegus* enim *in majeſtate reus*, reſcribunt Valentinianus, Valens & Gratianus d. l. *in mortuos veneficus, ſive maleficus, adulter, raptor, homicida, communione iſtius muneris ſeparentur.* Ac iidem iterum: *Decretis veterum mos gerendus eſt: nec temere homicidii crimen, adulterii fœditatem, majeſtatis injuriam, maleficiorum ſcelus, inſidias venenorum, raptusque violentiam ſinamus evadere.* Propter quas ea conſtitutione comprehenſas exceptiones Imp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius in l. Paſchalis eod. tit. Cod. Theodoſ. de *Indulgentiis criminum* ajunt: *Paſchalis lætitiæ diem ne illa quidem temere ſinere ingenia, quæ flagitia fecerunt.* Aliam deinde Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius, Richomere & Clearcho Coſs. qui anno ſalutis reparatæ CCC LXXXIII. Conſulatum geſſere, conſtitutionem ad Marcum vicarium emiſerunt, quæ in eodem titulo *de Indulg. Crimin.* exſtat his verbis: *Religio anniverſariæ obſervationis hortatur, ut omnes omnino periculo carceris, metuque pœnarum eximi jubeamus, qui leviore crimine rei ſunt poſtulati.* Vnde apparet eos excipi, quos atrox cupiditas in ſcelera ſæviora compulit. *Quis enim* (inquiunt laudati Impp. conſtitutione alia) *ſacrilegio diebus ſanctis indulgeat? Quis adultero vel inceſti reo tempore ca-*

 ſtitatis

Digitized by Google

ſtitatis ignoſcat? Quis non raptorem in ſumma quiete & gaudio communi perſequatur inſtantius? Nullam accipiat requiem vinculorum, qui quieſcere ſepultos quadam ſceleris immanitate non ſinit; patiatur tormenta veneficus, maleficus, adulteratorq́; homicida, quod fecit, ſemper exſpectet, reus etiam majeſtatis de Domino, adverſum quem talia molitus eſt, veniam ſperare non debet.

XXXII. Apud Francorum Reges hæc captivorum dimiſſio locum habebat, ſi filius naſceretur. Gregorius Turon. lib. VI. Hiſt. Francor. cap. XXIII. *Dehinc Chilperico Regi poſt multa funera filiorum filius naſcitur. Ex hoc jubet Rex omnes cuſtodias relaxari, vinctos abſolvi.*

XXXIII. Neque hodie omnino deſiit mos ille captivos relaxandi in feſtis majoribus, præſertim autem Paſchate: quale unum in *Hiſtoria Comitum Glichenſium* ex tabulario Academiæ noſtræ repræſentabo. Venetiis certe, ſi quis ex debito ſummam quinquaginta florenorum non excedente in carcerem conjectus, die Paſchali liberatur, dimidium debiti ſolvente Magiſtratu, reliqvum condonante creditore.

XXXIV. Sed ut ad Pilatum revertamur, is conſvetudine illa uti decreverat ad ſervandum JESVM. Proinde cum populus confluxiſſet ad poſtulandum, dimitti ſontem aliquem, Pilatus præveniens ipſorum flagitationem, propoſuit illis: *Vtrum e duobus vellent dimittendum,* Matth. XXVII. v. 17. ſibiq; condonandum diei feſti gratia, *Barrabam, an JESVM, qui vocaretur CHRISTVS.*

XXXV. De nomine *Barrabæ* non multum erimus ſolliciti. Sive enim filium Patris deſignet, ſive Abbæ alicujus gnatum; ſatius fuiſſet Patri nullum habere filium quam tantis ſceleribus nobilitatum. Fuit alias apud Judæos

Digitized by Google

dæos ſatis frequentatum nomen בר אבא *Bar abbâ*, quemadmodum etiam Syrus, ut diſtinctas voces ſcribit.

XXXVI. Non male interea Theophylactus in Matthæum: *Barrabas interpretari quis poteſt filium Patris. Bar enim filius Abbas autem Pater. Judæi igitur filium Patris ſui Diabolum poſtularunt, JESVM autem crucifixerunt, & usque in hunc diem filiis Patris ſui AntiChriſto adhærent, Chriſtum autem abnegant.*

XXXVII. Duobus potiſſimum criminibus inſignis *Matth. XXVII. v. 16.* (δέσμιος) erat: ſeditionis, & commiſſi in urbe Hiero- *Marc. XV.* ſolymitana homicidii. Quia autem Johannes eum vo- *v. 7.* cat *latronem,* exinde nata nonnullis eſt opinio, circa fe- *Luc. XXIII.* ſtum inſidiatum fuiſſe hominibus Hieroſolymam profi- *v. 19.* ciſcentibus, poſtea in ſancta urbe ſeditionem excitaſſe, & *Joh. XIX. v. 40.* ob homicidium, in quo deprehendebatur, in vincula conjectum.

XXXVIII. Quod Matthæus in numero multitudi- *Matth. XXVII. v. 16.* nis refert, Judæos in vinculis habuiſſe famoſum Barrabam, Latinus interpres ſingulari numero expreſſit, vel quod legerit pro εἶχον, εἶχε, *habebat;* vel quod inconveniens putaverit Judæos in poteſtate ſua habuiſſe captivum, cujus liberationem a Pilato exigerent. Interim Syrus, ut alias ſæpe, ſic & hoc loco Græcam locutionem tuetur.

XXXIX. Quamvis igitur poteſtas judiciorum capitalium in rebus forenſibus ac ad Reip. quietem pertinentibus a populo Judaico in Imperatores, quique eorum nomine Judææ imperitabant, translata; captivum tamen habuiſſe vel idpropter exiſtimandi, quod annitente ac procurante populo in carcerem eſſet conjectus.

XL. In iſtum hominem quandoquidem Pilatus ſcie-

Digitized by Google

bat publicum eſſe civitatis odium, ſperabat fore, ut citiùs paterentur dimitti JESVM, optime de multis meritum, quam Barrabam publicæ tranquillitatis turbatorem.

XLI. Vtut autem illa CRISTI & Barrabæ comparatio prudentiam mundanam videatur ſapere, revera tamen erat iniquiſſimum, ac tam judice, quam innocentiſſimo reo indigniſſimum. Quid enim hoc erat aliud, quam tenebris lucem, auctori cædis auctorem vitæ, homini nequiſſimo virum ſanctum & bonum, imò Satanæ mancipio Dei Filium conferre?

XLII. Populus alioquin paratus urgere inveteratam conſvetudinem, nunc ejusdem admonitus, *acclamare, ac flagitare cœpit, ut* quemadmodum *ſemper fecerat*,
Marc. XV. 8. nunc quoque *ipſis* faceret; hoc eſt captivum aliquem in libertatem aſſereret.

XLIII. *Reſpondit* ergo *Pilatus; Vtrum vultis dimittam vobis? Numne* hunc JESVM, hominem meo judicio innoxium, quem quidem dicunt *Regem Judæorum?* Præſtat enim, ut hic, etiamſi quidquam in leges veſtras admiſerit, ſentiat ſolennitatis veſtræ gratiam. Vultisne igitur, ut hunc vobis donem? Non enim exſpectabat Pilatus tantam Judæorum veſaniam, ut palam facinoroſum notæque audaciæ latronem, ac proinde extrema omnia commeritum JESV manſvetiſſimo & innocentiſſimo præferrent. Probe nimirum *ſciebat Pilatus, quod*
Matth. XXVII. v. 18. *per* meram *invidiam Pontifices ipſum tradiderant.*

XLIV. Scilicet noverat illud Pilatus ex fama publica, quæ de miraculis, concionibus, & diſputationibus ad eum delata: nec ignorare poterat ea, quæ in luce publica agebantur. Noverat & hoc ex inſtituto examine, quo in defecerant Pontifices in probandis accuſationis capitibus.

pitibus. Inde vir circumſpectus & ſagax facile intelligebat, Invidiæ facibus ipſos inflammari, ut tam ardente odio contra CHRSITUM flagrarent.

XLV. Invidebant Domino Pontifices ob doctrinæ efficaciam, auditorum frequentiam, miraculorum multitudinem, populi favorem: quæ omnia ægris intuiti oculis, lividoque corde ponderantes ipſum exſtinctum cupiebant: non ſecus ac a fratribus contigerat Joſepho, cujus typus fuit CHRISTVS.

XLVI. Interim Pilato conſidenti in tribunali, nuntium mittit conjux, qui ſignificaret, multa ſe perpeſſam in ſomnis propter JESVM: eoque eſſe auctorem, ne quid ſibi cum juſto illo negocii eſſe velit. Matthæus ſolus id recenſet ſequentibus verbis: *Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi cum juſto illo: Multa enim ſum paſſa hodie in ſomnis propter eum.* Matth. XXVII.v.19. Græca nuncii ſic habent: Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ ἐκείνῳ. πολλὰ ἂν ἔπαθον σήμερον κατ' ὄναρ δι' αὐτόν.

XLVII. Ex eo, quod Pilatus dicatur *ſediſſe pro tribunali*, cognoſcimus id nunciatum fuiſſe, non in ſecretario, ſed poſtquam inde exiiſſet. Nam diſtincta erant hæc loca, Secretarium (ut poſteriores vocarunt) & Tribunal. In Secretario, (quod τὸ ἀπόῤῥητον δικαστήριον vocat Philoſtratus, & τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων Synodus Africana) disquiſitio judicum fiebat. Atque eo vocabatur reus, cum eſſet examinandus. Sed poſtquam aliquid de reo decretum, exibatur ad tribunal; unde ſententia pronuntiabatur. Ea duo loca velo diſtingvi ſolebant. Hinc illud *Velo levato*, in jure, hoc eſt, nulla adhibita conſultatione. Contra παραπετάσματος μέσου, *Velo interpoſito* in Conſtitutionibus Clementis Rom. lib. II. cap. LII. Pluribus hac de re a nobis actum libello *de Januis Veterum.*

 XLVIII. Cum

XLVIII. Cum publicum hoc eſſe deberet innocentiæ CHRISTI teſtimonium; publice qvoqve omnibus videntibus multisque audientibus Pilato in tribunali in populi totius conſpectu ſedenti erat nunciandum.

XLIX. Viſio autem iſta non oblata Pilato, ſed uxori: *vel, quod ipſe indignus erat; vel, quod non creditum, habitusq; fuiſſet ad gratiam loqui. Fortaſſis etiam tacuiſſet, eum eſſet judex*: quæ conjecturæ ſunt Theophylacti ad Matthæum, ſed ex Chryſoſtomo deſumtæ. Cujus hæc ſunt ex græco latine facta: *Cur ipſe* (Pilatus ſomnium) *non vidit? Aut, quia mulier dignior erat; aut, quia ſi Præſes ſomnium hoc ſe vidiſſe dixiſſet, non ita ſibi creditum fuiſſet; aut quia fortaſſe non dixiſſet, ſed ſecum ipſe tenuiſſet, idcirco ex diſpenſatione mulier vidit, ut omnibus innoteſceret, nec ſolum videt, verum etiam multa patitur, ut maritus uxori condolendo tardior ad cædem redderetur.*

L. Antiquis temporibus non permittebatur magiſtratibus uxorem ducere in provinciam. Hinc Declamatores apud Senecam Patrem lib. IX. Controv. de Flaminio: *Hic eſt Flaminius, qui exiturus in provinciam, uxorem a porta dimiſit.* Et alius: *In hoc tecum uxorem non miſimus, ut ſalva provincia ſit; optemus meretrici bonam mentem.* Nec in crebro uſu etiam temporibus Auguſti: ut ex Svetonii verbis apparet cap. XXIV. *Diſciplinam ſeveriſſime rexit. Ne Legatorum quidem cuiquam, niſi gravate, hyberniſque demum menſibus permiſit uxorem interviſere.* Sed Tiberianis temporibus aliter fuit: ut conoſcimus ex Taciti Annali III. Poſtquam enim Severus Cæcinna cenſuerat in Senatu, *Ne quem magiſtratum, cui Provincia obveniſſet, uxor comitaretur*, ac inter alias rationes his quoque ſuam firmaverat ſententiam; *His ſtatim*

adhe-

Digitized by Google

adhæreſcere deterrimum quemque Provincialium, ab his negocia ſuſcipi, tranſigi, duorum egreſſus coli, duo eſſe pretoria : ſententia tamen Cæcinnæ in ſenatu eluſa eſt,& legati Cæſaris ſeu Præſides provinciarum ſecum uxores in provincias duxerunt. Quod & Pilatum feciſſe ex hoc loco apparet.

LI. Pilati uxorem dictam fuiſſe *Proclen* ex Nicephori Hiſt. Eccleſ. lib. I. cap. XXX. vel *Claudiam Proculam* ex Flavii Dextri Chronico nonnulli comprobare ſatagunt.

LII. Quid viderit in ſomnis Pilati uxor, diſerte non exprimit Evangeliſta. Quia tamen *multa ſe perpeſſam nunciat*, magnos fortaſſis angores & terrores ſenſit, variaque terribilia ac triſtia habuit inſomnia, quæ corpus & animum afflixerint.

LIII. Forſitan itaque ſomniavit, J E S U M, cujus doctrina & miracula ei non poterant eſſe ignota, marito offerri, ut mortis ſententiam in eum ſtatuat, ac maritum quidem patrocinium innocentis primum ſuſcipere, poſtea vero Judæorum clamoribus permotum voluntati eorum morem gerere, atque hoc nomine graviter a Deo puniri, quibus malis, quæ maritus videbatur pati, ipſa quoque graviſſime turbata atque afflicta fuit.

LIV. De tempore qnando hæc ſomniaverit Pilati uxor, nonnulli ſunt ſolliciti. Sunt qui diurnum ſomnium fuiſſe volunt, inducti voce σήμερον quæ ab ἡμέρα derivatur: cui ſententiæ illud favet, quod matronæ delicatiores non ſoleant e ſtratis ſummo mane ſurgere. Tum vero ſi nocte hæc fuiſſet paſſa, procul dubio narraſſet marito expergefacto.

LV. Huc accedit, quod matutina ſomnia a Medicorum

xorum filiis præ aliis cenſeantur μαντικά. Quod & Horatius indicat lib. I. Serm. Sat. X.

—— Vetuit me tali voce Quirinus,
Poſt mediam noctem viſo, quum ſomnia vera.

LVI. Neque tamen neceſſe eſt, ut tanto cum rigore inſiſtamus origini græcæ vocis. Fortaſſis enim τὸ σήμερον tam late ponitur, ſic ut noctem non excludat. Et quia Pilatus tam gravibus ante feſtum diſtentus erat negociis, fortaſſis nec domi ſuæ dormivit, ſed in cubiculo a tribunali non multum remoto. Aut, ſi id diſpliceat, Pilatum a lucifero juri dicundo navaturum lateri uxoris non diu per hanc noctem adhæſiſſe cenſendum.

LVII. At major eſt de ſpecie hujus ſomnii diſceptatio. Somnia alia ſunt naturalia, quæ ſeqvuntur humorum in corpore humano intemperiem, & aeris etiam conſtitutionem. Quædam ſunt moralia, quæ præcedentem cogitationem intentam & crebram ſeqvuntur. Inhærent enim animo ſpecies, & facili motu recurrit per quietem mentis agitatio; perinde ferme, ac ex citharæ pulſu reſultat tinnientium fidium ſonus, qui auditur ceſſante pulſu. Quo de ſunt noti verſus Claudiani:

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno
Pectore ſopito reddit amica quies.

Et Lucretii lib. IV.

Et quoi quisque fere ſtudio devinctus adhæret;
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati;
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens;
In ſomnis eadem plerumque videmur obire:
Cauſſidici cauſas agere, & componere leges:
Endoperatores pugnare, ac prælia obire.
Nautæ contractum cum ventis degere bellum.

LVIII. Quin hoc ſomnium conjugis Pilati hujus fuerit generis, aliqui extra dubitationem ponunt. Quaſi ſcilicet cogitaſſet pridie fixa & attenta cauſam JESV, cum ſe quieti daret, quod Pontifices & Seniores circa veſperam diei proxime præcedentis a marito petierint cohortem ad prehendendum JESVM. Vt igitur hæ cogitationes cauſam nocturnis viſis dederint.

LIX. Etiamſi autem non eſt improbabile, diurnam meditationem occaſionem aliquam dediſſe his inſomniis; altiorem tamen quandam acceſſiſſe cauſam, nulli dubitamus.

LX. Ipſa id indicare videtur uxor, quandoquidem maritum pro tribunali ſedentem, & cauſis cognoſcendis occupatum per miniſtrum admonet: quod ſane levi de cauſa facturam, vix videtur veroſimile.

LXI. Tum & ipſe Pilatus non tanquam commentum muliebre, aut aniles fabulas negligit, quæ uxor fecerat nunciari, ſed poſtea ad damnandum JESVM furore plebis prope compulſus, elogium *Juſti* ab uxore mutuatum CHRISTO tribuit, dicens: *Innocens ſum a ſangvine hujus juſti.*

LXII. Præterea quæri ſolet an a Deo ſomnium fuerit immiſſum, an a Satana.

LXIII. Qui putant opera Diaboli effectum, terriculamentis perculſam opinantur mulierculam, quo maritum a cæde deterreret, eoque morte Servatoris inhibita redemtio generis humani ceſſaret. Primus hujus ſententiæ auctor eſt Ignatius, qui Epiſt. VIII. ad Philipp. ita ſcribit: *Cum paranda eſſet crux, Cacodæmon tumultuabatur, & immiſit pœnam proditori, & ſuſpendium docuit. Terrebat & mulierculam & uxorem Pilati, turbans eandem*

dem inſomniis, & ut a crucifigendo ceſſarent, moliebatur, quia ſentiebat ſuam perniciem. Eandem ſequitur Beda in Matthæum: *Hac vice,* inquiens, *non antea ſe intellexit Diabolus, per CHRISTI mortem nudandum, & ſpolia humani generis amiſſurum: ideo ſatagebat per mulierem, per quam ſpolia mortis invaſerat, CHRISTVM eripere de manibus Judæorum.* Et Lyra in h. l. *Diabolus, qui paſſionem CHRISTI procuraverat per Judæos, per aliqua ſigna perpendit, quod ipſe eſſet vere CHRISTVS, & per conſequens quod per ejus mortem ſpoliaretur infernus, & ideo mortem CHRISTI impedire voluit.*

LXIV. Verum credibile non eſt, Dæmonem ſibi ipſi repugnaſſe, ut per fœminam morte Dominum eximeret, cum Judæ pectus ad prodendum JESVM impleviſſet, & præterea ſacerdotes & populum in rabiem ageret, ut necem ejus urgerent tanta obſtinatione ac pervicacia. Imo ſi Diabolo certo conſtitiſſet, per mortem JESV liberandum eſſe genus humanum, nunquam impuliſſet Judæos, ut CHRISTVM crucifixioni depoſcerent.

LXV. Divinum igitur ſomnium fuiſſe ſtatuimus ad innocentiam CHRISTI illuſtrandam Procuratoris conjugi immiſſum: ut appareret, prius tot modis innocentem declarari, quam ab injuſto judice morti addiceretur. Atque ita jam olim cenſuere Origenes, Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus & Euthymius.

LXVI. Nec hic nos turbet mulieris infidelitas. Sæpe enim Deum infidelibus futura per ſomniū revelaſſe, exempla Pharaonis, Balaami, Nabuchodonoſoris aliorumque teſtantur.

LXVII. Vnde non eſt, cur vel ante piam fuiſſe, vel

Digitized by Google

ſomnio factam, atque eo ſalvatam aſſeramus. Sic tamen olim ſenſiſſe Origenem ſcribit Voſſius *Harmon. lib. II. cap. V.* quamvis B. Gerhardus Origenem adducat dicentem, hoc exſtare *in Scripturis quibusdam non publicis, ſive apocryphis.* Theophylactus tamen, Chryſoſtomum procul dubio ſecutus, diſerte ait: *Providentiæ opus ſomnium factum, non ut abſolvatur CHRISTVS, ſed ut ſervetur uxor.* Et Flavius Dexter in Chronico audacter aſſerit, *Claudiam Proculam uxorem Pilati, admonitam per ſomnium in CHRISTVM credidiſſe, & ſalutem conſecutam fuiſſe.*

LXVIII. De forma hujus ſomnii etſi jamtum aliquid monuerimus, ſi tamen adhuc plura balbutire licuerit, exiſtimamus, non novas ſpecies mulieri impreſſas, ſed eas, quæ jam per famam publicam, & antecedentes cogitationes impreſſæ erant árctius, novo lumine colluſtratas, objecta fortaſſis animo ejus imagine JESV in terris præter meritum patientis, in cœlis vero ad dextram Dei Patris ſedentis, & mala multa Pilato Judæisque comminantis.

LXIX. In nuncio Pilati notanda eſt græca formula: *Μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ. Nihil tibi & juſto illi:* hoc eſt: *Nihil tibi rei aut negotii ſit cum illo juſto.* Lutherus eleganter vertit: Habe du nichts zu ſchaffen mit dieſem Gerechten. Similes loquendi formulas vide Matth. VIII. 29. Joh. II. 4. Eſſe in his Ebraiſmum & Syriſmum uſitatiſſimum, jampridem obſervarunt docti, eaque de re legenda Joh. Michaelis Dilherri Diſſertatio *de Phraſeologia Novi teſtamenti,* quæ IX. eſt *tom. I. Diſpp. Academicarum.* Nam licet Beza ita quoque loqui putet Demoſthenem περὶ στεφάνε: Διομνύμενος μηδὲν εἶναι σοὶ καὶ Φιλίππῳ πρᾶγμα. Et Herodotum in Terpſichore: Σοὶ δὲ τί πισι

πρᾶγμα τί ἐστιν: non tamen cum ſacris exaſſe conveniunt, quod τὸ πράγματος vocabulum habeant expreſſum.

LXX. Qui autem luculentius teſtimonium dari potuiſſet CHRISTI innocentiæ, quam quando fœmina ipſum τὸν δίκαιον vocat, ἐξοχικῶς ſine dubio, & δεικτικῶς, *Virum excellenter & ſumme juſtum*, imo *ipſam juſtitiã*: quiq; longe majori jure hoc elogium merebatur, quam Græcus ille Ariſtides, quem Reip. ergo jus violaſſe certum eſt. Et eſt ſane credibile, non ſolum ex publico famæ teſtimonio innotuiſſe ipſi, ſed & a Deo patefactam per inſomnium Domini innocentiam, forte etiam (quod aliquoties diximus) mala quæ Pilatum manebant ex injuſta damnatione: ut itaque verba illa *cum juſto illo*, quoque αἰτιολογικῶς inſerta videantur, quaſi præmonere voluerit fœmina maritum, ne ſe implicari pateretur cauſæ Servatoris, *cum ſit juſtus*.

LXXI. Dum hæc aguntur in tribunali, Judæi inter ſe conſilium capiunt, quid reſponſuri eſſent Pilato optionem illis facienti de JESV & Barraba. Cumque populus nutaret, utrum mallet ſibi donari, ac (quod eſt veroſimile) plerorumq; vota in JESVM propenderent; ſvaſu Sacerdotum & Seniorum factum eſt, ut ſibi poſcerent Barrabam, & JESVM occidi poſtularent.

Marc. XV. v. 11.

LXXII. Vide quanta ſit illorum hominum, qui religionem procurare debebant, ac innocentium patrocinium ſuſcipere, malitia! Religio illis erat ingredi prætorium Pilati, quo puri comederent agnum Paſchalem: & religioni non ducebant concitare populum, ut innoxium tot virtutibus ac beneficiis ſpectatum ad mortem depoſcant.

LXXIII. Sed Pilatus, quod ſciret, quam inſtabiles

ſint

Digitized by Google

ſint multitudinis animi, rurſum propoſuit, utrum vellent dimitti, Barrabam an JESVM: ſperans non adeo pertinaces fore in ſententia, ſi viderent, ſibi aliud videri. Illi vero ſemel exciti, uno ore acclamabant, non JESVM, ſed Barrabam dimittendum. *Matth. XXVII. v. 21.*

LXXIV. Nec propterea deſtitit a propoſito Pilatus, ſed rogavit, ſi Barrabam vellent dimitti, quid fieri cuperent de CHRISTO. *Quid vultis*, inquit, *faciam ei, quem dicitis Regem Judæorum?* *Marc. XV. 12.* In quo plane non obſervat Pilatus, quo ſit ipſe loco, & cum quibus agat. Judicis ſane non erat in accuſatum, animadvertere pro accuſantium arbitrio, eorumque committere beneplacito, quo reus plectendus foret ſupplicio. Illi clamare tum, ut cruci affigeretur: nō contenti poſcere, ut morti adjudicaretur, ſed ut acerbiſſimæ atq; ignominioſiſſimæ. Erat enim hoc ſupplicii genus, ut graviſſimū, ob diutinum cruciatum, ita maxime ignominioſum ob divinam maledictionem. Adeo nihil crudelitatis omiſſum eſt a Judæis.

LXXV. Hic Pilatus arcanum Dei conſilium non intelligens, indignum tamen judicans, latronem abſolvi, tertio eos compellare, rogareque, quid tam grave commiſiſſet JESVS, ut tale ei ſupplicium eſſet ſubeundum.

LXXVI. Verba Pilati Matthæus ita effert: τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν. *Matth. XXVII. v. 23.* Vbi γὰρ poſitum pro οὖν, ut ſententia ſit: *Siccine? quid igitur mali commiſit?* Vel, ſi proprie γὰρ ſumitur, more Hebræo reticuit Evangeliſta id, quod dictum fuiſſe intelligitur, ex ratione, quæ ſubjicitur. Omiſſa vero Johannes ſic ſupplet: *Regem veſtrum crucifigam? Quid enim mali fecit?* *Joh. XIIX. v. 39.*

LXXVII. Adverſus hanc Judicis æquitatem pertinaciter inſtabant, non probationibus, ſed rabidis vocife-

rationibus: ingeminantes furioſam illam de crucifixione cantilenam, unoque ore flagitantes, ut dimiſſo Barraba crucifigeretur JESVS.

LXXVIII. Acclamationum illarum quibus promiſcuum vulgus ad ſupplicium depoſcebat Chriſtianos, aliquot exſtant formulæ, in quibus erant: *Ad Leonem, ad Beſtias:* quod cap. IX. *de Cruciatibus Martyrum* §. X. ſeqq. Tertulliani, Cypriani ac Hieronymi dictis comprobavi. Adde his ſequentia Tertulliani ex libro *de Reſurrectione Carnis: Quis inimicos CHRISTI jam ſubjecit pedibus ejus, ſecundum David: quaſi velocior patre omni adhuc popularium cœtu reclamante: CHRISTIANOS AD LEONEM.*

LXXIX. Bene tamen poſteriorum Imperatorum conſtitutiones prohibuerunt, ne in pœnis decernendis vanæ populi voces audirentur. L. Decurionum XII. Cod. de Pœnis: *Cumque a populo acclamatum eſſet, iterum dixerunt* (Impp. Diocletianus & Maximinianus) *vanæ voces populi non ſunt audiendæ: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.*

LXXX. Non hic intra clamores, ingentes licet, ſtabat inſania plebis: ſed parum res abeſſe a tumultu videbatur, qui facile in ſeditionem prorupiſſet, ad quam nimis proclivis erat iſte populus. Quæ res metum incuſſit Pilato, ſic ut a propoſito deſiſteret.

Matth. XXVII. v. 24

LXXXI. Quamobrem ut perſpexit omnibus tentatis ſe nihil proficere, conſultum putavit cedere furori. Itaque Barrabam dimiſit, JESVM autem flagellari præcepit.

Matth. XXVII. 26. Marc. XV. 15. Luc. XXIII. v. 25.

LXXXII. Quin pro illo rerum ſtatu magnam eo

Digitized by Google

gratiam populo fecerit Pilatus, dubium non eſt, ut mirum nemini videretur, ſi, ut antea ad ſupplicium inconditis clamoribus poſcentes CHRISTVM, Barrabam volebant liberatum, nunc impetratis deſideriis nova acclamatione lætitiam ſuam expreſſiſſent. Contigit id poſtea, cum damnato martyre Agapio, alius homicida veniam impetraret. Narrat id Euſebius libro *de Martyribus Palæſtinæ cap. VI.* cumque præſenti exemplo comparat. *Trahitur,* inquit, *in medium ſtadium una cum noxio quodam qui Dominum ſuum interfecerat; beſtiis objiciendus veniam & clementiam Imperatoris promeruit: eodem pœne modo, quo ille, qui temporibus Servatoris noſtri fuit Barrabas. Quam ob cauſam totum repente Amphitheatrum acclamationibus & laudibus perſonare cœpit; quia ſcilicet Imperator cruentum homicidam benigniſſime ſervaverat, & honore ac libertate donaverat.*

LXXXIII. Propoſitum nunc noſtrum exigit, ac ſeries hiſtoriæ, ut de Flagellatione CHRISTI diſpiciamus.

LXXXIV. Eam Matthæus & Johannes ipſi adſcribunt Pilato; is quidem ſequentibus verbis: Πιλάτος Ἰησοῦν φραγελλώσας: hic autem, iſtis: Τότε οὖν ἔλαβεν ὁ Πιλάτος τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐμαστίγωσε. *Matth. XXVII. 26. Joh. XIX. v. 1.*

LXXXV. Eſtne ergo veroſimile Pilatum tantæ dignitatis virum tam vili miniſterio manus admoviſſe, easdemque ſangvine hominis innocentiſſimi commaculaſſe? Venerabili Bedæ non aliter viſum in Marci cap. XV. ſcribenti: *Intelligendus eſt JESVS non ab alio, quam ab ipſo Pilato flagellatus. Scribit namque aperte Johannes: Tunc apprehendit Pilatus JESVM ac flagellavit: deinde ſubjungit: Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti ejus.* Et huc quoque inclinat Caſpar Barthius *Adverſariorum lib. XLVIII. c. II.* LXXXVI.

Digitized by Google

LXXXVI. At enim non eſt credibile ipſum Pilatum ſuis manibus flagellationem perfeciſſe: ſed potius, quod ejus auctoritate juſſuque alii faciebant, non immerito Pilato auctori adſcribitur. Vnde Lyra ad Johannis cap. XIX. recte notat: *Pilatus flagellavit JESVM, non immediate, ſed per milites ſuos & miniſtros.*

LXXXVII. Nempe vulgatum illud hic quoque locum reperit: *Quod quis per alium facit, ipſe feciſſe videtur.* In quam ſententiam Tertullianus ait lib. de Baptiſmo cap. XI. *Imperator propoſuit edictum, & Præfectus fuſtibus cæcidit. Numquid ipſe proponit, aut cadit? Semper is dicitur facere, cui præminiſtratur.*

LXXXVIII. Quod ſi tamen in provinciis hic mos fuiſſet Præſidum aut Procuratorum, qui erat in militia, ubi Tribunus damnato militi primam intentabat plagam; vere liceret affirmare, Pilatum ipſum in flagellando CHRISTO operam navaſſe. De hoc ritu docemur ex Polybio, cujus hæc ſunt ex Græco verſa lib. VI. *Convocato concilio* (circuitor vigiliarum) *dicit cauſam: & ſi condemnetur, fuſte cæditur. Id ſupplicium hujusmodi eſt. Accepto fuſte Tribunus vix tantum attingit damnatum: quod ubi factum eſt, omnes, qui in caſtris ſunt, cædentes fuſtibus lapidibusque pleroſque in ipſis caſtris conficiunt.*

LXXXIX. Demus igitur Pilatum hunc ritum obſervaſſe: neque ſic tamen conſequens eſt, quod Beda exiſtimavit, *non ab alio, quam ab ipſo Pilato CHRISTVM eſſe flagellatum.* Nam potiores hic fuerunt partes militum, qui juſſu Pilati flagellis CHRISTVM lacerarunt.

XC. Quot numero fuerint milites, quos ad hoc opus delegerit Pilatus, tacente Scriptura non licet definire. Nam quod Hieronymus Xavierius in *Hiſtoria CHRISTI*

Digitized by Google

Perſica illorum ſex fuiſſe ſcribit, reliqvis, quibus fœtus iſte ſcatet commentis annumerandum. Ac ejusdem eſt farinæ, quod Corn. a Lapide S. virgini Magdalenæ per revelationem innotuiſſe memorat CHRISTVM a triginta paribus, ſive LX. miniſtris flagellatum.

XCI. Flagellatio ipſa duobus verbis exprimitur, μαστιγῶν ſcilicet ac φραγελλῶν, in quorum origines & ſignificationes inquirendum. *Joh. XIX. 1. Matth. XXVII. v. 26. Marc. XV. 15.*

XCII. Μαστιγόω & Μαστίζω (quod habetur Actor. XXII. v. 25. nomen ſuum acceperunt a μάστιξ, *flagrum, flagellum, ſcutica.* Vſus hoc vocabulo S Lucas d. cap. v. 24. χιλίαρχος ἐκέλευσεν αὐτὸν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι: *Juſſit tribunus flagellis inquiri in ipſum.* Septuaginta eandem vocem ſæpiſſime uſurparunt: &, quod ſingulariter obſervandum, aliquibus in locis vaticinia de cruciatibus patientis CRISTI complexis. Vide Pſalm. XXXV. 15. Eſaiæ L. 6.

XCIII. Elegans eſt metaphora, per quam Marci III. v. 10. μάστιγες de morbis dicuntur: ἵνα αὐτοῦ ἅψωνται ὅσοι εἶχον μάστιγας: *ut ipſum tangerent, quotquot tenebantur flagellis*, hoc eſt, *morbis.* Ad quæ Theophylactus: *Flagella dicit morbos. Nam ad ſanitatem nobis multum conducunt morbi, flagellante nos Deo, quaſi filios Patre.*

XCIV. A μάστιξ deſcendunt μαστιγωτὴς *Flagellator*, qua voce uſus Herodotus: Μαστιγοφόρος, *Lictor*, qui agonothetas in ſacris certaminibus comitabatur ad ſubmovendam turbam, & cohibendas ſeditiones: Μαστιγονόμος, *Deſignator:* cujus quodnam fuerit munus, oſtendunt Auſonius Popma *Notis ad Cic. lib. IV. ad Atticum Epiſt. III.* & Catellianus Cotta *in Memoralibus Juris.* Etiam exinde derivatur μαστιγώσιμος, *verberibus dignus*, & μαστιγίας *Verbero, Flagrio* (nomen Vopiſco uſurpatum) quam vocem

in Latium receperunt Plautus & Terentius;& notat mancipium,quod aut flagris cæditur,aut dignum cædi. Tantum de voce *μαστιγίας*.

XCV. Progredimur ad alterum,quod origine latinum eſt. Nam φραγέλλιον, quod exſtat Johannis II. v. 15. & φραγελλόω ſunt ex latinis *Flagellum* & *Flagello*: nec inſolens fuit ea tempeſtate Græcis ſcriptoribus nonnulla a Romanis mutuari: quod præter cetera καῖσαρ, κῆνσος, πραιτώριον, σπεκουλάτωρ, λεγεὼν, σουδάριον, κολώνια demonſtrant. Scribitur etiam φραγγέλλιον & φραγγέλιον. Et hoc quidem vetuſtus Scholiaſtes Ariſtophanis habet ad Comœdiam Ἀχαρνεῖς, qui ἱμάντας explicat λώρους, φραγγέλλια: & addit: Τὸ γὰρ παλαιὸν φραγγέλλοις ἔτυπτον τοὺς τῆς ἀγορᾶς: *Antiquitus flagellis cædebant logiſtæ* (magiſtratus erat Athenis) *miniſtros fori.* Otto Gvaltperius in *Sylloge Vocum Exoticarum N. T.* obſervat,nonnulla exemplaria pro φραγελλώσας vitioſe habere φλαγελλώσας.

XCVI. *Flagellum* Latinorum deminutum eſt a *Flagrum*, quod a verbo *flagro*, quod idem eſt ac *ardeo*, videtur derivari. Quare apte Catullus carm. XXV. *Inuſta turpiter tibi flagella conſcribillent.* Item Horatius lib. Epod. Od. IV. *Ibericis peruſte funibus latus.* Et *urere loris* lib. I. Epiſt. XVI. Alii tamen a *flatu* Flagri Flagellique nomen arceſſunt. Vnde Iſidorus Orig. lib. V. c. XXVII. *Verbera dicta,quia cum agitantur, aërem verberant.* Hinc *Flagra,& Plagæ,& Flagella: quia cum flatu & ſtrepitu in corpore ſonant. Nam Plaga quaſi Flaga: ſed Plaga & Flagra primæ poſitionis, flagella autem per deminutionem dicta.*

XCVII. Quandoquidem autem duo Evangeliſtæ verbum φραγελλώσας uſurpant,credibile non eſt CHRISTVM

Digitized by Google

STVM virgis eſſe cæſum: quod Eraſmo Maldonato ac Piſcatori placuit. Multo minus exiſtimandum eſt pro flagellatione *fuſtigationem* adhibitam: quod tamen viſum eſt non nemini, quem Daniel Claſenius *lib. II. Exercitat. Sacrar. ad Paſſionem Domini cap. XIX. non ineptum in interpretandis Scripturæ dictis interpretem* ſalutavit.

XCVIII. Quod ad materiam Flagellorum, ex funibus vel loris coriaceis contexebantur. Vnde de ipſo CHRISTO dicitur, quod flagellum ex funibus fecerit, quo inſtitores & nummularios templo ejecerit. Sic enim eſt apud Johannem cap. II. v. 15. καὶ ποιήσας φραγέλλιον ἐκ σχοινίων. σχοινίον autem eſt funiculus, proprie quidem e juncis plexus, ſed per ſynecdochen ſpeciei, ex alia idonea materia. Ob eandem rationem *Lora* non raro pro ipſis flagellis ſumuntur. Prudentius in paſſione Hippolyti eleganter dixit *Lorea flagra:*

Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.

XCIX. Auctoribus Talmudis fidem ſi habemus, Judæorum flagella fuerunt ex quatuor loris bubulis complicata. Sic namque deſcribuntur in Codice Maccoth cap. III. §. XII. & XIII. ex verſione Johannis Cocceji. *Lapis pone illum collocatus eſt, manu tenens lorum bubulum complicatum, primo ut ex ſimplici ſit duplex; iterum, ut ex duplici fiat quadruplex. In illo duo lora ſunt, quæ aſcendant & deſcendant. Manubrium palmi longitudinem habet: latum eſt palmum: extremitas ejus ad os ventris pertingat.* Sed Johannes Buxtorffius *Synagogæ Judaicæ cap. XXV.* ex ore cujusdam Rabbini refert, quodlibet flagellum tribus tantum loris conſtitiſſe: binis quidem brevioribus, ut attingerent tantum femora, tertio tamen tam oblon-

Digitized by Google

go,ut totum hominem,totumque flagellandi corpus circumiret.

C. At cur ex loris bubulis confecta Judæorum flagra? Reſpondent Judæi, quod ſcriptum Devteron. XXV. v. 4. *Ne os obtures trituranti bovi.* Senſum igitur præcepti hunc volunt elicere, quod qui contra id fecerit, ſenſurus ſit pellem bovis in ſua pelle. Sed & aſinina lora adhibuerunt, adducti Eſaiæ verbis cap. I. v. 3. *Agnoſcit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui ; Iſrael autem haud agnoſcit.* Vnde hanc ſententiam exſculpunt: *Veniat aſinus, qui agnoſcit præſepe ſui Domini , & vindictam ſuam ſumat ab eo , qui non agnoſcit.* Riſum teneatis amici.

CI. Romani aliique populi bubula item lora in hunc uſum afferentes, quandoque flagellis ſuis taxillos & uncinulos innectebant. Euſtathius Homeri interpres ad Iliad. ψ. v. LXXXVIII. dici notat ἀστραγαλωτὰς μάστιγας, τὰς ἐξ ἀστραγάλων ἐνειρομένων κατεκροτημένας: *Flagra talaria, quæ talis inſertis involutisque confecta.* Et ſic quidem Lucianus in *Lucio* ſuo, ſive *Aſino*: Γυμνὸν ἤδη προσδήσαντες με δένδρῳ μεγάλῳ, εἶτα ἐκείνῃ τῇ ἐκ τῶν ἀστραγάλων μάστιγι παίοντες. *Me nudum arbori proceræ alligant, ſcutica in illa e taxillis connexa deinde ferientes.* Apulejus quoque lib. VIII. commemorat *Flagrum pecuinis oſſibus catenatum.* Idem eodem libro Gallis Matris Deum ſacerdotibus adſcribit. *Accepto flagro,* inquit, *quod ſemiviris illis proprium geſtamen contortis tæniis lanoſi velleris prolixe fimbriatum, & multijugis talis ovium teſſelatum, indidem ſeſe multimodis commulcat ictibus.* Idem firmat Plutarchus adverſus Colotem: οὐδὲ μάστιγος ἐλευθέρας δεόμενος, ἀλλὰ τῆς ἀστραγαλωτῆς ἐκείνης, ᾗ τοὺς Γάλλους πλημμελοῦντας

ἐν τοῖς μητρῴοις κολάζουσι. *Nec qui libera verberationis egeat, ſed flagri illius taxillati, quo Gallos aliquid offendentes in ſacris Magnæ matris coercent.* Videatur & Martialis lib IV. Epigr. XLIII. Apud Athenæum lib. IV. quispiam recenſet in Parthis quoque optimates & ſatrapas, ubi viſum Regi, ῥάβδοις καὶ ἱμᾶσιν ἀστραγαλωτοῖς μαστιγοῦσθαι: *Virgis & loris taxillatis cædi.* Erudite igitur a Julio Polluce Onomaſtici lib. X. obſervatum: Ἀστραγαλωτὴ τις μάστιξ ἀνέμασεν.

CII. Ejusmodi Flagella *Scorpios*, & *Scorpiones* appellata credo: quod ſicuti ſcorpiones caudarum aculeo maxime lædunt, ita apicibus & extremis flagellorum additis appendicibus cutis verberatorum miſere lancinetur. Tertullianus Scorpiaco contra Gnoſticos cap. IV. *Nunc enim de Dei voluntate compungimur, & ingeminat ſcorpius plagam.* Vide, ſi placet, libellum noſtrum de Cruciatibus Martyrum cap. V. §. XV.

CIII. Sed & plumbeæ glandes ſummitatibus flagellorum interdum erant impactæ: unde & *Plumbata* dici cœperunt: & per ſynecdochen *Plumbum* pro Plumbatis in graviſſimis ſcriptoribus reperias: ceu dicto libello fuſe eſt oſtenſum.

CIV. An tale aliquod flagri genus fuerit, quo CHRISTVS noſter cæſus, certo affirmare non audemus. Ita tamen quandoque pingitur, & Mariam de Filii flagellatione ſic loquentem inducit Brigitta *Revelationum lib. IV, cap. LXXVII. Flagellis aculeatis infixis aculeis & retractis non evellendo, ſed ſulcando totum corpus ejus laceratur.*

CV. Non eſt indignum obſervatu, quod Philo in oratione contra Flaccum notat, flagrorum diſcrimen fuiſſe Alexandriæ pro conditione ac dignitate reorum, qui

cæderentur. Aliis enim flagris & per alios cædebantur reliqui Ægyptii, aliis incolæ civitatis Alexandrinæ. Atque hanc pœnam nonnihil habuiſſe ſolatii, laudato loco notat Philo. Sic virgas, quibus honoratiores Martyres Alexandriæ cæſi, e citro & malo punica fuiſſe, docemur ex Simeone Metaphraſte, qui id memorat Actis Phileæ & Philoromi. Quam quidem obſervationẽ, ne quid celem, debeo Henrico Valleſio *Annotationibus in Euſebii Hiſtoriam Eccleſiaſticam.*

CVI. Apud Romanos ſervilis pœna erat Flagellatio, nec florente Rep. liberum hominem, aut Romanum civem flagellis jure licebat cædere. Videtur huc reſpicere Terentius, apud quem Sannio tantopere indignatur, quod Æſchinus ipſi lorea flagra minaretur Adelph. II. I. 28. *Nam ſi moleſtus pergis eſſe, jam intro abripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris.* Sannio: *loris liber?* Æſch. *Sic erit.* Sann. *O hominem impurum! Hiccine libertatem ajunt æqvam eſſe omnibus.* Idem Seneca in calce libelli jocularis de morte Claudii ſignificat, ubi hoc argumento demonſtrare conatur, Claudium in ſervitute fuiſſe, quod ſervilibus verberibus, & in his *flagris* quoque vapulaſſet. *Apparuit,* ait, *ſubito C. Cæſar, & petere illum in ſervitutem cœpit. Producit teſtes, qui illum viderant ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem.* Idem lib. I. de Clementia cap. XIV. memorat *Erixonem equitem Romanum, quia filium ſuum flagellis occiderat, a populo in foro graphiis confoſſum.* Scilicet indignum facinus exiſtimavit populus Romanus ſerviliter a patre ingenuum hominem tractari. Comprobabimus id porro eleganti teſtimonio Cypriani Invectiva in Demetriam: *Ipſe de ſervo tuo exigis ſervitium, & homo hominem parere tibi & obe-*

Digitized by Google

dire compellis, & cum ſit vobis eadem ſors naſcendi, conditio una moriendi, corporum materia conſimilis, animarum ratio communis, æquali jure & pari lege vel veniatur in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtmodum recedatur, tamen niſi pro arbitrio tuo tibi ſerviatur, niſi ad voluntatis imperium pareatur, imperioſus & nimius ſervitutis exactor, flagellis verberas, fame, ſiti, nuditate, frequenter ferro & carcere affligis & crucias, & non agnoſcis Dominum Deum tuum, cum ſic exerceas dominatum. Huc etiam pertinet, quod Cicero Oratione pro Rabirio ſcribit: *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovit; hic miſericors flagella retulit.* Quaſi dicat: Virgæ, quibus liberi homines Romani antiquitus cædi ſolebant, a lege Porcia inhibitæ ſunt: at hic, dum miſericordiam profitetur, *flagella,* hoc eſt, ſervile ſupplicium retulit.

CVII. Notanter autem dixi, *jure* non licuiſſe civem Romanum flagellis cædere. Nam per vim id ſibi ſumſiſſe nonnullos, negari nequit. Seneca de Ira lib. III. cap. XVIII. *Quid antiqua perſcrutor? modo C. Cæſar Sextum Papinium, cui pater erat conſularis, Betilienum Baſſum quæſtorem ſuum Procuratoris ſui filium, alios Senatores & equites Romanos, uno die flagellis cecidit, torſit, non quæſtionis, ſed animi cauſſa.* Et cap. ſequenti hoc graviter inceſſit: *Ceciderat,* inquit, *flagellis Senatores; ipſe effecit, ut dici poſſit, Solet fieri: torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt, fidiculis, tabularibus, eculeo, igne, vultu ſuo. Et hoc loco reſpondebitur, magnam rem! ſi tres ſenatores, quaſi nequam mancipia inter verbera & flammas diviſit.* Confer locum ex Senecæ lib. I. de Clementia cap. XIV. paulo ante laudatum.

CVIII. Hoc

CVIII. Hoc ipſo igitur Romano jure fretus Apoſtolus, cum jamjam in periculo flagellorum verſaretur, adſtanti Centurioni acclamat Actor. XXII.25. Ἐι ἄνθρωπον Ῥωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; *An hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?* Qua audita civis Romani voce, Centurio hoc Tribuno renuntiavit, qui ipſe metuit, poſtquam reſcivit Paulum Romanum civem eſſe. Quamobrem quæſitores protinus ab eo diſcedere juſſi ſunt.

CIX. Quæ cum ita ſe habeant, gravis profecto contumelia eſt, quæ una cum graviſſimo cruciatu in Prætorio Pilati CHRISTO fuit irrogata.

CX. Nunc porro diſpiciendum erit, quem in finem CHRISTUS flagellis fuerit addictus.

CXI. Complures viri eruditi in ea ſunt ſententia, ac ſi Pilatus hoc ipſo Romanum morem voluerit obſervare, juxta quem plerumque extremi ſupplicii, ac ſpeciatim crucis candidati flagellis multabantur. Sic enim Livius lib. XXXIX. de ſorvis conjuratis: *Multi occiſi, multi capti, alii verberati crucibus affixi.* Et Joſephus lib. II. de bello Judaico cap. XIV. ſcribit Florum Præſidem nobiles quosdam Judæos verberibus cæſos in crucem ſuſtuliſſe: *Multos*, inquit, *nobilium comprehendentes adduxerunt ad Florum, quos ille verberibus laniatos in crucem ſuſtulit*: quæ repetit Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. II. cap. ult. Apud eundem Joſephum lib. VI. c. XII. Judæi a Tito μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο: *Flagellati & præcruciati ante mortem omne genus verberibus, crucifigebantur.* Philo item narrans Judæos Alexandriæ in crucem actos a Flacco, hoc addit: μετὰ τὸ αἰκίσασθαι ἐν τῷ θεάτρῳ: *Poſtquam flagellati fuiſſent in theatro.* Lucia-

nus

Digitized by Google

nus in Dial. *Piſcator ſeu Reviviſcentes* : ἐμοὶ μὲν ἀνεσκολοπίσθαι δοκεῖ αὐτὸν νὴ Δία, μαστιγωθέντα γε πρότερον. *Mihi quidem per Jovem cruci videtur ſuffigendus, ubi prius fuerit flagris cæſus.* Arnobius lib. VII. *Servum peſſime meritum per circi aream mediam traduxiſſe cæſum virgis, & ex more multaſſe poſt patibuli pœna.* Acta Paſſionis S. Juſtini & ſociorum: Hæc audiens Præfectus, talem ſententiam pronuntiavit: *Qui Diis ſacrificare, & Imperatoris edicto parere noluerunt flagello cæſi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt.* Inprimis autem obſervatu dignum eſt exemplum Antigoni Judæorum Regis apud Dionem Caſſium lib. XLIX. quem *Antonius cruci alligatum (quo ſupplicio nullus unquam Rex a Romanis erat affectus) flagris cecidit, ac deinde jugulavit.*

CXII. Non igitur mirum Hieronymum in cap. XXVII. Matthæi ſic ſcripſiſſe: *Sciendum eſt, Pilatum Romanis legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum erat, ut qui crucifigeretur, prius flagellis verberetur.* Hieronymo Johannes Druſius, aliique eruditi aſſentiuntur.

CXIII. Huc accedit, quod Matthæus & Marcus crucifixionem ſtatim ſubjungant Flagellationi, imo per conjunctionem cauſalem cauſam flagellationis in ſubſequente crucifixione collocare videantur: ut ſcilicet lectori quærenti, cur CHRISTVS a Pilato fuerit flagellatus, reſponſio ſtatim ingereretur: quod eſſet crucifigendus: cum ſic Romano more fuerit receptum, ut cruci affigendus flagella prius deguſtaret.

CXIV. At vero, quo minus Hieronymo, ceteriſq; clariſſimis viris adſtipulemur, S. Johannes Evangeliſta facit, ex quo ſatis apparet, poſtquã CHRISTVS flagellis ſectus aliquantum temporis interceſſiſſe, donec crucifige-

retur. In iis autem, qui ſupplicii cauſa cædebantur, una erat ſententia, quæ verberibus & morti addicebat reum.

CXV. Quia igitur CHRISTVS non illico a flagellatione ad mortem raptus, alia ſubeſſe videtur cauſa, cur Pilatus eum flagellis expoſuerit. Hanc ipſe Pilatus a-
Luc. XXIII. v. 15. 16. pud Lucam cap. XXIII. perſpicue inculcat his verbis: οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. Παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω. *Nihil morte dignum ab eo actum eſt. Caſtigatum ergo dimittam.* Nihil ſcilicet aliud videtur Pilatus hac intendiſſe flagellatione, quam ut rationem inveniret liberandi CHRISTVM innocentem, ſi quadamtenus ſatisfeciſſet Judæorum ſævitiæ: ſperans tum fore ut eo ſatiati a ſupplicio crucis eum pronuntiare poſſet liberum. Quo referas illa Auguſtini: *Non perſequendo flagellavit Dominum Pilatus, ſed Judæorum furori ſatisfacere volens, ut ſic miteſcerent, & deſinerent velle occidere, cum flagellatum viderent.*

CXVI. Atque id dubio procul in animo habuit Pilatus, quando JESVM flagellis laniatum ac præterea ſpinis coronatum in populi conſpectum producens inmemorabile illud Ecce Homo! erumperet apud Jo-
Joh. XIX. 5. hannem cap. XIX. v. 5. quæ optime ſic παραφράζει B. Noſter Gerhardus Harmoniæ Evangel. cap. XI. *Videte, quam diris & miſeris modis flagellatus ſit, quot vulnerum ictus acceperit: quam triſtem ſpeciem contraxerit: ut merito vos commiſeratione erga ipſum duci æquum ſit.*

CXVII. Ceterum quia ſancti Duumviri Mathæus & Marcus poſt decretoriam ſententiam collocantes CHRISTI flagellationem, eam ſtatim jungunt crucifixioni, ut hi cum S. Johanne conſentirent, nonnulli hanc conciliandi viam ſunt ingreſſi, ut JESVM bis flagellatum

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſtatuerent: ſemel quidem ante dictatam mortis ſententiam, quo Johannis teſtimonium pertineat; ac deinceps poſt damnationem, de quo Marcus & Matthæus agant: ut adeo prior illa flagellatio debuiſſet eſſe medium placandi efferatos Judæorum animos; altera vero crucifixionis juxta leges & mores Romanorum fuiſſet anteambulo. In hanc ſententiam Johannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis ſcripſit in Monoteſſaro : *Videntur etiam partiales fuiſſe flagellationes CHRISTI, ut iſta, quæ facta eſt ad ſatisfaciendum Judæis; veluti quadam punitio: altera vero juxta leges Romanorum, ſecundum quam prius flagellabatur occidendus.*

CXVIII. Verum quisquis probe conſideraverit, quot & quanta cum CHRISTO Salvatore per tam breve temporis ſpatium acta, quomodo ab uno Judice ad alterum raptatus, ab Herode & Pilato variis quæſtionibus exercitus, nec minus a caterva militum multifariam illuſus; non facile duplicabit flagellationem, ſed potius aliam Evangeliſtas conciliandi rationem inveſtigabit. Hæc autem commodiſſima videtur, ſi dicamus Matthæum & Marcum de eadem flagellatione, quam Johannes deſcribit, agere, ſed per quandam retrogreſſionem, ac ut Lyra loquitur, *recapitulationem.* Sic enim ille ad Matthæi cap. XXVII. *Licet iſta flagellatio CHRISTI ponatur hic poſt ſententiam Judicis, tamen fuit ante facta, ut habetur Johannis XIX. Quare ad hanc intentionem eum præcepit Pilatus flagellari, & illudi, ut Judæi eſſent ſatiati ſangvine ejus, videntes, eum ſic punitum etiam ultra condignum: & ideo ponitur hic quaſi per recapitulationem.*

CXIX. Adhæc Evangeliſtæ indefinite ſcribunt φραγελλώσας, quod non incommode reddi poteſt, *poſtquam*

 flagris

Digitized by Google

flagris cecidiſſet. Et ne putes particulam ἵνα huic ſententiæ reclamare, dubium non eſt, quin illa ad verbum παρέδωκε referatur: ne nunc de eo dicam, quod aliqui eam hoc loco non cauſalitatem, ſed conſequentiam deſignare exiſtiment.

CXX. Poſtquam Evangeliſtarum dicta conciliavimus, placet porro de modo Flagellationis, ac ritibus eo ſpectantibus nonnulla in medium afferre, & cum CHRISTI flagellatione componere.

CXXI. Ac primum quidem in publica flagellatione Magiſtratus miniſtris publicis poteſtatem dabant inſontes flagellis animadvertendi, ac eos deinceps ultimo ſupplicio afficiendi: quod & obſervabatur, cum ante ſupplicium virgis cædi deberent rei.

CXXII. Antiquitus id fiebat certis formulis, quarum legitima hæc fere erant verba: *I lictor; Summove, Deſpolia: Expedi virgas: Colliga manus: Caput obnubito: Arbori infelici ſuſpendito.* Livius lib. I. *Duumviri cum condemnaſſent, tum alter ex his, P. Horati tibi perduellionem indico, inquit, Lictor colliga manus:* Et mox: *Hunccine, ajebat, quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidiſtis, Quirites, eum ſub furca vinctum inter verbera & cruciatus videre poteſtis? quod vix Albanorum oculi tam deforme ſpectaculum ferre poſſent. I lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatæ imperium populo Romano pepererunt: I caput obnube liberatoris urbis hujus: Arbori infelici ſuſpende, verbera vel intra pomœrium; modo inter illa pila & ſpolia hoſtium, vel extra pomœrium, modo intra ſepulcra Curiatiorum.* Seneca lib. IX. Controverſ. II. deſcribens, qualiter Flaminii Prætoris juſſu ad meretricis libidinem ex damnatis unus capite plexus eſſet: *Aſcendit,* inquit,

Digitized by Google

inquit, *Prætor tribunal, inſpectante provincia: noxiæ poſt tergâ ligantur manus, ſtat intento ac triſti omnium vultu, ſit a præcone ſilentium. Adhibentur deinde legitima verba.* Ea qualia eſſent, idem auctor pluribus ſignificat. Nos illorum ſummam dabimus: *Summove, Lictor, Summove: Deſpolia: Animadverte: Age lege.* Videatur Barnabas Briſſonius *de Formulis Pop. Romani lib. V.*

CXXIII. Ad iſta verba expediti erant Lictores, & hoc, quod juſſi erant, ſine mora agebant. Sed hic omnino diſtingvendum inter Flagellationem, quæ mortis cauſa irrogabatur; & inter illam, quæ vel quæſtionis eſſet loco; vel ob delictum levius infligebatur reo. Et in priori quidem quin formulæ, quas attuli, ſolennes, vel geminæ, locum habuerint, nullum eſt dubium: at in ceteris, ſi quæ legitima iisdem dicata erant verba, paulo aliter concepta haut difficulter apparet. At vero quoniam CHRISTI flagellationem ab ea quæ mortis ſupplicium ex more anteiret, diverſam demonſtravimus, non eſt quod Pilatum in ſententia capitali flagellationis mentionem feciſſe opinemur.

CXXIV. *Deſpoliandi* verbum, quod in formulis comparet, commodum nos monet, ut de reorum flagellandorum denudatione aliquid dicamus. Scilicet antequam flagellaretur, ſive virgis cæderetur reus, toto corpore denudari opus fuit. Et quia celeriter hæc expedienda erant, lictores plerumque ſcindere ac lacerare veſtimenta ſolebant. Livius lib. II. *Quo ferocius clamitabat, eo ferocius circumſcindere & ſpoliare lictor.* Cicero Orat. V. in Verrem: *Repente hominem ſurripi, atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri jubet.* M. Cato apud Gelliū lib. X. cap. III. *Juſſit veſtimenta detrahi atque flagro cædi.*

Seneca lib. I. de Ira cap. XVI. *Quid ſi ille vidiſſet deſilientem de tribunali Proconſulem, & faſces lictori auferentem, & ſua veſtimenta ſcindentem, quia tardius ſcindebantur aliena?* Quintilianus Declamat. VII. *Quoties tortori eſt rixa cum membris, cum cruciatus agnoſcit aſſiduis ſuppliciis durata patientia: & homini non eſt nova res, dolor corporis appliciti, quod ſciſſa lacerataque veſtis primum ferre non poteſt pudorem, quod neſcit ad flagellorum vices membra componere.* Svetonius in Caligula cap. XXVI. *Quæſtorem ſuum in conjuratione nominatim flagellavit veſte detracta, ſubjectaque militum pedibus, quo firme verberaturi inſiſterent.* Pauli quoque ac Silæ veſtes ante virgis quam cædebantur, ſciſſæ ſunt: Actor. XVI. 22. καὶ οἱ στρατηγοὶ περιρρήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια ἐκέλευον ῥαβδίζειν. *Et præfecti disrumpentes eorum veſtes juſſerunt virgis cædi.*

CXXV. Apud Judæos quoque flagellandorum veſtimentum cum impetu detrahebatur: adeo ut perinde eſſet, ſive diſſueretur, ſive dilaceraretur. Codex Maccoth cap. III. §. XII. *Tum miniſter publicus veſtem ejus arreptam detrahit, ſive rumpatur, ſive diſſuatur, usque dum denudet pectus.*

CXXVI. In hoc tamen Judaica & Romana flagellatio differebant, quod apud illos flagriones non plane denudarentur, apud hos autem nullus veſtimentis locus eſſet.

CXXVII. Idcirco quia CHRISTVM Romano more flagellatum conſtat, dubium non eſt, quin penitus nudo corpori inflicta ſint verbera. Vnde Brigitta Revelat. lib. I. cap. X. Mariam ſic loquentem inducit: *Alligatus nibil omnino operimenti habebat: ſed ſicut natus eſt, ſic ſtabat, & patiebatur erubeſcentiam nuditatis ſuæ.* Et cap. XXVII. *Videbam filium meum chariſſimum & potentiſſimum*

tiſſimum

tiſſimum aſtare ad columnam nudum, & nihil operimenti habentem. Ac iterum lib. IV. cap. LXX. *Toto corpore nudus erat cum flagellaretur.* Et hanc *communem omnium opinionem eſſe*, ait Franciſcus Svarez in *Commentar. ad III. partem Thomæ tom. II. quæſt. XLVI. Diſput. XXXIX. ſect. IV.*

CXXVIII. In iisdem Brigittæ *Viſionibus* legitur, CHRISTVM ſponte exuiſſe veſtimenta: quod ſi ita eſſet, nulla violentiori detractione, ſciſſione vel laceratione fuiſſet opus; atque adeo inter argumenta patientiæ CHRISTI referendum.

CXXIX. Quo ſtatu ſituve corporis CHRISTVS fuerit flagellatus, in diſceptationem venire ſolet. Sunt qui exiſtimant in terra fuiſſe proſtratum. Sed is non erat mos Romanus, ſed Judæus potius: ceu colligere eſt ex verbis Moſaicis Devteron. XXV. 2. *Si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, proſternent, & coram ſe facient verberari.* Codex Maccoth loco laudato: *Non ferit ſtantem, neque ſedentem, ſed inclinatum.* Et tamen paulo ante columnæ fit mentio: *Quomodo* (verba ſunt Codicis:) *fit flagellatio? Aſtringit quis ambas ejus manus ad columnam.*

CXXX. Romani certe maſtigiam palo vel columnæ alligabant. Plautus Bacchid. act. IV. ſc. VII. *Abducite hunc intro, atque adſtringite ad columnam fortiter.* Gracchus apud Gellium lib. X. cap. III. *Palus in foro deſtitutus eſt, veſtimenta detracta ſunt, virgis cæſus eſt.* Phileas apud Euſebium lib. VIII. Hiſt. Eccl. cap. X. ſævitiam in Martyres Alexandrinos referens: Ἄλλοι δὲ πρὸς τοῖς κίοσιν ἀντιπρόσωποι ἐδοῦντο: *Alii autem ad columnas vultibus inter ſe adverſis adſtringebantur:* quem locum Lipſius de

flagella-

flagellatione accipit Lib. II. *de Cruce* cap. IV. quamquam id dilucide non pateat ex Auctore.

CXXXI. Communis interim fert opinio, CHRISTUM quoque inter flagellandum columnæ fuiſſe alligatum: quæ poſtea Eccleſiæ porticum ſuſtinuiſſe fertur. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Euſtochium virginem: *Oſtendebatur illi columna Eccleſiæ porticum ſuſtinens, infecta cruore Domini, ad quam vinctus dicitur & flagellatus.* Prudentius in Enchiridio:

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atque columnis
Adnexum tergum dedit, ut ſervile flagellis.
Perſtat adhuc, templumque gerit veneranda columna;
Nosque docet cunctis immunes vivere flagris.

Beda in cap. XXIII. Lucæ: *Ille qui ſolvere compeditos ſolet, plena Deo membra verberibus ſubdidit. Id teſtatur columna in Eccleſia montis Sion poſita Dominici cruoris usq; hodie cernentibus veſtigia certa demonſtrat.* Idem de Locis ſanctis cap. III. *Columna marmorea in medio ſtat Eccleſiæ, cui adhærens Dominus flagellatus eſt.* Meminit ejusdem columnæ Gregorius Turonenſis de *Gloria Martyrum* lib. III. cap. III. Sic Brigitta Revelation. lib. I. cap. X. *Ductus ad columnam perſonaliter ſe veſtibus exuit.* Et lib. IV. cap. LXX. *Deinde jubente lictore ſeipſum veſtibus exuit, columnam ſponte amplectens reſte ligatur.* Et poſt pauca: *Et jam ſolutus filius meus a columna.* Ac denuo: *Veſtigiaque ejus, in quibus ad columnam ſtetit, plena erant ſangvine.*

CXXXII. At non immerito dubites, num ad iſtam columnam, quam Hieronymus, Prudentius & Beda memorant, CHRISTUS inter flagellandum fuerit alligatus. Breviorem fuiſſe eſt credibile, & quæ non multum ultra

Digitized by Google

femora ſurrexerit, ut totum corpus patuerit plagis. Drexelius part. II. cap. III. *Delic. Gentis Human.* eam ſic deſcribit: *Romano ritu funibus adſtringebatur ad bipedalem columnam, quæ ad viri ſtantis umbilicum duntaxat pertingebat, ut tam pectus, quam tergum rei verberibus undique pateret. In brevioris hujus columnæ ſummo ferreus annulus immiſſus accipiebat funes, quibus flagellandi corpus vinciebatur.*

CXXXIII. Partem iſtius columnæ Romæ in æde Praxedis Martyris aſſervari, idem ſcribit Drexelius: quamquam Voſſius integram ibidem monſtrari autumet. Sed fortaſſis nec tota, nec dimidiata Romam pervenit: ac fruſtra de his reliquiis triumphat Pontificia ſuperſtitio. Olim quoque pars flagelli in cryſtallino vaſe aſſervata Stadæ, uti teſtis eſt Albertus Abbas Stadenſis *ad ann.* CIↃCCXLIII.

CXXXIV. Denique in quæſtionem vocari ſolet, quot ictibus CHRISTVS inter flagellandum fuerit cæſus. Quod adeo curioſa minusque proinde fructuoſa hæc non ſit quæſtio, ac prima fronte videatur, vel ex eo patet, quod S. Paulus tanquam ſingulare quoddam memoret II. Corinth. XI. 24. ſe *a Judæis quinquies quadragenas una minus* (plagas) *accepiſſe.* Communiter enim de plagis locus hic accipitur ab Interpretibus: licet non ſim neſcius, B. Eraſmum Schmidium non πληγὴν, ſed potius ἡμέραν ſubintelligi cenſuiſſe: ut ſenſus ſit: Judæos Apoſtolum ex impetu crudeliſſimo plagis quinquies quadraginta altero quolibet die cecidiſſe: in quo paucos ὁμοψήφους nactus eſt.

CXXXV. Judæi videlicet tantum quadragies poterant cædere, ut eſt Deuteron. XXV. 3. Solebant autem uno

 ictu

ictu minus cædere, ſive humanitatis ergo; ſive, quia facile erat uno ictu aberrare; eoque ſatius eſſet intra præſcriptum modum ferire, quam eum excedere.

CXXXVI. Chryſoſtomus Homil. XXV. in cap. XI. Epiſt. II. ad Corinth. unam plagam ſubtractam ſcribit, ne ſi reus plus quam quadraginta accepiſſet, infamis redderetur. At num vox Hebræa נקלה hoc ſignificet, merito dubitatur.

CXXXVII. Interea licet augere non poterant Judæi plagas; nec prohibitum tamen, nec inſolitum fuiſſe putant Interpretes, ictuum numerum minuere, prout reus ferre poſſe videretur.

CXXXVIII. Apud Romanos plagarum numerus non erat certus ac definitus, ſed nunc major, nunc minor. Sunt qui putent Præconem interdum adſtitiſſe, & ictus numerando exclamaſſe, tot vicibus debere cædi facinoroſos, nec pluribus, nec paucioribus. Verum quia præter unicum eundemque obſcurum Horatii verſum alia hi non afferunt teſtimonia, nondum iis aſſentimur.

CXXXIX. Aliquando ſane tanta cum acerbitate agebatur flagellatio, ut corpus miſerrime lancinaretur; eademque fata ſæpius experti ſunt Martyres. Eccleſia Smyrnenſis apud Euſebium lib. IV. Hiſt. Eccl. cap. XV. de eo queritur his verbis: *Obſtupeſcebant omnes qui aderant, cum illos viderent partim flagris ad intimas usque venas & arterias laniatos: adeo ut corporis membra penitus recondita, & viſcera ipſa conſpectui paterent.* Unde etiam nonnulli inter flagellandum exſpirarunt. Martyrologium Romanum Non. Octobr. *Bacchus nobilis Romanus, ſub Maximiano Imp. tamdiu nervis crudis cæſus eſt, quoad usque toto corpore diſcuſſus in confeſſione CHRISTI amitteret ſpiritum.*

ritum. Quod tamen Domitius Vlpianus infenſiſſimus quamvis Chriſtianorum hoſtis prohibuit l. VIII. §. III. de Pœnis: *Nec ea quidem pœna damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur, nec tormentis: quamvis plerique dum torquentur, deficere ſolent.*

CXL. Sanctiſſimum Servatorem gravibus ac diris modis fuiſſe cæſum, ex propoſito Pilati ſatis liquet: & fortaſſe milites mandati à Pilato accepti fines ſupergreſſi acerbius adhuc cum CHRISTO egerunt, ac juſſi erant. Vnde etiam poſtea portando crucis ligno non ſuffecit. Nec eſt quod quis objiciat Pilatum celeriorem CHRISTI mortem admirantem: cum de ſolo forte crucis ſupplicio tunc cogitans Pilatus reliquos cruciatus non tam ſollicite perpenderit.

CXLI. Quot tamen plagæ inter flagellandum CHRISTI corpori inflictæ, ſilentium Scripturæ definire prohibet. Quod ſi Vincentio aliquid tribuendum, CHRISTVM *octingentas octo & viginti* plagas accepiſſe ſtatuendum foret. Quandoquidem enim corporis humani oſſa, judicio Medicorum, numerentur CC LXXVI. *Chriſtum* ita *flagris vulneratum* putat, *ut cuilibet corporis oſſi triplex ictus, & is quidem acerbisſimus reſponderit.* At Brigittæ revelationes *quinque millia* ictuum, Johannes Gerſon *quinque millia trecentas quinque & ſeptuaginta* plagas numerant, quas Landulphus ſcriptor *vitæ CHRISTI, centenario,* Cornelius a Lapide ex revelatione quadam S. Magdalenæ facta *denario ſupra centenarium* augent.

CXLII. Nihil tamen in his conjecturis certi: ac ſuffecerit nobis ſcire, pro multitudine peccatorum noſtrorum multa CHRISTVM flagella pertuliſſe, ut nos à

flagellis iræ divinæ liberatos veræ filiorum Dei libertati reſtitueret.

CXLIII. Poſt eam flagellationem JESUS a militibus Pilati prehenſus, inque Prætorium, non longe a tribunalis & ſecretioris judicii conſiſtorio diſſitum abreptus fuit: atque eodem eſt tota cohors convocata. Sic enim

Matth. XXVII. v. 27. Marc. XV. 16. Matthæus cap. XXVII. *Tunc milites Præſidis ſuſcipientes JESUM in Prætorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem.* Et Marcus cap. XV. *Milites autem abduxerunt eum intro in atrium, quod eſt prætorium, & convocant totam cohortem.* Quamvis illa abductio etiam ante flagellationem fieri potuit: quod B. Gerhardo viſum, ac pluribus comprobatum.

CXLIV. Ab hacce cohorte tanquam ad ludicrum ſpectaculum, imo non ad ſpectandum modo, ſed illudendum etiam, advocata, ſive Pilati juſſu, ſive, quod vero eſt ſimilius, militari protervia, variis ludibrii atque injuriarum generibus affectus fuit.

CXLV. Ac primo quidem CHRISTUM ſuis exuerunt veſtibus. Tunicam inconſutilem & ſtolam exuiſſe apud Origenem legas, & ex eo apud Janſenium & alios. Hæc pudori fuiſſe, facile licet intelligere, atque ex ſupra dictis clarum eſt. Fortaſſe tamen non totus denudatus, ſed ſolum interiori tunicæ ſuperinducta veſtis alia.

CXLVI. Deinde ad ludibrium induerunt eum chlamyde coccinea, ut eſt apud Matthæum: ſive purpura, uti Marcus memorat, ſive veſte purpurea, ut refert Johannes.

Matth. XXVII. v. 28. Marc. XV. 17. Joh. XIX. v. 2. 5. CXLVII. S. Matthæus, id deſcribit cap. XXVII. his verbis: *καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν, περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην.* S. Marcus ita habet cap. XV. 17. *καὶ ἐνδύουσιν αὐτὸν πορφύραν.* S. Johannis hæc ſunt cap. XIX. 2. *καὶ οἱ στρατιῶται*

ἱμάτιον

ἱμάτιον πορφυροῦν περιέβαλον αὐτόν. Et v. 5. Ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς ἔξω, φορῶν πορφυροῦν ἱμάτιον.

CXLVIII. Duæ hic emergunt difficultates, quarum una eſt de Veſtimenti genere; altera de ejuſdem colore. Quod χλαμύδα S. Matthæus vocat, S. Johannes ἱμάτιον appellat. Qui color Matthæo dicitur *coccineus*, is Marco & Johanni eſt *purpureus*. Quia tamen Evangeliſtæ, qui uno Spiritu S. dictante ſcripſerunt, inter ſe non pugnant, oſtendendum eſt a nobis, quo pacto illorum ſententiæ conciliari queant.

CXLIX. Ἱμάτιον (ut de eo primum dicamus) nonnulli deſignare volunt interiorem veſtem, cui toga, aut pallium, aut alia ſuperior veſtis injiceretur. Quamobrem Xylander ſæpius apud Plutarchum τὸ ἱμάτιον reddere ſolet *tunicam*, quæ certe veſtis fuit interior.

CL. At aliter ſe rem habere, & proprie veſtem denotare, quæ tunicæ ſuperindueretur, certum eſt. Apud Plutarchum in *vita Pompeji* ὁ ἐν ἱματίῳ βίος, eſt *vita togata*, & bellicæ opponitur. Et in ejuſdem *Camillo* bis εἶναι ἐν ἱματίῳ eſt altæ pacis indicium. Tradit ibidem Faliſcos obſeſſos a Camillo adeo obſidionem contemſiſſe, ut præter ſtationes in muris diſpoſitas togati per urbem reliqui obverſarentur ἐν ἱματίοις, *in togis*. Voluerunt enim habitu pacis oſtendere, ſe belli minas inſuper habere. Nam vel de *Toga* Romanorum, vel de Græcorum *Pallio*, quæ veſtes erant exteriores, omnino id intelligendum.

CLI. Imo vero qui *tunicam* ſignare poſſit τὸ ἱμάτιον, cum χιτῶνι non raro opponatur? Plutarchus *Præcepto Connubiali XI.* de Borea & Sole ex certamine hominem deſpoliantibus: *Flante Borea viator* ἱμάτιον *corpori vehe-*

 mentius

mentius appreſſit: at Sole urente, καὶ τὸν χιτῶνα τῷ ἱματίῳ συναπεδύσατο: *Una cum pallio etiam tunicam exuit.* Idem in *Lycurgo* de diſciplina adoleſcentium: Γενόμενοι δὲ δωδεκαετεῖς, ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες. *Emenſo autem duodecimo ætatis anno ſine tunica jam degebant, unum pallium in annum accipientes.* Ælianus Var. Hiſt. lib. V. c. XXII. Οἱ πάλαι Ἀθηναῖοι ἁλουργῆ μὲν ἠμπείχοντο ἱμάτια, ποικίλους δὲ ἐνέδυνον χιτῶνας. *Veteres Athenienſes purpurea induere ſolebant pallia, & diverſicoloribus amiciri tunicis.* Idem lib. I. c. XVI. Ἀπολλόδωρος ὁ τοῦ Σωκράτους ἑταῖρος, χιτῶνά τε αὐτῷ φέρων ἐρίων πολυτελῆ, καὶ εὐήτριον, καὶ ἱμάτιον τοιοῦτο, καὶ ἠξίου ἐνδύντα αὐτὸν τὸν χιτῶνα, καὶ θοἰμάτιον περιβαλλόμενον εἶτα οὕτω πιεῖν τὸ φάρμακον. *Apollodorus Socratis amicus attulit ei tunicam ex precioſa lana pulchreque textam, ſimile item pallium: & rogavit, ut indutus tunica, amictusque pallio, ſic demum biberet venenum.*

CLII. Nota in his Æliani verbum περιβάλλειν, *circumjicere*, quo etiam S. Johannes hoc, de quo agimus, loco, & Apocal. XVII. 4. eadem ſignificatione, ut alia prætercam, utitur. Hoc enim proprie uſurpatur de veſte exteriori. Idem adhibuit Philo in Flaccum, ubi memorat Judæos Carabæ ſtoream pro chlamyde dediſſe: χαμαιστρώτῳ δὲ τὸ σῶμα περιβάλλουσιν ἀντὶ χλαμύδος. Hinc Heſychius τὸ ἱμάτιον etiam περιβόλαιον appellat. Et communiter Græci veſtimentum exterius, quod tunicæ superinductum corpus circumiret atque involueret, περιβόλαιον, περιβολὴν, περίβλημα, item ἀναβολὴν, ἀναβόλαιον vocabant. Latinis eſt *Amictus*, quod *am* ſive ἀμφὶ, circa corpus injiciatur. Artemidorus Oneirocrit. lib. II. cap. III. Χλαμύδα τὸ σῶμα ſcribit ἐμπερίχειν, *corpus circumamplecti.*

CLIII.

CLIII. Licet vero ἱμάτιον ſpeciatim denotaret *Togam, Pallium*, vel *quodvis veſtimentum exterius*, tamen etiam pro qualibet veſte nonnunquam accipitur. Theophraſtus in Character. περὶ μικρολογίας: καὶ αὐτοὺς ἢ φορῦντας ἐλάττω τῶν μηρῶν (ita lego cum Caſaubono) τὰ ἱμάτια. *Ipſos quin etiam videre licet veſtes geſtare breviores, quam ut femora penitus tegant.* Et mox: καὶ πρὸς τοὺς γναφεῖς διατεινομένους ὅπως τὸ ἱμάτιον αὐτοῖς ἕξει πολλὴν γῆν. *Et cum fullonibus obnixe agere, ut ad poliendam ſuam veſtem creta multum adhibeant.* Hoc ſenſu apud Lucam cap. V. 36. CHRISTVS inquit: οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν. *Nemo aſſumentum veſtis novæ aſſuit veſtimento veteri:* quo cum conferantur Matth. IX. 16. Marci II. 21. Nec facile nobis perſvaſerit Budæus, apud Matthæum pro *ſtragula veſte* ſumi: utut non negaverim apud Athenæum lib. *XII.* in hac ſignificatione uſurpari. Verba Athenæi hæc ſunt: κατεσκεύαστο ὁ οἶκος πολυτελῶς καὶ μεγαλοπρεπῶς ἱματίοις τε καὶ ὀθονίοις πολυτελέσιν. *Sumtuoſe & magnifice inſtruebatur domus veſte ſtragula & velis precioſis.*

CLIV. At ſi ἱμάτιον, ut vidimus, pro qualibet veſte ſumitur, quidni & deſignare poſſet *Tunicam?* Reſpondetur, diſtingvendum inter loca veterum. Si ἱμάτιον nude ponatur & generaliter, non negamus plane, quin accipi poſſit pro *Tunica.* Verum ſi χιτῶνι opponitur, aut aliæ occurrunt circumſtantiæ huic ſignificationi reclamantes, utique eandem admittere non licet. Nobis hoc loco ſuffecerit demonſtraſſe, ἱμάτιον non eſſe ſpeciale nomen *tunicæ:* id quod nonnulli voluerunt.

CLV. *Chlamys*, χλαμὺς, Græcæ eſt originis, nec aliud quam περιβόλαιον, hoc eſt, veſtimentum, quod tunicæ

ſive alii veſtimento interiori ſuperinducebatur. Reperimus autem Chlamydem Ephebicam, Muliebrem, Virilem.

CLVI. De Chlamyde Epheborum Plutarchus in *Catone Minore*, cum deſcribit pompam Antiochenſium, qui Demetrio Pompeji liberto apud herum gratioſo ad ſe adventanti obviam effuſi erant. *Ephebi in chlamydibus, pueri in alio ornatu ſeparatim conſiſtebant.* Svetonius ubi de pueritia Tiberii cap. VI. *Munera, quibus a Pompeja, Sexti Pompeji ſorore in Sicilia donatus eſt, chlamys & fibula, item bullæ aureæ durant, oſtenduntur adhuc Bajis.* Apulejus lib. *X. Adeſt luculentus puer nudus, niſi quod ephebica chlamyda ſiniſtrum tegebat humerum.* Martianus Capella initio libelli de Nuptiis Philologiæ, Mercurium ſuum tanquam Ephebum *Chlamyda* veſtitum inducit: *Ac jam pubeſcentes genæ ſeminudum incedere, chlamyde indutum parva, invelatumq́; cetera humerorum cacumen obnubere ſine magno riſu Cypridis non ſinebant.*

CLVII. Muliebris chlamydis meminit princeps Poetarum Virgilius, apud quem lib. IV. Æneid. v. 137.

Tandem progreditur magna ſtipante caterva,
Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Inſuper & inter puellaria veſtimenta Chlamys recenſetur ab Vlpiano in *leg. Veſtis ff. de auro & arg. leg.* quod pariter confirmat Nonius Marcellus ex Catonis lib. de *Puellis ornandis*, inquiens: *Vt puellæ habeant potius in veſtitu chlamydas.*

CLVIII. Proprie tamen *Chlamys* virilis fuit veſtis, & potiſſimum militaris, quæ tam tunicæ, quam loricæ ac reliquæ armaturæ imponeretur apud Græcos. Plautus Græcanicæ Comœdiæ auctor Rudent. II. 2.

Ecquem

Digitized by Google

—— Ecquem adoleſcentem huc
Dum hic adſtatis, ſtrenua facie, rubicundum, fortem, qui tres
Duceret chlamydatos cum macharis, vidiſtis venire?

Vbi *chlamydati* ſunt milites, quos ſecum Pleuſidippus duxerat adverſus lenonem. Et in Pſeudolo II. 4. 45. cum ſycophantam ornaturi eſſent militarem in modum

Etiam opu'ſt chlamyde, & machara, & petaſo.

Quem Simo videns IV. VI. 39. inquit:

Quis hic homo eſt chlamydatus?

Sic in Epidico III. III. 55. miles dicitur *ſuam chlamydem quaſſando undantem facere,* hoc eſt, dum magnifice & jactanter incedit, chlamydem inſtar undæ criſpari & fluctuare. Virgilius VII. Æn.

—— Ipſe agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictus conſpectus in armis.

Ælianus Var. Hiſt. lib. XIV. c. X. Athenienſes Demadem præponentes Phocioni belli ducem conſtituerunt. Qui cum ambitu ſuperaſſet Phocionem, inquit: χρῆσόν μοι τὴν ῥυπαρὰν χλαμύδα, ἣν εἰώθεις φορεῖν περὶ τὴν στρατηγίαν. *Accommoda mihi ſordentem iſtam chlamydem, quam geſtare ſolitus es in tuo belli principatu.*

CLIX. Hinc Dio lib. XLVI. Chlamydes ſuo epitheto vocat στρατιωτικάς. Τάς τε χλαμύδας, inquit, τὰς στρατιωτικὰς πάντας, καὶ οἱ μὴ ἐκστρατεύοντες ἠμπίσχοντο. *Chlamydes autem militares, etiam ii, qui non proficiſcebantur in bellum, ſumſerunt.* Et Julius Capitolinus in Pertinace *Chlamydes caſtrenſes* nominat. Theocritus: Παντᾷ κρηπῖδες, παντᾷ χλαμυδήφοροι ἄνδρες. Vbi Scholiaſtes: λέγει τοὺς ἐν τῇ πόλει στρατιώτας. *Intelligit milites in civitate.* Imo, quemadmodum toga vel pallium pacis, ita chlamys belli inſigne

inſigne erat. Vnde Philoſtratus lib.V. c.XIV. χλαμύδος ἠράσθη, καὶ στρατιώτου βίου. *Chlamydem & militarem vitam adamavit.*

CLX. Chlamys autem duplex erat, *Macedonica* & *Vulgaris.* Macedonicam extrema parte clauſam teſtatur Ammonius. Ἡ δὲ χλαμὺς εἰς πλεῖον περὶ τὰ κάτω συνῆπται. At vulgaris tota aperta. Macrobius: *Veteres omnem habitabilem terram extentæ chlamydi ſimilem eſſe dixerunt.* Et quia aperta fuit, ideo in humeris, vel ad cervicem fibula nectebatur. Ovid. lib. XIV. Metam. fab. VII. de Pico:

Phœnicam fulvo chlamydem compreſſus ab auro.

Et paulo infra de eodem Pico in avem converſo:

Purpureum chlamydis penna traxere colorem,
Fibula quod fuerat, veſtemque momorderat aurum
Pluma fit, & fulvo cervix præcingitur auro.

Papinius Statius lib. VI. Thebaid.

Emicat & torto chlamydem diffibulat auro.

Iſidorus Originum lib. XIX. cap. XXIV. *Chlamys eſt, quæ ex una parte induitur, neq; conſuitur, ſed fibula infrenatur.*

CLXI. Sunt tamen qui dubitant, an chlamys etiam apud Romanos inter veſtimenta militaria fuerit, eo quod hiſtorici Romani nunquam aut raro in militari veſtitu chlamydis meminerint, ſed tantum *Sagi, aut Paludamenti.* Verum ſciendum, quod *Sagum* Chlamydi apud Romanos reſponderit. Auctor Etymologici Magni: χλαμὺς τὸ περιφερὲς καὶ κυκλοειδὲς, τὸ ἐν συνηθείᾳ λεγόμενον Σάγος, ἱμάτιον ὅπερ φοροῦσιν οἱ κηροφόροι.

CLXII. Etſi vero Sagum ſive Chlamys peculiare eſſet indumentum militum, tamen Imperatores etiam Chlamydatos apud Græcos & Romanos invenire eſt. Plutarchus in *Quæſtionibus* Convival. lib. I. Probl. IV. de Pericle:

ricle: Ὁ μὲν Περικλῆς ὁσάκις ᾑρημένος στρατηγὸς ἀνελάμβανε τὴν χλαμύδα. *Et Pericles quidem, quoties Imperator dictus, chlamydem aſſumſit.* Idem de Alcibiade: Τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα περιελίξας. *Siniſtram manum chlamyde obvolvens.* Sic Phocionis chlamydem ex Æliano antea ſpectavimus. Dio lib LX. de Claudio: Αὐτὸς μὲν οὖν ὁπλομαχίας ἀγῶνα ἐν τῷ στρατοπέδῳ χλαμύδα ἐνδὺς ἔθηκε. *Ipſe chlamyde indutus munus gladiatorium in caſtris dedit.* Xiphilinus de Severo lib. LXXVII. τὴν χλαμύδα περιερρηξάμενος. *Chlamydem ſuam diſcidit.* Idem lib. LXVII. de Caracalla Cilonem adverſus militarem ſeditionem protegente: καὶ τὴν χλαμύδα (τὴν γὰρ στρατιωτικὴν ἐσθῆτα εἶχε) περιβαλόντα αὐτόν. *Ipſum chlamydis objectu tegens, nam tum ei veſtis militaris erat.*

CLXIII. Credibile tamen eſt, & in his aliisque locis pluribus *Chlamydem* pro *Paludamento*, quod proprium Imperatoribus veſtimentum, ſumi. Vnde Nonius: *Paludamentum eſt veſtis, quæ nunc Chlamys dicitur.* Quando igitur Plinius Agrippinam *Paludatam* nobis ſiſtit, chlamydatam nobis exhibet Tacitus & Dio. Ita Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Nos vidimus Agrippinam Claudii Principis edente eo navalis prælii ſpectaculum, aſſidentem ei, indutam paludamento ex auro textili, ſine alia materie.* Tacitus Annal. XII. *Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde aurata præſedere.* Dio lib. XXXIII. c. III. Ὁ δὲ Κλαύδιος, ὅτι Νέρων στρατιωτικοὺς ἐστάλησαν. Ἥ τε Ἀγριππῖνα χλαμύδι ἐκοσμεῖτο. Paludamentum nobis ſic deſcribit Iſidorus lib. XIX. cap. XXIV. *Paludamentum erat inſigne pallium Imperatorum cocco purpuraque & auro diſtinctum.* Et ſic deſcribit nobis Virgilius Chlamydem ab Ænea Cloantho victori donatam. Verſus hi ſunt l. V. Æn.

Digitized by Google

Victori chlamydem auratam, quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Sic Corippus lib. II.

Cæſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys.

Eutropius lib. X. cap. XXIX. *Nam prius in chlamyde purpurea imperii inſigne tantum erat.*

CLXIV. Neque tamen nullum plane inter *Sagum, Paludamentum, & Chlamydem* fuit diſcrimen, licet pro iisdem habeat Octavius Ferrarius *de Re Veſtiaria part. II. lib. III. cap. IV.* Nam, uti dixi, Chlamys potiſſimum Græcorum fuit: adeo ut vitio aliquando daretur Romanis, chlamydatos conſpici. Colligo id ex Valerii Maximi lib. III. c. VI. ubi inquit: *Lucius quoque Sylla cum Imperator eſſet, chlamydato ſibi & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit.* Idem eodem loco tanquam inſolens quoddam narrat, L. Scipionis *ſtatuam chlamydatam in Capitolio* conſpici. Attamen propterea non aſſenſerim Johanni Antonio Valtrino, qui lib. III. cap. XIII. de Re Militari Veterum Romanorum Paludamentum & Chlamydem prorſus diſtincta veſtimenta facit. Iſti enim opinoni loca veterum paulo ante allata adverſantur. Taciti locus de *Chlamyde Agrippinæ*, quam a paludamento Claudii mariti diſtingvit, non favet Valtrino. Nam utut inter *paludamentum Claudii & chlamydem* Auguſtæ aliquod diſcrimen fuerit, tantum tamen iſtud non fuiſſe reor, ut propterea hæc duo confudiſſe Plinius cenſendus ſit: vel, ſi maxime diſtinctiſſima fuiſſent, hic unus Taciti locus tot aliis veterum teſtimoniis opponeretur.

CLXV. Si de materia chlamydum quæris, eadem communiter lana fuit. Sed ſicuti lanæ variabat pretium, ita

ita pro eodem chlamydes aliæ aliis pretioſiores erant. Scilicet gregalium & manipularium militum craſſiores ac viliores fuerunt ipſa lanæ ignobilitate; at Centurionum ac Tribunorum majoris pretii, & texturæ nobilioris. Illorum pexa ac villoſa, interdum longo uſu detrita. Ita apud Plutarchum Phlopœmen tali indutus chlamyde pro ſervo habitus eſt. Spartianus de Severo: *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica ejus aliquid purpuræ haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.*

CLXVI. Communis, inquam, chlamydum materia fuit lana. Nam quod Dio de Caji Cæſaris *Chlamyde ſericea*, & de Commodi *chlamyde ſericea purpurea auro inſperſa* ſcribit, id non mirum, in probroſis, prodigis atque effœminatis Principibus. Quo item *auratam*, de qua agimus, Agrippinæ chlamydem retulerimus.

CLXVII. Ex his autem dictis (id quod ad conciliationem Evangeliſtarum pertinet) apparet clare, τὸ ἱμάτιον χλαμύδι nequaquam repugnare. Nam ſi ἱμάτιον vel laxe, pro quovis veſtimento accipias, vel ſtrictius, pro ea veſte, quæ tunicæ ſuperinjiciatur, habemus id quod volumus, nempe chlamydem ἱμάτιῳ ſub voce comprehendi.

CLXVIII. Longe major difficultas eſt in colore veſtimenti: quem Matthæus *coccineum* ſtatuit, at Marcus & Johannes *pupureum*.

CLXIX. Καὶ ἐνδύουσιν, ait Marcus, αὐτὸν πορφύραν: ubi πορφύρα per metonymiam pro veſtimento ponitur purpureo: uti Luc. XVI.19. Apocal. XVII. 4. c. XIIX. 12. cujusmodi innumera apud externos ſcriptores exſtant exempla.

CLXX. At ut ipſam rem aggrediamur, *Purpura* & *Coccus* utique differebant. Patet illud diſcrimen tam ex ſacris literis, quam ex ſcriptoribus aliis. Vid. Exod. XXV. 4.

Digitized by Google

cap. XXVI. I. cap. XXVII. 16. cap. XXVIII. 5. c. XXXIX. v. 1. 2. 3. II. Paralip. II. 7. cap. III. 14. ubi אַרְגָּמָן & אַרְגְּוָן *Purpura*, a שָׁנִי *Coccus* evidenter diſtingvuntur. Sic cum Plinius lib. XXI. cap. VIII. *Tyriam purpuram* aſpectu ruborem *nitoremque cocci* præ ſe ferre, ſcribit, manifeſte ſeparat coccum a purpura. Id quod etiam fecit lib. IX. c. XLII. Vlpianus quoque diſerte ſcribit *Purpuræ appellatione Coccum non contineri.* Svetonius Nerone cap. XXX. *Piſcatus eſt reti aurato, purpura coccoque funibus nexis.* Commodus Imperator Epiſtola ad Albinum, quam ſervavit nobis Capitolinus, hæc affert: *Sane ut tibi inſigne aliquod imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me præſente, habiturus & purpuram, ſed ſine auro.* Lampridius Diadumeniano: *Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea ceteraque caſtrenſia imperii inſignia accepit.*

CLXXI. Differentiam vidimus. Nunc in quibus illa ſita fuerit, inveſtigabimus. Differebant ſcilicet Materia, Colore, Vſu.

CLXXII. Quod ad materiam, Coccus eſt ex frutice terreſtri ſurculoſo, in quo grana naſcuntur infectoria. Purpura vero ex marina concha, quæ nobilem illum ſuccum ad tingendas lanas idoneum in mediis faucibus habuit.

CLXXIII. Penſitabimus ſingula accuratius, & primum de *Cocco*, poſt etiam de *Purpura* agemus. Coccum diximus eſſe fruticem. Ita enim definit Dioſcorides lib. IV. c. XLVIII. Κόκκος βαφική. θάμνος ἐςι μικρὸς φρυγανώδης, ᾧ προσήρτηνται οἱ κόκκοι, ὡς φακοί. οἵτινες ἐκλεγόμενοι συντίθενται. Ἀρίστη δέ ἐστιν ἡ γαλατικὴ καὶ ἡ Ἀρμενιακή. Ἔπειτα ἡ ἐν Ἀσίᾳ καὶ ἡ κιλίκιος, ἐσχάτη δ' ἡ πασῶν ἡ ἐν Ἰσπανίᾳ. *Coccus tinctorius frutex eſt parvus ſarmentoſus, cui*

grana velut lentes adhærent. Hæc delecta componuntur. Optimus eſt Galatiaticus, & Armeniacus; deinde Aſiaticus & Cilicius; poſtremus omnium eſt Hiſpanicus. Apud Pauſaniam in *Phocicis* ſive lib. X. ſequentia de hoc frutice narrantur. *Quem Jones & reliqui Græci Coccum, Galli qui ſupra Phrygiam ſunt, patria voce Hys nominant. Magnitudo eadem fere, quæ ſpinæ albæ, folia nigriora & molliora, quam lentiſci. Nam cetera lentiſculo perſimilis. Fructus, quales fere ſolani, ervi magnitudine. Gignitur in hujus plantæ fructu puſillum animal: id ſi maturo grano exiluerit, volucre jam libero fertur cœlo, culici ſimillimum. Verum eas baccas, priusquam inſectum concipi potuerit, legunt.*

CLXXIV. Dioſcorides, ut audivimus, optimum coccum provenire ſcribit in Galatia. Similiter Plinio laudatur *Coccus in Galatia* lib. XVI. cap. VIII. & lib. IX. cap. XLI. *Galatiæ rubens granum* vocat. Idem eodem loco circa *Emeritam Luſitaniæ in maxima laude* eſſe tradit. Strabo in Turdetania, Luſitaniæ regione, ubi hodie Algarbiæ regnum, eum naſci refert lib. III. Sed & in Africa creſcere, Plinius docet lib. XXII. cap. II. Nunc etiam in Peloponneſo aliisque Græciæ locis naſcitur, ut auctor habet Sipontinus. In Sarmatia ad Ruſſiam ſpectante, ſive Podolia gigni ab amico quodam accepit Janus Cornarius, ejusdem fide recenſens *Emblemat. in Dioſcoridem.*

CLXXV. Sed ſi ad frutices ſpectat Coccus, quid eſt, quod Theophraſtus *Hiſtoria Plantarum lib. III.* & Plinius *lib. XVI. cap. VIII.* quos recentiores ſeqvuntur non pauci, Ilicem etiam arborem cocciferam tradant? Reſpondetur: aut diverſum eſſe coccum Ilicis, aut errare illos in hac ſententia. Poſterius ferme aſſerere audet Claudius Salmaſius, *in Exercitationibus Plinianis ad Solinum* ita de

Cocco

Digitized by Google

Cocco differens; *Hic frutex nunquam arboreſcit, ſed ſemper manet frutex, & ubicunque provenit, coccum illud ſuum fert, tingendis aptum lanis. At ilex arbor alicubi etiam frutex eſt, quando ſolum minime idoneum nacta; ſed tunc nullum fert fructum, nec coccum puniceum illum, cujus meminit Theophraſtus, qui infectoribus nulli eſt uſui.*

CLXXVI. Hactenus de frutice: deinceps conſiderandum venit fruticis hujus granum. Ceterum ſi Salmaſio fidem habemus, non tam eſt fructus, quam ſcabies & excrementum fruticis.

CLXXVII. Sed quia in Cocco grano duo ſunt; unum animalculum, alterum veſicula; nunc porro inquirendum erit, utrum ex ipſis vermiculis; an ex vaginulis ſive veſiculis, an ex utriſque fiat tinctura.

CLXXVIII. Si Becani *Gallic.* lib. V. fidei hic ſtandum, tincturæ inſerviunt ipſæ veſiculæ, ſive grana, non vermiculi. *Id,* inquit, *ſatis fuerit, uno verbo dixiſſe, non ex vermiculo, ſed ex ipſo cocco fieri tincturam, tametſi ex cocco vermiculus frequenter naſcatur.* Et paulo poſt: *Sic ex cocco vermiculus naſcitur, ſed ille ad colorem inducendum adeo non neceſſarius, ut etiam non parum obſit, coloris materia non parum eroſa.* Verum Bellonius, & Quiqueranus, quos in hanc rem laudat Carolus Cluſius *Hiſtoriæ Plantarum lib. I. cap. XVI.* ac ipſe porro Cluſius, duo ſtatuunt Infectionis genera: unum Vermiculorum, alterum Veſicularum: & Vermiculos dicunt ad tincturam commodiores eſſe ipſis granis, adeoque vermiculorum pretium quadruplo majus eſſe, quam veſicularum. Certe Pauſanias cum de cocco baphico egiſſet, ita hoc de vermiculorum tinctura probavit, ut clare ſcripſerit lib. XII. καὶ ἔςι τοῖς ἐρίοις ἡ βαφὴ, τὸ αἷμα τοῦ ζώου. *Eſt etiam vermiculi ejus ſanguis inficiendis lanis utilis.*

CLXXIX.

Digitized by Google

CLXXIX. Hunc ipſum etiam vermiculum in ſacris Judæorum fuiſſe adhibitum pro tingendis filamentis, ex quibus aulæa aliaque parabantur ac texebantur, ex eo patet, quod ſemper fere vox תולעת *tolaath*, ſeu vermiculi addatur, dum dicitur *tolaath ſchani*, vel *ſcheni tolaath*, vermiculus cocci. Quod eo eſt obſervandum diligentius quo frequentiores committuntur errores in vertendis illis locis V. T qui ex hactenus dictis facili corrigi poſſunt negotio: niſi quis velit dicere, quod monet Kimchi, תולע idem eſſe ac עין *Ajin*, colorem: ut *tolaath ſchani* idem ſit ac color ruber; hoc interim habeat nominis ab adjuncto, nempe verme, cum plerumque vermis lateat in iſto grano cocci.

CLXXX. Hic Vermiculus poſterioribus ſeculis *Blatta* dici cœpit: (nam anterioribus illud inſecti denotabat libros veſtimentaque rodens: qua in notione uſus Maro, Flaccus, Columella:) unde & exquiſitæ purpuræ genus *Blattæ* nomen meruit. Caſſiodorus lib. I Var. Ep. II. *Cum blatta, quam noſtro cubiculo dare ſingulis annis conſveviſti, venire feſtina.* Sidonius Apollinaris in Panegyrico Mario: *Pontus Caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.* Item in Carmine Epiſt. XIII lib IX.

Rutilasque ferte blattas
Recoquente quas abeno
Melibœa fucat unda.

Lampridius Heliogabalo: *Paraverat igitur funes blatta, & ſerico, & cocco intortos.* Ita ſumitur L. I Cod. *Quæ res vendi non poſſunt.* Fucandæ *atque diſtrabendæ purpuræ vel in ſerico, vel in lana, quæ blatta, vel oxyblatta, atque janthina dicitur, facultatem nullus poſſit haberi privatus.* Hinc *Blatteus color* apud Eutropium in Nerone,

 Caſſio-

Digitized by Google

Caſſidorum lib. V. Epiſt. XXXIV. *Blattea tunica* apud Vopiſcum *in Aureliano*, Gregorium Turonenſem *lib. II. Hiſtor. Francor. cap. XXXVIII.* *Blattifer Senatus* apud Sidonium in carm. lib. ult. *Pallium blatteo-ſericum* apud Vopiſcum, & alia apud alios.

CLXXXI. Idem vermiculus Arabibus eſt *Kermes*, cui reſpondet Hebræum תּוֹלַעַת, & uſurpatur Pſalm. XXII. 7. תּוֹלָע Jeſaiæ I. 18. & c. XIV. 11. תּוֹלֵעָה. Ab hac Arabica voce *Kermes* eſt *Chermeſini* vox, quæ colorem certi generis rubicundum deſignat. Neque enim audiendus eſt Ruellius, qui *de Natura Stirpium* lib. II. c. CXXXVI. ita dictum ait ab urbe *Charmi*, quod lanas ibidem inficere cœptum ſit. Græcis hic vermis σκωλήκιον dicitur a σκώληξ. Plinius lib. XXIV. cap. IV. *Eſt autem genus ex eo* (coccus) *in Attica fere & Aſia naſcens, celerrime in vermiculum ſe mutans, quod ideo Scolecion vocant.* De hoc Vermiculo Iſidorus *lib. XIX. Origin. cap. XXVIII.* *Κόκκον Græci, nos rubrum, ſeu vermiculum dicimus. Eſt enim vermiculus ex ſylveſtris frondibus.* Non male igitur Cœlius Rhodiginus *Vermiculatam veſtem* apud Hieronymum ab hoc vermiculo arceſſit *lib. XVI. Antiq. Lection. cap. XI.* Quamquam *Vermiculata veſtis* etiam dici poſſet, quæ in vermiculorum ſimilitudinem variegata & diſtincta eſt.

CLXXXII. Coccus, ceu vidimus, matrem habet fruticem: at Purpuræ matrix conchæ marinæ fauces. Audiemus ea de re Plinium lib. IX. cap. XXXVI. *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi eſt candida vena, unde precioſus ille bibitur nigricantis roſæ colore ſublucens. Reliquum corpus ſterile. Vivas capere contendunt, quia cum vita ſuccum eum evomunt. Et majoribus quidem purpuris detracta concha auferunt: minores trapetis frangunt,* ita

ita demum rorem eum excipientes Tyrii. Vide porro Ariſtotelem Hiſtor. Animalium lib. V. cap. XV. & alios naturæ myſtas.

CLXXXIII. Et vero quia Purpura eſt ex conchyliorum genere, hinc ſæpius *Conchylium* κατ' ἐξοχὴν vocatur. Iſidorus Origin. lib. XIX. c. XXVIII. *Conchylium dictum, eo quod ex conchulis marinis color ejus colligitur.* Ita Plinius ſæpe, ut & Victruvius *Architect. lib. VII. cap. XIII.* Suidas κογχύλη ἐξ ἧ πορφύρα. Juvenalis: *Horum ego non fugiam conchylia:* id eſt, veſtimenta purpurea. Catullo eſt *Conchylis.*

—— *Indo quod dente politum*
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.

Quamquam ibi Scaliger malit *Conchyli* pro *Conchylis.* Et inde forte Serenus Sammonicus:

Purpura torretur conchyli perlita fuco.

Lucretius *lib. VI.*

Purpureusque color Conchyli jungitur una
Corpore cum lana.

Vbi *fucus Conchyli* color eſt conchylii. A conchylio purpura *conchyliata tapetia* Plauto in *Pſeudoli* I. II. 14. & Ciceroni *lib. II. Epiſt. ad Attic. LXVII.* periſtromata *conchyliata,* hoc eſt, purpuræ ſanie imbuta dicuntur. Vide plura hanc in rem apud Fabium Columnam Neapolitanum libro ſingulari *de Purpura* Romæ anno CIƆ IƆC XVI. edito, ac anno CIƆ IƆC LXXV. Kiliæ luci iterum dato, ac lectiſſimis annotationibus illuſtrato a celeberrimo Johanne Daniele Majore Med. D. ac Prof. Kilonienſi.

CLXXXIV. Quamvis autem laudatus Columna veteres plerumque Conchylii voce deſignaſſe putat Purpuram, alii tamen, quos inter Gvilielmus Rondeletius *lib.*

II. de Teſtaceis cap. XIV. Conradus Geſnerus *de Animalibus Marinis Ordin. XV.* Gerhardus Johannes Voſſius *de Idololatria lib. IV. cap. XLVII.* peculiarem Conchæ ſpeciem eſſe, quæ proprio nomine *Conchylium* diceretur, contendunt.

CLXXXV. Eodem ex fonte fluit, quod liquor ille purpureus itemque veſtes purpureæ ſæpius apud veteres, Poetas inprimis, *Oſtrum* nuncupentur. Videatur Lucretius *lib. II. v. 35.* Virgilius *lib. II. Georg. v. 506. lib. I. Æn. v. 643.* item *704.* & in *Ceiri v. 440.* Horatius *de Arte Poët.* & *lib. I. Epiſt. X.* Statius *lib. VI. Thebaid. v. 62.* Ovidius *lib. IV. Triſt. Eleg. II.* Hinc Victruvius laudato loco: *Ea conchylia, cum ſunt lecta, ferramentis ſcinduntur, e quibus plagis purpurea ſanies, uti lacryma profluens, excuſſa, ita mortariis terendo comparatur, & quod ex concharum marinarum teſtis eximitur, ideo Oſtrum eſt vocitatum.*

CLXXXVI. *Oſtrum* autem licet plane ſit Græcæ originis, a Latinis tamen ſolis uſurpatur: ὄστρειον vero καὶ ὄστρεον tam Græcis quam Latinis uſitatum, obſervante Henrico Stephano. Græcis vero ex ὀστέον, quod eſt os, quia oſſium ſit duritie marina concha, etymon ſumſiſſe putat Euſtathius, ſicuti Latinos a teſtarum duritie, *Teſtas.* Ab his ὀστράκοις ſive teſtis, quibus purpuræ concluduntur, ὀστρακόδερμα appellantur. Galenus lib. III. περὶ τροφῶν δυνάμεως. XXXII. Cum id quod totum corpus ceu veſtimentum quoddam, cuique nativum ambit, δέρμα, hoc eſt, cutis appelletur, eique buccinarum, purpurarū, oſtrearum hiatularum (*ſpecies eſt concharum*) & aliorum id genus tegumentum proportione reſpondeat: διὰ τοῦτο καλοῦσιν ὀστρακόδερμα ταῦτα τὰ ζῶα. σαφῶς ἐν ὀστράκῳ παραπλήσιον ἢ λίθῳ τὸ ἔξωθεν αὐτοῖς περικείμενον, σκέπασμά ἐστι. *Idcirco*

hac

hæc animalia Oſtracoderma appellant. Tegumentum enim; quod extrinſecus ipſis eſt circumdatum, teſtis, aut lapidi palam eſt ſimile.

CLXXXVII. Nec minus quia conchæ purpurarum aculeis quibusdam armatæ, *Muricis* nomen acceperunt: quod deinceps & ad purpureas veſtes tranſiit. Iſidorus *lib. II. Origin. cap. VI.* Murex *Cochlea eſt maris, dicta ab acumine & aſperitate, quæ alio nomine conchylium appellatur, propter quod circumciſa ferro lacrymas coloris purpurei emittat, ex quibus Purpura tingitur, & inde Oſtrum appellatum, quod hæc tinctura ex teſtæ humore elicitur.* Vnde Tyrius murex eſt purpura in Tyro tincta. Virgilius l. IV. Æneid.

— *Tyrioque ardebat murice lana:*

Horatius Epod. XII.

Muricibus Tyriis iterata vellera lanæ.

Ovidius lib. III. de Arte amandi:

Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

De voce *Muricis* vide doctiſſimas *ad Scribonium Largum Annotationes* Johannis Rhodii Dani *Compoſ. CIV.*

CLXXXVIII. A materia ad Colorem Purpuræ & Cocci progredior. Purpureus color, rubore ſuo ad ſangvineum nigrorem aliquantum accedebat; at Cocci color paululum erat dilutior, ac rubedini roſarum ſimilis.

CLXXXIX. Varias veteres commenti ſunt differentias, quibus Purpuras diſtingverent, quas omnes hic diſcutere, nec noſtri eſt propoſiti, nec noſtrorum humerorum. Conſulantur de illis Ariſtoteles, Plinius, Rondeletius, Columna, aliique antiquorum recentiorumque, qui de marinis ſcripſerunt.

CXC. At enim quod ſpeciatim ad colorum differentiam

Digitized by Google

rentiam attinet, licet ea quoque varia ſit & multiplex, ad tres tamen ſpecies non incommode referentur, quarum prima πορφυρὶς, altera Tyria & dibapha, tertia ἀλουργίς.

CXCI. Prima, ceu dixi, eſt πορφυρὶς, quæ e pelagiis purpuris & buccinis fiebat. *Pelagia* autem purpuræ ſunt, quæ in alto, longeque a littore capiebantur. Plinius lib. IX. cap. XXXVII. laxe nimis ait: *Purpuræ nomine alio pelagiæ dicebantur*. Rectius cap. XXXV. de margaritis dixerat: *Pelagiæ altius merſæ, quam ut penetrent radii*. Nempe Purpurarum aliæ ſunt *pelagiæ*, aliæ *littorales*: qua de re ex Rondeletio quædam affert Conradus Geſnerus *de Animalibus lib. IV*. Buccina autem vel *Buccinum* (nam utroque modo dicitur) ſingularis conchæ purpureæ ſpecies dicebatur. Plinius lib. IX. cap. XXXVI. *Buccinum minor concha, ad ſimilitudinem ejus buccini, quo ſonus editur, unde & cauſa nomini*.

CXCII. Ille vero, de quo agimus, color exſurgebat, ſi harum pelagiarum & buccinarum ſanies inter ſe miſceretur. Nam ut Plinius cap. XXXVIII. refert, *Buccinum per ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admotum alligatur* (ita belle reſtituit Salmaſius, cum ante legeretur, *admodum alligantur*) *nimiæque ejus* (Pelagii) *nigritiæ dat auſteritatem illam nitoremque, qui quæritur cocci. Ita permiſtis viribus alterum altero excitatur aut aſtringitur. Summa medicaminum in libras vellerum, buccini CC. pelagii CXI.*

CXCIII. Color hic & ſvavitatem habet, & fulgorem amethyſti æmulatur: unde & *amethyſtinus* vocatur. Plinius l. I. ita *fit amethyſti color eximius ille*. Qualis autem ille amethyſti color, & unde ſuum nomen habeat, idem Plinius *lib. XXXVII. cap. X.* oſtendit his verbis: *Principa-*

tum

tum amethyſti Indicæ tenent. Cauſam nominis afferunt, quod usque ad vini colorem accedens prius quam eum deguſtet (id eſt, puſillum e colore delibet) *in violam deſinat; fulgorque quidam in illa purpuræ non ex toto igneus, ſed in vini colore deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore, ſcalpturis faciles. Indicæ abſolutum felicis purpuræ colorem habent: ad hancque tingentium officinæ dirigunt vota.* In hanc rem ſuaviter luſit Martialis lib. XIV. Epiſt. CLIV. cujus lemma: *Lanæ amethyſtinæ.*

Ebria Sidoniæ cum ſim de ſanguine conchæ
Non video quare ſobria lana vocer.

Sententia eſt: cum bibam purpuram, eaque quaſi fiam ebria, cur dicor *lana amethyſtina*, quod latine eſſet ſobria?

CXCIV. Ceterum ad hanc primam purpurei coloris ſpeciem etiam referendum, ſi quid violaceum, aut janthinum dicatur. Plinius lib. XXI. cap. VIII. ubi de tribus præcipuis veſtium coloribus: *Alterum in amethyſto, qui in viola; & ipſe in purpureum, quem janthinum appellamus.* Iſidorus Origin. l. XVI. c. IX. *Amethyſtus purpureus eſt permixto violaceo colore.* Nam Amethyſtus violacei eſt coloris, qui ex mixtione rubri & cœrulei emanat: prout pluribus docent Anſelmus Bootius de Boot *in Hiſtoria Gemmarum lib. II. cap. XXIX.* Andreas Baccius *de Gemmis c. IX.* & Franciſcus Rueus *de Gemmis lib. II. cap. XI.*

CXCV. *Janthinus* color nomen ſuum habet ab *ἴον*, *viola*, & *ἄνθος*, flos: unde *ἴανθον*, quod Heſychius ait eſſe *ἄνθος* & *χρῶμα τὸ πορφυροειδὲς*: hinc *Janthinus*, id eſt, *violaceus.* Violam autem Græci *ἴον* vocitant, non omnem quidem, ſed *ἴον πορφυροῦν καὶ μέλαν*, *nigram & purpuream* a nigricantis purpuræ florum colore: cetera violarum genera

genera ſolent diſtinctionis cauſa epithetis conjungere. Quod indicare voluit Plinius, cum ſcripſit lib. XXI. c. VI. *Ex iis violis, quæ ſponte apricis & macris locis proveniunt, purpureæ latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt, ſoleque Græco nomine a ceteris diſcernuntur, appellatæ Ia, ut ab his Ianthina veſtis.* Hujus veſtis memoria exſtat apud Martialem lib. II. Epig. XXXIX.

Coccina famoſæ donas, & ianthina mœchæ.

Nigrorem & purpureum colorem bene in violis conjungit Virgilius Georgicor. lib. IV. *Viola ſublucet purpura nigra.*

CXCVI. Porrò hunc amethyſtinum & violaceum colorem proprie *purpureum* dici, evidenti argumento eſt, quod Plinius ſcripſit: *Ad hanc* (amethyſtinam purpuram) *tingentium officinæ dirigunt vota.* Et quod Cornelius Nepos apud eundem lib. IX. c. XXXIX. *Me juvene,* ait, *violacea purpura vigebat.*

CXCVII. Hunc colorem, cum Poetæ *mortem purpuream* dicunt, intelligendum putarunt Rondeletius de *Teſtaceis lib. II. c. IV.* Aldrovandus, & alii Cui ſententiæ firmandæ id potiſſimum facit, quod Rondeletius obſervat, purpuram violaceam, præſertim exſaturatam, ſumi pro nigra. Vnde & apud Romanos & Græcos honeſtiores ἐν πορφύρᾳ elatos legimus: id quod pluribus veterum teſtimoniis comprobant Deſiderius Heraldus *Commentar. ad Martial. lib. IX. Epig. LVIII.* & Johannes Kirchmannus *de Funeribus Romanorum lib. I. cap. X.*

CXCVIII. Fortaſſis etiam ad hunc amethyſtinum & violaceum colorem, *hyacinthinus* quoque referendus eſt: non tam, quod pro *janthino* apud Plinium *lib. XXI. cap. VIII.* Salmaſius reponendum cenſeat *hyacinthum;* ſed

ſed quod Virgilius hunc florem *ſuave rubentem* Ecloga III. & Ovidius lib. X. Metam. fab. V. & lib. XIII. fab. I. *purpureum* indigitent. Et quamvis variæ ſunt hyacinthi differentiæ, tamen unam ad purpureum nigrorem declinare, jampridem docti viri obſervarunt.

CXCIX. Satis, & fortaſſis plusquam ſatis de prima purpurei coloris ſpecie, quæ ex pelagiis purpuris & buccinis miſta, cum amethyſtino, violaceo, janthino, & hyacinthino convenit. Nunc ad alteram progredimur, quæ eſt ejus purpuræ, quam a loco *Tyriæ*, a duplici tinctura *dibaphæ* nomen accepit. Tyriæ purpuræ æſtimationem inculcat Strabo lib. XVI. πολὺ ἐξήτασται πασῶν ἡ Τυρία καλλίστη πεφυῖα. *Tyria purpura omnium optima perhibetur.* Guilielmus Tyrius *Belli Sacri* libro XIII. Tyrus *conchilii & precioſi muricis inventrix egregio purpuram colore primo inſignivit: unde & præcipua inter eos, etiam hodie urbis trahens nuncupationem Tyria dicitur.* Haut obſcure Gvilielmus Tyriis inventionem purpuræ adſcribit; quod clarius facit Gregorius Nazianzenus Invectiva I. in Julianum: *Si autem*, inquit, *magna quadam res, immo omnium maxima tibi purpura videtur, ex qua tu ſapiens exiſtis, atque hujusmodi legum promulgator, quid? annon eam Tyriis abjicies, a quibus paſtoralis ille canis prodiit, qui exeſo murice, labiisque cruore perfuſis, & paſtori florem indicavit, ac per eos vobis Imperatoribus pannum illum improbis luctuoſum & ſuperbum porrexit?* Hinc paſſim a veteribus decantari audimus purpuram, colores, veſtes Tyrias. Cicero pro L. Flacco: *Romam advenis, affers faciem nomen, nomen vetus, purpuram Tyriam.* Virgilius *l. III. Georg.*

Illic victor ego & Tyrio conſpectus in oſtro.

Horatius *lib. I. Epiſt. VI.*

Inunc: argentum, & marmor vetus, æraque & artes
Suſpice: cum gemmis Tyrios mirare colores.

Idem Sermon. *lib. II. Sat. IV.*

Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes.

Tibullus *lib. III.*

Illi ſelectos certent præbere colores,
Africa puniceum purpureumque Tyros.

Seneca *Hippolyto act. II ſc. I.*

Removete, famulæ, purpuram, atque auro illitas
Veſtes, procul ſit muricis Tyrii rubor.

Ovidius *lib II. Metam.*

Verrit humum Tyrio ſaturata murice palla.

Martialis *lib. II. Epig. XXIX.*

Emit lacernas millibus decem Baſſus
Tyrias coloris optimi.

Claudianus *lib. I. de laudibus Stiliconis:*

—— Tyriaque ſuperbit
Majeſtate thorus.

id eſt, veſte ſtragula purpurea cultus. Tertullianus de Judicio Domini lib. I.

Purpura nec Tyrio ſic eſt intincta rubore.

Flavius Vopiſcus in Carino: *Quid Tyro & Sidone tenuitate pellucidas, micantes purpura?*

CC. Et *Sarrana* quoque dicta eſt hæ: Tyriorum Purpura. *Sar* enim Phœniciæ olim urbs, quæ poſtea Tyrus: ac inde *Sarranum oſtrum*, id eſt, Tyrium, vel præſtantiſſimum. Virgil. II. Georg.

Vt gemma bibat, & Sarrano dormiat oſtro.

Id quod Sandyſius Anglus apte declarat *lib. III. Itinerarii* (edit. Germ. pag. 466.) agens incidenter ibi de panni, precioſa hodie tinctura imbuti genere, Scharlach, his verbis:

bis: Welcher Nahme ſcheinet von ihr (urbe Tyro) herkommen zu ſeyn. Dann Tyrus wird Sar genennet/weil ſie auff einem Felſen/davon Syria den Nahmen hat/lieget ꝛc. Maſſen dann die Arabier Scan für San, und Scar für Sar ausſprechen.

CCI. Sed & Tarentina olim in precio erat. Et Fabius Columna teſtatur, vel ſua ætate Tarenti officinarum veſtigia purpurarum conſpecta, atque etiam ex teſtarum fragmentis acervos eſſe, quæ olim forſan, ut Plinius refert Auguſti tempore fuere, Nepotis Cornelii teſtimonio lib. IX c. XXIX. *Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum veniebat, nec multo poſt rubra Tarentina.*

CCII. Quod autem Tyria purpura ſemel atque iterum tingeretur, hinc dibapha a δὶς & βάπτω dici cœpit. Plinius loco laud. *Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quæ in libras denariis mille non poterat emi. Dibapha tunc dicebatur, quæ bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes commodiores purpuræ tinguntur.* Idem Tyrias dibaphis jungit lib. XXI. cap. VIII. Cicero lib. II. Ep. XVI. *Curtius noſter dibaphum cogitat: ſed eum infector moratur.* Et lib. II. ad Atticum Ep. X. *Denique etiam Vatinii ſtrumam ſacerdotii διβάφῳ veſtiant.* Quem locum Rhodiginus explicat *Antiq. lection. lib. XXX. cap. XXVI.* Ad quam tincturam iteratam alludit Horatius loco antea laudato:

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ
Cui properabantur?

Et lib. II. Od. XVI. ubi Grosphum canit *bis Afro murice tinctas veſtire lanas:* idque Porphyrio recte interpretatur *dibapham precioſiſſimam.* Quod clarius expreſſit Tibullus illo verſu:

Vellera dat ſuccis bis madefacta Tyrus.

Seneca in Hercule Oetæ v. 663.

Nec Sidonio mollis aheno
Repetita bibit lana rubores.

Et Claudianus lib. II. de laudibus Stiliconis:

—— *tincta ſimul repetita murice fila*
Contulimus penſis.

CCIII. Color dibaphæ Tyriæ ſangvinem concretum referebat. Plinius lib IX. cap. XXXVIII. *Tyrius Pelagio primum ſatiatur immatura viridique cortina: mox permutatur in buccino. Laus ei ſumma, color ſangvinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.* Eſt & ſimilis deſcriptio apud M. Aurelium Caſſiodorum Variarum lib. I. Epiſt. II. ubi manifeſto ſangvineum & purpureum eundem facit. *Color*, inquit, *nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſangvinea regnantem diſcernit, dum conſpicuum facit, & praſtat humano generi, ne aſpectu Principis poſſit errari. Mirum eſt ſubſtantiam illam morte confectam cruorem de ſe poſt ſpatia tam longi temporis exſudare, qui vix ſolet vivis corporibus vulnere ſauciatis effluere. Nam cum ſex pœne menſibus marina delitia a vitali fuerint vigore ſeparata, ſagacibus naribus neſciunt eſſe graviſſima, ſcilicet ne ſangvis ille nobilis aliquid ſpiraret horroris.* Ab hac purpura Plinius ait Homero *purpureum* dici *ſangvinem*. Quod & Maro in animo habuit Æn. IX. canens: *Purpuream vomit ille animam.* Hinc & Prudentius Periſtephan. hymno IV. v. 128. *Purpureas notas ſangvinis* dixit: quemadmodum Paulinus *pretioſum ſangvinis oſtrum*. Vnde bene Theologi *ſangvinem* Salvatoris noſtri *purpureum* nuncupare ſolent. Sic Prudentius Cathemerin. hymno VI. v. 81. ex Apocalypſi CHRISTVM deſcribit:

Ipſum Tonantis Agnum
De cæde purpurantem.

Quod Tyriam *aſpectu nigricantem* tradit Plinius, id nobis in memoriam revocat jocum Auguſti, de quo Macrobius lib. II. Saturnal. *Cum de Tyria purpura, quam emi juſſerat, obſcuritate quereretur, dicente venditore: Erige altius, & ſuſpice: bis ſalibus uſus eſt. Quid? ergo ut me populus Romanus dicat bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* quem locum illuſtrat Barthius *Animadverſion. ad Statii IV. Thebaid. v. 265.*

CCIV. Ad Tyrium hunc colorem docti quidam viri *φοινικίδα*, ſive *colorem Phœnicium* referunt, eo quod Phœniceus color idem ſit ac *puniceus*, & hic in Tyria purpura maxime eluceat. Quod etſi non negaverim, cavendum tamen eſt, ne hic *Phœniceus*, cum alio phœniceo colore, qui a φοῖνιξ, quod *palmam* denotat, nomen habet, & latinis *ſpadiceus* appellatur, erronee confundatur: quod conſtat A. Gellium feciſſe lib. II. cap. XXVI. qua de alibi diſpiciemus. Heic modo annotamus Lactantium *puniceam* veſtem appellare, de qua ſumus ſolliciti. Verba hæc ſunt lib. IV. cap. XVIII. *Duxerunt ergo CHRISTUM flagellis verberatum; & prius quam cruci affigeretur, illuſerunt: indutum enim coloris punicei veſte, & ſpinis coronatum quaſi Regem ſalutaverunt.*

CCV. De duabus primariis Purpuræ coloribus vidimus. Supereſt ἀλουργίς: quam ſpeciem Artemidorus Ὀνειροκριτ. *lib. II. cap. III.* clare a purpura diſcriminat, cum πορφυρᾶν ἐσθῆτα τὸ αὐτὸ τῇ ἀλουργίδι σημαίνειν ſcribit: hoc e *purpuream veſtem idem portendere, quod Alurgida.* Sed quisnam ille ἀλουργίδος color ſit, non immerito quæritur. Plato in Timæo ait eſſe ἐρυθρὸν μέλανι λευκῷ κεκρα-

γῶν, rubrum cum albo nigroque permixtum: qui color forte fuerit, quem Plinius *auſterum in glauco, & iraſcenti ſimilem mari* tradit lib. IX. cap. XXXVI. Ἀλουργὶς ergò fuerit purpura ex rubro colore ad cœruleum tendens dilutum, qualis eſt maris. Favet huic deſcriptioni ἔτυμον. Eſt enim ἀλουργὶς ἀπὸ τῆς ἁλὸς, *a mari*, non quod ſit quaſi ἁλὸς ἔργον, *maris opus*, quod ex marina concha fiat: quæ eſt auctoris Etymologici Magni ſententia. Nam hoc ἔτυμον omni conveniret pupuræ: ſed quod colorem maris referat. Vide Hadrianum Junium *Animadverſionum lib. II. cap. II.* Et magis adhuc noſtram firmat ſententiam, quod Ἀλουργὶς alio nomine θαλασσία πορφύρα dicatur. Heſychius: Ἁλιπόρφυρα, ἀλουργῆ, τοῦτ' ἔστιν ἐκ θαλασσίας πορφύρας. Diodorus Siculus *lib. XVII.* in Perſepolitana præda multas a Macedonibus militibus direptas veſtes precioſas narrans, τὰς μὲν, ait, θαλασσίαις πορφύραις, τὰς δὲ χρυσοῖς ἐνυφάσμασι πεποικιλμένας: *nonnullas quidem purpura cærulea imbutas, nonnullas vero aureis limbis variegatas.* Recte igitur dixeris τὸ ἀλουργὶς ſumi pro conchyliata purpura, non tam originis, quam coloris ratione. Nam conchæ color ad cæruleum accedit.

CCVI. Mittemus hoc penſum de tribus præcipuis purpurei coloris ſpeciebus, modo addiderimus, quomodo ἀλουργὶς, ſive conchylii color paretur. Præit nobis ad hanc rem Plinius lib. IX. cap XXXIX. *In conchyliata veſte cetera eadem ſine buccino: præterque jus præparatur aqua pro improviſo humani potus excremento: dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera eſuriunt.* Non parum lucis his Plinii verbis acceſſerit, ſi quomodo ea corrigantur, non piguerit videre

apud

Digitized by Google

apud Gvilielmum Budæum *lib. II. de Aſſe*, Cœlium Calcagninum *Epiſtol. Quæſtion. lib. III.* Hadrianum Turnebum *Adverſarior. lib. IX. cap. V.* Jacobum Dalechampium *Annotat. in Plinium.*

CCVII. Atque hæc de tribus eximiis purpurei coloris ſpeciebus dicta ſunto. Nunc porro inquirendum, qualis ſit color *coccineus.* Diximus ſupra colore pupureo paululum fuiſſe dilutiorem, & rubedini roſarum ſimilem. Ita Plinius lib. XIX cap. VIII. *Hos* (colores in veſtibus) *animadverto tres eſſe principales: unum in cocco, qui in roſis micat. Gratius nihil aſpectu. Trahitur is in purpuras dibaphasque Laconicas.* Sequor enim lectionem, quam in veteri codice exſtare ait Dalechampius. Recentiorum alii *rubore clarum*, quidam *faciei humanæ eleganti rubore nitenti ſimilem*, nonnulli *purpureo lucidiorem, & ad flammeum ruborem multo magis accedentem*, aliqui *interiori granatorum rubori parem* dixerunt. Quibus omnibus, uti monet Scaliger Exercitat. CCCXXV. ſect. XIII *Ordo ſtatuendus ex coloris vi inchoata, procedente, vegeta, perfecta, ſatura.* Nempe, ſicuti in purpura, ita quoque in cocco non unus fuit coloris gradus. Fuit clarus & acutus, plurimoque lumine vegetus; fuit & ſaturatior, ac meracius ſuffuſus, eoque obſcurior & auſterior.

CCVIII. Quid vero de eo dicemus, quod ſangvineus etiam color cocco tribuatur? Sic enim Virgilius in Ceiri: *Horrida ſangvineo pinguntur prælia cocco.* Num ergo purpuræ & cocci color idem, contra quam ſententiam hactenus diſputavimus? Reſpondetur, hoc diſtingvi & ſeparari, quod purpureus ad ſangvinis concreti nigrorem proxime accedat. Coccineus autem purpureo clarior ſit, & quaſi puri ſangvinis nitidus color. Germanice

manice diceres *Purpureum*, braunroth/dunckelroth / *Coccineum* vero röthlichhell/hochroth.

CCIX. Hactenus de colorum in Purpura & Cocco differentia. Nunc diſcrimen in uſu oſtendemus. Nimirum Purpura veſtibus Regiis, Conſularibus, Triumphalibus & Imperatoriis apud Romanos, Regiis item apud alias gentes dedicata erat: ſicut ſymbolum etiam dignitatis ac majeſtatis eſſet regiæ: at coccinati impune etiam incedebant privati.

CCX. De Regum Romanorum Purpura Plinius lib. IX. cap. XXXIX. *Purpuræ uſum ſemper Romæ fuiſſe video, ſed Romulo trabeæ.* Iſidorus tamen lib. XIX. cap. XXIV. Coccum Purpuræ jungit: *Trabea,* inquiens, *erat togæ ſpecies ex purpura & cocco, qua operti Romanorum Reges initio procedebant. Hanc primum Romulus adinveniſſe perhibetur ad diſcrimen regii habitus.*

CCXI. De Conſulibus Romanorum purpuratis idem libro XIX. cap. XXXVI. *Huic* (purpuræ) *faſces ſecureſque Romanæ viam faciunt: idemque pro majeſtate pueritiæ eſt. Diſtingvit ab equite Curiam.* Martianus Capella lib. V. de Cicerone: *Alter vero, quem Conſularis purpura & extinctæ conjurationis laurea redimibat.* Atque hic Purpuræ conſularis uſus etiam ſub Imperatoribus manſit. Nam Conſulibus nominatis præbebatur, & mittebatur ab Imperatoribus, ut docet exemplo ſuo Auſonius Gratiarum actione ad Gratianum. Ita *ſuam purpuram* dicit Eidyll. VIII.

Ecce ubi ſe cumulat mea purpura (mitibus audi
Auribus hoc Nemeſis) poſt me dignatur oriri
Auguſtus Conſul.

Sic Ovidius *Fragmento ad Piſonem* Conſulatum ab eo geſtum, indicaturus, hac periphraſi utitur: *Cum*

Digitized by Google

Cum tua biſſenos numeraret purpura faſces:

Eodem modo Florus lib. III. cap. XXI. *ſeptimam Marii purpuram* pro ſeptimo ejus Conſulatu dixit.

CCXII. De purpureo Triumphantium habitu Verrius Flaccus apud Feſtum: *Picta toga quæ nunc dicitur, purpurea ante vocitata eſt, eaque erat ſine pictura; cujus rei argumento eſt in æde Vertumni, & Conſi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera L. Papyrius Curſor triumphantes ita picti ſunt.* Hoc vult Verrius, togam triumphalem primo purpuream fuiſſe, deinde acu pictam. Picta autem toga erat acu elaborata figuriſque phrygio opere diſtincta. Nempe Phrygiones triumphali purpuræ aurum immixtum variis figuris ad inſtar picturæ acu variabant. Vnde Plinius de purpura: *In triumphali auro miſcetur.* ἁλουργίδα χρυσόπαστον appellat Dio lib. LXIII. Suidas interpretatur has veſtes χλαμύδας ποικίλας ἀπὸ χρυσοῦ καὶ πορφύρας, *Chlamydes ex auro & purpura.* Svetonius Neron. cap. XXV. *Introiit Romam eo curru, quo olim Auguſtus triumphaverat, in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde.*

CCXIII. De Cæſarum Romanorum purpura res eſt ex Svetonio & ceteris Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptoribus notiſſima, ut non neceſſe habeam ex illis quædam huc transſcribere. Hinc etiam Cæſares κατ᾽ ἐξοχὴν *Purpurati* dicti. Vulcatius Gallicanus in Avidio Caſſio: *Propoſui, Diocletiane Auguſte, omnes, qui Imperatorum nomen, ſive juſte, ſive injuſte habuerunt, in litteras mittere, ut omnes Purpuratos Auguſtus* (ſic pro *Auguſtos* legendum cenſet Barthius Adverſar. *lib. X. cap. XXI.*) *cognoſceres.*

CCXIV. De Conſtantinopolitanorum Cæſarum veſtibus purpureis pleni ſunt omnes Hiſtoriæ Byzantinæ

 ſcripto-

ſcriptores. De *Calceis* eorum *purpureis*, qui *Campagi* & *Tzanga* vocabantur, prolixe agemus alibi. Illud ſingulare eſt, quod iisdem Græcis Cæſaribus atramenti loco purpuræ ſanies fuerit: id quod ex Nicetæ vita Manuelis lib. I. apparet. Addam de eo exemplum aliud, quod exhibet Gvilielmus Neubrigenſis *Rerum Anglic. lib V. cap. XIV.* His *diebus ad Europæ Principes Epiſtolæ Senis montani venerunt; ſic enim non pro ætate, ſed quaſi pro ſapientia & gravitate per ſucceſſiones ſe nuncupat Princeps cujusdam gentis Orientalis, quam Hanſeſiſios vocant. Erant autem eædem Epiſtolæ ſcriptæ non atramento, ſed re multum inuſitata, ſangvine ſcilicet muricis, ſicut ipſa indicabant. Has nimirum ſe vidiſſe atque legiſſe vir fide dignus mihi proteſtatus eſt, cum Regi Francorum Pariſiis ſolemniter fuiſſent oblatæ.*

CCXV. De Perſicorum Regum purpureis indumentis conſulendus eſt Barnabas Briſſonius eleganti opere de *Regio Perſarum Principatu.*

CCXVI. Merito igitur ab Herodiano βασιλεῖ@. & βασιλικὴ vocatur *Purpura*, & Virgilius non ſemel *Purpurum Regum* decantavit. Vnde Statius lib. VI. Thebaid. *Cultus inſignia regni Purpureos* memorat, & Lactantius lib. IV. cap. VII. *Purpuræ indumentum inſigne regiæ dignitatis aſſumtæ* tradit, *Regesque* ipſos *purpureos* ſalutat Claudianus lib. II. de Raptu Proſerpinæ:

Sub tua purpurei venient faſtigia Reges.

Et Sidonius *Purpureos viros* pro regalibus, regno dignis venditat. *Purpureos Fortuna viros cum murice ſemper Proſequitur.*

CCXVII. Et ut hoc inſigne regalis ac Cæſareæ dignitatis tanto foret conſpectius, Purpuræ uſus privatis hominibus

nibus ſeveris legibus interdicebatur, adeo ut nec fucandæ, nec diſtrahendæ illius facultas ipſis permitteretur. Ita enim leg. I. Cod. *Quæ res venire non poſſunt*, Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius reſcripſere. *Fucandæ atque diſtrahendæ purpuræ, vel in ſerico, vel in lana, quæ blatta, vel oxyblatta, atque hyacynthina dicitur, facultatem nullus poſſit habere privatus. Sin autem aliquis ſupra dicti muricis vellus vendiderit, fortunarum ſuarum & capitis ſciat ſe ſubiturum eſſe diſcrimen.* Vide etiam l. III. IV. & V. Cod. *de Veſtibus Holoveris:* quæ quales fuerint, (ut hoc in tranſcurſu addam) ſollicite inquirunt Turnebus *Adverſarior. lib. I. cap. XIII.* Petrus Faber *lib. I. Semeſtrium cap. XVI.* Caſaubonus & Salmaſius *Notis in Pollionem*, & hic iterum in *Plinianis Exercitationibus*, Demſterus *ad Roſini Antiquitat. Roman. lib. V. cap. XXXI.* Octavius Ferrarius *de Re Veſtiaria lib. II. cap. IX.*

CCXVIII. Imo qui abſque ſingulari permiſſu affectaſſet purpuram, læſæ majeſtatis reus habebatur. Id colligere licet ex Sidonii Apollinaris *lib. I. Epiſt. VII.* ubi ad Vincentium ſcribit de Arvanto: *Tum demum laborioſius tarda pœnitudine loquacitatis impalluiſſe perhibetur, ſero cognoſcens, poſſe reum majeſtatis pronunciari etiam eum, qui non affectaſſet habitum purpuratorium.* Chryſoſtomus Orat. de Anathemate: Ὁ περιθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων, αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες, ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται. *Quisquis privatus exiſtens regiam purpuram induerit, & ipſe, & ejus complices tanquam tyranni capitali pœna afficiuntur.* Et Svetonius in Nerone cap. XXXI. ſcribit, matronam quandam, quod purpura uſa eſſet, non veſte tantum, ſed bonis cunctis exutam. Quo forte & illud referas, quod Ammianus lib. XVI. de adultera refert, quæ *poſt nefandum concubitum ſvaſit conſar-*

conſarcinatis mendaciis læſa majeſtatis arceſſere maritum inſontem & fingere, quod velamen purpureum a Diocletiani ſepulcro furatus, quibusdam conſciis occultaret.

CCXIX. Hodie hac ſeveritate non opus amplius, poſtquam hoc tincturæ genus, quod per totum terrarum orbem, tot ſecula nobilitatum, & omnibus prope mortalibus notum fuit, adeo penitus interiit, ut nec ratio ejus reparandi ulla ſuperſit. Cauſam hujus rei ſe ignorare ſcribit Cardanus *de Subtilitate* lib. IV. Nierembergius vero *de Miraculoſis Terræ Promontoriis cap. XCIII.* cauſam hanc exiſtimat, quod Turcæ aliique Barbari Syriam, in qua Purpura reperitur, occuparint. Sed recte objicit Clariſs. Dn. Major Annotat. ad Columnn. XIV. §. VII. *Quaſi vero* (hi barbari) *vel Italiam etiam occupaſſent Purpurarum captu itidem non ignobilem: vel in ipſa Syria bodie faſtus & avaritia non æque etiamnum ac in Europa noſtra regnet, Orientalibusque ingenia deficiant, aliquid, unde diteſcere poſſint, inveniendi, vel aliorum ibi inventa utilia altius altiusque evehendi.*

CCXX. Ceterum non perinde prohibitæ fuerunt veſtes coccineæ. Nam Martialis lib. V. coccinatum nobis ſiſtit Euclydem quendam:

Cum ſibi redire de patruelibus fundis
Ducenta clamet coccinatus Euclides.

Et alibi: *Cocco mulio fulget incitatus.*

Alio loco ait a zoilo fingi morbum, ut occaſionem habeat oſtentandi coccina ſtragula. Imo & coccineas veſtes & pauperiores geſtabant, & quidam vix tribus nummis æſtimatas, ut jocatur Martialis *lib. II. Epig. XLIII.*

Miſit Agenoridæ Cadmi tibi terra lacernas:
Non vendes nummis coccina noſtra tribus.

CCXXI.

Digitized by Google

CCXXI. Differentia Pupuræ & Cocci, Pupurei & Coccinei coloris luculenter fuit expoſita. Quibus nunc addendum, in tanto divortio in eo tamen convenire, quod in utroque rubeus cerneretur color. Hinc tam Purpuræ, quam Cocco rubedo a veteribus tribuitur. De Purpura Martialis lib. V. Epig. VIII.

Phaſis purpureis ruber lacernis.

Statius lib. II. Sylv. I. — *nunc dulce rubenti*
Murice, nunc vivis digitos accendere gemmis
Gaudebat.

Auſonius in pulcherrima Roſarum deſcriptione:

Hæc viret anguſto foliorum tecta galero.
Hanc tenui folio purpura rubra notat.

Galatiæ *Cocci granum rubens* Plinius dixit lib. IX. cap. XLI. quem locum forte in animo habuit Tertullianus in *de Pallio* ſcribens: *Latioris purpuræ ambitio, & Galatici ruboris ſuperjectio Saturnum commendat.* Nam *Galaticus rubor* ibi eſt color coccineus, quod Galatiæ frequens ſit. Sic Horatius *lib. II. Serm. Sat. VI.*

—— *rubro ubi cocco*
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

CCXXII. Cum vero coccineus color ſuos quoque haberet gradus, & nunc clarior eſſet & ſplendidior, nunc obſcurior, alius ad alia purpuræ genera propius acceſſit. Atque hinc eſt, quod cum propter iſtam rubedinem affines eſſent colores, promiſcue interdum uſurpentur Coccus atque Purpura. Horatius certe, ubi in convivio illo muri agreſti ab urbano præbito ſtragulam veſtem, ceu jam ſpectavimus, fecerat coccineam, mox in pupuream convertit: *Ergo uti purpurea porrectum in veſte locavit.* Paludamentum Imperatorium purpurei coloris fuiſſe,

 certum;

Digitized by Google

certum; at idem tamen coccineum faciunt alii. Plinius *lib. XXII. cap. XII.* Coccum Imperatoriis paludamentis dicatum ſcripſit *lib. XXII. c. II.* Porphyrion ad illa Horatii *lib. Epodon. Od. XX.* de fugiente M. Antonio Imperatore: *Terra marique victus hoſtis Punico*

Lugubre mutavit ſagum:

hæc commentatur: *Hoc eſt, depoſuit coccineam chlamydem Antonius, qua ſcilicet Imperator utebatur, & accepit lugubrem, id eſt, nigram.* Scholiaſtes Juvenalis ad Sat. III. *Coccina lana, purpura qua divites olim utebantur.*

CCXXIII. Jam tempus exigit, ut ea exponamus, quæ ad conciliandos Evangeliſtas faciunt. Et primum quidem exiſtimandum eſt, CHRISTVM non veſte pretioſa, aut quæ nobili purpuræ tincta liquore, indutum fuiſſe; ſed ejus coloris, quæ purpuram mentiretur. Nam cum χλαμύδα Matthæus appellet, ac illa non tantum Imperatorum, ſed etiam Tribunorum, & gregariorum militum fuerit, non probabile eſt, ſplendidum aliquod & eximium paludamentum CHRISTO circumjeciſſe milites, ſed potius ſatellitum alicujus, aut lictorum, aut ordinum ductoris in præſidio Romano militantis.

CCXXIV. Ruſſeus igitur, hoc eſt, ſubrufus, rutilus chlamydi huic militari fuit color, quales tunicæ militibus quotannis dari ſolebant: ut colligere eſt ex Pollionis *Claudio cap. XIV.* quem colorem militibus gratum tradit Martialis ſequenti Epigrammate:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis

Et placet hic pueris militibusque color.

Et Iſidorus lib. XIX. c. XXII. refert, *Romanos milites ſub Conſulibus ruſſata veſte uſos; unde etiam ruſſati ſint vocati.* Quam ſententiam etſi convellere, ac Iſidori auctoritatem

elevare

elevare conatur Ferrarius *de Re Veſtiaria parte II. lib. III. cap. IV.* nobis tamen (quod pace ſummi in his literis viri dictum) argumenta tanti non videntur, ut eidem aſſentiamur. Quis enim credat albatos, prout in urbe verſari moris, etiam in præliis egiſſe? Ducibus quidem relinquit rubentem habitum Octavius: & qui poterat aliter in tanto affirmantium conſenſu? Verum & militibus gregariis, certe illorum plurimis rubentem colorem fuiſſe in deliciis, ex his aliisque veterum dictis clarum, nec opus eſſe putaverim hic tempora tam ſollicite diſtingvere.

CCXXV. Quamobrem ſic ſtatuimus, CHRISTI chlamydem nequaquam precioſo conchylii ſucco imbutam; ſed ſimpliciter fuiſſe rubram, ut erant veſtimenta militaria, ac per notiſſimam ſynecdochen pro genere hic uſurpari ſpeciem. Nam quia color primo purpureus fuit, etiam plures rubri coloris poſtquam ſunt inventæ differentiæ, quicquid rubebat, purpureum ſæpius fuit vocatum. Hinc Roſis, Auroræ, Genis, Labiis aliisque rebus purpureum colorem attributum deprehendimus. De *Roſis* Virgilius in *Culice:*

Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore.

Horatius l. III. Od. XV. *Nec flos purpureus roſæ.*

De *Aurora* Ovidius l. III. Metam.

Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ Auroræ.

Dracontius *Opere VI. dierum:*

Aſt ubi purpureum ſurgentem ex æquore cernunt
Luciferum vibrare jubar, flammasque ciere.

Ovidius purpureas depingit *Genas* lib. I. Triſtium:

Purpureas tenero pollice tange genas.

Et jam ante Virgilius l. I. Æn. v. 594. juvenile decus genarum his verbis deſcribit:

— *Lumenque juventæ*
Purpureum & lætos oculis afflavit honores.

Idem de *Labiis* eodem libro:

Illic purpureis condatur lingua labellis.

Ora purpurea Virgilius decantavit lib. XI. Æn.

— *Purpureus quondam color ora reliquit.*

Muſtum purpureum præconem habet Nemeſianum *Ecloga III.* *Collibus in ſummis crebro pede rumpitur uva,*
Udaque purpureo ſparguntur pectora muſto.

CCXXVI. Eodem modo coccineam apud Matthæum dictam putamus chlamydem, non quod imbuta cocco eſſet, ſed quod coccineum colorem referret.

CCXXVII. Hac ratione commodiſſime hanc controverſiam de chlamydis CHRISTI colore componi poſſe arbitramur, ut non ſit neceſſe ad diverſa veſtimenta confugere. Jam olim tamen ſuſpicatus eſt Ambroſius in cap. XXIII. Lucæ, has veſtes fuiſſe diverſas, ac utraque CHRISTUM fuiſſe veſtitum. Verba Ambroſii hæc ſunt: *Quare in Matthæo, invenies penes ipſum ſolam chlamydem coccineam, penes Johannem veſtem purpuream, penes Marcum purpuram tantum.* Idem conjicit Ludovicus de Dieu in cap. XIX. Johannis, cui viſus eſt aliud dicere Matthæus, aliud Marcus & Johannes. Hilarius quoque duplex veſtimentum videtur facere. Nam *Commentar. in Matth. can. XXXIII.* inquit: *Caſo deinde Domino imponitur chlamys coccinea & veſtis purpurea.* Ex quo hæc myſtica poſtea elicit: *Omnium deinde martyrum, quibus regnum ſecum erat debitum, ſanguine in cocci colore perfunditur precioſoque Prophetarum ac Patriarcharum in purpura honore veſtitur.*

CCXXVIII. Tum illi quoque longius videntur abire,

abire, qui chlamydem CHRISTI purpuream & coccineam volunt dictam, quod ejus vicem ſuſtineret: laudantque hanc in rem ſequentia Senecæ ex *lib. V. de Beneficiis cap. XIII.* *Quædam etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem eodem vocabulo comprehenſa ſunt. Sic pyxidem & argenteam & auream dicimus: ſic illiteratum, non ex toto rudem, ſed ad literas altiores non perductum: ſic qui male veſtitum & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit.* Enimvero exempla a Seneca allata uſus loquendi jam confirmaverat: id quod de aliis, quorum ſimilia non reperire licet, haut temere aſſerueris. Chlamys fortaſſe dici potuiſſet formatum in figuram chlamydis qualecunque veſtimentum, etiam papyraceum vel ſtramineum; ſed coccineum & purpuereum, niſi rubri fuerit coloris, non item.

CCXXIX. Elegans & docta quorundam eſt ſuſpicio, chlamydem CHRISTI coccineam & purpuream nominari, quod in extrema ora limboque purpuram prætextam ſive circumtextam habuerit. Quale genus veſtimenti Latini *Prætextam* Græci περιπόρφυρον dixerunt. Eam puerilis ætatis, Sacerdotum, Magiſtratuum fuiſſe peculiarem, magna nube teſtimoniorum, ſi id nunc ageremus, oſtendere liceret. Sufficiet hoc unicum Quintiliani: *Allego vobis etiam ipſum illud ſacrum prætextarum, quo Sacerdotes velantur, quo Magiſtratus, quo infirmitatem pueritiæ ſacram facimus ac venerabilem.*

CCXXX. Et ſane hæc ſententia eo confirmari poſſet, quod non tantum his Prætextis purpureus color tribuatur, ſed & non raro Purpura ἁπλῶς deſignet hanc Prætextam. De puerili *Prætexta* Perſius Sat. V.

Cum primum pavido cuſtos mihi purpura ceſſit.

 Eandem

Digitized by Google

Eandem Horatius *Epod. Od. V.* vocat *inane purpuræ decus.* Sacerdotalem Plinius intelligit, cum ait, *Purpuram placandis Diis advocari* lib. IX. cap. XXXV. Et quis non Veterum de Magiſtratuum *purpura?* hoc eſt, de toga illorum prætextata.

CCXXXI. Attamen quia hæ Prætextæ Veterum ut plurimum fuerunt elegantes, nec credibile eſt, huic, quam cum CHRISTO luſerunt, fabulæ, comtum aliquod & & nitidum, quodque ſpineæ coronæ ſceptroque arundineo non reſponderet, veſtimentum dedicaſſe irriſores milites, noſtrum calculum huic opinioni non ſubjicimus.

CCXXXII. Atque hoc argumentum etiam contra illos urgemus, qui *coccineum* & *purpureum* pro quovis ſplendido pulchroque colore accipiunt: niſi quis ex eo pulchram cenſeat dici chlamydem, quod cum recens tingeretur, ſua pulchritudine fuiſſet commendabilis. Quamvis hoc quam longe ſit petitum, unicuiq; patere exiſtimo.

CCXXXIII. Quod vulgare & vetuſtate tritum fuerit veſtimentum, ex eo quoque colligimus, quod non facile aliquis permiſiſſet conſpergi illud multo ſangvine.

CCXXXIV. Elegans tamen eſt conjectura, eo forte milites, cum rubra chlamyde CHRISTVM induerent, ſpectaſſe, ut ſangvis ex vulneribus ſcaturiens in illa veſtimenti rubedine minus adverteretur, aliique ad ipſius adſpectum nullo miſericordiæ ſenſu tangerentur. Sic olim Lacedæmonii, Valerio teſte, lib. II. cap. VI. *ad diſſimulandum & occultandum vulnerum ſuorum cruorem, puniceis in prælio tunicis utebantur; non, ne ipſi aſpectus ejus terrorem, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret:* quo de more etiam legendi Plutarchus in *Inſtitutis Laconicis*, & Ælianus *Var. Hiſtor. lib. VI. cap. VI.*

Digitized by Google

CCXXXV. Ridiculè vero Cornelius a lapide *Commentar. in Matthæum*, purpureum Cardinalium Romanorum habitum ad purpuream Salvatoris noſtri chlamydem refert. Rectius celeberrimus ille Jureconſultus, & Regis Hiſpaniarum in Brabantia Conſiliarius, B. Johanni Erneſto Gerhardo, in exquiſitis ad *Matthæum Analectis* memoratus, *ideo Cardinales purpuream geſtare* dixit *tunicam, quod ſangvinem ſpirent, hoc eſt, in id intenti ſint, quo bellis omnia turbent.*

CCXXXVI. Concludimus hanc diſſertationem aureis Theophylacti *in Matthæum*: Chlamys *coccinea naturam noſtram ſignificat, quam cum ſangvinaria eſſet & cædis rea, ſuſcepit, & induens ſanctificavit.*

CCXXXVII. Novum nunc ſequitur ludibrii genus, impoſitio nempe coronæ, quam triga ſanctorum Evangeliſtarum nobis ſiſtit. Matthæus nimirum his verbis cap. XXVII. καὶ πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν ἐπέθηκαν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Marcus ſequentibus cap. XV. καὶ περιτιθέασιν αὐτῷ πλέξαντες ἀκάνθινον στέφανον. Johannes denique iſtis cap. XIX. καὶ οἱ στρατιῶται πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, ἐπέθηκαν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ.

Matth. XXVII. v. 29. *Marc. XV. 17.* *Joh. XIX. v. 2.*

CCXXXVIII. Qui confecerunt, & JESV CHRISTI capiti coronam illam impoſuerunt, στρατιῶται dicuntur S. Johanni. Nempe fuerunt milites Romani ex cohorte procul dubio prætoria, ſuper porticum templi diebus feſtis excubante, ad templi totiusque urbis cuſtodiam.

CCXXXIX. Nonnullis admodum videtur probabile, hos milites Romanos communi deceptos fuiſſe errore, Imperium Romanum invictum & æternum fore; adeoque omnes illos qui in Imperii illius majeſtatem cogi-

tarent aliquid aut molirentur, omni contumelia atque irriſione dignos judicaſſe. *Coronam* igitur CHRISTO impoſuerunt, ut Regi, *ſpineam*, ut Regi miſerabili.

CCXL. Nemo hic a me exſpectet longam de Coronis Veterum hiſtoriam. Suffecerit juſtum Caroli Paſchalii, Galliæ Regis in ſacro Conſiſtorio Conſiliarii & apud Rhætos legati volumen X. libris diſtinctum, annoque cIↄ Iↄc LXXI. Lugduni Batavorum recuſum; & alia minora Antonii Thyleſii, Proſperi Stellartii, Johannis Meurſii, Johannis filii *de Coronis*, ac Joachimi Johannis Maderi *de Nuptialibus Coronis* opuſcula laudare: quippe quibus res fere omnis coronaria e priſcorum eruta & collecta monimentis continetur.

CCXLI. Neque eſt cur longis logis comprobem, Coronas ab antiquo usque in præſens ævum inſigne dignitatis ac majeſtatis regiæ fuiſſe: cum illud ſeptuennibus etiam pueris perſpectum ſit. Vnde & ipſum *Coronæ* nomen pro regno nonnunquam per metonymiam uſurpatur.

CCXLII. Cur vero in regium inſigne potiſſimum delecta fuerit Corona, variæ habentur conjecturæ, quas fuſe explicat Paſchalius *lib. IX. cap. VII. IX. & XII.* Placet autem illa Johannis Loccenii *Antiquitatum Sveo-Gothicarum lib. II. cap. IX.* quod *velut Corona forma circularis eſt, quæ figura abſolutiſſima & in ſeſe reflexa, nusquam incipit, nusquam deſinit; ita monarchiam vel regnum, ſi recto ſtet talo, formam eſſe Reip. optimam & præſtantiſſimam, quæ ſubſidiis ſucceſſorum munita, ſemper in orbem redeat & quaſi immortalis ſit.*

CCXLIII. Quæ de circularis formæ præſtantia ac perfe-

perfectione affert Loccenius, ea illuſtrabo inſigni loco Ciceronis ex *libro II. de Natura Deorum* excerpto. *Quid pulchrius ea figura, quæ ſola omnes alias figuras complexa continet, quæq; nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens nihil lacunoſum? Cumque duæ formæ præſtantes ſint, ex ſolidis, Globus (ſic enim σφαῖραν interpretari placet) ex planis autem circulus, aut orbis, qui κύκλος Græce dicitur: his duabus formis contingit ſolis, ut omnes earum partes ſint inter ſe ſimillimæ, a medioque tantum abſit extremum, quantum idem a ſummo, quo nihil fieri poteſt aptius.*

CCXLIV. Nunc propius accedemus ad Coronam CHRISTI, & in ejusdem materiem paulo ſollicitius inquiremus.

CCXLV. Ex *junco marino* eam fuiſſe contextam, Vincentii Lerinenſis, Hugonis Cardinalis, Auctoris Hiſtoriæ Scholaſticæ, Lyrani, & ex junioribus Toletii Pererii & Salmeronis eſt opinio.

CCXLVI. Auctoris Hiſt. Schol. verba hæc ſunt: *Qui attentius conſideraſſe ſe dicunt illas ſpinas, afferunt fuiſſe juncos marinos, quorum acies non minus, quam ſpina pungit.* Lyra in Matthæum ita commentatur: *Et plectentes coronam de ſpinis; id eſt, de juncis marinis ad modum ſpinarum acutis. Et ego qui hæc ſcripſi, audivi a quodam, qui fuerat ultra mare cum Sancto Ludovico Rege Franciæ, quod in littore maris ſenſerat puncturas juncorum per ſotulares intermedios.* Idem ad Johannem: *Et milites plectentes coronam de ſpinis; id eſt, de juncis marinis ad modum ſpinarum duris acutis.* Nec abit ab hac ſententia Villamontius in *Itinerario Terræ Sanctæ* ſcribens, *ſe CHRISTI coronam, quæ quum crucifigendus eſſet, ipſius capiti fuerit im-*

poſita, vidiſſe, eamque non e dumis, vepribus, aut paliuris, ſed juncis marinis fuiſſe contextam.

CCXLVII. De junci marini ſpeciebus inſignis locus eſt apud Plinium *Nat. Hiſtor. lib. XX. cap. XVIII.* Alterum *genus juncorum*, inquit, *aquaticum faciunt, quod & a Græcis ſchœnon vocari invenio.* Sic nimirum emendavit Jacobus Dalechampius, cum antea legeretur: *Alterum genus juncorum facit, quod marinum, & a Græcis oxyſchœnon vocari invenio.* Pergit Plinius: *Tria genera ejus: acuti, ſterilis, quem marem & oxyn Græci vocant: reliqua fœminini, ferentis ſemen nigrum, quem melancranin vocant. Craſſior hic & fruticoſior. Magisque etiamnum tertius, qui vocatur holoſchœnos. Ex his melancranis ſine aliis generibus naſcitur. Oxys autem & holoſchœnos eodem cæſpite. Vtiliſſimus ad vitilia holoſchœnos. Quia mollis & carnoſus eſt. Fert fructum ovorum cohærentium modo. Naſcitur autem is, quem marem appellamus, ex ſemetipſo cacumine in terram defixo: melancranis autem ſuo ſemine. Alioquin omnium radices omnibus annis intermoriuntur. Vſus ad naſſas marinas, vitilium elegantiam* (alii: *vitilium elegantium nexus*) *lucernarum lumina, præcipua medullæ, amplitudine juxta maritimas Alpes tanta, ut inciſo ventre impleant pœne unciarum latitudinem, in Ægypto vero cribrorum longitudinem, non alias utiliorem.* Vltima Plinii procul dubio in mendo cubant: quapropter ſic reſtituenda cenſuit Janus Cornarius *Emblemat. ad Dioſcoridem de materia medica lib. IV. cap. XLII. Amplitudine juxta maritimas Alpes tanta ut inciſo ventre impleant denum unciarum latitudinem: in Ægypto vero cybiorum longitudinem, non aliis utiliorem.*

CCXLVIII. Ceterum quia hæc Pliniana maximam

Digitized by Google

partem ex Theophraſti *Hiſtoriæ Plantarum* ſunt expreſſa ad iſtum fontem lectorem noſtrum deducemus. Sic autem ille *lib. IV. cap. XIII.* καταλοιπὸν δὲ, εἰπεῖν, ὡς ἂν ἐκ τοῦ γένους λέγοντα, περὶ σχοίνου. Καὶ γὰρ καὶ τοῦτο τῶν ἐνύδρων θετέον. ἔστι δὲ αὐτοῦ τρία εἴδη, καθάπερ τινὲς διαιροῦσιν. ὅ, τε ὀξὺς καὶ ἄκαρπος, ὃν δὴ καλοῦσιν ἄρρενα, καὶ ὁ κάρπιμος, ὃν μελαγκρανισμὲν καλοῦμεν, διὰ τὸ μέλανα τὸν καρπὸν ἔχειν. Παχύτερος δὲ τούτου, καὶ σαρκωδέστερος. καὶ τρίτος τῷ μεγέθει καὶ τῇ παχύτητι καὶ τῇ σαρκίᾳ διαφέρων, ὁ καλούμενος ὁλόσχοινος, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φύονται, ὃ καὶ ἄτοπον φαίνεται, καὶ θαυμαστὸν ἐνιδεῖν, ὅλης κοσμηθείσης τῆς σχοινίας. οἱ πολλοὶ γὰρ ἦσαν ἄκαρποι, πεφυκότες ἐκ τοῦ αὐτοῦ. κάρπιμοι δὲ ὀλίγοι. τοῦτο μὲν οὖν ἐπισκεπτέον. ἐλάττους γὰρ ὅλως οἱ καρποί. Πρὸς γὰρ τὰ πλέγματα χρησιμώτερος ὁ ὁλόσχοινος, διὰ τὸ σαρκῶδες καὶ μαλακόν.

CCXLIX. His jungemus Dioſcoridem, qui *Junci marini* hiſtoriam ſic expreſſit *de materia medica cap. XLII.* ſive juxta alios L. Ὀξύσχοινος, οἱ δὲ σχοῖνος λεία. οἱ δὲ ὀξυπτέρος. οἱ δὲ ὀφρὺς ἡλίου. Ῥωμαῖοι Ἰοῦγκουμ μαρίνουμ. Οἱ δὲ ἰοῦγκουμ μανουάλεμ. Ἄφροι χοῦδουα. Τούτου διττὸν εἶδος· τὸ μέντοι αὐτοῦ καλεῖται σχοῖνος λεία. Τὸ δὲ ὀξύσχοινος ἀπόξυς ἐπ' ἄκρου. διττὸν δὲ καὶ ταύτης εἶδος, ἡ μὲν γὰρ ἄκαρπος. ἡ δὲ καρπὸν μέλανα ἔχει περιφερῆ. Παχύτεροι δὲ ταύτης οἱ κάλαμοι, καὶ σαρκωδέστεροι. ἔστι δὲ καὶ τρίτη πολλῷ σαρκωδεστέρα καὶ τραχυτέρα τοῖν δυοῖν, ὁλόσχοινος λεγομένη. ἔχει δὲ αὐτὴ καρπὸν ἐπ' ἄκρου ὅμοιον τῷ πρὸ αὐτῆς. *Oxyſchœnon, ſunt qui a lævore levem ſchœnum, qui oxypteron, qui ſolis ſupercilium vocent. Romani juncum marinum appellant, aliqui vero juncum manualem, Afri cadua. Duplex ejus genus eſt. Unus vocatur juncus lævis; alter juncus acutus, qui in ſummo acumen habet. Duplex autem & hujus ſpecies eſt. Alter enim ſterilis eſt: alter ſemen habet rotundum, nigrum.*

Et

Et hujuſs calami craſſiores ſunt carnoſioreſque. Eſt & tertium genus multo carnoſius & aſperius, quam illa duo, qui vocatur boloſchœnos, hoc eſt, juncus totus. Habet & hic ſemen in cacumine, ſimile præcedenti.

CCL. Quantum igitur ex *junci marini* deſcriptionibus liquet ad patrocinium illius ſententiæ, quæ ex junco plexam CHRISTI coronam perhibet, videtur facere, quod juncus marinus mas acutam habeat cuſpidem, ſic ut eo nomine etiam ὀξύσχοινος vocatus fuerit.

CCLI. Verum etſi in thyrſum, ſeu acumen deſinit marinus ille juncus, tamen quia cuſpis iſta, quæ ex acuminato folio emergit, magnopere non poteſt lædere, nomen ſpinæ nunquam merebitur. Quia igitur nihil damni ſervatoris intuliſſent capiti hæ cuſpides, quod tamen maxime affligere in animo militum ſedebat, nihil præſidii his in cuſpidibus invenient, qui pro marino junco militant.

CCLII. Quod vero ad puncturas juncorum, quas Ludovicus Franciæ Rex in littore per ſotulares ſenſit, attinet, credibile eſt, ab ima juncorum parte, quam paulo duriorem referunt, profectas.

CCLIII. Ad hæc quia unam tantum ſinguli junci habent cuſpidem, quam multis opus fuiſſet juncis, qui caput undique ambiiſſent.

CCLIV. Nec eſt quod quis excipiat, junco marino abundaſſe Syriam. Etenim Syria pluſcularum herbarum fuit ferax; & adhuc rariorum copia luxuriavit: quas tamen ad coronam CHRISTI lectas, non auſus eſt aſſerere.

CCLV. Denique nec verbum πλέξαντες, qua tres Evangeliſtæ uſi, labantem hanc ſententiam ſuſtinebit.

CCLVI. Non diffiteri quidem poſſumus, id verbi locum proprie habere in vitilibus, ad quæ juncus eſt accommo-

Digitized by Google

commodatiſſimus: attamen non de ſolis vitilibus accipitur, ſed de alia quavis materia, quæ flecti poteſt, & in coronam necti. In hac claſſe ſunt ſeu folia, ſeu rami cujuscunque plantæ ſeu arboris, quæ ob ætatem inflectuntur, ſive ex vitilium ſint genere, ſive ſpinarum.

CCLVII. Comprobabimus hoc exemplis. Ariſtophanes in *Theſmophoriis*:

> Ἀλλ' εἰς ἀγορὰν ἄπειμι, δεῖ γὰρ ἀνδράσι
> πλέξαι στεφάνους συνθηματιαίους εἴκοσι.
> *Verum ego in forum abeo. Oportet enim viris*
> *Plecti coronas Synthematicas viginti.*

Dioſcorides de lychnide coronaria *lib. III. cap. CV.* Ἄνθος ἐστὶν πλεκόμενον εἰς τὰ στέφανα. *Flos texitur in coronis.* Sic Chryſoſtomus alicubi dixit: ἐπλάκησαν οἱ στέφανοι. *Coronæ ſunt contextæ.* Lucretius quoque lib. V. *plexas corollas* nobis ſiſtit.

> *Tempora pingebant viridantis floribus herbas.*
> *Tum joca, tum ſermo, tum dulces eſſe cachinni*
> *Conſuerunt: agreſtis enim tum muſa vigebat:*
> *Tum caput, atq; humeros* plexis *redimire* corollis,
> *Floribus, & foliis laſcivia læta monebat.*

CCLVIII. Sic peculiare genus Coronarum erat, quod πλεκτὸν Græcis, Latinis *plectiles* audiebat: de quo vide Hadrianum Turnebum *Adverſarior. lib. XIIX. cap. XXIX.* Hieronymum Mercurialem *Variarum Lectionum lib. III. cap. IX.* Iſaacum Caſaubonum *Animadverſion. in Athen. lib. II. c. X.* Carolum Paſchalium *de Coronis lib. I. cap. XIII.*

CCLIX. Græco πλέκειν bene etiam reſpondet latinum *nectere*, quod non raro de *Coronis* uſurpatur. Horatius lib. I. Od. XXXVIII.

Digitized by Google

Diſplicent nexa philyra coronæ.

Et lib. IV. od. XI. —— *Eſt in horto*

Phylli nectendis apium coronis.

Manilius lib. V.

Aut varios nectet flores, ſertisque locabit.

Apulejus lib. II. Metam. *Individuo nexu coronæ totis floribus, totisque conſtructa pomis adhærebat.* Tertullianus de Corona militis: *Hoc ſint tibi flores & inſerti & innexi & in filo, & in ſcirpo, quod liberi, quod ſoluti.*

CCLX. Septuaginta Interpretes verbum πλέκειν uſurpant Exodi XXVIII. 14. pro עָבַת *denſavit complicando, contorſit*: ſicut ſolent funes ſeu frondes complicatione denſari. Vnde apparet, hanc vocem non ſolum de vitilibus juncis, ſed in genere uſurpari pro nexu & textura ex quavis materia.

CCLXI. Quæ cum ita ſe habeant, merito rejicimus eorum ſententiam, qui ſpineam Domini coronam e junco marino, quem Græci ὀξύσχοινον vocant, contextam fuiſſe putarunt. Quamobrem agnita hujus ſententiæ imbecillitate, Martinus Delrio lect. IX. de Paſſione teſtatur, *ſe non ſemel luſtraſſe oculis ſuis magnam illam coronæ partem quæ Pariſiis in S. ſacello aſſervatur.* Et *alibi multas earum ſibi viſas* affirmat, *nil quidquam tamen cum juncis marinis commune habentes.*

CCLXII. Jacobus Janſonius libro, qui inſcribitur *Vitta coccinea,* ut juncum marinum expungat, *veprem* videtur admittere, in quo aries ille Geneſ. XXII. v. 13. cornibus hæſit.

CCLXIII. Verum diſerte ibi *veprium* non fit mentio. בִּסְבַךְ ſonat. *In perplexitate,* vel *denſitate.* Eſt enim סְבַךְ a radice סָבַךְ *implexum, perplexum eſſe.* Licet vero

aliquid

aliquid ibidem ſubintelligendum, malim tamen eos ſequi, qui *perplexitatem ramorum arboris*, quam *veprium* intelligant. Quem in ſenſum ex Kimchii libro *Radicum* Auctor *Michlal Jophi* ſcribit: סבך *ſignificat ramorum intricationem, perplexitatemque. Significationis fundamentum eſt, quod ita vocatur ramus, quia rami implicati invicem permiſcentur.* Eadem vox ס in ש mutato reperitur II. Sam. XIIX. 9. de quercu perplexis retium in morem ramis, ex qua pependit Abſolon.

CCLXIV. Septuaginta Interpretes loco laudato Geneſ. Ebræam vocem retinuerunt, ἐν φυτῷ Σαβὲκ: quod merito culpant eruditi, ac inter eos B. Salomon Glaſſius *Grammat. Sacra lib. IV. Tract. III. Obſerv.* VI. & Sixtinus ab Amama in *Antibarbaro Biblico*. Quamquam Patronum nacti ſunt Iſaacum Voſſium, qui cap. XII. libri *de LXX. Interpretum verſione* hæc ſcribit: *Sabec ſpinoſæ plantæ nomen eſſe, minime dubitamus. Sed vero cum præter rubos, vepres & rhamnos multa præterea aliæ ſpinoſarum arborum genera in montibus Iſraeliticis provenient, recte omnino fecerunt interpretes, quod Hebræam vocem retinuerint.* At cum certiora habeamus, ut ad ignota hæc & perplexa devolvamur, cauſæ nihil video.

CCLXV. Quam vero plantam LXX. & Athanaſius appellant, Theodoretus quoque nomen eſſe proprium arboris putat: a quo nec Gennadius abhorret, nec Chaldæus, nec Syrus.

CCLXVI. Ambroſius & Athanaſius lignum crucis in hac hiſtoria præfiguratum volunt: quod veriori ſpecie contra Janſonium opinarer, non coronam ſpineam. Ita autem Ambroſius *lib. I. de Abrahamo cap. VIII.* Hoc *eſt, quod apparuerit Abrahæ revelans, futuram ſui corporis*

Digitized by Google

paſſionem, qua mundum redemit: demonſtrans etiam genus paſſionis, cum ſuſpenſum oſtendit cornibus arietem: virgultum illud patibulum crucis eſt. Athanaſii *Quæſtion. XCVIII. ad Antiochum* latine facta hæc ſunt: *Planta Sabek eſt veneranda crux. Juxta Hebræos videtur Sabek remiſſio eſſe & condonatio.* (In eo ceſpitat Athanaſius. Non enim eſt in Hebræo שבק ſed סבך.) *Aries vero, qui in Sabek hærebat ad plantam, figuravit CHRISTVM pro nobis in cruce immolatum.* Auguſtinus tamen etiam ad coronam ſpineam retulit *lib. XII. contra Fauſtum Manichæum* cap. XXV. *Quis alius aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, niſi qui crucis patibulo pro nobis offerendus affigebatur ſpinis primitus coronatus?* Plura hoc de loco afferre nolumus, cum tam accurate, ut nihil ſupra, excuſſerit Venerabilis Collega noſter & amicus conjunctiſſimus Dn. Johannes Friſchmuthius *Diſſertatione V. de Ligatione Iſaaci* §. *IV. & ſeqq.*

CCLXVII. Ceterum non pauci ad Coronam CHRISTI *Rubum* eligunt, interque eos Clemens Alexandrinus *Pædagog. lib. II. cap. VIII.* ut conferat cum illo, in quo Deus Moyſi apparuit, myſterium aliquod ex utriusque comparatione exſculpens. Adſcribam ipſa Clementis. Ἔχοιμ' ἂν σοι καὶ ἄλλο μυστικὸν ἐνταῦθα εἰπεῖν. ἐπεὶ γὰρ ὁ παγκρατὴς κύριος τῶν ὅλων, ὁπηνίκα νομοθετεῖν ἤρχετο τῷ λόγῳ καὶ τῷ Μωσεῖ καταφανῆ ἐβούλετο γίνεσθαι τὴν αὐτοῦ δύναμιν, ὄψις αὐτῷ δείκνυται θεοειδὴς φωτὸς μεμορφωμένου, ἐπὶ φλεγομένῳ βάτῳ· τὸ δὲ ἀκανθῶδες φυτόν ἐστιν ὁ βάτος. ἐπειδὴ ἐπαύσατο τῆς νομοθεσίας, καὶ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας ὁ λόγος, ὁ κύριος μυστικῶς αὖθις ἀναστέφεται ἀκάνθῃ ἐνθένδε ἄπιων ἐκεῖσε, ὅθεν κατῆλθεν ἀνακεφαλαιούμενος τὴν ἀρχὴν τῆς καθόδου τῆς παλαιᾶς. ὅπως ὁ διὰ βάτου τὸ πρῶτον

ὀφθεὶς

Digitized by Google

ἐφθεὶς ὁ λόγος, διὰ τῆς ἀκάνθης ὕστερον ἀναληφθεὶς, μιᾶς ἔργον τὰ πάντα δείξῃ δυνάμεως, εἷς ὢν, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς, ἀρχὴ καὶ τέλος αἰῶνος. Quæ ſic latine vertit Gentianus Hervetus: *Poſſem aliud tibi quoque myſticum dicere. Nam cum omnipotens univerſorum Dominus, quando cœpit per Verbum legem ferre, & Moſi ſuam potentiam voluit manifeſtare, ei divina viſio oſtenditur formata lucis in rubo ardente. Spinoſa autem planta eſt rubus. Poſtquam verbum legem ferre & cum hominibus converſari deſiit, myſtice rurſus Dominus corona coronatur. Hinc illuc unde deſcenderat, abiens, veteris deſcenſus principium inſtaurans, ac de integro veluti in ſummam redigens, ut quod primum per rubum Verbum viſum fuerat, per ſpinam rurſus aſſumtum oſtenderet omnia unius eſſe potentiæ, cum ſit unus & Patris, qui unus eſt, Flius, principium & finis ſeculi.*

CCLXVIII. Rubi duas tantum ſpecies commemorat Dioſcorides lib. IV. cap. XXXVII. & XXXVIII. *Rubum* nempe *vulgarem*, & *Idæum.* De vulgari hæc affert: βάτος. οἱ δὲ κυνόσβατον. οἱ δὲ σελινοερίτιον. οἱ δὲ ἀσύντροφον. Προφῆται αἷμα Τιτάνου. οἱ δὲ αἷμα ἴβεως. Ῥωμαῖοι σέντις. οἱ δὲ ῥοῦβουμ. οἱ δὲ μόρα βατικάνα. Δακοὶ μαντεῖα. Αἰγύπτιοι αἵμος. οἱ δὲ ἄμετρος. *Baton ſunt qui Cynosbaton, qui Selinoritian, qui aſyntrophon vocant. Magi Titanos aut Ibeos ſanguinem. Romani ſentes, ſive Rubum, ſive mora Vaticana appellant Daci manthia, Ægyptii hæmoos, nonnulli ametron nuncupant.* De Idæo ſequentia habet: Βάτος ἰδαία ἐκλήθη μὲν διὰ τὸ πολλὴν ἐν τῇ ἴδῃ γεννᾶσθαι. Ἔστι δὲ ἁπαλωτέρα πολλῷ τῆς προ' αὐτῆς. Ἀκάνθας μικρὰς ἔχουσα. Εὑρίσκεται δὲ καὶ χωρὶς ἀκάνθης. *Baton Idæum vocant, quoniam multus in Ida naſcitur. Multo tenerior ante-*

tedicto hic eſt. Spinas habet breves. Invenitur & ſine ſpinis aliquando.

CCLXIX. Tertia adhuc eſt Rubi ſpecies, nempe Cynosbaton, quam deſcribit Dioſcorides lib. I. cap. CVIII. his verbis: Κυνόσβατον, οἱ δὲ ὀξυάκανθαν καλοῦσι. θάμνος ἐστὶ βάτου πολλῷ μείζων, δενδροειδής. φύλλα φέρει πολλῷ πλατύτερα μυρσίνης. ἀκάνθας δὲ περὶ ταῖς ῥάβδοις ἰσχυράς. *Cynosbaton quam & oxyacanthan dicunt, frutex eſt rubo longe major: arboreſcit enim, foliaque habet longe quam myrtus latiora, ſpinas in virgis duriſſimas.*

CCLXX. Habemus ergo tres Rubi differentias. *Vulgarem* nimirum, cujus frutex humi ſerpit, & mora illa gignit, quæ noſtro idiomate Brombeeren appellamus: Deinde *Idæum*, cujus Ida mons præ ceteris fuit fertilis: non, ac ſi aliis in locis plane non proveniret, qui eſt error Plinii lib. XXIV. cap. XIV. Denique *Cynosbatum*, quem noſtri Hagedorn/ & fructum ejus Hagepotten vocant.

CCLXXI. Idæo prætermiſſo de ceteris Rubi ſpeciebus ſic ſcribit Theophraſtus *lib. III. Hiſtor. Plantar.* ἔτι δὲ καὶ τοῦ βάτου πλείω γένη, μεγίστην δὲ ἔχοντα διαφοράν. ὅτι ὁ μὲν ὀρθοφυὴς καὶ ὕψος ἔχων. ὁ δὲ ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ εὐθὺς κάτω νεύων. καὶ ὅταν συνάπτῃ τῇ γῇ, ῥιζούμενος πάλιν, ὃν δὴ καλοῦσι χαμαίβατον. Ὁ δὲ κυνόσβατος τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχει, καὶ παραπλήσιον τῷ τῆς ῥοιᾶς. ἐστὶ δὲ δένδρου καὶ θάμνου μεταξύ, καὶ παρόμοιον ταῖς ῥοιαῖς. τὸ δὲ φύλλον ἀγνῶδες. *Ruborum item plura genera, præcipuã vero habent differentiam: quod alter recta & in altitudinem erigitur; alter deorſum & in terram vergit: & cum primum terram attigit, iterum radicatur: vocantque hunc aliqui humilem, ſeu terreſtrem rubum. Qui vero cynosbatos dicitur, fructum fert rubentem, punicæ cytino ſimilem, eſtque inter fruticem & arborem medius, punicæ ſimilis, folio viticis.*

CCLXXII.

Digitized by Google

CCLXXII. Jam quia de Rubi ſpeciebus conſtat, porro eſt videndum, an aliqua ex his coronæ CHRISTI ſpineæ adhibita. Neque enim hic audiendum judicamus Caſaubonum, qui *Exercitat. XVI. ad Baronium num. LXXIV. inanem atque inutilem laborem* cenſet, *velle quærere, quæ potiſſimum rubi ſpecies ad hanc coronam ſit adhibita, propter ſpecierum rubi multitudinem.* Nam facile ad trigam illam reduci poſſe, ex dictis manifeſtum.

CCLXXIII. Pro Idæo, nemo, ſat ſcio, militabit, quia vel ſpinas nullas habet, vel minores, ut Dioſcorides deſcribit. Certe ſi eſt frutex ille, cujus fructum Germanice Hindbeeren vocamus, unicuiq; arbitror conſtare, quam parvum cum ſpinis habeat commercium.

CCLXXIV. Vulgarem fortaſſis admiſerimus, quia duris, minacibus, ac aſperis ſpinis apud Rembertum Dodonæum *Hiſtoriæ ſtirpium Pemptade VI. lib. II. cap. I.* communitur: ac id propter *aſperi* elogium a principe Poetarum *Ecloga* II. meruit: modo non teſtarentur peregrinantes, in Palæſtina rubum hunc nequaquam inveniri.

CCLXXV. Fortaſſis igitur ex Cynosbato contexta fuit, quem robuſtis circa ramos ſpinis horrere ex Dioſcoride edocti ſumus: ac id ipſum neminem, quia frequens eſt his regionibus frutex, potuerit latere.

CCLXXVI. At prior redit difficultas, quod nec hæc rubi ſpecies in Sancta Terra hodie appareat.

CCLXXVII. Quamobrem alii Rhamnum rubo ſubſtituunt, majori, ut videtur, veri ſpecie.

CCLXXVIII. Rhamni, ut fruticis genera duo habet Theophraſtus, *nigrum* & *album*, & diverſum horum fructum, ſpinoſa tamen ambo. Plinius item duo facit *lib. XXIV. cap. XIV.* & ruborum generibus adſcribit, his verbis,

Digitized by Google

bis, prout a Jano Cornario Emblemat. ad Dioſcorid. lib. I. cap. XCVIII. ex veteri Ms. corriguntur. *Inter genera ruborum Rhamnos appellatur Græcis candidior & fructuoſior, ramos ſpargens rectis aculeis, non, ut ceteri, aduncis, foliis majoribus. Alterum genus ejus ſylveſtre nigrius, & quadamtenus rubens. Fert veluti folliculos. — Alter ille candidior.*

CCLXXIX. Diſcorides vero tria genera *lib. I. cap. CIV.* deſcribit: Θάμνος ἐστὶ περὶ φραγμοὺς φυόμενος, ῥάβδους ἔχ' ὀρθὰς καὶ ὀξείας ἀκάνθας ὥσπερ ἡ ὀξυάκανθα. φύλλα μικρὰ, ὑπομήκη, ὑπολίπαρα, μαλακά. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα λευκοτέρα, καὶ τρίτη μελαντέρα, ἔχουσα τὰ φύλλα καὶ πλατύτερα, σὺν τῷ ἠρέμα ἐρυθραίνεσθαι. ῥάβδους μακρὰς πηχῶν ὡς πέντε, μᾶλλον ἀκανθώδεις, ἧττον δὲ στερεὰς καὶ ἐ-πίκυας ἔχει τὰς ἀκάνθας. *Rhamnus frutex eſt. Naſcitur circa ſepes, rectis virgis, & acutæ ſpinæ modo, quam oxyacanthan dicunt, aculeatis. Folia habet parva, oblonga, mollia, modice pinguia. Eſt præter hanc & alia rhamnus candidior, itemque tertia, nigrioribus latioribusque cum rubore aliquo foliis, quæ ramos cubitorum fere quinque longitudine profert: ſpinoſiores quidem, verum infirmioribus, nec penitus integris ſpinis.*

CCLXXX. De Rhamno primi generis Bauhinus in *Hiſtoria Plantarum lib. IV.* Rhamnus *primus frutex eſt magnus, totus ſpinis armatus in caudice quidem magnis, ut oxyacantha Matthioli, in ramulis minoribus, cortice albicante; & quod obſervatione dignum, grandiores illi aculei, palmum circiter longi, rigidi, acuti, ex ramis enati, alios pariunt aculeos parvos, non minus rigidos & pungentes, eodemque loco folia magnitudine varia.*

CCLXXXI. Quia igitur Rhamnus admodum ſpinoſus,

Digitized by Google

ſus, ac frequenter hodie peregrinantibus in Terra Sancta eſt obvius, ſicut vix alias ſpinas circa Hieroſolymam invenerit Bellonius, ceu teſtatur *Obſervationum lib. II. cap. LXXXIIX.* non mirum, quod jam olim & hoc noſtro ævo huic ſententiæ multi ſubſcribant. Hieronymus quoque *in cap. III. Habacuc*, ſentes & ſpinas in rhamno agnoſcit, his verbis: *Nunquam ſuper ligna ſylvarum, quæ debentur incendio, regnat oliva, ficus, & vinea: ſed magis imperat eis rhamnus plena ſentibus & bericio ſimilis, qui habitat in Babylone, & ſemper verſatur in foveis. Quæ arbuſcula non ſolum ſpinas habet, ſed & ignem, vulnerans & comburens quicquid attigerit.*

CCLXXXII. Ex recentioribus huic ſententiæ calculum ſuum addunt Jacobus Gretſerus *lib. I. de Cruce cap. XII.* Hieremias Drexelius *libro de CHRISTO moriente part. II. cap. IV.* At Cornelius a Lapide in *Commentar. ſuper Matth. cap. XXVII.* Rhamni ſpinis intextas junci ſpinas colligit: quo de quid ſentiendum, ex ſuperioribus clarum.

CCLXXXIII. Huc accedit, quod Italis (præſertim circa Maceratam & Piſaurum, annotante Bellonio) *ſpina ſancta* vocetur. Quamquam alii *ſanctæ ſpinæ* nomen non tam a CHRISTI corona, quam quod contra veneficia amuletum fuerit creditum, ſi valvis & feneſtris imponeretur, accepiſſe exiſtimant: ut alia, quæ contra hanc ſententiam afferuntur, præteream.

CCLXXXIV. Denique ex Spina *alba* confectam fuiſſe coronam CHRISTI, non pauci, nec contemnendi viri contendunt, quibus noſtrum calculum non veremur addere.

CCLXXXV. Sententiæ hujus anteſignanus eſt

 Mar-

Marcellus Empiricus cap. XXIII. *Herba*, inquit, *ſalutaris, id eſt, ſpina alba, qua CHRISTUS coronatus eſt, quæ velut uvam habet, lienem leviter in eodem loco perfricata ſanabit.*

CCLXXXVI. Non levem Auctor hic meretur fidem, tum quod ipſe antiquiſſimus ſit ſcriptor (vixit is ſub Theodoſio majore ſeculo IV. exeunte) tum quod pleraque bona fide exſcripſit a Scribonio Largo, medico, Claudii ſive Tiberii Cæſaris temporibus florente, cum hæc de CHRISTO fama ejusque mortis genere apud Romanos eſſet recens.

CCLXXXVII. Quæ de Scribonii ætate dixi, facile ex ipſo confirmare licet Scribonio. Nam *Compoſit. XCVII.* quædam Philonidis Catinienſis ad Tiberium Cæſarem, & poſitis a Cæſare Bibliothecis publicis ad ſe veniſſe ſcribit. Vbi per *Tiberium* Cæſarem, non alium quam Claudium intelligo, qui & ipſe nomen habuit Tiberii. Et *Meſſalinam Dei noſtri Cæſaris* (ſic enim loquitur) *Compoſit. LX.* advocat; & eidem Deo ſuo Cæſari ſe in expeditione Britannica adfuiſſe memorat *Compoſit. CLXIII.*

CCLXXXVIII. Quod vero Marcellus pleraque ſua huic debeat Scribonio, præter alios animadvertit Janus Cornarius in Epiſtola nuncupatoria Marcelli, edita ab Aldo anno cIↃ IↃ XLVII. ſcribens: *Illud admonendum duxi, Scribonium Largum totum in Marcelli opere contineri, diverſis locis inſertum, ab ovo, ut ajunt, fere usque ad mala, adeo ut peorationem etiam Scribonii Marcellus cap. XXXV. habeat.* In quo etſi facile aſſenſerim Cornario, huic tamen ejus ſententiæ nequaquam ſubſcripſerim, quod Scribonius Græce ſcripſerit, & Marcellus tranſlatione quadam latina uſus ſit. Nam præterquam quod id

præ-

præfatio Scribonii ad C. Julium Calliſtum, Claudii Imp. libertorum potentiſſimum refellat; pluribus argumentis aliis egregie hanc opinionem confutavit Johannes Rhodius, Danus, tam de Scribonio, quem Patavii anno cIↃ IↃc LV. in lucem dedit, quam de arte medica & univerſa re literaria præclariſſime meritus, in *Emendationibus & Notis ad Scribonium.*

CCLXXXIX. Sicut igitur cetera, ita & hæc de *alba ſpina* Scribonio fortaſſis Marcellus debet: aut ſi id non eſt, non tamen ſine gravibus auctoribus hoc ipſum prodidiſſe cenſendus eſt.

CCXC. Veruntamen ut hiſtoria *ſpina alba* nobis innoteſcat magis, eandem ex veterum ſcriptorum monumentis delineabimus. Et primo quidem id monendum, nonnullos eam cum Rhamno confundere. Hos inter & ipſe comparet Dioſcorides, qui loco ante laudato ſcribit: Ῥάμνος. οἱ δὲ περσεφόνιον. οἱ δὲ λευκάκανθα. Ῥωμαῖοι σπῖνα ἄλβα. *Rhamnus. Sunt etiam qui Perſephonium, qui Leucacantham, Romani ſpinam albam vocant.* Ovidius quoque eſt in hoc ordine. Nam ſpinam albam foribus impoſitam pro amuleto habet, quod tamen rhamno alii tribuunt. Locus Ovidii eſt *lib. VI. Faſtor. v. 129.*

Sic fatus, ſpinam, quæ triſtes pellere poſſit
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Meminerunt ejus rei Lycophron & Euphorion his verbis: Ἀλεξίκακον φυὲ ῥάμνον. Quo ſenſu Nicander in *Alexipharmacis* Ῥάμνον appellat ἀλεξιάρην. Clariſſime omnium Dioſcorides. Λέγεται δὲ καὶ κλῶνας αὐτῆς θύραις ἢ θυρίσι προστεθέντας ἀποκρούειν τὰς τῶν φαρμάκων κακουργίας. *Fertur præterea Rhamnus appoſitis pro foribus fene-*

 ſtrisve

ſtris veramis ejus, omnium veneficiorum arcere maleficia. Quem antiqvum morem vel propterea hic notare volui, quod *cap. XXXV. de Januis veterum,* quo varios ſuperſtitioſos veterum ritus excuſſi, ſit prætermiſſus.

CCXCI. Ceterum Dioſcoridem fortaſſis excuſabis, quod ſpinam albam ad Rhamnum retulerit, cum id non tam ex ſua, quam aliorum mente fecerit: præſertim quia *lib. III. cap. XII.* de ſpina alba diſertius agit hunc in modum. Ἄκανθα λευκή. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι σπίνα ἄλβα. Φύεται ἐν ὄρεσι καὶ ὑλώδεσι τόποις. Φύλλα ἔχουσα χαμαιλέοντι λευκῷ ἐμφερῆ στενώτερα καὶ λευκότερα, ὑποδάσεα, ἀκανθώδη. καυλὸν ὑπὲρ δύο πήχεις, δακτύλου τοῦ μεγάλου, ἢ καὶ μείζονος πάχος, ὑπόλευκον, κενὸν ἔνδοθεν. ἐπ' ἄκρου δὲ αὐτοῦ κεφαλὴ [illegible] ἀκανθώδης, ἐχίνῳ θαλασσίῳ ἐμφερὴς, πλὴν ἐλάσσων καὶ ὑπομήκης. *Spina alba. Naſcitur in montibus & ſylvoſis locis, foliis nigro chamaeleoni ſimilibus, anguſtioribus tamen candidioribusque, aſperis & ſpinoſis. Caulem altitudine ſupra duos cubitos habet humani pollicis craſſitudine, craſſioremque aliquando albeſcentem, intusque concavum. In ſummo vero ejus apice aculeatum capitulum eſt, marino echino ſimile, oblongius tamen & minus.*

CCXCII. Diſcrimen hujus ſpinæ albæ & Rhamni non male oſtendit Marcellus Virgilius, Secretarius Florentinus *Commentar. ad Dioſcoridem,* ſequentibus verbis: *Alia hac ſpina alba eſt ab ea, quæ primo volumine ab hoc ipſo ſcriptore, & a nobis longius deſcripta fuit. Illa inter ſpinoſas arbores genus ſuum habet, hæc inter aculeatos frutices, & cum reliquis carduis, quorum multiplex genus eſt, numeratur. Illa* λευκάκανθα *compoſito & conjuncto nomine; hæc diſcretis vocibus* ἄκανθα λευκὴ *appellatur. Illa undique ſuis ſpinis, & quales in arboribus videntur infeſta*

Digitized by Google

feſta riget: hæc præter ſpinas in foliis aculeatum etiam echinum in ſummo caule habet. Illa in ſepibus, hæc in montanis & ſylvoſis naſcitur locis. Illa tandem ſolidam habet materiam; hæc concavum & inanem caulem.

CCXCIII. Inter Spinas Plinius *lib. XXIV. cap. XII.* & *Spinæ albæ* locum facit his verbis: *Spinæ albæ ſemen contra ſcorpiones auxiliatur. Corona ex ea impoſita capitis dolorem minuit.* Nec alibi ipſam deſcribit, niſi quod *lib. XV. cap. XXVIII. In papyris & ferulis, ſpinaque alba, caulis ipſe pomum eſt.* Quamvis hic locus corruptus eſt.

CCXCIV. Quod ad priora Plinii, non id profecto egerunt carnifices, ut capitis dolores CHRISTI minuerent, ſed potius ut ſpinis fortiter impactis majores dolores & cruciatus ei crearent. Nimis igitur ingenioſa videtur ſummi Viri Thomæ Bartholini conjectura, quam *Hypomnemate III. de Cruce* §. *IV.* ſequentibus verbis proponit: *Scilicet ut ſpecioſo cruciatuum titulo ſpectatoribus eluderent, piisque CHRISTI affeclis, ne doleret caput anxium & impiorum judicio ſubjectum, coronam ex alba ſpina impoſuerunt, quam Plinius enarrat lib. XXV. cap. XII. capitis dolores minuere, præſertim ſemen, ex Ægineta, lib. VII. cap. III. Oribaſio lib. XV. Collect. cap. I. convulſionem etiam ſanat ob tenues calidasque ejus particulas.*

CCXCV. Interim qui ſpinam albam ex corona CHRISTI expungunt, præter cetera hoc utuntur argumento, quod cum non ex fruticum, nec arbuſtorum, ſed ex herbarum genere fuerit, ſpinis ſuis parum detrimenti CHRISTO afferre potuerit.

CCXCVI. Verum reſpondetur, ſat aculeatas ſpinæ albæ eſſe cuſpides, ut facile potuerint penetrare ſanctam capitis CHRISTI cutem: quod & iſta Servii a Petro Da-

 niele

niele editi indicant: *Paliurus, herba aſperrima & ſpinoſa, velut ſpina alba.* Tum vero herba aculeata in ſertum majori facilitate, minorique temporis diſpendio texi potuit, ac frutex.

CCXCVII. Mirari tamen nihiloſecius ſubit, cur ad funeralia CHRISTI ſpinam albam elegerint, quam facibus nuptialibus dicatam Plinius auctor eſt *lib. XVI. cap. XVIII. Spina,* inquiens, *nuptiarum facibus auſpicatiſſima, quoniam inde faces fecerint paſtores, qui rapuerint Sabinas, ut auctor eſt Maſſurius.* Spinam albam hic deſignari, confirmat eundem morem deſcripturus Varro *de vita Populi Romani lib. II.* apud Nonium: *Cum a nova nupta ignis in face afferretur, foco ejus ſumtus, cum fax e ſpina alba eſſet, ut eum puer ingenuus afferret.* Quapropter Parthenius in *Epithalamio Catulli* pro *pinea tæda,* ſufficit *ſpineam.*

CCXCVIII. Ad nuptiales tamen faces & pinus adhibita. Virgilius *in Ceiri:*

Pronuba nec caſtos accendet pinus honores.

Ovidius *lib. II. Faſtor. v. 555.*

Dum tamen hæc fient, viduæ ceſſate puellæ
Expectet puros pinea tæda dies.

Seneca Tragicus Medea v. 37.

Hoc reſtat unum, pronubum thalamo feram
Vt ipſa pinum.

Et v. 111.

Multifidum jam tempus erat ſuccendere pinum.

Hinc etiam Barnabas Briſſonius, Thomas Dempſterus, aliique apud Varronem legere malunt: *cum fax ex pinu ablata eſſet.*

CCXCIX. Non eſt vero quod admiremur ſpinam albam nuptiis Romanis, hic ſupplicio ſacram: cum diſtinctæ fuerint ſpecies, & hæc in herbis, illa in arboribus locum invenerit.

CCC. Pro alba ſpina ad coronam CHRISTI lecta præcipue propter Marcelli, ſcriptoris antiquiſſimi teſtimonium, dimicamus. Nec improbamus tamen eorum ſententiam, qui in tanto divortio ἐπέχουσι, & certum ſpinæ genus definire non audent. Nam quæ proxime militibus facta eſt obvia, eandem arripuerunt, & in coronæ formam ſine artificio redegerunt.

CCCI. Signanter dico, *ſine artificio.* Nam ex eo judicare eſt, quid ſentiendum de imagine CHRISTI ærea, Romæ nuperis annis eruta, & in *Romam ſubterraneam* Pauli Aringhi translata, in qua hærentes capiti ſpinæ magis Cydaris, capitis Perſarum Regis inſignis, quam coronæ gerunt effigiem.

CCCII. Facile quidem credo crudelitatem militum ejuſmodi coronæ ex ſpinis compactæ genus elegiſſe, quod non tam frontem, cervicem & tempora, quam totum caput acuminibus transverberaret: at unde quis probare velit cydaris formam tum in animo habuiſſe milites, nondum perſpicio.

CCCIII. Refert S. Brigitta *Revelation. lib. I. cap. X.* tortores capiti CHRISTI *aptaviſſe coronam de ſpinis, quæ tam vehementer reverendum ejus caput pupugerit, ut ex ſanguine fluente replerentur oculi, obſtruerentur aures, & barba tota decurrente ſanguine deturparetur.* Vide ejuſdem libri *cap. XXVII.* Et *lib. IV. cap. LXX.* hæc legas: *Corona ſpinea capiti ejus arctiſſime impoſita fuit, quæ ad medium frontis deſcendebat, plurimis rivis ſanguineis ex acu-*

aculeis infixis decurrentibus per faciem ejus, & crines, & oculos, & barbam replentibus, ut quaſi nihil niſi ſanguis totum videretur. Et jam olim Tertullianus ſcripſit coronam hanc *Domini tempora & fœdaviſſe & lancinaviſſe.* Nam libro *de Corona militis* inquit: *Præter figuram contumelia in promtu eſt, & turpitudo & dedecoratio, & his implexa ſævitia, quæ tunc Domini tempora & fœdaverunt & lancinaverunt.*

CCCIV. Facile iſta crederes, ſi quidem veræ eſſent illæ ſpinæ, quæ in baſilica S. Crucis Romæ dono S. Helenæ aſſervantur, adeo longæ & acutæ, ut craſſas aciculas adæquent. Verum nullo argumento Pontificii probatum dabunt, eas ſpinas, quæ hodie oſtentantur, tanquam illius coronæ reliquias minime ſubleſtæ veritatis eſſe. Eleganter de commentitiis his ſpinis Thomas Bartholinus: *Id ſcio, tot ubivis locorum, quæ longiori itinere adire licuit, a ſacrorum cuſtodibus monſtrari ſpinas, ut ad Trojanum incendium facile ſufficerent.* Nec inficete alius: *Papicolarum oſtenta de reliquiis & particulis ſpinarum illarum in locis ſacris reſervata tanta ſunt, quanta ſufficerent ad univerſos coronandos Papas.* Atque item alius: *Pontificii pro ſua ſuperſtitione tot ſpineas* CHRISTI *coronas hodie in ſuis ſacris reliquiis aſſervatas paſſim oſtentant, ut ex iis omnibus Pontificis Romani prædiis non ſeptem tantum prætendere, ſed in flammarum quoque purgatoricium alimenta magnam earum partem per aliquot annos concedere poſſint.*

CCCV. Nam & Pariſiis in ſancto ſacello magna coronæ pars ſervatur, & in Hiſpania, & Lovanii, & alibi locorum magna ſpinarum congeries recondita habetur. Witteberga quoque octo ſpinas olim aſſervatas Frantzius com-

commemorat. Stadæ quoque *in vaſculo chryſtallino competenter magna* (pars) *de ſpinea corona Domini* aſſervata: ut ait Albertus Abbas Stadenſis *in Chronico.*

CCCVI. Henricus quoque Dux Brunſvicenſis lineæ Grubenhagicæ monaſterio Walckenredano dedicavit duas ſpinas coronæ CHRISTI, quas ex Palæſtina quondam attulerat. In cujus rei memoriam ſequens ſcriptura in laudato monaſterio aſſervata. *Anno MCCCLI. donat ob remedium animæ ſuæ Heinricus Dux Brunſvicenſis Monaſterio in Walkenrieten duas ſpinas de corona CHRISTI, quas de partibus transmarinis aſportaverat, cũ eſſet in Græcia apud excellentiſſimum Dominum Imperatorem Palliologum* (Palæologum) *ſemper Auguſtum, ſororium ſuum dilectum. Ibi vidit reverendum Patrem Archiepiſcopum monaſterii, ſiti in pede montis Oreb, cui ab Imperatore dicto cammendatus eſſet, qui Arch. legatione functus ab Imperatore ad Regem Franciæ obtinuit ab eodem Rege prædictas ſpinas ex ſpeciali favore, & poſtea cum Heinricus B. Dux ad limina B. Catharinæ in monte Sion causa peregrinationis tranſiret, ad monaſterium Arch. devenit, ac ipſe cum multum benigne recipiens, ob reverentiam Imperatoris prædicti, cum non haberet majores reliquias, ſpinas ſæpe dictas B. Catharinæ in ſignum favoris & caritatis dedit.* Meminit hujus donationis Heinricus Eckſtormius in *Chronico Walckenredenſi* pag. 149.

CCCVII. Quoniam autem hæ ſpinæ ex Francia in Palæſtinam delatæ, procul dubio illi coronæ fuerunt exemtæ, quam Ludovicus Sanctus a Balduino Principe Conſtantinopolitano Johannis Imp. genero dono acceptam Pariſios deportavit anno CIƆ CCXXXIX. Hiſtoriam religioſæ ſuſceptionis Coronæ hujus ſpineæ, juſſu Ludo-

Digitized by Google

vici Regis ſcripſit Galtherus Cornutus Archiepiſcopus Senonenſis, quæ ex Ms. Puteanorum fratrum relata in Tomum V. *Scriptorum Hiſtoriæ Francorum*, opera ac ſtudio Franciſci Duſcheſne Pariſiis anno CIƆ IƆC XLIX. editum. Etſi vero de coronæ ipſius veritate multum dubitaverim, ſcriptum tamen illorum temporum hiſtoriam, ac ritus illuſtrans lectu non indignum judico.

CCCVIII. A fictitiis ad veram CHRISTI coronam revertentes, vero admodum ſimile putamus, eandem Salvatori detractam, cum ei exuerunt χιτῶνα ἄῤῥαφον, *tunicam inconſutilem*. Nam ſi corona, uti credibile, ampla fuit, vix potuiſſent aliter exuere tunicam, quæ ita ſtricta erat, ut proxime corpori adhæreret. Colligimus igitur milites primo coronam de capite ſuſtuliſſe, hinc exuiſſe tunicam, ea exuta denuo coronam impoſuiſſe.

CCCIX. Non deſunt tamen, qui CHRISTUM in corona illa nequaquam crucifixum perhibent, ſed eandem cum veſtibus exutis a militibus abjectam putant. Verum horum opinio nobis non probatur, cui & magna manus veterum Eccleſiæ Doctorum repugnat, & ipſe crucis titulus: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM.

CCCX. Favet quoque noſtræ ſententiæ Brigitta, cujus hæc ſunt lib. VII. Revelation. cap. XIV. *Quo facto coronam de ſpinis, quam depoſuerant de capite ejus, cum crucifigeretur, iterum impoſuerunt, & aptaverunt capiti ſuo ſacratiſſimo: quæ tam fortiter pupugit reverendum caput ejus, quod oculi ſui repleti fuerunt illico fluente ſanguine. Aures quoque obſtruebantur, & facies & barba quaſi tegebantur, & intincta erant illo roſeo ſanguine.*

CCCXI. At enim nulla veriſimilitudinis ratione aſſerit

Digitized by Google

aſſerit Villamontius in *Itinerario Terræ S.* quinquies CHRISTVM coronatum, atque adeo quinque diſtinctas adfuiſſe coronas. Alii duas admittunt, inter quos eſt Guilielmus Epiſcopus Tornacenſis, qui libro de *Vellere aureo* oſtendere conatur, alteram eſſe quæ Pariſiis habetur, alteram quæ Aquisgrani aſſervatur. Sed quia unius ſolum meminerunt Evangeliſtæ, alterius fabrica ceteris annumeranda figmentis Pontificiis.

CCCXII. A quibusdam creditum, in corona illa fuiſſe LXXVII. ſentes, quorum quilibet tres habuerit acies, & mille vulnera CHRISTI capiti fuiſſe inflicta. Vincentius ſcribit, in locis LXXII. hac corona caput CHRISTI vulneratum. Sic Hieronymus Xaverius in *Hiſtoria CHRISTI Perſica:* Coronam *e ſpinis capiti ejus impoſuerunt, & cognitum fuit LXXII. ſpinas in caput ejus benedictum veniſſe.* Sed hoc oppido incertum eſt, ac dubiis conjecturis nititur.

CCCXIII. De hac corona ſpinea Salomonem in *Cantico Canticorum cap. III. v. II.* volunt vaticinatum. Vnde Galterus Cornutus in laudata *Suſceptionis Coronæ ſpineæ hiſtoria:* Expurgatis *cordium oculis imaginemur Dei filium pro ſalute noſtra ſpinis coronatum, ad quod nos invitat Spiritus Sanctus in libro Canticorum, ad fideles animas ita dicens: Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater ſua. Hoc de matre Synagoga indubitanter intelligitur: de qua CHRISTVS verus Salomon, id eſt, pacificus ſecundum originem carnis proceſſit.* Et ex recentioribus B. Dilherrus *Notis in Canticum:* Corona *eſt corona ſpinea, qua morti jam proximus redimitus eſt Sponſus a populo Judaico, ex cujus genere & ſanguine natus erat. Tunc vehementis-*

mentiſſime lætatus eſt, cum lapſum hominum illa ſua coronatione redemit.

CCCXIV. Sibyllam quoque hoc prædivinantem induicit Lactantius *lib. IV. cap. XVIII.* iſto verſu:

Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον. ——

Et coronam portabit ſpineam. Ac porro aliam Sibyllam inducit canentem: —— ἀλλὰ κ' ἀκάνθαις

Ἐστέψας στεφάνῳ. ——

Sed & ſpinea coronans corona. Ad quos verſus Sibyllinos a Lactantio allatos provocat Auguſtinus *de Civitate Dei lib. XVIII. cap. XXIII.* ac porro Lactantium & Auguſtinum hoc nomine commendat Galterus dicta Hiſtoria. Verum his Sibyllinis majus ineſſet pondus, niſi ab ipſis Chriſtianis ſuppoſita conſtaret; id quod hic pluribus probare non inſtituit.

CCCXV. Graviter Bernhardus *Sermone V. in Feſto Omnium Sanctorum:* Pudeat *ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum.* Quale quid in animo habuit Gotfridus Bullionæus, qui Rex Hieroſolymitanus concorditer electus renunciatusque, aurea tamen corona in memoriam ſpineæ CHRISTI noluit redimiri. Id quod enarrat Guilielmus Tyrius *Belli Sacri lib. IX. cap. IX.* his verbis: *Promotus humilitatis cauſa, corona aurea, Regum more, in ſancta civitate noluit inſigniri: ea contentus, & illi reverentiam exhibens, quam humani generis Imperator in eodem loco usque ad crucis patibulum pro noſtra ſalute ſpineam deportavit.* Conſentit Wilhelmus Gemiticenſis *de Ducibus Normannis lib. VII. cap. XXXIII.* Capta *urbe Ieroſolyma, a Chriſtianis, primus præfuit illi Dux Godefridus frater Euſtachii Comitis Boloniæ. Hic tamen ad reverentiam noſtri Redemptoris, qui in illa urbe coronam ſpi-*

ſpineam pro nobis peccatoribus geſſerat, nunquam voluit regio diademate inſigniri. Gervaſius Tilberienſis *in Otio Imperiali: Dux Godefredus regnum ſuſcipiendum in excuſationem duxit, prætextu ſanctæ humilitatis; aſſerens ſe indignum illic corona aurea inſigniri, ubi CHRISTVS corona ſpinea voluit inſigniri pro noſtra ſalute.* Neque tamen, quod ſenſiſſe videtur Gervaſius, declinavit ipſum regnum, quam pompam illam externam. Quare Archiepiſcopus Tyrius laudato loco: *Vnde quidam in catalogo Regum, non diſtingventes merita, eum dubitant connumerare: magis attendentes, quæ exterius geruntur in corpore, quam quæ fidelis & Deo placens anima mereatur. Nobis autem non ſolum Rex, ſed Regum optimus, lumen & ſpeculum aliorum videtur. Non enim conſecrationis munus, & eccleſiaſtica ſprevisse credendus eſt Princeps fidelis ſacramenta; ſed pompam ſeculi, & cui omnis creatura ſubjecta eſt, vanitatem, & perituram humiliter declinaſſe coronam, ut immarceſſibilem alibi conſequeretur.*

CCCXVI. Gotfridus hac modeſtia laudem meruit: quam utique reportare digni non videntur, qui credunt in memoriam ſpineæ Domini coronæ Petrum Apoſtolum fuiſſe tonſum, atque inde tonſuram monachalem derivant. Antiqua hæc tamen eſt traditio, quam invenimus in Ceolfridi Abbatis epiſtola ad Naitanum Regem apud Bedam *lib. V. Hiſt. Eccleſiaſticæ Anglic. cap. XXII.* Neque *vero,* ſcribit, *ob id tantum in coronam attondemur, quia Petrus ita attonſus eſt; ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ paſſionis ita attonſus eſt: idcirco & nos, qui per eandem paſſionem ſalvari deſideramus, ipſius paſſionis ſignum cum illo in vertice, ſumma videlicet corporis noſtri parte geſtamus.* Et paulo poſt: *Formam quoque coronæ,*

quam ipſe in paſſione ſua ſpineam portavit in capite, ut ſpinas ac tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret, & auferret a nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre: ut, ſe etiam irriſiones, & opprobria pro illo libenter, ac promto animo, ſufferre, ipſo etiam frontiſpicio doceant: ut coronam vitæ æternæ, quam promiſit Deus diligentibus ſe, ſemper exſpectare, proque hujus perceptione, & adverſa ſe mundi, & proſpera contemnere deſignent. Concludit deinde ipſe Beda dictum caput: *Attondebantur omnes in coronam miniſtri altaris ac monachi: & quaſi novo ſe diſciplinatui beatiſsimi Apoſtolorum principis Petri ſubditam, ejusque tutandam patrocinio gens correcta gaudebat.*

CCCXVII. Atque hoc eſt, quod etiam legas apud Germanum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, in *Theoria myſtica rerum Eccleſiaſticarum:* Τὸ δὲ ξύρισμα τῆς κεφαλῆς τοῦ ἱερέως, καὶ τὸ γυροειδὲς αὐτοῦ λῆμμα τὸ μέσον τῶν τριχῶν, ἀντὶ τοῦ ἀκανθίνου στεφάνου, ὅνπερ ὁ χριστὸς ἐφόρησεν. *Raſura capitis ſacerdotalis, & rotunda ejus pilorum media ſectio, vice coronæ eſt ſpineæ, quam CHRISTVS geſtavit.* Etiam ſesquiſeculo poſt ſimiliter Rabanus Maurus *de Inſtitutione Clericorum lib. I. cap. III.* Sunt *quoque quidam doctorum, qui aſſerunt, diverſas ob cauſas Petrum Apoſtolum hunc ritum primum ſumſiſſe primitus, ut formam & ſimilitudinem CHRISTI in capite geſtaret, dum pro redemtione noſtra, crucis patibulum ſubiturus, a nefanda Judæorum gente acutis ſpinarum aculeis crudeliter coronaretur.* Aliquot etiam ſeculis poſt ſic inter alios ſcripſit Ebrardus ſive Eberhardus Bethunienſis *contra Waldenſes cap. IV.* Corona, *quæ fuit data CHRISTO cauſa improperii, nobis cauſa honoris debet eſſe.* Amalarius Fortunatus

Digitized by Google

tus *de Eccleſiaſticis officiis lib. IV. cap. XXXIX.* Oportet *eos, qui vel monachi votum, vel gradum Clericatus habentes altioribus ſe neceſſe habent pro Domino continentiæ frænis adſtringere, formam quoque coronæ, quam ipſe in paſſione ſpineam portavit in capite, ut ſpinas & tribulos peccatorum noſtrorum portaret, id eſt, exportaret, & auferret à nobis, ſuo quemque in capite per tonſuram præferre.*

CCCXVIII. Legas apud nonnullos, Petrum, cum miſſus eſſet ad prædicandum Evangelium, fuiſſe tonſum ad contumeliam; ſed CHRISTO benedicente, id vertiſſe in gloriam. Sic ſane idem, quem laudavimus, Germanus Conſtantinopolitanus Epiſcopus, proxime poſt verba paulo ante allata: Ὁ ἐν τῇ κεφαλῇ τοῦ ἱερέως περικείμενος διπλοῦς στέφανος ἐκ τῆς τῶν τριχῶν σημειώσεως, εἰκονίζει τὴν τοῦ Ἀποστόλου Πέτρου τιμίαν κάραν, ἣν ἐν τῷ τοῦ κυρίου καὶ διδασκάλου κηρύγματι ἀποσταλεὶς, καὶ καρεὶς ὑπὸ τῶν ἀπειθούντων τῷ λόγῳ, ὡς ἐμπαιζόμενος ὑπ' αὐτῶν, ταύτην ὁ διδάσκαλος Χριστὸς εὐλόγησε, καὶ ἐποίησε τὴν ἀτιμίαν τιμὴν, καὶ τὴν χλεύην εἰς δόξαν. *Duplex corona circumpoſita capiti ſacerdotis ex capillorum ſignificatione, imaginem refert venerandi capitis Apoſtoli Petri, quæ cum miſſus eſſet ad prædicationem Domini & magiſtri, ei tonſa eſt ab iis, qui ejus ſermoni non credebant, ut illuderetur ab ipſis; eique magiſter CHRISTVS benedixit, & infamiam in honorem, illuſionem in gloriam convertit.* Pluraque hac de re inibi. Ac ſequitur etiam hanc opinionem Jacobus de Voragine in *Legenda Aurea.*

CCCXIX. Non inelegans eſt obſervatio, CHRISTVM ut victimam ad ſacrificium ducendam fuiſſe coronatum. Nam priſcos Diis immolaſſe coronatas victimas, ſequentia evincunt teſtimonia. Plinius Hiſt.

Natur.

Natur. lib. XVI. cap. IV. *Ferunt primum omnium Liberum Patrem impoſuiſſe capiti ſuo coronam ex hedera; poſtea Deorum honori ſacrificantes ſumſerunt, victimis ſimul coronatis.* Apud Longum Paſtoral. lib. II. optima caprarum hedera cononatur, priusquam mactaretur. Lucianus *de Sacrificiis:* Sacrificantes *primum coronant victimam.* Hunc morem elegantiſſime deſcribit Ovidius *lib. XV. Metamorph.* his verſibus:

> *Victima labe carens, & præſtantisſima formæ*
> *(Nam placuiſſe nocet) vittis præſignis & auro*
> *Siſtitur ante aras, auditque ignara precantem;*
> *Imponique ſuæ videt inter cornua fronti*
> *Quas coluit fruges.*

Prudentius *Periſtephan. hymno XIV.*

> *Huc taurus ingens fronte torva & hiſpida,*
> *Sertis revinctus, aut per armos floreis*
> *Aut impeditus cornibus deducitur.*

Idem in *Apotheoſi v. 330.*

> *Forte litans Hecaten placabat ſanguine multo;*
> *Pontificum feſtis ferienda ſecuribus illic*
> *Agmine vaccarum ſteterant, vitulasque revincta*
> *Fronte coronatas umbrabat torta cupreſſus.*

Et in Actis Apoſtolicis cap. XIV. v. 13. ſacerdos Jovis *ταύρους καὶ στέμματα ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, boves & coronas ad januas affert*, hoc eſt, *boves coronatos.* Lycophron quoque στεφανηφόρον βοῦν memorat, ubi tamen alii legunt στεφηφόρον βοῦν. Canterus vertit *vittatam vaccam*, Joſephus Scaliger, *infulatam.* Plura de victimis coronatis ſuppeditabunt Carolus Paſchalius *lib IV. de Coronis cap. XVI.* Johannes Saubertus *de Sacrificiis cap. XVIII.*

CCCXX. Eccleſiaſtici Doctores afferre ſolent pluſculas

Digitized by Google

culas coronæ hujus ſpineæ ſignificationes, ex quibus aliquas excerpemus. Sic igitur Tertullianus *de Corona militis: Quale, oro te, ſertum pro utroque ſexu ſubiit? Ex ſpinis, opinor, & tribulis in figuram delictorum, quæ nobis protulit terra carnis: abſtulit autem virtus crucis omnes aculeos mortis in dominici capitis tolerantia obtundens.* Lactantius *lib. IV. cap. XVI.* Nam *corona ſpinea capiti ejus impoſita id declarabat, fore ut divinam ſibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circumſtans in orbem populus. Nos autem qui ante cognitionem Dei fuimus, ſpinæ, id eſt, injuſti, mali & nocentes eramus, ignorantes quid eſſet bonum, & a juſtitiæ notione atque operibus alieni, omnia ſcelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis & ſentibus ſanctum Dei caput cingimus, quia convocati ab ipſo & circumfuſi undique ad eum, Magiſtro ac Doctori Deo aſſiſtimus, Regemque illum mundi & omnium viventium Dominum coronamus.* Hilarius *in Matth. can XXXIII.* Spinis, *id eſt, compungentium quondam peccatis gentium coronatur, ut ex rebus perniciosis atque inutilibus, quæ capiti ejus, id eſt, Deo circumdata moliuntur, gloria quæreretur. Peccatorum eſt enim aculeus in ſpinis, ex quibus CHRISTO victoriæ corona contexitur.* Athanaſius *lib. de paſſione & cruc. Domini:* Alia *ratione ſpineam coronam geſtare videri poteſt* (Dominus) *nimirum, ut ſollicitudines vitæ noſtræ exſtirparet. Injecit enim ſceleſtus ille, quamquam nolens, ſollicitudines noſtras ſuper Dominum, non animadvertens futurum eſſe, ut earum geſtatione Dominus omnes in ſecuritatem adſereret, quo & ſemen verbi de ſpinis depurgatum haberent.* Theophylactus *in Matthæum:* Corona *ex ſpinis peccata ſunt ex curis hujus vitæ provenientia, quæ conſumit ſua*

 Dei-

Deitate CHRISTVS. Præſignatur enim per caput Deitas. Iſidorus Peluſiota *lib. I. Epiſt. XCV.* Ἐπειδὴ κατάρας ἦν ἡ ἄκανθα γεώργιον, ἣν ἡ γῆ καταδικάσθη μετὰ τὴν ἡμετέραν παράβασιν. πᾶσαν δὲ θεραπεῦσαι ἐν ἑαυτῷ ὁ κύριος παρεγένετο. τούτου χάριν ἀκάνθαις ὡς νικηφόρος ἐστεφανώσατο. *Quandoquidem exſecrationis illius, qua terra poſt mandatum a nobis violatum mulctata eſt, ſeges ſpina erat, Dominus autem, ut omnem in ſe ipſe morbum curaret, advenerat, idcirco ſpinea corona ut victor redimitus eſt.* Ruffinus *Expoſitione Symboli Apoſtolici:* Vt *myſterii ſecreta cognoſcas, oportebat eum, qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare, quæ protoplaſte peccante ſententiam prævaricationis acceperat, dicente Domino: Maledicta terra in operibus tuis, ſpinas & tribulos producat tibi. Propterea ergo ſpinis coronatur JESVS, ut prima illa condemnationis ſententia ſolveretur.* Hieronymus *lib. II. Epiſt. XIIX.* Ideo *JESVS ſpinis coronatus eſt, & noſtra delicta portavit, & pro nobis doluit, ut de ſentibus ac tribulationibus feminarum, ad quas dicitur: In anxietatibus & doloribus pariet mulier; & ad virum converſio tua, & ipſe tibi dominabitur, roſa virginitatis & lilia caſtitatis naſcerentur.* Auguſtinus, ſive quis alius auctor eſt *Sermonis CXIV. de Tempore:* Corona *ſpinea capiti ejus imponitur, quia punctio peccatorum noſtrorum, quorum remiſſione Redemptoris gloria ſtruitur, aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc e diverſo, ut membrorum vita capitis ſit corona.*

CCCXXI. Clemens Alexandrinus, qui ob ſpineam CHRISTI coronam Chriſtianis omnibus coronarum uſu interdicit, nimis videtur rigidus, cum abuſu licitum etiam uſum tollens. Verba ejus latine facta hæc

ſunt

ſunt ex *lib. II. Pædagog. cap. VIII.* petita: *A ratione alienum eſt, ut qui audierimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatum, ipſi venerabili Domino paſſionis per ludum inſultantes habeamus capita redimita floribus.* Sane religio Chriſtiana coronas non tollit: imo vero ipſi Spiritui Sancto complacitus eſt florum decor & coronarum uſus. Certe in Apocalypſi non modo quatuor & viginti ſenatoribus, ſed & ipſi CHRISTO aptatur corona, non illa ſpinea, promta e ſupellectile carnificum, ſed victrix, triumphalis & glorioſa.

CCCXXII. Ex quo perfacile eſt judicare de opinione nonnullorum erronea, ac ſi CHRISTVS in extremo judicio ſe cum corona ſpinea conſpectui daturus ſit. Id quod Galterus Cornutus aliquoties laudato opuſculo ſic expreſſit: *Rex gaviſus eſt in hoc, quod ille, qui coronam eandem pro nobis geſſerat in opprobrium, volebat eam, a ſuis fidelibus pie & reverenter honorari in terris, donec ad judicium veniens eam ſuo rurſus imponeret capiti judicandis omnibus oſtendendam.*

CCCXXIII. Denique non eſt indignum obſervatu, majeſtatis affectatæ reos ſive vivos, ſive mortuos impoſitione coronæ ferreæ aut ſimilium aliquando punitos. Incertus auctor Chron. Slavicæ: *Anno Domini MCXCVI. Imperator Jordanum quendam Siculum in ſedem candentem ferream poſuit, & coronam ignitam clavis ferreis capiti ejus incuſſit, quia miſerat Imperatrici clenodia, & quadam receperat. Gloriabatur enim ſe Regem futurum, & ducturum Conſtantiam.* Anno ſuperioris ſeculi XIV. ruſtici in Vngaria tumultuabantur, quorum duci Georgio Cæclo a Johanne Trencinenſi intercepto corona ex ferro ignita capiti impoſita, ac tum demum cervix

amputata fuit: teſte Dubravio *Hiſtor. Bojem. lib. XXXIII.* Anno CIↃ IↃ XLII. Nicolaus Dack ſeditionem in Svecia & rebellionem fovit: qui tandem in Blekingia circumventus, qvum vivus capi non poſſet, telo transfigitur, & Calmariam abducitur: ubi in quatuor partes diſſectus, rotis impoſitus eſt, capite ejus cuprea corona inſigni. Loccenius *Hiſtor. Svecanæ lib. VI. ad an.* CIↃ IↃ XLIII. Neſcio annon & huc referas ſequentia Alberti Abbatis Stadenſis ad ann. CIↃC LXXXIII. *Romani XXVI. Tuſculanorum milites cacaverunt, & capitibus eorum coronis de pergamenis impoſitis ſingulis ſingula Cardinalium nomina cum opprobriis inſcripſerunt, & quilibet manum alterius tenebat, & qui praibat unum oculum habebat, ut reliquos duceret, in cujus corona ſcriptum erat, Lucius nequam Simoniacus & alia blaſphemia.*

CCCXXIV. Novum nunc ſuccedit ludibrii genus, quo CHRISTO inſultavit furor militaris: traditio ſcilicet arundinis, ut ei pro ſceptro eſſet regio. Sic enim Matth. XXVII. 29. Matthæus: Καὶ κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ: ſubintellige ἐδίδουν. *Et calamum* (dabant) *in dextram ejus.*

CCCXXV. Vox Calami, quam alii Græcæ, alii Hebrææ eſſe volunt originis, proprie *arundinem* ſeu *cannam* denotat. Eſt autem Calamus alius naturalis, alius artificialis. Naturalis eſt vel aromaticus, vel paluſtris.

CCCXXVI. Calamus aromaticus κάλαμος ἀρωματικὸς Dioſcoridi & Theophraſto, εὐώδης LXX. Interpp. Exodi XXX. 23. Hippocrati μυρεψικὸς, hoc eſt, *ungventarius* dictus, quem Theophraſtus κατ᾽ ἐξοχὴν Κάλαμον vocat, in ſola gignitur India, nec in Arabia, niſi ex India importatus, invenitur; tantum abeſt ut in Syria proveniat: quod tamen Plinius affirmat lib. XII. cap. XXII. odora-

odoratum pauliſper calamum cum aromatico confundens. Verba Plinii hæc ſunt. *Calamus quoque odoratus in Arabia naſcens, communis Indis atque Syriæ eſt: in qua vincit omnes a noſtro mari CL. ſtadiis. Inter Libanum montem aliumque ignobilem, non (ut quidam exiſtimavere) Antilibanum in convalle modica juxta lacum, cujus paluſtria æſtate ſiccantur, tricenis ab eo ſtadiis calamus & juncus adorati gignuntur.* Idem *lib. XIII. cap. XI.* Naſcitur *& in Syria, circa quem odoratus ille calamus, lacum.* Errorem Plinii confirmavit quoque Plutarchus in libello, cui titulus, *Quod bruta ratione utantur.* Per *lacum* Plinius procul dubio intelligit Geneſareticum Syriæ lacum, a Matthæo *Mare Galileæ,* a Johanne *Tiberiadis* vocatum.

CCCXXVII. Errorem Plinianum primus, quod equidem ſcio, detexit Melchior Gvilandinus, qui ob inquiſitionem hujus calami per integros decem dies verſatus eſt ad lacum Geneſareticum, eaque de re ſic ſcribit in *Commentario de Papyro, num. IX.* Cum *ego annos abhinc XII. Damaſco proficiſcerer Hieroſolymam, hæſi invitus apud lacum Geneſareticum, & Capernaitas CHRISTI miraculis celebres decem integros dies, quos medicorum calamo juncoque odoratis quærendis illic fruſtra impendi. Veruntamen veriſſima eſſe cognovi, quæ ſcribit Theophraſtus lib. IX. de Hiſtoria Plantarum cap. VII. repetitq; lib. ultimo de cauſis Plantarum cap. XXVII. calamum & juncum odoratos, qui in Aulena Syriæ proveniunt, nihil a communibus calamis juncisq; diſcrepare: tametſi odorem, quem narrat ingredientibus locum ſtatim occurrere, neq; ego potuerim, neq; alii item, qui mecũ erant, percipere. Sed hoc Theophraſtum ex aliorum fide prodidiſſe credamus. Ipſe ſuam ſen-*

 tentiam

Digitized by Google

tentiam dicturus, capite XXI. ejuſdem libri, quem poſtremo citavi, negat calamum & juncum odoratos quidquam olere virides: quanto ergo minus terræ hærentes? Quod recte, vereque ab eo aſſertum eſſe, experimentum comprobavit, cum calamum juncumque juxta Tiberiadem lectos, noſtratibus nihilo diſſimiles, mecumque Hieroſolymam aſportatos, levem quandam fragrantiam poſt quadrageſimum diem ſpirare deprehendi.

CCCXXVIII. Habet tamen his quæ opponat Salmaſius; ſiquidem epiſtola ſingulari de Hyſſopo a Thoma Bartholino in calce libri *de Latere CHRISTI aperto* propoſita non mirum eſſe ſcribit hodie ibi non reperiri, cum nec balſamum reperiatur, cujus ſola ferax olim Judæa, nunc plane eo careat ex Arabia petendo: quod deinde pluribus firmat exemplis.

CCCXXIX. Ceterum aromaticum illum calamum ex veteribus deſcribit Dioſcorides *lib. I. cap. XVII.* Ex recentioribus Garſias ab Horto Proregum Luſitanicorum in India medicus, in eo opere, quod *de ſimplicibus medicamentis apud Indos naſcentibus* Luſitanico ſermone publicavit, & ſtudio Caroli Cluſii Latinum legimus.

CCCXXX. Calamus communis paluſtris, a quo non differre Syriacum ex Gvilandino didicimus, quod his in terris ubertim germinet, familiariter omnibus eſt notus, nullaque indiget deſcriptione.

CCCXXXI. Per artificialem calamum omnia ea intelligimus, quæ ex calamis confecta per metonymiam id nominis acceperunt. Nam tibiæ, pennæ ſcriptoriæ, ſagittæ, piſcatorum & aucupum perticæ *Calami* appellata conſtat: id quod luculentis comprobabimus exemplis.

CCCXXXII.

Digitized by Google

CCCXXXII. Tibiæ ex calamis ſiebant: unde & Pollux cum earum materiam affert, primo loco *calamum* affert. Hinc Virgilius *Ecloga II. v.32.*

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit.

Ac iterum: *Nec te pœniteat calamo triviſſe labellum.*
Et *Ecloga V.* Nec *calamis ſolum æquiparas, ſed voce magiſtrum.*

Lucretius *lib.IV. Vnco ſæpe labro calamos percurrit biantes.*
Sic lib. V. Et *ſupra calamos unco percurrere labro.*
Tibullus *lib II. Eleg. II.*

Fiſtula cui ſemper decreſcit arundinis ordo:
Nam calamus cera jungitur usque minor.

Paulinus *Natali IX. Felicis:*

Diſſona fila movet: vel qui perflantia textis
Labra terit calamis.

CCCXXXIII. Calamis quoque veteres in ſcribendo uſi: unde calamis ſcriptoriis nomen. Manſit hoc nomen calamorum uſu licet ſublato pennis ſuccedentibus. Martialis lib. XIV. Epig. XXXVIII.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus,
— *Texantur reliqua tecta palude tibi.*

Sententia eſt, *calamis* Ægytiis ſcribi debere, ceteris tecta muniri. Plinius tamen præfert Cnidios, & qui juxta Anœam Cariæ urbem creſcunt. Sic enim ſcribit *lib. XVI. cap. XXXV.* Chartisque *ſerviunt calami, Ægyptii maxime, cognatione quadam papyri. Probatiores tamen Gnidii, & qui in Aſia circa Anaiticum lacum, naſcuntur.* Scribonius Largus *Compoſit.* XLVII. Oportet *ſumere pinnam anſeris quam maximam, vel calami ſcriptorii fiſtulam modice plenam.*

CCCXXXIV.

CCCXXXIV. Ad Sagittas pergo, quas ex arundine confectas novimus. Dioſcorides in illo capite, quo tractat περὶ καλάμων ſagittas ex iis fieri tradit, & ex eo quidem genere, quod ναστὸν eſt, id eſt, *plenum, non vacuum & inane.* Καλάμων δὲ ὁ μέν τις ναστὸς καλεῖται. Et hic eſt calamus, quem τοξικὸν ab ea re Græci appellant, Latini *ſagittariam harundinem.* De his calamis illuſtrem habemus locum Plinii, & qui adſcribatur digniſſimum *lib. XVI. cap. XXXVI.* Calamis *Orientis populi bella conficiunt: Calamis ſpicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinna addita calamis. Fitque & ex ipſo telum aliud fracto, in vulneribus. His armis ſolem ipſum obumbrant. Propter hoc maxime ſerenos dies optant: odere ventos & imbres, qui inter illos pacem eſſe cogunt. Ac ſi quis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes & Orientis, omniaque Parthorum regna diligentius computet, æqua fere pars hominum in toto mundo calamis ſuperata* (quid ſi *ſuperba* reſcriberemus ?) *degit. Præcipuus hic uſus in Creta bellatores ſuos præcipitavit. Sed in hoc quoque, ut ceteris in rebus, vicit Italia: quando nullus ſagittis aptior calamus, quam in Rheno Bononienſi amne, cui plurima ineſt medulla, pondusque volucre: contra flatus quoque pervicax libra. Quippe non eadem gratia Belgicis. Hæc & Creticis commendationibus: quanquam præferantur Indi, quorum alia quibusdam videtur natura, quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus.* Et eodem capite: *Suum genus ſagittario calamo, ut diximus, ſed Cretico longiſſimis internodiis, obſequentique quo libeat flecti calefacto.* Hoc ſenſu Virgilius *Ecl. III.*

—— Cum Daphnidis arcum
Fregiſti & calamos. Juvenalis:

Digitized by Google

Per calamos venatricis pharetramque Dianæ.

Silius Italicus lib. II.

—— *calamique paterni Pendebant.*

Eodem libro *calamumque volantem* dixerat.

Ovidius lib. VIII. Met.

Impoſitis calamis patulos ſinuaverat arcus.

Manilius: *Et calamum nervis & glebas mittere virgis.*

CCCXXXV. Piſcatorum perticam calami voce notavit Martialis.

Galbula decipitur calamis & retibus ales.

Et utramque, tam piſcatoris, quam aucupis, ſed arundinis voce combinat Plinius d. l. *Aucupatoria harundo a Panormo laudatiſſima, piſcatoria Abaritana ex Africa.* Vnde & Græcis καλαμευτὴς *piſcator.* Et aucupatorias arundines, quæ & *creſcens arundo* Latinis, admodum tenues, Græci καλάμας appellant.

CCCXXXVI. Denique cuicunque ſimilitudo quædam arundinis, Calami quoque nomen adhæſit. Hinc & culmus frumenti, ac arborum vitiumque propullulantes rami ita quandoque dicti. Servius: *Culmus dicitur ipſe calamus, ſtipula vero folia quæ ambiunt culmum.* Plinius: *Qui longius efferantur pomorum calami, rapis infixos optime cuſtodire ſuccum arbitrantur.* Heſychius quoque κάλαμον exponit τὸν καυλὸν ξύλου.

CCCXXXVII. Ad has Calami ſignificationes ſi jam examinaveris arundinem CHRISTO exhibitam, non utique quidquam calamo ſimile, aut etiam artificialem quemcunque calamum CHRISTO datum par eſt credere. Quamobrem alienæ ſunt etiam illæ veterum allegoriæ a calamo ſcriptorio deſumtæ: ac ſi CHRISTUS calamum tenuerit, ut ſcriberet peccata Judæorum, ac de-

Digitized by Google

monſtraret, ſe ſe eſſe eum, qui electos ſuos inſcribat libro vitæ: Hieronymus: *Calamum tenebat in manu, ut ſacrilegium ſcriberet Judaorum.* Caſſiodorus lib. *de divinis lectionibus cap. XXX.* Arundine *currente verba cæleſtia deſcribuntur, ut unde Diabolus caput Domini in paſſione fecit percuti, inde ejus calliditas poſſit extingui.*

CCCXXXVIII. Neq; aromatico hic locus erit calamo, utpote in Judæa non niſi in pharmacopoliis obvio: quicquid ſit de allegorico quorundam ſenſu, ac ſi eo denotatum, infernalem ſerpentem conculcatum, perinde ac aromaticus calamus venenata animalia abigere, ac ſerpentes perimere dicatur.

CCCXXXIX. Vulgaris ergo paluſtris fuit calamus, utpote in Palæſtina ubivis obvius, quem CHRISTVS a militibus accepit. An vero ejus fuerit generis, cujus vertex niger & villoſus facile diſſolvitur, certo affirmare non auſim. Eo tamen inclinat Levinus Lemnius libello *de Herbis Biblicis cap. XXVII. Arundinis*, inquit, *plures ſunt differentia. Vna ſpecies eſt lævore perpolita enodis, nulliſque diſtincta geniculis aut internodiis, quæ typha paluſtris vocatur* (Waſſerkolben) *qualis CHRISTO pro ſceptro regali in manum tradita in affectati regni ludibrium. Eſt huic ſtirpi ſceptri regalis aut imperatorii forma, cujus cacumen duarum fere palmarum altitudine, ac craſſitudine pollicari denſa compactaque lanugine ſtipatur, quam ſi manu aut digitis demulceas, boloſericum aut villoſam quandam congeriem contrectare te credas, quæ tamen poſt dies aliquot disſolvitur in pappos, atque in diffuſam lanuginem evaneſcit.*

CCCXL. Quandoquidem autem fragilis admodum paluſtris eſt arundo, ita milites CHRISTVM nequa-

quaquam agnoſcentes, ejusdem regnum breve, inſtabile, & lubricum deſignare voluerunt: ut opus non foret fracta id arundine ſignare: quam tamen comminiſcitur Xaverius.

CCCXLI. Sic igitur bonus ille paſtor pro pedo fert arundinem, & cum ea omnium gentium infirmitatem. Hilarius *in Matthæum:* In *calamo gentium infirmitas atque inanitas manu comprehenſa firmatur.* Theophylactus *in Matthæum:* Calamus *noſtræ infirmæ carnis ſymbolum eſt, quam ſuſcepit Dominus, ſicut & David dicit: Dextera Domini exaltavit me.*

CCCXLII. Tum CHRISTVM in formam ridiculi Regis compoſitum honore quoque regio ſpecietenus afficiunt protervi milites, flexis ſcilicet genibus eum ſalutantes, ac dicentes. *Ave Rex Judæorum.* Καὶ γονυπετήσαντες, inquit Matthæus, ἔμπροσθεν αὐτοῦ ἐνέπαιζον αὐτῷ, λέγοντες, χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Et Marcus: Καὶ ἤρξαντο ἀσπάζεσθαι αὐτὸν, χαῖρε βασιλεῦ τῶν Ἰουδαίων. *Matth. XXVII. 29. Marc. XV. 18.*

CCCXLIII. Apud Matthæum pro quinto caſu primum reperimus, ut aliquid ſubintellectum videatur: quamvis Ms. Cantuarienſe a Joh. Sauberto in *Variis Lectionibus Matthæi* laudatum reponat caſum vocandi.

CCCXLIV. Vox χαῖρε plane eſt ex Veterum ſalutandi formulis. Plutarchus lib. *de Garrulitate:* Ἐλθόντος οὖν, ἕωθεν, ὡς εἰώθει, τοῦ Φουλβίου πρὸς αὐτὸν, καὶ εἰπόντος χαῖρε καῖσαρ, ὑγίαινε, εἶπε, Φούλβιε. Proinde Xiphilinus in *Hadriano* hoc ἑωθινὸν πρόσρημα vocat, & Lucianus τὸ ἑωθινὸν χαῖρε, in *Dialogo* qui Φιλοπάτρις inſcribitur. Heliogabalum ita ſalutatum, Κύριε Αὐτοκράτωρ χαῖρε Xiphilinus in ejus vita refert, eumque ita ſalutanti reſpondiſſe, Μή με λέγε Κύριον. Ἐγὼ γὰρ Κυρία εἰμί.

CCCXLV. Græco huic Latinum *Ave* reſpondere, Lucianus demonſtrat in *Apologo errati commiſſi in ſalutatione.* Sic Martial. lib. V. Epig. LII.

Exprimere, Rufe, fidiculæ licet cogant
Ave Latinum, χαῖρε non potes Græcum.

CCCXLVI. Vti vero more Romano Imperatores ſalutabant nomine *Imperatoris* vel *Domini,* vel alio nomine adulatorio: ita milites Romani CHRISTVM, verum Regem Regum, Magno Perſarum Rege longe majorem, per deriſionem ſalutant. Quomodo Pſeudophilippus a Rege Philippo per ludibrium *Rex* ſalutatus. Quodmodo item Johannes Dux Finlandiæ a fratre Erico Sveciæ Rege ex carcere dimiſſus fuit ſalutatus: quamvis de animo Erici non ſatis conſtet. Inſignis hac de re narratio exſtat apud Johannem Loccenium Hiſtoriæ Svecanæ lib. VII. digniſſima certe quæ adſcribatur. *Poſtquam Carolus Princeps Johannis frater, & Magnus Saxoniæ Dux eum juſſu Regis comitantes advecti cymbis in terram exſcenderant, & portam arcis littori vicinam tranſiverant, Rex Ericus fratri Johanni obvius genua ſubmittens, non ſolum veniam delicti poſcit, ut quidam ſcribunt, ſed etiam Regem eum appellat; non abſque præſagio, quaſi fratrem ſibi, ut indigno, ſucceſſorem deſtinaret. Ad iſthæc Johannes non parum obſtupefactus, etiam ad genua ejus accidit, atque regium titulum a ſe removens, Ericum pro ſuo & omnium Svedorum Rege agnoſcit. Extemplo ſe invicem complectentes ita mutuorum officiorum & modeſtiæ ſpecie certant, ut neuter ſibi regium nomen deberi velit. Ericus tamen ſimulandi artifex, Johannem hoc ipſo pupugiſſe videtur, quaſi de appetito regno, aut brevi ad eum deferendo ſuſpectum habens: quo animo etiam reconciliationis*

Digitized by Google

tionis literas ab eo revocatum ivit, & num ſecum, an cum Rege Poloniæ faceret, aperire ſibi voluit.

CCCXLVII. Non male Beda: *Adorabant* CHRISTVM, quaſi qui ſeipſum *falſo Deum dixiſſet, & ſalutabant eum, tanquam qui ſeipſum falſo Regem dixiſſet: ut illorum illuſio correſponderet accuſationi Judæorum.*

CCCXLVIII. Protoplaſti fraude Satanæ inducti divinos affectabant honores. CHRISTVS igitur ad expiandam illam ambitionem, omnium mundi malorum originem, putidiſſimis horum militum illuſionibus & ſarcaſmis ſe expoſuit.

CCCXLIX. Pulchre etiam Theophylactus *ad Matthæum:* Auribus *ſuſcipiendo ignominias ſanavit ſerpentis ſibilum per aures Evæ ingreſſum.*

CCCL. Porro ab adoratione irriſoria ſurgentes, novo Regi ſputorum ſordes, loco tributorum ac donariorum offerunt: ut reipſa comprobarent, quod extremo contemtu & ignominia dignum judicent. De hac contumelia pluribus ſupra dictum *cap. VI.*

CCCLI. Nec minus alapas etiam impegerunt: perinde ut factum antea in Cajaphæ palatio. *Joh. XIX. v. 3.*

CCCLII. Denique arundinem pro ſceptro antea tributum eripuerunt dextræ, & caput ea percuſſerunt: tanto majori dolore, quod ſpinæ coronæ ſic altius imprimerent. Ideoque Hilarii conjectura vix habebit locum *ad Matthæum* ſcribentis: *Capiti, ut opinor, de ictu calami non grandis injuria eſt: ſed typica in eo ratio ſervatur, ut infirmitas gentilium corporum manu CHRISTI comprehenſa etiam in Deum Patrem, qui caput ejus eſt, requieſcat.* *Matth. XXVII. v. 37. Marc. XV. v. 19.*

CCCLIII. Sic verbera ſervilia pœnasque nobis de-

bitas iterum pro nobis in ſe ſuſcepit: ut ſimul & nos, qui animos excelſos & feroces gerimus, doceret lenitatem, & in malis tolerantiam. *Quam excuſationem habebimus,* ſcribit Chryſoſtomus *Homil. LXXXVIII. in Matthæum, ſi vituperati ad iram concitamur, qui tot tantaque ſuſtinuiſſe CHRISTUM non ignoramus?*

CCCLIV. Addunt nonulli, etiam capillos ac barbam evulſam eſſe. Sed quia de eo Scriptura tacet, nos etiam tacebimus.

CCCLV. Hæc autem omnia paſſus eſt Pilatus in JESUM deſignari, ut Judæorum odium hac hominis afflictione placaret. Solet enim populi furor, ſi fuerit aliquousque debachatus in eum, in quem fertur, defervefcere, ac ſubito nonnunquam conquieſcere: præſertim ſi ludibrium calamitati additum pro invidioſo reddat miſerabilem eum, qui paſſus eſt.

CCCLVI. Igitur poſt tot injuriarum atque ludibriorum genera hoc agit Pilatus, ut denuo tentet Judæorum animos. Nam foras iterum extra prætorium egreſ-
Joh. XIX. 4. ſus, inquit: *Ecce adduco* vobis hominem *foras,* ut ejus ſpectaculo ſatietis veſtros oculos, & intelligatis, quomodo tractatus ſit in veſtrum gratiam. *Ego* tamen *nullum crimen* morte dignum *in ipſo invenio.*

CCCLVII. Miſeranda itaque facie CHRISTUS
5. ſpinea corona purpureoque pallio inſignis extra prætorium producitur, Pilato ad Judæos dicente: *Ecce Homo.*

CCCLVIII. Quidam hanc dictionem non ad JESUM, ſed ad adſtantes referunt hoc ſenſu: O homo, quiſquis es, vide, quam miſere ille ſit tractatus, huc oculos atque animum converte, & ſi quid in te hominis, miſerere miſeri hujus hominis.

CCCLIX.

Digitized by Google

CCCLIX. Sed rectius illa ad CHRISTVM referuntur, hac ſententia: Videte miſerum hominem, nihil minus, quam Regem. Videte, quam miſere excarnificatus atque flagellatus ſit. Si Regi invidetis, jam parcite, quia dejectum videtis. Confido ejus ſupplicio jam ſatiatos veſtros animos, ut ſi qua vobis humanitas, nihil ultra ſupplicii ſit opus irrogari.

CCCLX. Hoc ſpectaculum CHRISTI propter nos flagellati, ſpinis coronati, ac miſerrimis indigniſſimisque modis tractati ſemper nobis ob oculos ponamus; nec peccatis noſtris affligamus denuo, qui ob ea acerbiſſime afflictus eſt.

CCCLXI. Interea tantum aberat, ut CHRISTO conſpecto mitigarentur animi, ut, quemadmodum feræ guſtatis carnibus magis ſolent furere, ita illi fierent efferatiores.

CCCLXII. Ad hanc rabiem eos inſtigabant Proceres, qui metuebant, ne, ſi dimitteretur JESVS, paulatim ad ſe rediret populus, & pœnitudine eorum quæ inique egiſſet, illum crearet Regem, deque iis, a quibus eſſent concitati, ſupplicium ſumeret. Quapropter gnari, mortuos non mordere, hoc unice agunt, ut populus eum ad ſupplicium depoſcat.

CCCLXIII. Hinc univerſi uno ore inclamare, vocemque feralem *Crucifige* ingeminare: quaſi dicerent. Euge! Belle! Perge, ut cœpiſti. Flagella crucifigendo conveniunt. Quem igitur flagellaſti, ut flagellatis fieri ſolet, etiam crucifige. *Joh. XIX. v. 6.*

CCCLXIV. Tum Pilatus indignabundus plane: ſe quidem nullam in eo reperire culpam morte dignam: ſed ſi crucem meruiſſe videretur, ipſi, modo tantam haberent pote-

poteſtatem, crucifigerent. Λάβετε, inquit, *αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε, ἐγὼ γὰρ οὐχ εὑρίσκω ἐν αὐτῷ αἰτίαν. Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non invenio in eo cauſã,*

CCCLXV. Non utique Pilatum priora ex animi ſententia dicere putamus, quaſi CHRISTVM judicio reddat Judaico, eorundemque poteſtatem cauſas capitales definiendi confirmet: ſed dictum inſultatorium, credo, & irronicum: cujus ſummam proximo capite ex Gerhardo propoſuimus.

CCCLXVI. Quod dixerat Pilatus, nihil ſe morte dignum invenire, jubent Judæi diſtinguere inter Romanas leges & Judaicas. Ajunt enim, etiamſi nondum conſtaret Pilato, CHRISTVM adverſus leges Cæſareas peccaſſe, ſe tamen legem habere, a Deo traditam, ex qua mortis ſupplicium meruerit, quod Filium Dei ſe feciſſet, & ſibi divinitatẽ vendicans in Deum blaſphemus fuiſſet.

CCCLXVII. CHRISTVS, ſe *Filium* eſſe *Dei* ſæpius in concionibus ad populum docuerat, inprimis Johan. V. v. 18. ubi ipſimet Judæi intelligunt, quod Deum vocando *ἴδιον proprium* ſuum Patrem, æqualem ſe illi ſit profeſſus, & Johan. X. v. 30. ubi ſe & Patrem eſſe unum teſtatur. Quinimo paulo ante coram publico Concilio illud repetiverat, quando Pontifici roganti an eſſet CHRISTVS Dei Filius, diſerte reſpondit, *Tu dixiſti.* *Matth. XXVI. v. 64.*

CCCLXVIII. Hanc confeſſionem CHRISTI cum blaſphemiæ ibidem damnet Pontifex, inque eo conſentirent Proceres Synedrii facile intelligitur, quam contra legem CHRISTVM deliquiſſe intelligant.

CCCLXIX. Devteron. VI. v. 4. tale exſtat præceptum: *Audi Iſrael, Dominus Deus noſter Dominus unus eſt.* Et cap. V. v. 7. *Non habebis Deos alienos coram me.* Ex quo colli-

Digitized by Google

colligunt. Si unus eſt Deus, ut re vera eſt, non habet Filium. Si enim filium haberet ejusdem omnino eſſentiæ, non amplius unus Deus, ſed plures Dii eſſent. Qui cunque igitur ſe Filium Dei prædicat, unitatem eſſentiæ divinæ impugnat, Deosque alienos introducit, ac proinde ut transgreſſor primarii illius præcepti debet interfici: idque ex ſpeciali mandato Dei Levit. XXIV. 16. & Devteron. XIII. 10.

CCCLXX. Callide reticent Judæi, contra quam ſpeciatim legem CHRISTVS deliquerit, in genere tantum pronunciando, ſe habere legem aliquam, adverſus quam peccando mortem ſit promeritus: ut ſignificent Pilatum utpote legis divinæ ignarum non poſſe de hoc crimine judicare, ideoque ſuæ ſententiæ ipſum ſimpliciter debere acquieſcere, ut crucis ſupplicio in reum animadvertat.

CCCLXXI. Habebat hæc accuſatio quandam probabilitatis ſpeciem coram externo judice: ſed penitius inſpectam multis mendaciis refertam deprehendimus.

CCCLXXII. Primo nimirum CHRISTVS non fecerat ſeipſum Dei Filium, ſed quia is revera erat, ſolenni Patris præconio fuerat proclamatus: miraculis inſuper hoc ipſum comprobaverat, & Prophetarum teſtimoniis confeſſionem ſuam confirmaverat.

CCCLXXIII. Deinde quidem recte ſtatuunt, verum eundem eſſe Deum, qui natura Filius ſit Dei: ſed minus recte hinc concludunt, Patrem & Filium non poſſe eſſe unum Deum: cum non repugnet Teſtamento veteri, unum eſſe Deum, & eſſe unigenitum ac naturalem aliquem Dei Filium.

CCCLXXIV. Ceterum ex quo Pilatus audivit hunc *Johan. XIX. 6. 8.* ſermonem, quod CHRISTVS ſe Filium Dei feciſſet, magis timuit.

Digitized by Google

CCCLXXV. Expendens hunc timorem Simon de Caſſia, eruditus pro illis temporibus ſcriptor, inquit *lib. XIII cap. VIII.* Idololatra *erat Pilatus, & forte ipſum credidit quandam cœlicolam creaturam, aut unum de numero Deorum effigiatum in hominem, ſicut ipſe Romanorum errore deluſus, Deos colendo credebat, aut quendam inſignem virum ex antiquis inter Numina receptum: prout Romulum credidit hactenus populus Romanorum, nunc vero, neſcio qua de cauſa, in iſtis inferioribus devolutum.*

CCCLXXVI. Forte etiam metuere cœpit Pilatus, ne CHRISTVS eſſet Heros, ſeu ſemideus, a Deo forte Hebrææ ſe conjungenti puellæ ortus: qualibus fabulis tum Romani orbis pars magna inhærebat. Metuere igitur occœpit, ne ſi ſic natus eſſet JESVS, ac talem tollendo, Deorum in ſe iras concitaret: aut etiam Romanorum, ſi aliquem ex familia Deorum ſuſtuliſſet.

CCCLXXVII. Quamobrem cum non eſſet in promtu, quod Judæis reſponderet, reduxit JESVM in prætorium: & ipſe ingreſſus iterum allocutus eſt illum, cupiens expiſcari, qvid hoc novæ objectionis ſibi velit, & quomodo poſſet refelli. Rogat igitur, *Qui genus? Vnde domo?* Πόθεν εἶ σύ; *Vnde es tu?* an ex Deo; an ex hominibus?

CCCLXXVIII. JESVS ne videretur aliquid tentaſſe, quo elaberetur, ſicque nolens ad mortem adactus fuiſſe, nihil omnino reſpondit Pilato. Nam quod hactenus reſponderat, innocentiam ſuam teſtatam eſſe voluit: mortem autem volens ac lubens oppetere decreverat.

CCCLXXIX. Pilatus admiratus CHRISTI ſilentium in capitis periculo conſtituti, cum judicem haberet tam faventem, ut ad reſpondendum provocaret. Cur mihi, inquit, non reſpondes, in capitis periculo conſtitutus?

Joh. XIX. v. 10.

CCCLXXX.

CCCLXXX. Enimvero ſecundum leges Romanas reus ad objecta crimina reſpondere debuit, eaque diluere. Cum autem CHRISTUS non reſponderet, voluit Pilatus ei dicere, quod alias Comicus:

An quisquam Judex eſt, qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas?

CCCLXXXI. Et ut eo magis commodum reſponſum eliceret, ſubjungit Pilatus: An neſcis poteſtatem me habere vel abſolvendi te, vel condemnandi, ut ſupplicium crucis adeas?

CCCLXXXII. Jactat quidem his verbis Pilatus poteſtatem ſuam, ſed manifeſtat interim latentem cordis ſui impietatem ac crudelitatem. *Audite,* inquit Ambroſius *ſerm. XX. in Pſalmum CXVIII.* quid *Judex iniquitatis loquatur. Poteſtatem habeo crucifigendi te, & poteſtatem habeo abſolvendi te. Mala poteſtas, licere quod noceat. Poteſtas illa tenebrarum eſt. —— Bonus Judex nihil ex arbitrio voluntatis ſuæ facit & domeſticæ propoſito voluntatis; ſed juxta leges & jura pronunciat, ſcitis juris obtemperat, propriæ voluntati non indulget.*

CCCLXXXIII. Ad hæc nihil reſpondit JESUS eorum, quæ expectabat Procurator, qui ad cauſæ defenſionem cupiebat inſtrui: tantum de poteſtate, quam Pilatus ſuperbe ſibi arrogabat, reſpondit: Non habiturum eum poteſtatem, niſi ea ἄνωθεν, &, ut poſteriores locuti, *cælitus* eſſet conceſſa. *Joh. XIX. v. 11.*

CCCLXXXIV. Non illud ſenſiſſe videtur Dei Filius, viros principes, quibus poteſtas eſt judicandi alios, a Deo munus hoc habere: id enim eſt commune omnibus Principibus. At majus aliquid ſignificare voluit, quodque Pilatum proprie magis tangeret; ſcilicet magnam

Digitized by Google

quidem, ut Cæſaris vicarium habere poteſtatem, non tamen in ſe, utpote Filium Dei, Regem Regum & Dominum omnium poteſtatem ſupergreſſum. Concedit porro in ſe habere poteſtatem, non tamen omnem & abſolutam. Jus & fas ſe crucifigendi habere negat, quod ſit innocens, nullique crimini obnoxius: ſed vires & facultatem crucifigendi ipſi concedit, non tamen niſi limitatam & circumſcriptam, quatenus ſcilicet nunc ipſi, cum hora ſua venerit, datum & permiſſum ſit.

CCCLXXXV. Optime igitur Chryſoſtomus Homil. LXXXIV. in Johannem: Τὸ δεδόμενον ἐνταῦθα τὸ συγκεχωρημένον ἐστὶν, ὡσανεὶ ἔλεγεν εἴασε ταῦτα γενέσθαι. *Hoc verbum* datum *in hoc loco eſt permiſſivum: quaſi dicat: Permiſit hæc fieri.*

CCCLXXXVI. Addidit JESVS, utcunque Pilatus peccaret, tam multa agendo in Judæorum gratiam, multo tamen gravius eorum eſſe delictum, qui ipſum Pilato tradiderint.

CCCLXXXVII. Peccatum Judæorum erat gravius peccato Pilati, non ratione objecti, quia utriq; in ipſum Dei Filium erant injurii, ſed ratione operantis, quia Pilatus erat ethnicus, divinæ cognitionis luce deſtitutus. Sed Iudæi e Scripturis noſſe poterant & debebant, hunc IESVM Nazarenum eſſe promiſſum Meſſiam, & Dei Filium. Pilatus ſeditionis metu & quodammodo invitus CHRISTVM condemnat; ſed Iudæi ex obſtinata malitia pervicacique odio & livore contra CHRISTVM peccant, & Pilatum quaſi adigunt ad CHRISTVM condemnandum.

CCCLXXXVIII. Non igitur Pilati crimen nullum eſt, quia Iudæorum majus eſt. *Exceſſit* ſcilicet *Pilati culpam*

Digitized by Google

pam facimus Judæorum, ſed nec ipſe evaſit peccati reatum, quando reliquit proprium judicium, & in crimen tranſiit alienum, uti loquitur Leo *ſerm. VIII. de Paſſione cap. II.*

CCCLXXXIX. Poſt hos ſermones Pilatus impenſius ſtuduit eum manibus Judæorum eximere. Sed Judæi, ad antiqvum redeunt, & ſublata voce immodice clamitant, quod Nonni nunc verbis exprimere placet: *Joh. XIX v. 12.*

—— Ἀπήμονα τοῦτον ἐάσας
Καίσαρος οὐ φίλος ἐστὶ μονοσκήπτρου βασιλῆος.
Πᾶς γὰρ ἑαυτὸν ἄνακτα λέγων ψευδήμονι μύθῳ
Καίσαρι Τιβερίῳ ψευδώνυμος οὗτος ἐρίζει.

—— *Illæſum hunc relinquens*
Cæſaris non amicus es, ſolius ſceptriferi Regis.
Omnis enim ſcipſum Regem dicens, mendaci ſermone
Cum Cæſare, Tiberio falſo nominatus hic contendit.

Τοῦτο ὕβριν Καίσαρι φέρειν: *Hoc cum Cæſaris injuria conjunctum* tradunt: quæ ipſius Pilati apud Ioſephum phraſis eſt *lib. XVIII. Antiq. Judaic. cap. IV.*

CCCXC. Prioribus illis Iudæi vel ſimpliciter minantur Pilato, quod amicitia Tiberii caſurus ſit; vel præterea, quod Tiberius ei procurationem Iudææ ſit ademturus: ſiquidem Legati Præſides, Præfecti *amici Imperatoris* dicebantur. Trajan. Plin. lib. X. Epiſt. XXIII. *Notum mihi facere debebis, ut epiſtolam tibi ad Pompejum Plantam, Præfectum Ægypti, amicum meum mittam.* Cujus promiſſi fidem impleri poſtulans Plinius, *Rogo ergo*, ait, *Indulgentiſſime Imperator, ut mihi ad Pompejum Plantam præfectum Ægypti, amicum tuum, ſic ut promiſiſti, epiſtolas mittas.* Imp. Aurelius in *l. I. Ex delict. defunct.* in Titulis ex Corpore Cod. Hermogeniani: *Auditis itaque partium allegationibus, V. C. Proconſul provin-*

Digitized by Google

cie Africa, amicus noſter, in pronuntiando formam juris ſequetur. Diocletianus & Maximianus in *l. IV. Cod. de juris & facti ignor.* Oſtende *igitur hoc apud Correctorem virum clariſſimum, amicum noſtrum.*

CCCXCI. Judæi igitur ita Pilato volunt metum amittendæ poteſtatis injicere, quod ea ademta Cæſaris amicus non amplius dicatur.

CCCXCII. Altero autem illo, quod is qui ſe pro Rege venditet, Cæſari contradicat, adeoque in ejus ſacratiſſimam majeſtatem ſit injurius, robur addunt minis ſuis. Quod Judæorum dictum ſic expreſſit Theophilus Antiochenus lib. ad Avtolycum: Βασιλεὺς ὃς ἔχει ὑφ' ἑαυτὸν τεταγμένους οὐ βούλεται βασιλεῖς καλεῖσθαι. Τὸ γὰρ βασιλεὺς αὐτοῦ ἐστὶν ὄνομα, καὶ οὐκ ἄλλῳ ἐξὸν ἐστι τούτῳ καλεῖσθαι. *Rex quos habet ſibi ſubditos non vult Reges vocari. Nam Regis nomen ipſius eſt, nec licet alium hoc nomine vocari.*

CCCXCIII. In Judæa certe Cæſares neminem patiebantur uſurpare nomen & poteſtatem regiam, niſi ſuo ex decreto & conſenſu. Quam ob cauſam Archelaus Herodis Magni filius graviter accuſatus fuit, quod vel paſſus eſſet Regem ſe haberi ante Cæſaris permiſſum: & ad nomen illud obtinendum Herodes tetrarcha Romam profectus eſt.

CCCXCIV. Tum temporibus Tiberii lex Julia majeſtatis acriter & ſevere exercebatur. Tacitus Annal. III. teſtatur, *majeſtatis crimen unum omnium accuſationum fuiſſe complementum;* adeo quidem, ut Seneca affirmante *lib. III. de Beneficiis cap. XXVI.* exciperetur *ebriorum ſermo, ſimplicitas jocantium, nihil eſſet tutum.* Quin imo (ut eſt apud Svetonium in ejus vita cap. LVIII.) *con-*

ſulente

Digitized by Google

ſulente Prætore, an judicia majeſtatis cogi juberet: exercendas eſſe leges reſpondit; & atrociſſime exercuit.

CCCXCV. Hinc & ob leviſſima quandoque crimina læſæ majeſtatis accuſatio locum habuit. Namque accuſatus non nemo, quod annulum in quo ſculpta effigies Cæſaris, matulæ, vel obſcœnis admoviſſet. Seneca *d. l.* Alius, quod Tiberii effigiem annulo impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſet. Svetonius *in Tiberio cap. LVIII.* Alius quod effigiem Principis promiſcuum ad uſum argenti vertiſſet. Tacitus *III. Annal.* Atque item alius, quod ſervum verberaſſet, qui drachmam argenteam Tiberii imagine ſignatam geſtabat. Philoſtratus *lib. I. de vita Apollonii.*

CCCXCVI. Itaque Judæi cum forte non ignorarent, illis temporibus ob res leviores crimen majeſtatis intendi, idque Tiberium velle vindicari; gravius crimen majeſtatis intenderunt CHRISTO, quod ſe Regem facere voluiſſet, ut Pilatus eum tanti criminis accuſatum, timeret dimittere, & Cæſaris offenſam contrahere.

CCCXCVII. Revera tamen Judæi non ſic favebant Cæſari, qui ejus majeſtatem & jura ſarta tecta cuperent: ſed ut ſub hoc prætextu JESU tantum incommodarent, ejusque ſupplicium promoverent modis omnibus.

CCCXCVIII. Non igitur novum eſt, nec mirum alicui debet videri, ſi ad piorum confeſſorum zelum in invidiam trahendum prætexatur imminutio Status rationis, labefactatio auctoritatis magiſtratus, infractio reverentiæ ſeculari poteſtati debitæ.

CCCXCIX. Audita voce de peritura Cæſaris amicitia, qua ſalva, ſe ſalvum, qua amiſſa ſe perditum credebat, collabaſcit Pilatus, metuens, ne graviſſimam incurreret

reret offenſam Cæſaris. Noverat enim animum Tiberii ſuſpicionibus indulgentiſſimum, multosque apud eundem invidia criminis quamlibet falſi, periclitatos, & extrema paſſos.

Joh. XIX. v. 13. CCCC. Hinc *Pilatus* JESVM *producit* extra prætorium, *& conſedit pro tribunali in loco, qui* Græce λιθόστρωτον, *Hebraice diceretur Gabbatha.*

CCCCI. Magiſtratus Romani de gravioribus cauſis cognoſcentes ſedebant pro tribunali. Quem morem quoque Pilatus ſententiam dicturus obſervat. Et conveniebat JESVM in loco publico & ſolenni condemnari, ne quem lateret ejus innocentia.

CCCCII. Locus *Gabbatha* Hebræis & Chaldæis ab *altitudine* ſic dictus, (videtur enim derivari a גַּבְּהָה *altum, elatum eſſe*: niſi mavis dictum ab inuſitato גָּבַב, unde גַּב quod cujuscunque rei ſuperficiem eminentiorem proprie deſignat, & גַּב quod *fornicem* ſive *excelſum* ſignificat.) fornix forte fuit eminentior, qui ſecundum Syri & Perſæ Interpretum mentem, *peribolo* quodam ſeu *lorica* cinctus fuit.

Johan. XVIII. v. 13. CCCCIII. λιθόστρωτον hunc locum nominat Johannes, quod retinet Vulgatus; melius ſane ac Caſtellio, qui novo vocabulo *Lapidipavium* interpretatus: quod vel ideo probari nequit, quia *pavimenta* inter & *lithoſtrota* non parum fuit diſcriminis.

CCCCIV. Pavimentum, Feſto & Iſidoro teſtibus, a *paviendo* nomen habet, quod idem eſt ac *cadere* ſive *ferire*: vel quod *pedibus ab euntibus paviatur*: vel quod dum pavimenta fiunt, pluribus diebus feriantur, ut ſolidiora ſint, nec rimas faciant. Quam in rem Cato de Re Ruſtica cap. XVIII. *Ibi de teſta arida pavimentum ſtruito;*

tô; ubi ſtructum erit, pavito, fricatoque, uti pavimentum bonum ſiet. Et Columella lib. I. cap. VI. *Sed utrumque more piſcinarum devexum leni clivo, & exſtructum, pavitumque ſolum habeat, ne humorem transmittat.*

CCCCV. Κατ' ἐξοχὴν vero Pavimentum dixere Veteres pro *teſſellato,* hoc eſt, ex parvis *teſſellis,* ſive calculis quadratis, iisdemque variis coloribus tinctis compoſito. Gloſſæ: *Pavimentum:* ψηφολογητὸν ἔδαφος. Et potuiſſe hoc genus pavimenti aliquando eximi ac circumferri, patet ex ſeqventibus Svetonii de Cæſare: *Munditiarum lautitiarumque ſtudioſiſſimum multi prodiderunt: quamvis tenuem adhuc & obæratum in expeditionibus teſſellata & ſectilia pavimenta circumtuliſſe.*

CCCCVI. *Teſſellata* a *ſectilibus* diſtinguit Svetonius; & per hæc videtur (id quod etiam Salmaſio in *Plinianis Exercitationibus* monitum:) λιθόστρωτα ſignificare: quæ quidem ſectis parvulis marmorum cruſtis ſtructa ex diverſi generis & coloris marmoribus, non tinctis. Subindicat id Plinius, diſerte a pavimento tanquam picto, lithoſtrotum diſcernens lib. XXXVI. cap. XXV. *Pavimenta* inquit, *originem apud Græcos habent elaborata arte, picturæ ratione, donec lithoſtrota expulere eam. Celeberrimus fuit in hoc genere Soſus, qui Pergami ſtatuit, quem vocant aſaroton œcon, quoniam purgamenta cœnæ in pavimento quæque everri ſolent, veluti relicta fecerat parvis e teſticulis* (quid ſi *teſſellis* legendum?) *tinctisque in varios colores.* Idem paulo poſt: *Lithoſtrota cœptavere jam ſub Sylla parvulis certe cruſtis: exſtat q; hodie, quod in Fortunæ delubro Præneſte.*

CCCCVII. Ejusmodi platea incruſtata quondam erat Carthagine propter templum omnium Deorum.

Proſper Aquitanus lib. III. *de Prædictionibus & Promiſſionibus Dei:* Apud *Africam Carthagini Cœleſti ferebant eſſe templum, nimis amplum, omnium Deorum ſuorum ædibus vallatum. Cujus platea lithoſtrota, pavimento ac pretioſis columnis & mœnibus decorata, prope in duobus fere millibus paſſuum protendebatur.* Cui geminum fuiſſe credo forum Conſtantinopolitanum, quod dictum πλακωτὸν quia nimirum, ut Zonaras in Conſtantino habet, κατίστρωτο λιθίναις πλαξί.

CCCCVIII. Satis de nomine. De ipſo loci ſitu variant conjecturæ. Theodorus Beza *in Notis ad Johann. cap. XIX.* ſuſpicatur, fuiſſe eundem, de quo Nehemias cap. III. v. 7. ubi poſtea exſtructa fuerat Antonia. Fidentius loquitur Adrichomius in *Deſcriptione Hieroſolymæ. Locus erat ante domum Pilati editus, & judicio accommodatus, ubi Romani Præſides ſententiam ferre ſolebant, qui Græce Lithoſtrotos.* Seldenus *lib. II. de Synedr. Veterum Hebræorum* conjicit, fuiſſe conclave illud ſaxeum לשכת הגזית dictum, cujus pars altera in area ſacra, altera in profana. Joſephus *lib. II. de Bello Judaico cap. VIII.* Ὁ Πιλάτος καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ. *Pilatus ſedens pro tribunali in magno ſtadio.* Joſephi veſtigia cum pluribus aliis legens Grotius, ait: *Non erat tribunal Pilati intra prætorium, ſed in ſtadio, quod erat non longe a prætorio.*

CCCCIX. Vtcunque vero jam animo Pilati ſederet hæc ſententia, condemnare JESVM: nihilominus committere non potuit, quin aliqua diceret & faceret, ad teſtandum, quam invito hoc feceret animo. Itaque in judicis habitu conſpicuus populo e tribunali demonſtrat reum, ut vel ex ipſa ſpecie liqueret, quam injuſte eum accuſarent criminis affectatæ tyrannidis, qui ſic affectus

tan-

tantam animi tranquillitatem, tantam manſvetudinem præ ſe ferret. *Ecce,* inquit, *Rex veſter.* Joh. XIX. v. 14.

CCCCX. Ad hæc Theophylactus: *Sæpe diximus, quod Pilatus magis fuerit mollis & ambitioſus, quam aſperis moribus, Vide etiam & nunc, quod forma quidem examinis & judicii utitur, ſed omnino molliter rem agit. Ecce enim, inquit, Rex veſter. Neque enim JESVM condemnat, neque Judæos manifeſte confutat, ſed quaſi occulte exprobrat eis, ut ſycophantis: quaſi dicat: Ecce qualem hominem dicitis attentaſſe invadere regnum, vilem ſcilicet, & nihil tale attentare ardentem, & ita accuſatio veſtra falſa. Quid enim habet ille quod tyranni? num milites, divitias, nobilitatem? Ecce Rex veſter: quæ utilitas, ſi hunc occideritis, qui homo ne in minimo quidem nocere poterit?*

CCCCXI. B. noſter Gerhardus conjicit Pilatum his verbis eo reſpicere, quod ante quatriduum publica acclamatione ſalutatum Regem mira rerum converſione nunc cupiant perditum, eoque dicta ejus ita παραφράζει. *Jam olim exſpectatis Regem vobis promiſſum, nunc ubi apparuit, extinctum illum cupitis? Conſulite veſtro honori, ne dicamini furenter perſecuti eum, cui regiũ honorem ipſimet tribuiſtis? Cæſar non metuit ſibi ab hoc Rege, vos modo illius miſeremini, & ad crucifixionem ipſum depoſcere ceſſate. Si vere eſt Rex veſter, cur tanto furore ad tam atrox ſupplicium poſtulatis eum, cujus honorem tueri deberetis? Sin falſo ſe jactavit Regem, ignoſcite flagellis caſtigato & ob hanc temeritatem ſatis dura perpeſſo.*

CCCCXII. Sic igitur Pilatus, non ſine arcano Dei inſtinctu & nunc ante pronunciationem capitalis ſententiæ, ac poſtea quoque crucis titulo regium nomen & honorem ex re & vero Salvatori noſtro aſſerit, qui ideo pro ſubdi-

ſubditis mortem ſubit, ut ex regno Satanæ liberatos in regnum gratiæ ac demum regnum gloriæ transferat.

CCCCXIII. At illi Regem hunc externa ſpecie abjectum, quique ipſos a Romana dominatione non præſtaret immunes, omnino repudiantes, nihilque aliud ſitientes, quam ſanguinem innoxium, iterum ſuccla mant: *Tolle, Tolle, Crucifige eum.*

Joh. XIX. v. 15.

CCCCXIV. Promiſcuum vulgus infeſtis clamoribus nonnunquam popoſcit ad ſupplicium noxios, aut habitos pro noxiis. Vnde Apulejus lib. II. *Sævire vulgus interdum, & facti veriſimilitudine ad criminis credulitatem impelli, conclamant Ignem, requirunt ſaxa.* Atque id etiam Judæos factitaſſe, porro conſtat ex Actis Apoſtolicis, cap. XXI. v. 36 & cap. XXII. v. 22. ubi illa in Paulum Αἶρε αὐτὸν, & Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον, comparent.

CCCCXV. Perinde ac Gentiles poſtea clamarunt: CHRISTIANOS AD LEONEM! CHRISTIANOS AD BESTIAS! Id quod jam pluribus Tertulliani, Cypriani, Hieronymi locis firmavimus libello de *Martyrum cruciatibus cap. IX.* quibus & hæc adde Tertulliani ex libro *de Reſurrectione Carnis:* Quis *inimicos CHRISTI jam ſubjecit pedibus ejus ſecundum David, quaſi velocior patre, omni adhuc popularium cœtu reclamante: Chriſtianos ad leonem!* Hieronymi integra (nam pars allata tantum dicto loco) hæc ſunt *lib. VII. in Eſaiæ cap. XVIII.* Impii *comparantur undarum molibus, & frementi mari, & quantum in ſe eſt, cuncta opprimere & occupare cupienti: Sonabunt enim populi in ſpectaculis theatralis luxuriæ, & amphitheatri crudelitate, & circi furoribus, ſicut ſonitus aquarum inundantium, quando conſona impietatis voce blaſphemant, & dicunt: Chriſtianos ad leones, & beſtias* pro-

Digitized by Google

projici, & cetera hujusmodi. Sed illis inſtar maris furentibus increpabit Dominus, auctorem ſeditionis eorum, & fugabit eum a ſuo populo. Sic & clamaſſe reperio *Tolle, Tolle!* Ambroſius, ſive quis auctor alius Epiſtolæ de Agnetis martyrio: *Ad hanc vocem omnes haruſpices, & templorum Pontifices conturbabantur, & fit per eos vehementior quam fuerat ſeditio populorum, atque omnes una voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficam, quæ & mentes mutat, & animos alienat.*

CCCCXVI. Merito autem, ſiquidem boni Judicis facere voluiſſet officium, inſuper habere hos clamores Pilatum decuiſſet: quod utique feciſſe legimus Flavium Veſpaſianum, cum Joſephus Judæus atque ipſe hiſtoriæ ſcriptor promiſcuis clamoribus ad ſupplicium peteretur. Sic enim ipſe commemorat lib. III. de Bello Judaico cap. XIV. *Multi ſimul, ut de Joſepho ſupplicium ſumeret, cum clamore precabantur. Veſpaſianus autem de iſta quidem petitione, velut ab inconſulta multitudine oblata nihil reſpondendo diſſolvit.*

CCCCXVII. Hinc etiam poſteriorum Imperatorum conſtitutiones prohibuerunt, ne in pœnis decernendis vanæ voces populi audirentur. Sic enim habetur l. Decurionum XII. Cod. de Pœnis: *Cumque a populo acclamatum eſſet, iterum dixerunt:* (Impp. Diocletianus & Maximianus:) *vanæ voces populi non ſunt audiendæ: nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine abſolvi, aut innocentem condemnari deſiderant.* Et jam olim Plato *dial. II. de Legibus:* Non *debet verus judex, quæ determinanda judicio ſunt, ab alio diſcere, & quaſi ſtupefactus tam clamore multorum, quam ignorantia ſua ita ferre ſententiam.*

Digitized by Google

CCCCXVIII. Mirum alicui videri poſſet, qui populus Judaicus cruci addictum tam enixe cuperet IESVM, cum tamen crucifixioni inter Iudæorum ſupplicia nullus eſſet locus. Hæc enim tantummodo quadriga ipſis uſurpata. *Gladii, Laquei, Ignis, & Lapidum.* Ea de re in Miſna Sanhedrin cap. VII. legas: *Quatuor ſupplicia capitalia ſenatui tradita ſunt, Lapidatio, Vſtio, Decollatio, & Strangulatio.* Moſes Kozenſis ſcribit fol. CLXXXVIII. *Lapidatio gravior eſt Combuſtione, Combuſtio atrocior pœna Gladii, Gladii pœna mitior eſt ſtrangulatione.* Et Moſes Maimonides auctor eſt quatuor has tantum legitimas fuiſſe veteri Iudæorum populo ſuppliciorum ideas, tam rigida obſervatione ab iis uſurpatas, ut ne Regi quidem fas eſſet pœnas mutare: puta in meritam ex legibus pœnam gladii aliter quam gladio animadvertere.

CCCCXIX. Ac plane Iudaicæ genti ignotam fuiſſe crucem, ſequentia Rabbinorum verba Paulo Fagio ad *Deuteron. XXI. v. 22.* & Iſaaco Caſaubono *Exercitat. XVI. Num. LXXVII. ad Baronium* laudata teſtantur: *Non fuit hic mos in Iſraele, ut clavos figerent in pedibus aut manibus hominum, qui lapidati, aut ſuſpenſi fuiſſent.* Et mox: *Non invenitur, quod homo clavis figi debeat ad crucem, ſed ſuſpendendus eſt blaſphemus & idololatra.*

CCCCXX. Huc accedit, quod nullum veteris Hebræorum linguæ verbum ſit, quod Crucem proprie dictam ſignificet; nullum verbum actioni crucifigendi proprium: nullum denique in toto veteri Teſtamento exſtet certum de eo ſupplicii genere teſtimonium: quod quidem argumentum inprimis urget Caſaubonus contra Baronium, Lipſium, & Sigonium (quibus accedunt Beza,

Petrus

Digitized by Google

Petrus Galatinus, Cornelius a Lapide, Sixtus Senenſis, pluresque alii) contrariæ ſententiæ defenſores.

CCCCXXI. Nec obſtat, quod veteris Teſtamenti Interpres *Crucis* meminerit. Nam ubi *ligni* עץ mentio fit, per *Crucem* ille vertit: cum *ligni* nomen ſit generale, nec minus conveniat arbori infelici, de qua ſuſpendebantur facinoroſi, quam cruci. Imo & Græcum σταυρὸς non eſt ſolius crucis nomen, ut nequidem e LXX. Verſione ſolidi quidquam detur exſculpere.

CCCCXXII. Sed quid tum fiet, dices, de Pſalmi XXII. v. 17. ubi legitur: *Foderunt manus meas & pedes meos*: ubi *fodere* nihil aliud eſt, quam clavis perforare? Reſpondeo: non eſſe dubitandum, quin de Cruce hic agatur: verum ſpiritu prophetico prædicit hæc προφητικῶς in eo Pſalmo, quo fere ſtylo hiſtorico CHRISTI paſſio deſcribitur.

CCCCXXIII. Dixeris porro, non e Romanis, ſed populo Iudaico fuiſſe, qui IESVM crucifigendum toties acclamaverint. Ita eſt. Sed non propterea putandum, vulgus magnopere laboraſſe, quo mortis genere periret. Sed quod potius *Crucifige*, quam aliud quidquam clament, ex eo eſt, quod facile prævidereut, cum CHRISTVS haberetur quiſpiam e vili popello, fore ut ſi tollendus eſſet, ſuffigeretur cruci.

CCCCXXIV. Primores tamen populi rem procul dubio altius ſpectarunt. Nam hi ante omnia illud agebant, ut tanquam ſeditioſus & majeſtatis reus damnaretur.

CCCCXXV. Nimirum accuſaverant CHRISTVM ut ſeditioſum, ut turbas concitantem; ut prohibentem tributa dare Cæſari; ut regnum affectantem: atque ideo ad

ad crucem poſcunt; quia crux propria ſeditioſorum pœna fuit.

CCCCXXVI. Certe Romana lege, *auctores ſeditionis* (ita Paulus Ictus lib. V. Sentent. tit. XXII.) *aut tumultus pro qualitatis dignitate, aut in crucem tolluntur, aut beſtiis objiciuntur.* Ita Quinctilius Varus Syriæ Præſes, ex ipſiſmet Iudæis tumultuantibus ἀνεσταύρωσε περὶ διχιλίους, *crucifixit circiter bis mille*, Joſepho teſte, *lib. II. de Bello Judaico cap. III.* Nec aliter cum iisdem egit Florus: ut eſt apud eundem Ioſephum *lib. II. cap. XIV.* Et Titus in obſidione illa exitiali *quingenos & plures, in ſingulos dies crucibus affixit.* Huc pertinent illa Theophylacti: οἱ Ῥωμαῖοι σταυρῷ τοὺς αἰτίας δικάζουσι. *Romani regni affectati reos cruci affigunt.*

CCCCXXVII. Adeo vero id perſuaſum erat, CHRISTVM tumultus & ſeditiones concitaſſe, ut longo poſt tempore Iudæos *impulſore CHRISTO* (quem *Chreſtum* ibi vocat) *aſſidue Romæ tumultuantes* notet Svetonius, in *Claudio cap. XXV.*

CCCCXXVIII. Nec potiori de cauſa puto, toties in Chriſtianos crucis ſupplicio ſævitum: quam quod crederentur magiſtri veſtigiis in cupidine rerum novarum inſiſtere.

CCCCXXIX. Placebat porro Iudæis ignominioſa mors & *ſupplicium*, ut Tacito, Vulcatio, Capitolino, aliisque dicitur, *ſervile*, ſperantibus fore, ut crucis ignominia prorſus abominabilem reddat IESV memoriam, nec ullum poſt exoriturum, qui nomen illius ſic exſtincti profiteretur. Inſinuat hanc rationem Origenes lib. I. contra Celſum, cujus verba ab Hœſchelio verſa afferemus. *Huic vero præter jam dicta, quæ poterant obſcurare*

quan-

quantumvis generoſum animum, in crucem acto etiam mors in ſpeciem ignominioſa poterat omnem exiſtimationem adimere etiam antea comparatam, ut ejus doctrina decepti, quemadmodum videtur adverſariis, confeſtim ad ea reſilirent, ipſumque ceu impoſtorem damnarent.

CCCCXXX. Quamobrem etiam hoc nomine Chriſtianis inſultare ſolebant Pagani, quod crucifixum colerent. Clare id docet Lactantius lib. IV. cap. XVI. *Velut opprobrium nobis objectari ſolet*, ſcribens, *quod & hominem, & ab hominibus inſigni ſupplicio affectum & excruciatum colamus*: Et Gregorius Nazianzenus Invectiva II. in Julian. *Hæ noſtra, hoc eſt, Galilæorum, hæ contemptorum & abſurdorum hominum narrationes. Hæc nos, qui crucifixum adoramus*: itemque Auguſtinus Serm. VIII. de verbis Apoſtoli: *De cruce*, inquit *CHRISTI nobis inſultant ſapientes hujus mundi, & dicunt: Quale cor habetis, qui Deum colitis crucifixum?* Qua de re ne plura dicamus, ſummi, & quod ſupra omnem doctrinam pono, pientiſſimi Theologi Chriſtiani Kortholtii facit induſtria, qui fuſius hoc expoſuit elegantiſſimo tractatu *de Calumniis Paganorum in veteres Chriſtianos ſparſis cap. IV.*

CCCCXXXI. Quin eo dementiæ nonnulli Paganorum venerunt, ut non hunc modo, ſed & alios crucifixos adorari crederent. Colligere id licet ex Origenis *adverſus Celſum lib. II.* Ὅμοιον δ' ἐν τούτῳ ποιεῖ ὁ Κέλσος τοῖς ἀνδραποδωδεστάτοις τῶν ἐχθρῶν τοῦ λόγου, καὶ οἰομένοις ὅτι ἀκολουθεῖ τῇ περὶ τὸν Ἰησοῦν ἱστορίᾳ σταυρωθέντα τὸ σέβειν ἡμᾶς τοὺς ἐσταυρωμένους. *Qua in re Celſus idem facit, quod inimicorum noſtrorum viliſſimi, qui legentes crucifixi JE-*

SV hiſtoriam, colligunt inde nos venerationem exhibere in crucem actis omnibus.

CCCCXXXII. Neque puduit tamen genuinos CHRISTI ſectatores crucifixi: adeo quidem ut neget S. Paulus ſe quicquam ſcire præter JESVM CHRISTVM, καὶ τοῦτον ἐσταυρωμένον: *& hunc crucifixum.* Ac notum illud, quod Ignatio tribuitur, Ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταυρωθεὶς, *Amor meus crucifixus eſt.*

CCCCXXXIII. Denique primores hoc ſupplicio illud ſe conſecuturos crediderunt, ut omnis generis hominibus juſtior pœna videretur, ac cædis ejus invidia, qua ſe apud bonos flagraturos prævidebant, in Romanos auctores maxime derivaretur.

CCCCXXXIV. At enim præ omnibus rationibus aliis mira in eo eluxit divina providentia, qui & vaticinia de CHRISTO impleri, & ipſius CHRISTI de morte ſua prædictiones ratas eſſe voluit.

Joh. XIX. ℣. 15. CCCCXXXV. Ceterum ut ad contextum redeamus, ad iſtum populi clamorem regeſſit Pilatus: *Ergone vultis, ut ego crucifigam veſtrum Regem?* Ad hæc nomine totius populi, *reſponderunt Pontifices: Regem alium, quam Cæſarem non habemus.*

CCCCXXXVI. Tanta erat penes hos homines nocendi libido, ut ſeſe ultro in æternam ſervitutem addicerent, quo JESVM auctorem veræ libertatis extinguerent.

CCCCXXXVII. Quia igitur non tantum CHRISTVM Regem ſuum repudiarunt, ſed & in ejus odium Cæſaris ſe poteſtati manciparunt; non mirum profecto, quod poſtea juſto Dei judicio, a Romanis Cæſaribus tam acerbiſſime afflicti, ac in præſentem diem jugo alieni imperii premantur.

CCCXXXVIII.

Digitized by Google

CCCCXXXVIII. Vbi autem Pilatus animadvertit, *quod nihil proficeret* adhibita quacunque JESVM liberandi ratione ac via, ac nihil horum obtinendo, quam ſperaverat, fini ſufficeret, *ſed major tumultus* vulgi a Pontificibus incitati oriretur, malluvium adferri ſibi juſſit, *ſumtaque aqua manus lavit in conſpectu populi*, quem his verbis eſt affatus: *Innocens ſum a ſanguine hujus juſti. Vos videritis.* *Matth. XXVII. 24.*

CCCCXXXIX. Horum verborum hæc fere fuerit ſententia: Quam puræ manus meæ ſunt a ſordibus, quas lavo, tam innocens ſum a ſanguine hujus juſti, quem invitus ad mortem condemnare cogor. Omnis culpa in veſtrũ redundabit caput. Vos Deo rationem reddideritis.

CCCCXL. Illuſtre iterum & ſumme memorabile hoc fuit innocentiæ CHRISTI teſtimonium: quandoquidem illa non modo verbis, ſed & externo luculentoque ſigno alio ab ipſo judice Pilato confirmatur. Neque enim hæc geſta paucis teſtibus: ſed die Paraſceves, quo tempore incredibilis hominum multitudo Hieroſolymas confluere ſolita: quorum pars magna lotionem Pilati ſpectavit, dictaque audivit; nec minor a videntibus ac audientibus excepit.

CCCCXLI. Quod ad Pilatum vero attinet, munditie manuum, velut externo ſymbolo animi ſui munditiem & innocentiam demonſtraturus, culpam injuſtæ condemnationis in populum rejiciebat.

CCCCXLII. Conſvetudo hæc, quod Judices lavarent manus, Romana non fuiſſe videtur, ſed Judaica: quod patet ex Devteron. XXI. v. 6. & Pſalmo XXVI. v. 6. Et licet Pilatus non foret Judæus, ſequi tamen fortaſſis

voluit receptum in Judæa morem, quod is nequaquam ſuæ religioni eſſet detrimento.

CCCCXLIII. Gentilibus quidem etiam lotiones ejusmodi erant in uſu, ſed admiſſo & perpetrato, non patrando ſcelere; nec tam ad teſtandum innocentiam, quam ad purgandum a delictis & melioris vitæ profeſſionem. Vnde Scholiaſtes ad Ajacem Sophoclis: Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅταν ἢ φόνον ἀνθρώπου, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας, εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. *Mos erat veteribus, quod quando homicidium, aut alias cædes commiſiſſent, aqua abluere manus ad expiandam immunditiem.*

CCCCXLIV. Sane cæde & ſanguine pollutas manus abluendas fuiſſe prius, quam ſacra aræve contingerentur Virgilius docet, lib. II. Æneam ita loquentem inducens:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosque penates
Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Proinde apud Senecam in *Hercule Furente act. IV. ſc. I.* Amphitryo Herculem priusquam ſacrificet, manus cruentas abluere ita admonet: — *Nate, manantes prius*
Manus cruenta cæde & hoſtili expia.

Ex eodemque more idem auctor ejusdem Tragœdiæ ſcena ult.

Quis Tanais, aut quis Nilus, aut quis Perſica
Violentus unda Tigris, aut Rhenus ferox,
Tagusque Ibera turbidus gaza fluens
Abluere dextram poterit?

Quin

Quin univerſim rem divinam facturi prius abluebant manus. Hinc Plautus Avlul. III. 1.

Ego, niſi quid me vis, eo lavatum, ut ſacrificem.

Et ejuſdem comœdiæ act. V. ſc. 1.

Nunc lavabo, ut rem divinam faciam.

Ovidius lib. IV. Faſtorum:

His Dea placanda eſt: hac tu converſus ad aras
Dic quater, & vivo perlue rore manus.

Nec manus tantum lavabant, ſed quandoque & pedes. Vetus Horatii Interpres: *Solebant Deos precaturi manus & pedes abluere.* Plura de hac lotione cum collegerint Barnabas Briſſonius *de Formulis lib. I.* Johannes Saubertus *de Sacrificiis cap. XI.* & Thomas Stegerus ſingulari de *Veterum lotionibus* diſſertatione, non eſt cur fuſius hoc argumentum pertractem.

CCCCXLV. Interim monuiſſe contentus ero illum gentilium ritum perſtringi ab Arnobio *lib. VII. adverſus gentes*, his verbis: *Mactaturque hoc illis, quorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, cautiſſimosque præſtatis.* Quod & tangit Lactantius *lib. V. c. XX.* At *illi*, inquiens, *infelices, nec ex ſceleribus ſuis intelligunt, quam malum ſit, quod colunt: quandoquidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tanquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent.*

CCCCXLVI. Quid quod aliqui ex ipſis ſcriptoribus paganis fruſtraneas agnoſcant iſtiusmodi lotiones, niſi mens perpurgata acceſſerit. Ita Cicero *lib. II. de legibus.* Caſte *lex jubet adire ad Deos, animo videlicet, in quo ſunt omnia: nec tollit caſtimoniam corporis: ſed hoc*

Digitized by Google

oportet intelligi, cum multum animus corpori præſtet, obſerveturque, ut caſto corpore adeatur, multo eſſe in animis id præſtandum magis. Nam illud vel aſperſione aquæ, vel dierum numero tollitur: animi labes nec diuturnitate evaneſcere, nec amnibus (aut, ut quidam malunt, *manibus*) *ullis elui poteſt.* Et Ovidius lib. II. Faſtorum:

> *Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis*
> *Fluminea tolli poſſe putatis aqua.*

CCCCXLVII. Sive a Judæis, ſive a Gentilibus, ſive ab utriſque, ad Chriſtianos pervenit lotionis ritus ante ſacrorum celebrationem. Enimvero in veteri Eccleſia ante templum canthari & luteres fuere, vel etiam fontes, ut aqua manus abluerent, quo precantes in templo, puris id facerent manibus, typo ejus moniti. Euſebius *lib. X. Hiſt. Eccleſ. cap. IV.* Ἱερῶν δὲ ἐνταῦθα καθαρσίων ἐτίθει σύμβολα, κρήνας ἀντικρὺς εἰς πρόσωπον ἐπισκευάζων τοῦ νεὼ, πολλῷ τῷ χεύματι τοῦ νάματος, τοῖς περιβόλων ἱερῶν ἐπὶ τὰ ἔσω προϊοῦσι, τὴν ἀπόρρυψιν παρεχομένας. *Fontes ex adverſa fronte templi profluentes aquæ redundantes poſiti, quibus omnes, qui in ſacros templi ambitus introeunt, ſordes corporum abluant.* Chryſoſtomus Serm. XV. de verbis Apoſtoli, *Habentes autem eundem ſpiritum:* Καθάπερ γὰρ κρήνας εἶναι ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν εὐκτηρίων οἴκων νενόμισται ἵνα οἱ μέλλοντες εὔχεσθαι τῷ θεῷ, πρότερον ἀπονιψάμενοι τὰς χεῖρας, οὕτως αὐτὰς εἰς εὐχὴν ἀνατείνωσιν. οὕτω καὶ τοὺς πένητας ἀντὶ πηγῶν καὶ κρηνῶν ἔθησαν οἱ πατέρες πρὸ τῶν θυρῶν ἵν' ὥσπερ ὕδατι τὰς χεῖρας ἀπονίπτομεν, οὕτω φιλανθρωπίᾳ τὴν ψυχὴν ἀποσμήχοντες πρότερον, οὕτως εὐχώμεθα. *Sicuti enim mos eſt, ut fontes ſint in atriis templorum, quo precaturi Deum, prius manus laverint, quam eas ad Deum attollant: ita etiam pauperes, fontium vice, majores noſtri*

Digitized by Google

ſtri collocarunt ante fores templi, ut quemadmodum manus abluimus aqua, ſic etiam per beneficentiam abſterſa anima, tum demum oremus Deum. Ita Leo Magnus ante Oſtienſem D. Pauli baſilicam, fontem cum cantharo huic uſui condidit, de quo hoc octaſtichum ad Ennodium ſuum primus vulgavit Sirmondus:

Unda lavat carnis maculas, ſed crimina purgat
Purificatq; animas mundior amne fides.
Quisque ſuis meritis veneranda ſacraria Pauli
Ingrederis, ſupplex ablue fonte manus.
Perdiderat laticum longæva incuria curſus,
Quos tibi nunc pleno cantharus ore vomit.
Provida paſtoris per totum cura Leonis
Hæc ovibus CHRISTI larga fluenta dedit.

De ſimili fonte intelligendus eſt Paulinus Epiſt. XXXIII. ad Alethium: *Quam lætum Deo & ſanctis Angelis ejus de hac tua (ut dici ſolet) pera ſpectaculum ſacer editor exhibebas! quanto ipſum Apoſtolum attollebas gaudio, cum totam ejus baſilicam denſis inopum cœtibus ſtipaviſſes; — vel qua ſub eadem mole tectorum geminis utrinque porticibus latera diffundit; quave pratento nitens auro, fuſa veſtibulo eſt; ubi cantharum miniſtra manibus & oribus noſtris fluenta ructantem, faſtigiatus ſolido ære tholus ornat & inumbrat, non ſine myſtica ſpecie quatuor columnis ſalientes aquas ambiens. Decet enim ingreſſum Eccleſiæ talis ornatus, ut, quod intus myſterio ſalutari geritur, ſpectabili pro foribus opere ſignetur.* Idem Paulinus Epiſtola XII. ad Severum:

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus intrantumque manus lavat amne miniſtro.

CCCCXLVIII.

CCCCXLVIII. Speciatim ante preces ad Deum, quàm funderentur, Chriſtianis in more erat lavare manus. Inſinuat Tertullianus *lib. de Oratione cap. XI.* *Quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſed ſpiritu ſordidato orare?* Chryſoſtomus *Homil. XXXVI. ad populum Antiochenum:* In *conſuetudine nos conſtituimus lavandi & orandi, nec illotum hoc facere datur. Ideo libenter non oramus, niſi lotis manibus hoc faciamus, tanquam Deum oſtenſuri.* Nonnullos eo veniſſe ſuperſtitionis, ut preces fuſuri totum corpus laverint, ex ſequentibus Tertulliani clarum: *Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitioſe curant ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes.*

CCCCXLIX. Graviter æque ac eleganter Chryſoſtomus *in cap. Matthæi XV. Homil. LII.* Diſcamus *obſecro, quænam ea ſint, quibus turpiter homines fœdantur. Diſcamus, oro, & fugiamus. In nonnullis enim jam eccleſiis hunc morem corroboratum videmus, ut diligenter multi ſtudeant, quomodo manibus loti, candidis induti veſtimentis, in Eccleſiam ingrediantur; quomodo autem animam atque mentem ſuam puram atque defecatam offerant Deo, nullam prorſus habent curam. Hæc dico, non quia lavare os aut manus prohibeam; ſed quia non aqua ſolum lavare os velim, verumetiam, ut æquius eſt, omni virtutis numero.*

CCCCL. Pilati manuum lotionem imitatus eſt ſeculo XII. Ludovicus VII Galliæ Rex. Nam *ubi intellexit Cæſarem* (Fridericum I.) *appropiare cum exercitu & armis multis, dubitavit occurrere illi. Sed propter fidem ſacramentorum, venit ad locum placiti conſtituto die, hoc eſt, in decollatione Joannis Baptiſtæ, & exhibuit ſe in pontis medio ab hora tertia usque ad horam nonam. Porro Cæſar*

nec

Digitized by Google

nec dum venerat. Quod Rex Franciæ accipiens pro omine, lavit manus ſuas in flumine ob teſtimonium, quaſi qui fidem pollicitam reddiderit: quæ verba ſunt Helmoldi in *Chronico Slavor. lib. I. cap. XC.* Factum id anno CIↃCLXIII. ex Roberti de Monte Appendice ad Sigebertum colligimus; dum Fridericum & Ludovicum ſuper fluvium Sagonnam, qui antiquitus Arar dictus ſit, de pace tractaturos convenire debuiſſe memorat.

CCCCLI. Vtcunque vero voluerit Pilatus coram populo & ore & ſymbolo teſtari ſuam innocentiam, non tamen fuiſſe innocentem, exiſtimandum eſt. Nec enim ſufficiebat profeſſio, ſed requirebatur innocentis abſolutio. Jam paſſus Judex ſibi extorqueri, ut morti traderetur.

CCCCLII. Ac putavere aliqui, ita extortum Pilato, ut is non conſenſerit, ſed ſolum permiſerit. Ita Lactantius *lib. IV. cap. VIII.* Tum *Pontius & Judæorum clamoribus & Herodis Tetrarchæ inſtigatione, metuentis ne regno pelleretur, victus eſt. Nec tamen ipſe ſententiam protulit, ſed tradidit eum Judæis, ut ipſi de illo ſecundum legem ſuam judicarent.*

CCCCLIII. Sed fallitur Lactantius. Teſtis enim eſt hiſtoria Evangelica, quod ſederit pro tribunali; quod fecit utique judicii cauſa. Deinde verbum ἐπέκρινε, quo Lucas utitur cap. XXIII. 24. ſatis oſtendit, quod expreſſa voce CHRISTVM condemnarit. Imo omnes clamores Judæorum eo tendebant, ut ipſe JESVM damnaret. Titulum etiam ipſe ſcripſit: hoc eſt, ſcribi præcepit. Nec per Judæos ſupplicium de eo ſumtum, ſed per milites Romanos. Vti nec a Judæis corpus poſtulatum, ſed a Pilato.

CCCCLIV. Ab ipſo igitur Pilato CHRISTVM

Digitized by Google

damnatum, prope omnium veterum Theologorum eſt ſententia. Ac ſimiliter Tacitus *XV. Annalium* ſcripſit: *CHRISTUS Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.*

CCCCLV. Attamen plane non audiendus, quisquis eſt is, qui Pilatum ex invincibili ignorantia contendit CHRISTUM condemnaſſe.

CCCCLVI. Scivit nimirum, ex invidia CHRISTUM ſibi fuiſſe traditum: novit accuſationem ex odio, livore & malitia profectam: non ignoravit ejus innocentiam, imo publice eandem eſt profeſſus. Neque id invincibili ignorantiæ tribuendum, quod ignoraverit, an CHRISTUS contra leges Judæorum peccarit, cum exactius in id inquirere, nec delationi & criminationibus locum relinquere debuiſſet. Nec permoveri debuiſſet vulgi clamoribus, ut a tramite juſtitiæ deflecteret. Et licet res in ſeditionem erupiſſet, ſatius tamen fuiſſet captivum detinere, donec ſedati multitudinis animi. Denique vitam potius profundere oportuiſſet, quam innocentem condemnare. Quid? quod ipſe ſe condemnat, quando eum non dimiſit, quem dimittendi poteſtatem ſe habere dixerat. Denique ab invincibili ignorantia vel id propter nihil habet ſubſidii, quod hujus ſuæ condemnationis ipſum non pœnituit.

CCCCLVII. Illud quidem fateri neceſſum habemus, voluiſſe Pilatum ex animo CHRISTUM dimittere, quod animadverteret ejusdem innocentiam: quod autem nihilominus ipſum condemnavit, in eo non poteſt abſolvi a peccato contra conſcientiam admiſſo: quicquid ſit, quod ſe innocentem dixerit, & lotione voluerit demonſtrare.

CCCCLVIII.

Digitized by Google

CCCCLVIII. Recte igitur Auguſtinus ſerm. CXIIX. de Tempore: *Laverit licet manus Pilatus, tamen ſua facta non diluit. Quamvis abſtergere ſe putaverit juſti ſanguine de ſuis membris, eodem tamen ſanguine mens ejus tenetur infecta. Ipſe enim occidit CHRISTUM, qui eum tradidit occidendum. Judex enim bonus & conſtans nec ſanguinem innocentis morti addicere, nec invidiæ cedere debuit, nec timere.* Et Auctor Sermonis *de paſſione CHRISTI* in Sylloge *de Cardinalibus CHRISTI operibus* Cypriano tributa: *Fruſtra funeſtas Judex manus in prætorio abluis, a ſanguine Domini te profitens innocentem. Tu ipſe cauſam mortis etſi diligenter inquiſieris, te non inveniſſe, in eo fateris. Ipſa conjux tua nihil tibi & juſto huic eſſe mandaverat, quod utique per os ejus dæmonia imminere ſibi judicium ſententia teſtabantur, non excuſas, ſed accuſas, cauſam tibi facis cum Judæis communem. Illi ſe proditioni, tu parricidio te condemnas. Illi lingua, tu ferro occidis. Tam te, quam illos inauditæ crudelitatis ſcelus involvit.* Item Ambroſius in *Pſalm. LXI. Pilatus ſe non diluit, ſed inquinavit: & implicavit, non exuit. — Lavit aqua manus, ut ſceleratius inquinaret innocentis ſanguine.* Leo *Serm. VIII. de Paſſione:* Ita *lotis manibus & corde polluto, iisdem labiis JESUM miſit ad crucem, quibuscum pronunciaverat innocentem.* Et eodem ſermone: *Non purgant animum contaminatum manus lotæ: nec adſperſis aqua digitis expiatur, quod famulante impia mente committitur.* Quamobrem Chryſoſtomus quoque Pilati mollitiem agnoſcens, eundem ſic alloquitur *homil. LXXXVII. in Matthæi cap. XXVII. Cur igitur tradis? cur non eripuiſti, ſicut poſtea militum tribunus Paulum? qui & ſciebat gratum fore Judæis, ſi Paulus traderetur, & ſe-*

Digitized by Google

ditio ac tumultus propter ipſum factus erat: reſtitit tamen generoſe, atque repugnavit. Sed non ita Pilatus; verum ignaviſſime atque molliſſime, atq; ſimul omnes corrupti labebantur. Nec enim Pilatus multitudini repugnavit, nec multitudo ſacerdotibus: ita undique peribat ipſorum excuſatio.

CCCCLIX. Judæi cum viderent Judicem manus lavare, dicentemque audirent, *Innocens ſum;* conclamarunt una voce: *Sanguis ejus ſuper nos.* Cujus Hebraiſmi ea mens: Nos, ſi quid commmiſſum atrocius, pœnam luemus. Nos culpam præſtabimus.

Matth. XXVII. v. 25.

CCCCLX. Nec ſibi modo, ſi quid a ſe peccaretur, dira imprecabantur omnia; ſed, quæ erat extrema hominum dementia, etiam cariſſimis pignoribus, & qui naſcentur ab illis. Nam non contenti dicere: *Sanguis ejus ſuper nos,* temere addunt: *& filios noſtros.* Quod & ſibi & auditoribus ad animum revocans Chryſoſtomus d. l. inquit: *Tu animadverte hoc etiam in loco vecordiam ipſorum. Talis quippe appetitio temeraria & proterva cupiditas eſt, ut nihil boni videre hominem ſinat. Eſto enim, vobis ipſis maledicitis, quamobrem etiam ad filios maledictionem protrahitis?*

CCCCLXI. Quantopere iſta imprecatio obſtrinxerit gentem Judaicam, oſtenderunt ſupplicia iisdem irrogata. Nam durante obſidione a Tito capti in ſingulos dies quingenti, nonnunquam plures flagellati, & ante mortem præcruciati omne genus verberibus contra murum crucifigebantur: ut ſcribit Joſephus *lib. VI. de Bello Jud. cap. XII.* Idem demonſtrat miſerabilis totius urbis interitus, & excidium miſerrimum. Declarat denique, quod hodieque ea gens per orbem vagetur extorris, &

cunctis

cunctis exoſa: ut recte ſcribat Hieronymus: *In præſentem diem hæc imprecatio ſuper Judæos perſeverat, & ſanguis Domini non auferetur ab eis.*

CCCCLXII. Non incelebris quidam ex Judæo Chriſtianus de præſenti Judæorum exilio perpetuo duraturo judicaturus, atque ad agnitionem JESV Meſſiæ fratres pellecturus, ad præſentia verba confugit, ac ritum priſcæ Judaicæ Eccleſiæ in ſubſidium vocavit. *Judæis*, inquit, *evenit in cæde JESV Meſſiæ noſtri, quod evenire* לרוצח בשוגג Lerozeah beſchogeg, *occidenti quempiam per errorem, lex jubebat. Quamquam enim illi colligerent hunc eſſe Meſſiam, non tamen crediderunt, cum neſcirent aut intelligerent ipſius officia, merita, bona, ſicq; ignorarent, ſicut ipſe CHRISTVS dicit ad Patrem ſuum: Pater remitte illis peccatum hoc, neſciunt enim quid faciunt mihi. Jam vero is, qui per errorem peccat, dicitur* שוגג, Schogeg, *errans. Quapropter dant pœnas occidentis per errorem, qui fugiebat ad urbem refugii, ſicque oportebat in exilium abire. Quia porro is qui occidebat errans, in exilio manere tenebatur usque ad mortem ſummi Sacerdotis, ſicuti dicitur Num. c. XXV. 25. JESVS autem eſt ſummus Sacerdos ipſe, nec moritur unquam, ſed vivit in æternum: hinc manebunt Judæi in exilio ſemper, nec liberabuntur ex eo unquam. Et ſic ſanguis JESV Meſſiæ noſtri eſt ſuper caput omnium filiorum.* Quo fortaſſis etiam collimavit Ligtfootus in *Centuria Chorograph. Matthæo præmiſſa cap. L.* qui hæc verba ex Sanhedrin, *Occidens ſummum Pontificem ex improviſo fugiat ad civitatem refugii, at nunquam exinde redeat*, conferri ſvadet *cum ſtatu Judæorum occidentium CHRISTVM.* Salvo interim reditu ad Hieroſolymam ſanctam ac regnum

CHRISTI ſpirituale, quod eſt ubique terrarum, ubicunque crediderint.

CCCCLXIII. Quis autem ad ſceleratam illam devotionem non exhorreſcat? quis non contremiſcat, & tantum non detur in ſtuporem? Credo etiam cohorruiſſe Pilatum. Saltem quando adverſus ſe ipſos ſententiam ferre intelligit, noluit ulterius tendere brachia adverſus torrentem, ſed populari cedens furori, *Barrabam dimiſit, Jeſum autem* jam ante *flagellatum,* & ignominioſiſſime habitum *tradidit affigendum cruci.* *Matth. XXVII. 26.*

CCCCLXIV. Sic viſum eſt conſilio divino, ut JESVS fons omnis gloriæ, ab omni genere hominum per omne ludibrii genus exerceretur, ne nos ullo malorum genere frangeremur. Judas prodit: Pontifices, Scribæ, Primores populi conſultant: miniſtri capiunt: diſcipuli aufugiunt & deſerunt: Caiphas ſummus Pontifex, omnis tragœdiæ hujus fons & caput, damnat: Concilium cum miniſtris veluti damnato illudit: populus inſanis clamoribus obſtrepit, Cæſariſque nomine terret: Herodes ſpernit: milites flagellant, ſpinis coronant, & regnum ejus ludibrio habent: Cæſaris Procurator pronunciat capitalem ſententiam.

CCCCLXV. Qua lingua dicta hæc ſententia ſi quæſiveris, non niſi Latina id factum, reſpondebo. Neque enim patiebatur dignitas Romani Imperii, ut alia lingua Præſides in ſententiis dicendis uterentur. Sententiæ & decreta, id eſt, quæcunque fiunt adhibita cauſæ cognitione, *Latine a Prætoribus interponi debent.* l. decreta XLVIII. D. de re judicata. Hinc judex eſſe non poterat, qui Latini ſermonis ignarus erat. Quamobrem Claudius *ſplendidum virum, Græciæque provinciæ principem, verum*

rum Latini ſermonis ignarum non modo albo judicum eraſit, ſed etiam in peregrinitatem redegit. Svetonius *in Claudio cap. XVI.* Dio *lib. LX.*

CCCCLXVI. Decretoria hæc ſententia quibus verbis concepta fuerit, non exprimunt Evangeliſtæ. Adrichomius tamen neſcio ex quibus Annalibus hanc affert: *JESVM Nazarenum, ſubverſorem gentis, contemtorem Cæſaris, & falſum Meſſiam, ut majorum ſuæ gentis teſtimonio probatum eſt, ducite in communis ſupplicii locum & cum ludibrio regiæ majeſtatis in medio duorum latronum cruci affigite. I lictor, expedi cruces.*

CCCCLXVII. Hieremias Drexelius *in Deliciis Generis Humani part. III. cap. V.* hæc fuiſſe cenſet verba: *JESVM Nazarenum Regem Judæorum crucifigi jubeo.*

CCCCLXVIII. B. Lutherus mortis ſententiam hoc format modo: *Quoniam JESVS Nazarenus Regem Judæorum ſe profeſſus, coronam Cæſaream affectavit, ideo ego Pilatus Imperatoris Romani vicarius & Judææ Præſes judico ipſum crucis ſupplicio afficiendum eſſe, idque jure & merito.*

CCCCLXIX. Valerius de Bononia in *Hiſtoria Paſſionis CHRISTI* Pilatum nullam protuliſſe putat ſententiam, quam utique Evangeliſtæ & Apoſtoli non tacuiſſent: exiſtimans divinam ſapientiam non permiſiſſe, ut filius innocentiſſimus ſententia humana definitiva condemnaretur.

CCCCLXX. Sed quid vetat, quo minus Titulum cruci CHRISTI impoſitum JESVS NAZARENVS REX JVDÆORVM, feralem mortis Dominicæ ſententiam dicamus continere?

CCCCLXXI.

Digitized by Google

CCCCLXXI. Quidam conjiciunt, Pilatum, quod tam ſubito de CHRISTO ſumſerit ſupplicium, peccaſſe in Senatusconſultum temporibus Tiberii factum, quo pœna damnatorum in decimum diem differri debuit: cujus Svetonius *in Tiberio cap. LXXV.* Dio *Hiſtor. Rom. lib. LVII.* & Seneca *de Tranquillitate animi cap. XIV.* meminere.

CCCCLXXII. Veruntamen hi non advertunt, Senatusconſulto tantum fuiſſe locum, cum quis aut a Senatu, aut a Principe damnatus eſſet, ſervato judiciorum ordine. At non pertinuit Senatusconſultum ad ſeditioſos & famoſos latrones, quos mandata Principum ſtatim & extra ordinem puniri voluerunt. Pilatus igitur ſecundum hujusmodi mandata CHRISTVM ſeditionis, factionis, affectati regni accuſatum, Judæis urgentibus, punivit.

CCCCLXXIII. Errat Baronius, quando CHRISTVM a Pilato cruci adjudicatum cenſet, quod ſupplicium Barrabæ homicidii ac ſeditionis reo in CHRISTVM ſit translatum. Nam etſi alioquin pleraque contra jus & fas in hoc judicio peracta, hujus tamen novi exempli ne minimam quidem ſuſpicionem injiciunt Evangeliſtæ.

CCCCLXXIV. Vero eſt ſimilius, Pilatum ſatis agnoviſſe Judæorum accuſationes eſſe falſas; ſic tamen voluiſſe agere, ac ſi accuſatoribus fidem haberet. Juſſit itaque puniri tanquam reum criminum, quorum erat accuſatus, nempe affectati regni & ſeditionis.

CAP.

CAP. X.

De iis, quæ CHRISTUS eſt perpeſſus cum e prætorio Pilati ad locum ſupplicii raperetur.

CHRISTUS crucis bajulus ex more veteri. De Simone Cyrenio. Angariis. Sudario Veronicæ. De Judæo Immortali. Golgotha. Sepulchro Adami.

I.

AGgredimur nunc novam ſacræ Paſſionis partem, ea ſcilicet complexam, quæ CHRISTUS eſt perpeſſus, cum e prætorio Pilati ad ſupplicii locum raperetur.

II. Scilicet milites Romani IESUM a Pilato ut crucifigeretur, traditum accipiunt, *chlamydem purpuream* vulneribusq; jam impactam immiſericorditer *detrahunt*, eumque propriis veſtimentis induunt, quo magis ab omnibus agnoſcatur. *Matth. XXVII. v. 31. Marc. XV. 20.*

III. Sic e prætorio cruentis greſſibus raptatus eſt per urbem; inde per portam judiciariam eſt egreſſus, atque id viæ emenſus, quæ duceret ad locum ſupplicii extra civitatem, ut is locus quoque reſponderet figuræ. Nam victima, qua conſecrabatur teſtamentum, extra ſepta populi immolabatur. Vid. Hebr. XIII. v. 12.

IV. Tam Judaico, quam Romano more locus ſuppliciis dicatus extra urbem erat. Moſaico tempore mortis ſupplicium, extra caſtra ſumebatur: ut cognoſcimus ex Numer. XV. v. 35. Ac poſtquam urbes inhabitatæ a Judæis, extra easdem id obtinuit: ut videmus I. Reg. XXI. v. 13. & Act. VII. v. 58.

V. Itidem Romano more plectendi extra vallum dedu-

cebantur milites: ut conſtat ex A. Hirtio, Seneca, & Vegetio. Etiam extra urbem affigebantur cruci. Egrediebantur vero per portam Metiam, ſive Exquilinam. Et habitaſſe carnificem extra Vrbem, conſtat ex Cicerone pro Rabirio. Vide, ſi placet, Adrianum Turnebum *lib. XIV. Adverſarior. cap. X. lib. XL. cap. XXXVIII.* Petrum Fabrum *Semeſtrium lib. II. cap. VII.* Iuſtum Lipſium *Notis ad Tacitum l. II. Annal. cap. LXII.*

VI. Præiviſſe præconem, qui cauſam ſonticam denunciarit populo, non patet ex ſacra hiſtoria: nec admodum eſt probabile, præſertim quia vocem præconis ſupplevit titulus cruci impoſitus. Fingit hoc igitur, ut cetera, Hieronymus Xavierius in *Evangelio Perſico*, cujus latina hæc ſunt: *Eo modo e domo Pilati exiit, & viri Regis anteibant, & juxta eum apparitor, prædicabat & dicebat: Hoc eſt mandatum Pilati, a partibus Cæſaris Tiberii, ut hic vir JESVS Nazarenus occidatur, quia homines ſeduxit, ſeque Regem & Filium Dei vocavit. Cauſſam cur crucifigeretur, in via prædicabant, & tranſibant.* Sed hac de re dicemus plura, quando ad Titulum Crucis CHRISTI pervenerimus.

VII. Neq; tamen eſt a vero plane abſonum, CHRIſtum in via multa perpeſſum eſſe, & verbera & ſannas: dum militari manu per arduam truditur viam. More videlicet Romano, qui ſtimulis interdum fodiebant cruciarios. Vnde Plautus *Moſtellaria:*

O carnificinam crebram, quod credo fore.
Ita te forabunt patibulatum per vias
Stimuli, ſi huc reveniat ſenex.

VIII. Quo autem fundamento pictores nonnulli tabellam imæ CHRISTI togæ appingant, quæ clavis

Digitized by Google

peracutis confixa pedibus calcibusque euntis illidatur, equidem ignoro.

IX. Nos Scripturam ſequimur. Hæc memorat CHRISTVM coactum eſſe propriam geſtare crucem. *Joh. XIX. v. 17.*

X. Bajulare eo crucem ipſe ſuam adactus, quia nec Judæi id facere voluiſſent, nec Romani. Non Judæi, quia illis moriens in ligno, maledictus foret: ſecundum illud Devteron. XXI. v. 23. *Maledictus, qui pendet in ligno.* ubi nihil quidem particulatim de *ligno crucis;* ſed generatim de *ligno:* ut intelligi poſſint tam ſuſpenſi, quam crucifixi. Quare licet CHRISTVS non ſuſpenſus, ſed crucifixus, recte tamen ei Moſis illa verba adaptat Paulus ad Galat. III. v. 13.

XI. Sed neque Romani voluiſſent crucem ferre, quia genti huic conſvetudo foret, ut ne aliis crux imponeretur, quam qui illi erant affigendi. Tales, usque dum deventum foret ad ſuppllicii locum, portare crucem ſolitos, clare teſtatur Plutarchus libro *de tarda Numinis vindicta:* Καὶ τῷ μὲν σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει τὸν αὑτοῦ σταυρόν, ἡ δὲ κακία τῶν κολαστηρίων ἐφ' ἑαυτὴν ἕκαστον ἐξ αὑτῆς τεκταίνεται. *Et corpore quidem quisque maleficorum ſuam effert crucem: malitia autem cruciatuum quemque in ſe, ex ſe, gignit & fabricatur.* Et Artemidorus Ὀνειροκριτικῆς lib. II. cap. LXI. Ἔοικε σταυρὸς θανάτῳ, καὶ ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον αὐτὸν βαστάζει. *Similis crux morti: & qui in ea figendus, prius eam portat.* Hinc & Plautus *Carbonaria* referente Nonio: *Patibulum ferat per urbem, deinde affigatur cruci.*

XII. Bajulum crucis ſuæ CHRISTVM præfiguravit Iſaacus, lignum ipſe portans ſuæ immolationi deſtinatum. Tertullianus libro *adverſus Judæos cap. XI.* Cum

Digitized by Google

Iſaac a patre hoſtia duceretur, & lignum ipſe ſibi portaret, CHRISTI *exitum jam tunc denotabat, in victimam conceſſi a Patre, lignum paſſionis ſuæ bajulantis.* Ambroſius *lib. I. de Abraham cap. VII.* Ligna *Iſaac ſibi vexit: CHRISTVS ſibi patibulum crucis portavit.* Chryſoſtomus Serm. *de Iob & Abraham* Tom. I. Operum. *Sapiens ille ſenex obſiſtentes non accepit, ſed fecit, ut ſacrificium ſua portaret ligna, eſſetque figura Salvatoris crucem geſtantis.* Auguſtinus *de C. D. lib. XVI. cap. XXXII. Iſaac ſicut Dominus crucem ſuam, ita ſibi ligna ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipſe portavit.* Idem *lib. III. de Trinitate cap. VI.* Iſaac *CHRISTVS erat, cum ad ſe immolandum ligna portabat.* Et lib. II. *contra Fauſtum cap. XXV.* Quis *alius in Iſaac lignum ſibi portabat ad victimam, niſi qui crucem ſibi ad paſſionem ipſe portabat?* Idem *lib. III. contra Maximinum cap. XXVI.* Iſaac *filius Abrahæ quid erat in figura niſi CHRISTVS? quoniam ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, & quoniam ſicut Dominus crucem ſuam, ita & ipſe ſibi, quibus fuerat imponendus, ligna portabat.* Theodoretus *Dialogo III.* Confer *typum cum veritate, & cernes etiam in typo divinitatis impatibilitatem. Pater enim utrobique eſt, & ſimiliter hic atque illic dilectus filius. Et uterque geſtat ſacrificii materiam. Ille enim ligna, hic vero crucem humeris impoſitam portavit.* Gregorius Magnus *homil. VI. ſuper Ezechielem:* Quid eſt *quod Iſaac ad immolandum ducitur, & ligna portat, aræ ſuperimponitur & vivit? niſi quod Redemtor noſter ad paſſionem ductus lignum ſibi crucis ipſe portavit.* Theophylactus in Johannem: *Vide & in veteri typo quoddam hoc factum. Iſaac enim & illic ligna portans vadit ut immoletur. Ita ut hoc loco Dominus crucem habens, va-*

Digitized by Google

dit quaſi miles arma gerens, quibus adverſarium proſternat.

XIII. Volunt etiam aliqui ex veteribus huc reſpexiſſe Prophetam Eſaiam memorabilis vaticinii *cap. IX. v. 6.* verbis ſequentibus; *Cujus imperium erit ſuper humero ejus.* Vnde iterum Tertullianus libro *contra Judæos:* Solus *novus Rex CHRISTVS nova gloriæ poteſtatem & ſublimitatem in humero extulit, id eſt Crucem.* Auguſtinus *Serm. LXXI. de Tempore:* Quod *Iſaac ipſe ſibi ad immolandum ligna detulit, & in hac CHRISTVM Dominum figuravit, qui ad locum paſſionis crucem ſuam ipſe portavit. De quo myſterio multo ante dictum fuerat per Prophetam: Et erit principatus ſuper humerum ejus. Tunc enim CHRISTVS principatum ſuper humerum habuit, quia crucem ſuam admirabili humilitate portavit.* Tangit hoc quoq; Gregor. Nazianzen. *Orat. in CHRISTI Nativitatem.* Leo Magnus *Serm. VIII. de Paſſione Domini:* Traditus *Dominus ſævientium voluntati ad irriſionem regiæ dignitatis ſupplicii ſui juſſus eſt eſſe geſtator; ut impleretur, quod Eſaias Propheta prædixerat, dicens: Ecce natus eſt puer, cujus imperium ſuper humerum.*

XIV. Plures typos conjungit Hieronymus, & ad crucis ſuæ ſanctiſſimum bajulum accommodat: *Hic,* inquit, *adeſt Iſaac cum lignis, & Abraham cum ariete vepribus hærente. Hic etiam Joſeph cum faſce ſomniator, & tunica talari ſanguine lita. Hic adeſt Moſes cum virga & ſerpente ſuſpenſo in ligno. Hic eſt botrus in ligno portatus. Hic adeſt Eliſæus cum ligno ad quærendam ſecurim, quæ in imo demerſa eſt, & natavit ad lignum, hoc eſt, genus humanum, quod a ligno vetito in infernum decidit, per lignum crucis CHRISTI, & per baptiſmum aquæ ad*

Digitized by Google

paradiſum natavit. Hic adeſt Jonas, de ligno ſorte in mare ventremque ceti triduo miſſus.

XV. Dubitant tamen Eruditi, an CHRISTVS totam, an tantum partem crucis geſtaverit.

XVI. Quidam putant CHRISTVM tantum portaſſe lignum transverſarium, quod alio nomine *Antenna* dicebatur: in loco autem ſupplicii arrectarium lignum jam tum impactum fuiſſe terræ, cui deinde antenna, quam tuliſſet CHRISTVS, fuerit affixa.

XVII. At huic opinioni contrariatur, quod Hiſtoria Evangelica teſtetur, CHRISTVM portaſſe crucem: quod de ſola antenna accipi, vix videtur veroſimile. Bene igitur Lipſius *lib. II. de Cruce cap. V.* CHRISTVS *ſane totam plenamque Crucem tulit. Ni feciſſet, quid opus erat auxiliatore & ſubſequa, qui adlevaſſet?*

Matth. XXVII. 32. Marc. XV. v. 21. Luc. XXIII. v. 26.

XVIII. Nam cum in via occurreret Simon Cyrenæus ex agro veniens, hunc angariaverunt ad ferendam CHRISTI crucem.

XIX. Nimirum CHRISTO ſub pondere crucis delaſſato, nec amplius ſufferre valenti Simon ſurrogatur, ad ſignificandum myſtice, quod non ſibi debitam mortem, ſed hominibus obiret, & ſimul Chriſtianos commonefaceret, oportere ipſos etiam eſſe crucigeros.

XX. Simonem illum crucis bajulum quia diligenter deſcribunt Evangeliſtæ, nos quoque eundem indictum non mittemus.

XXI. Nomen ipſi eſt Simoni, quod ei cum Petro Apoſtolo commune, & verti poteſt *auditor, obediens, obſequens.*

XXII. Patria ei fuit Cyrene. Neque tamen videtur fuiſſe celebris illa Africæ urbs, unde Callimachus oriun-

Digitized by Google

oriundus, & ubi Syneſius Epiſcopus fuit: neque etiam Cyrene urbs Mediæ, cujus mentio fit II. Reg. XVI. 9. & Amos I. v. 5. ſed una Decapolios in Palæſtina.

XXIII. Pater fuit *Alexandri & Rufi:* qui videntur tum fuiſſe noti vulgo inter fideles, cum Evangelium ſuum ſcriberet Marcus. Ac fortaſſis e diſcipulis CHRISTI fuerunt, vel poſtea numerati inter diſcipulos Apoſtolorum: & putant aliqui hos ipſos eſſe, quorum Lucas Actor. XIX. v. 33. & Paulus ad Romanos XVI. v. 13. meminerunt: quod nos in medio relinquimus.

XXIV. Qui Simonem ex Cyrene Africana oriundum ſtatuunt, genere Judæum, & ex parentibus Judæis in Libyam usque diſperſis natum putant. Alii tamen fuiſſe volunt origine gentilem, qui religionem Iſraeliticam amplexus, ac proſelytus factus, domicilium ſuum ex Cyrenaica regione Hieroſolymas transtulerit, ut cultui divino melius vacare, verique Dei cognitionem perfectiorem conſequi poſſet. Et pro gentili videtur habuiſſe Hilarius, cujus hæc ſunt: *Indignus Judæus erat CHRISTI Crucem ferre, quia fidei gentium erat relictum, & crucem accipere & compati.* Et Ambroſius *in Luc. XXIII. Non Judæus eſt, qui crucem portat, ſed alienigena atque peregrinus.*

XXV. Theophylactus *in Marcum* annotat, adhuc ſuperſtitem fuiſſe Simonem, cum Evangelica hiſtoria ſcriberetur, ita ut certo enarrare potuerit omnia, quæ in cruce facta.

XXVI Revertebatur hic Simon *ex agro* vel rure in urbem. Latinus interpres vertit, quod *ex villa venerit:* ex quo nonnulli colligunt, ipſum fuiſſe agricolam. Sane

ne ignominia qua a militibus affectus, indicat, quod non fuerit vir quidam primarius, ſed vulgaris, & plebejus.

XXVII. Invitum & reluctantem ad hoc officium præſtandum CHRISTO acceſſiſſe, verbum ἀγγαρεύειν ſubindicat.

XXVIII. *Angari*, qui Perſico nomine Aſtandæ vocabantur, Perſicorum Regum erant nuncii, qui regias epiſtolas alter alteri ſuccedendo ferebant. Quia autem his licebat cujusvis equos, aut naves, ipſosque ſi neceſſum foret, homines rapere ad curſum; factum poſtea, ut ἀγγαρεύειν ſeu *angariare* capiatur pro *cogere*. De his Angaris legantur quæ ſingulari ſtudio collegerunt Barnabas Briſſonius *de Regio Perſarum Principatu lib. I.* Samuel Bochartus *Hierozoici part. II. lib. I. cap. XI.* Gvilielmus Burtonus in *Lipſanis linguæ Perſicæ*, Johannes Lydius *in Analectis ad Nicolaum de Clemangis*, Johannes Conradus Dieterichus *Antiquitatum Sacrarum lib. I.* Henricus Bangertus *ad Helmoldi Chronicon Slavorum lib. I. cap. XCI.* & peculiari diſſertatione de *Angariis Veterum* Cl. Wittebergenſis Prof. Balthaſar Stolbergius.

XXIX. Da bone IESV, ut, quam imponis mihi crucem, ſponte atque æquo feram animo, & in eo genuinum me tuæ patientiæ demonſtrem ſectatorem. Certus enim ſum, per tuum, quem erga me geris amorem incredibilem, majus onus humeris non impoſiturum meis, quam cui per S. Spiritus gratiam ferendo par ſim. Amen. Adſcribam quoque precatiunculam quæ exſtat in Sermone *de Paſſione CHRISTI* Cypriano tributo: *Tu conſummatis omnibus vade ad Patrem, & trahe nos poſt te: da nobis in vita præſenti, ut ſimus ſine angaria bajuli crucis tuæ, & comprehendamus cum omnibus ſanctis, quid latitu-*

latitudo, quid longitudo, quid ſublimitas, quid profundum hujus ligni ſignificet, quo conſpecto, non noceat nobis, neque mordeat coluber ſolitudinis, ſed incolumes per omnia ſequamur te.

XXX. Dubium eſt, utrum Simon Cyrenæus coactus ſit ad juvandum CHRISTUM, ut deinceps CHRISTUS & Simon pariter humeros ſuppoſuerint cruci; an potius CHRISTO & laſſo, & ob flagellationem acerrimam infirmo prorſus parcitum ſit a militibus, qui ſolum Simonem ſatis ad hoc validum, onerique ferendo parem viderent.

XXXI. Referunt aliqui, CHRISTUM ter ob grave pondus concidiſſe: ſemel, non longe a lithoſtroto; inde paulo extra portam, tertio ad radicem montis Calvariæ. Quod ſi eſt, CHRISTUS ſemper bajularit, prius ſolus, poſtea cum Simone. *Sed argumentum id majoris foret ponderis,* (ſic inquit Voſſius *Harmonia Evangel. lib. II. c. VI.*) *niſi hoc de terno CHRISTI caſu a junioribus duntaxat proderetur, ut vel ab iis hoc fictum, vel ex apocryphis quibusdam hauſtum videatur.*

XXXII. Pictores quidem ſic hiſtoriam effingunt, ut priorem crucis partem CHRISTUS ipſe, poſteriorem autem gerat Simon.

XXXIII. Sed magis fit veroſimile, totam in urbe a CHRISTO bajulatam, extra urbem vero in Simonem translatam.

XXXIV. Nempe, CHRISTO jam laſſo, jejuniis, vigiliis, contumeliis vibicibus tantopere antea afflicto, Simonem, hominem agreſtem & vilem in via forte obviam factum crucem ferre coegerunt. Ita hæc conciliant Origenes *in Matth. cap. XXV.* Athanaſius *Serm. de Paſſio-*

ne & cruce. B. Hieronymus *in Matth. XXVII.32.* B. Auguſtinus *lib. III. de Conſenſu Evangeliſt. cap. X.* Leo Magnus *Serm. VIII. de Paſſione,* Beda, Gloſſa, Theophylactus, Euthymius, Lyranus, Landulphus *de vita CHRISTI:* omnes & ſinguli a Voſſio indicati *loco laudato.* Etiam eo inclinat Brigitta *Viſionum lib. IV. cap. LXX.* his verbis: *Deinde judicatus crucem portans educitur: ſed in via portans alius ſubſtituitur.*

XXXV. Nequaquam milites hoc onere levarunt IESVM, ut dolorem atque ignominiam ejus minuerent: ſed ut majoribus cruciatibus reſervarent.

XXXVI. Voluit propter nos imminui viribus corporis, qui omnipotens eſt, & a quo omnis virtus proficiſcitur, ut perpetuum animi robur in eum credentes aſſequeremur.

XXXVII. Horrendum olim Baſilidis fuit delirium, non CHRISTVM, ſed Simonem Cyrenæum loco CHRISTI a Judæis crucifixum blaterantis. Sic enim Philaſtrius in *Hæreſium Catalogo:* Baſilides *CHRISTVM dicit quaſi per umbram putative paſſum fuiſſe. ... Simonem etiam Cyrenæum pro eo ad paſſionem veniſſe affirmat: Ipſe enim, inquit, portavit ejus crucem.* Videantur porro Irenæus *lib. I. adverſus hæreſes cap. XXIII.* & Auguſtinus *de Hæreſibus cap. IV.* Quam blaſphemiam architectus Alcorani Muhammedes ex orco revocavit. Quamobrem Hugo Grotius *lib. VI. de Veritate Religionis Chriſtianæ* ſatis pie: *Muhammedes docet, JESVM clam ſubductum fuiſſe in cælum, cruci autem affixum fuiſſe quoddam ejus ſimulacrum, ac proinde non mortuum JESVM, ſed deceptos Judæorum oculos. At nos de crucifixione & morte CHRISTI duodecim proferimus teſtes vita inculpata, oculatos itidem,*

Digitized by Google

dem, aut minimum cum oculatis verſatos. Judicet orbis, cujus teſtimonium præponderet, illorumne, qui coævi CHRISTO fuere, an vero hujus, qui aliquot ſecula poſt CHRISTUM vixit.

XXXVIII. Fabulæ ſunt, quæ de Veronica narrantur, ac ſi hæc mulier CHRISTO ad ſupplicii locum eunti præbuerit ſudarium, quo faciem multo fœdatam ſanguine detergeret: CHRISTUS autem hujus affectus memor, ſudario imaginem ſuam impreſſerit, impreſſam Veronicæ in ſingulare amoris pignus reddiderit. Et volunt hujus ſudarii beneficio poſtea ſanatum eſſe Tiberium, Clementem vero, quem Petrus Epiſcopum Romanum fecerit, illud accepiſſe, donec ab eo devenerit ad ſucceſſores, ut hodieque Romæ aſſervetur.

XXXIX. Inter fabuloſa Pontificiorum commenta hoc ſudarium audeo referre, ejusque vanitatem jampridem oſtenderunt viri docti, ex quibus nunc honoris cauſa nomino virum clariſſimum & de Schola Luneburgenſi Senatoria (in qua & B. Pater meus diu docuit) quin & de univerſa re literaria optime meritum, Johannem Reiskium; cujus Triga *Exercitationum Hiſtorico Philologicarum de Imaginibus CHRISTI* docta utique eſt & laborioſa: quamque & B. Anteceſſorem meum Johannem Boſium τὸν πάνυ, & θαυμάσιον noſtrum, nunc quoque in cœlis triumphantem Rolfinckium æſtimare ac prædicare memini.

XL. Quia Hieronymus Xavierius in *Hiſtoria CHRISTI Perſica* hujus quoque ſudarii meminit, placet ejusdem narrationem, prout a Ludovico de Dieu latine facta, repetere. *Eo tempore, quum iſthoc modo tranſiret, fœmina quædam nobilis Veronica e feneſtra eum vidit, &*

Digitized by Google

cum agnoviſſet, ex alto deſcendit, & cum dolore & miſericordia Domino JESU ſe junxit, & linteum capitis triplicavit, & a Domino venia accepta faciem benedictam ejus ſiccavit, & cum linteum ſuum rurſus aperuiſſet, in ſingula ejus parte figuram ejus veram reperit, cum gaudio ſummo domum ſuam retulit, & honorifice ſervavit. Una ex his tribus figuris in Hiſpania, in urbe Jaba, quæ in regno Regis Portugalliæ eſt, actu reperitur, & quotannis bis eam oſtendunt, & multi eo confluunt, & tam eminus quam cominus eam vident. Secunda in urbe Mediolano eſt in terra Italiæ. Tertia in urbe Roma.

XLI. Chifletius *de Linteis CHRISTI ſepulchralibus cap. XXXIV.* Sudarium quoque Veronicæ laudat, ſed cum Xaviero non ubique convenit. Veronica huic *nobilis* eſt, illi ſolummodo *religioſa.* Hic eam *e feneſtra CHRISTUM adventantem vidiſſe, ac deſcendiſſe* ait; ille, *ſtantem eam pro foribus domus ſuæ.* Hic ipſam Veronicam *triplicatum linteum capiti CHRISTI applicuiſſe, & impetrata a CHRISTO venia faciem ejus mundaſſe*; ille, *lineum capitis ſui peplum CHRISTO porrexiſſe, quo ipſe faciem ſuam ſudore & cruore diffluentem detergeret.* Hic *aperto linteo tres vultus CHRISTI effigies fuiſſe in eo conſpectas:* Ille ut dubium narrat: *Sunt,* inquiens, *qui credant, velum illud capitis Veronicæ oblongius triplicatum fuiſſe, & imaginem divinitus impreſſam triplicem ſuſcepiſſe.* Addit: *quarum una ſervetur Romæ, altera Cienneſi civitate Hiſpaniæ, tertia Hieroſolymis.* Xavierus pro *Hieroſolymis* habet *Mediolanum.* Barradius *tom IV. lib. VII. cap. X.* triplicatum linteum plane ignorat, & unius tantum ei impreſſæ imaginis meminit, quæ Romæ aſſervetur. Taceo tricas alias, quas nunquam extricabunt

ſuda-

ſudarii hujus patroni: prout a laudato Reiskio fuſius oſtenſum.

XLII. Miſſa cum ſudario ſuo Veronica, ſuccedit novus hoſpes, ſutor ſcilicet Judæus nomine Ahaſverus, ſive, ut alii volunt, Buttadæus, ſive etiam Joſephus, qui CHRISTVM ad locum ſupplicii ducendum, cum ad januam ejus pauliſper vellet reclinare, forma calcei verberans rejecerit: cui JESVS iratus repoſuerit: *Equidem quieſcam: Tu vero quietem prius non ſenties, quam ad judicium venerim.* Ex quo miſer homuncio quietis impatiens totum orbem pervagatus, etiamnum ſit ſuperſtes, ac tam de veritate crucifixionis CHRISTI, quam de ſuo infortunio teſtetur.

XLIII. Hæc ferme ſumma eſt eorum, quæ alii prolixe de hoc Judæo, ſi Diis placet, immortali narrant. Et ſane pro vera hiſtoria venditat inprimis Chryſoſtomus Dudulæus, Weſtphalus, ſingulari Epiſtola germanice anno CIƆIƆCXVIII. Revalia ad amicum ſcripta, annoque CIƆIƆCXLV. edita, & a Martino Zeilero *parte II. Epiſtola IƆVII.* contracta; idemque memorant Rudolphus Botereus *Commentariorum Hiſtor. lib. XI.* Andreas Libavius in *Praxi Alchymiæ,* Nicolaus Heldvaderus in *Sylva Chronologica Circuli Balthici part. II.* Johannes Cluverius in *Epitome Hiſtoriarum.*

XLIV. At enim quia non modo θεόπνευστος Scriptura, ſed & veteres Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores ad unum omnes de eo tacent, ac præterea narratio ipſa cum manſvetudine CHRISTI videtur pugnare, nec minus multis ſcatet contradictionibus; eandem ſuſpectæ, imo ſubleſtæ fidei merito cenſemus. Atque idem jam ante me ſenſerunt Julius Cæſar Bulengerus in *Hiſtoria ſui tem-*

poris, Johannes Henricus Hottingerus *Hiſtoria Eccleſiaſtica part. III.* Johannes Hornbeckius *de convincendis Judæis in Prolegom.* §. V. Johannes Sebaſtianus Mitternacht *peculiari diſſertatione hac de re* conſcripta.

XLV. Hornbeckii verba afferam in medium. *Inter quæ (figmenta)* inquit, *hoc loco non prætereundum videtur, quod mihi a Judæis quandoque exprobratum, ubi videbant ex vano aliquo rumore ad ſua loca confluere immenſam hominum papalium turbam, viſurorum (uti falſo ſparſum fuerat) Judæum, qui a CHRISTI temporibus ſuperfuiſſet, & vagari incertis ſedibus credebatur, usque ad diem adventus CHRISTI noviſſimum, quærebant, an tale quid de Judæo aliquo, noſtra in lege (ſic vulgo loquuntur) contineretur? & quomodo adeo creduli eſſent Chriſtiani & mendaciis addicti? Fateor haud leve ſcandalum ſic ipſis objici. Jam & hiſtoriis nonnullis, ceteræ notæ haud infimæ, inſertam illam vagantis Judæi legendam, magis indignamur. Meræ nugæ.*

XLVI. Neque tamen heri aut nudius tertius, nata hæc fabula, ſed jam tum ætate Matthæi Pariſienſis (floruit is ſeculo XIII.) alios tamen pigmentis incruſtata cœpit innoteſcere. Quamvis autem contextus Matthæi jam a multis ſit productus, nemo tamen vitio nobis vertet, puto, quod & in noſtra hac commentatione locum ei relinquere voluerimus. *Archiepiſcopus quidam Armeniæ,* inquit in *Hiſtoria Anglicana, in Angliam veniens, interrogatus de Joſepho, viro illo (de quo frequens ſermo habetur inter homines, qui quando paſſus eſt Dominus, præſens fuit, & locutus eſt cum eo, qui adhuc vivit in argumentum fidei Chriſtianæ) ſi illum aliquando viderit, vel de eo quicquam audierit: reſpondit Archiepiſcopus, adferens*

rens rem geſtam ſeriatim. Et poſtea miles quidam Antiochenus de familia ejus, qui interpres illius erat, notus etiam cuidam famulo Domini Abbatis, Henrico Spigurneli exponens ſermones illius, dixit lingua Gallica: Bene, inquit novit Dominus meus hominem illum, & paulo ante, quam iter arriperet ad partes Occidentis, idem Joſeph in Armenia comedit ad menſam Domini mei Archiepiſcopi, quem multoties viderat, & audierat loquentem. Et poſtmodum interrogatus de rebus geſtis inter Dominum JESVM CHRISTVM, & eundem Joſeph, reſpondit: Tempore paſſionis JESV CHRISTI, quam captus a Judæis in prætorium adductus fuiſſet ante Præſidem Pilatum, ut judicaretur ab ipſo, accuſantibus ipſum conſtanter Judæis, quum Pilatus nullam in eo cauſam mortis inveniſſet, dixit ad eos: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram judicate eum. Sed tandem invaleſcentibus clamoribus Judæorum, Pilatus iis dimiſit Barrabam ad petitionem illorum, & tradidit eis JESVM, ut crucifigeretur. Trahentibus autem Judæis JESVM extra prætorium, cum veniſſet ad oſtium, Cartaphilus prætorii oſtiarius & Pontii Pilati, quum per oſtium exiret JESVS, pepulit eum pugno contemtibiliter poſt tergum, & irridens dixit: Vade JESV, citius vade, quid moraris? Et JESVS ſevero oculo, & vultu reſpiciens in eum, dixit: Ego vado, & exſpectabis, donec veniam, ac ſi juxta Evangeliſtam diceretur: Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt: tu autem ſecundum meum adventum exſpectabis. Itaque juxta verbum Domini exſpectat adhuc Cartaphilus ille qui tempore Dominicæ paſſionis erat quaſi triginta annorum, & ſemper cum uſq; ad centum attigerit redeuntium annorum, corripitur incurabili infirmitate, & rapitur quaſi in ecſtaſin, & con-

vale-

valeſcens rediit redivivus ad illum ætatis ſtatum, quo fuit anno, quando paſſus eſt Dominus; ut vere poſſis dicere cum Pſalmiſta: Renovatur ut aquila juventus mea. Verum, poſt paſſionem Domini, creſcente fide Catholica, idem Cartaphilus baptizatus fuit ab Anania, qui baptizavit D. Paulum Apoſtolum, & vocatus eſt Joſeph. Habitat autem frequenter in utraque Armenia, & in aliis regionibus Orientis, vivens inter Epiſcopos & alios Eccleſiæ Prælatos, homo ſanctæ converſationis & religionis, pauca habens verba & circumſpecta, aut qui nihil loquitur, niſi ab Epiſcopis & viris religioſis fuerit requiſitus. Et tunc refert de rebus antiquitatis, & de iis quæ geſta fuerunt in paſſione Domini, & reſurrectione, & de teſtibus reſurrectionis, illis videlicet, qui reſurrexerunt cum CHRISTO, & venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis. Refert etiam de ſymbolo Apoſtolorum, & eorum diviſione & prædicatione, & hoc ſine riſu, & omni levitate verborum & nota redargutionis vel reprehenſionis, ut qui magis verſatur in lacrymis & timore Domini, metuens ſemper & ſuſpectum habens adventum JESU CHRISTI in igne ſeculum judicaturi, ne ipſum in ultimo examine inveniat iratum, quem ad paſſionem properantem irridens ad dignam provocavit ultionem.

XLVII. Hæc ſcripſeram: & ecce ab amico moneor de immortali hoc Judæo Henricum Bangertum in *Commentatione de ortu, vita & exceſſu Antonii Coleri JCti, Reip. Lubecenſis Coſ.* nonnulla attuliſſe. Evolvi igitur optimi Præceptoris, ac præclariſſime de me meriti ſcriptum exquiſitiſſimum, in quo ſequentia reperio. *Si quid doctrinæ eximium, aut uſu egregium ſe inter legendum offerret, non raro etiam, ſi quid inſolitum, aut rarum in via*

occurreret, ipſe in rei memoriam in commentarios ſuos ſtudioſe retulit. Et quamplurimis ut nunc unum adducam, XIV. Januarii anni CIↃIↃCIII. *adnotatum reliquit. Lubecæ fuiſſe Judæum illum immortalem, qui ſe* CHRISTI *crucifixioni interfuiſſe affirmaverit; de quo Judæo quid ſentiendum ſit, merito aliorum relinquo judicio, atque ad alia tranſeo.* Ad dicta porro in calce paginæ annotavit & iſta: *Si vera eſſent, quæ Matthæus Paris ante hoſce annos quadringentos de illo, ad ann. 1228. & 1252. poſteritati prodidit, quæque poſtea ſub initium noſtri ſeculi eodem videlicet tempore, quo Colerus hæc adnotavit, Chryſoſtomus Dudulæus, peculiari ſcripto vulgavit, egregium ſane Chriſtianæ fidei argumentum contra Judæos præberent. Quibus addenda, quæ Johannes Cluverus, hiſtoricus ad annum 1604. & Johannes Conradus Danhavver in* χειροσοφία *p. 439. & in explicatione Cathechiſmi part. V. concione LVII. p. 1379. de illo commemorarunt.* Adſcribam quoque Thomæ Bartholini judicium ex Diſſertationis de *Latere CHRISTI aperto cap. VII.* Fidem *hujus ampliorem ne quæſiveris, ne te ad Relationes iſtius ſutoris polytropi amandem, qui nuperis annis maximam Europæ partem emenſus incerto ſolo perenni adhuc vita fertur oberrare, ut ante oſtium ſuum Hieroſolymis denegatæ* CHRISTO *ſub crucis onere labenti quietis perpetuas luat pœnas inquiete. De cujus hominis veterani fide nihil auſim determinare, quanquam etiam in publica nonnullorum acta ſit relatus, plusque fidei habeam narrationum veritati, quam ipſius referentis. Vel enim monſtrum ſit hominis, vel ſpectrum inferorum, vel ſuperum apparitor. Quod judicium ad clariorum tribunal remitto, ne longius cauſæ meæ me provehat momentum.*

XLVIII. CHRISTVM in via multi ſecuti e populo, etiam mulieres, quæ partim, quia hæc fierent innocenti, partim memores beneficiorum, quæ accepiſſent, ob tam lugubre ſpectaculum, lamentabantur, ac plangebant: ac fortean manuum comploſione, pectoris percuſſione, ac geſtibus aliis dolorem ſuum ac συμπάθειαν declarabant. Nihil enim aliud poterant humiles & imbelles adverſus conjuratam magnatum potentiam.

Luc. XXIII. v. 27.

XLIX. In hiſce fœminis forte & fuit ipſa mater Domini, in qua tum impleri cœpit illud Simeonis vaticinium, gladium pertranſiturum ejus animam. Luc. II. v. 35.

L. Neque tamen vera dixeris, quæ vel comminiſcitur primo, vel ab aliis conficta pro Evangelicis narrationibus obtrudere Perſis cupit Xavierus. *Eo tempore,* inquiens, *Johannes ivit, ut Dominæ Mariæ caſus filii ipſius diceret. Illa cum quibusdam ex mulieribus venit, & ſletit in loco, per quem tranſiturus erat. Cum confluxū hominum & ſplendorem armorum virorum Regis vidit, & vocem illius apparitoris audivit, tranſivit id quod per cor ejus tranſivit, & expectavit quando veniret, ipſumque videret. Cum filium ſuum in eo ſtatu vidit, & intuitus filii in eam cecidit, cor ejus ſanguis factus eſt, & acceſſit ad eum, absque ut verbum diceret: ſed fluxus lacrymarum ſtatum cordis ejus manifeſtabat, in ulnas eum cepit, & paululo tempore in deliquium incidit, tantamque impreſſionem fecit, ut ex caſu ejus filius quoque ejus iſta vice ipſemet ceciderit. Judæi eum truſerunt, ut ſurgeret; ſed quoniam ſciebat crucem gravem eſſe, & ſanguinem multum ex eo ire, timuerunt, ne forte in via moreretur, aut crucem in eum locum non deferret, Simonem coegerunt, ut CHRISTO in portando adjutor eſſet.*

LII.

Digitized by Google

LI. CHRISTUS ubi hanc plorantium & plangentium turbam conſpexit, non quidem prorſus damnavit fletum earum, ex pietate profectum: monuit tamen, ſi ſcirent, quantum ipſis mali impenderet, non tam laboraturas de ſua calamitate, quæ mox in ſummam eſſet gloriam verſura; quam de ipſarum ſorte ac pariter liberorum, quorum miſeria mœrorem eſſet duplicatura. *Luc. XXIII. v. 28.*

LII. Rationem deinde hanc ſubjungit, quod ventura ſint tam calamitoſa tempora, juxta ea, quæ Judæi ſibi, & liberis, eſſent imprecati, ut, quæ nunc pro infelicibus & prope maledictis haberentur, ſteriles, tum habendæ ſint beatæ; felices contra uteri, qui nullum ediderint fœtum, fortunata ubera, quæ nunquam lactaverint.

LIII. Enimvero gravius materna cruciatur pietas in malis liberorum, quam propriis: & ſicut nulla matrum voluptas eſſe poteſt major, iſta, quam ex florentibus pignorum ſuorum rebus capiunt: ſic hunc dolorem nullus vincit, quem ex illorum contrahunt miſeria. Quod illuſtrat Chryſoſtomus *Serm. de VII. Machabæis,* hoc modo: *Sæpe & mater ſi videat filium ſuum febribus æſtuare, ita perturbatur, ut ardores illius in ſua cupiat membra transferri, & mutata in ſe ſi poſſit ægritudinis vice transfundere in filium ſanitatem ſuam. Ita omnibus domeſticis malis eas, quæ de filiis malis acciderint, ærumnas graviores exiſtimant, & intolerabiles fiunt, quæ matris ſunt. Sicut ergo vera in cunctis matribus affectio, ita profecto manifeſtum eſt, quia mater illa gravius in ſuppliciis filiorum puniebatur, quam ſi ipſa pateretur: & major erat paſſio in viſceribus matris, quam in corporibus filiorum.*

LIV. Miſeriam quoque eorum temporum CHRI-

Digitized by Google

STVS auget, quod non reperientes refugii locum, optaturi ſint, ut montibus & collibus contegantur.

Luc. XXIII. v. 30. LV. Hoc eo expreſſit, quod, ut eſt Lucæ XXIII. v. 30. *Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos; & collibus, operite nos.* Quæ verba ſunt ex Oſeæ X. v. 8. Similisque eſt Eſa. ſententia cap. II. v. 19. *Ingrediuntur in ſpecus petrarum, & in hiatus terræ præ formidine Domini, & ſplendore majeſtatis ejus, cum exſurrexerit, ut concutiat terram.* Ac noviſſimis mundi temporibus adaptantur eadem Apocal. VI. v. 16.

LVI. Oſeas de Samaria loquitur. Sed hujus excidium typus fuit excidii Hieroſolymitani: uti Hieroſolymitanum typus erat excidii univerſalis.

LVII. Sane quando hæc evenerant, quæ CHRISTVS prædixit eventura, in ſpeluncas & cavernas montium ſeſe abdiderunt, ut Romanam vim effugerent. Et quid apertius oſtendit magnitudinem calamitatum, quam quod matres præ fame ipſos etiam cariſſimos liberos comederunt? Quod in animo habens Theophylactus ait: *Admonet ut ad futura mala reſpiciant, & propter illa plorent, quoniam mulieres coctura ſunt filios ſuos propter immiſericordiam. Et venter qui portavit, ille etiam iterum miſerabiliter fructum ſuum recipiet.*

v. 31. LVIII. Denique hæc confirmat JESVS proverbiali parabola ligni viridis & aridi. *Quia,* inquit, *ſi in humido* (ὑγρῷ) *ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?*

LIX. Sententia hæc eſt Servatoris: Si hæc faciunt, permittente Deo, in ligno viridi, id eſt, eo, qui nulla vitiorum aut cupiditatum carie vitiatus, ſed omni virtutum genere totus florens, ac per Spiritum Dei, qui in me viget, perpetuo germinat: quid de illis fiet, & quale exem-

exemplum edi conveniet in eos, qui pravis cupiditatibus undique corrupti, nullos proferunt fructus, inſtar areſactæ arboris, & tantum utilis, ut comburatur?

LX. Nos omnes per naturam peccato extremis modis depravatam arbores ſumus aridæ, ſteriles, & infrugiferæ, ac proinde non excidio tantum, ſed & infernalibus flammis dignæ. Quapropter defleamus peccata noſtra, quæ ſunt ſecures ac bipennes, quibus arbor vitæ CHRISTVS exciſus: quæ arida ſunt ligna, quibus ignis divinæ iræ accenſus.

LXI. Sedulo igitur proſpiciamus, ut per veram fidem in hanc arborem transplantati participes reddamur vivifici ſucci, ſicque ex arboribus aridis & infrugiferis fiamus arbores virides ac fertiles.

LXII. Vna vero ad mortem ducebantur latrones duo, quorum tum temporis non parvam fuiſſe manum, quæ paſſim vias inſederit, ac ad Paſchale feſtum profecturis incommodarit, admodum credibile. In Græco tamen eſt κακοῦργοι, quod generatim ſonat *maleficos*, ac ut Eraſmus vertit, *facinoroſos*. *Luc. XXIII. v. 32.*

LXIII. Latrones cruci ſolitos affigi, patet ex ſequentibus Petronii; *Interim Imperator provinciæ latrones juſſit crucibus affigi.* Quo & illa Senecæ referas Epiſt. VII. *Sed latrocinium fecit aliquis. Quid ergo meretur? Vt ſuſpendatur.*

LXIV. Tandem deventum in locum ſupplicii, qui Syriaco-Chaldaica voce dictus *Golgotha*, vel integre *Golgoltha*: id eſt Calvariæ locus. Sic enim Matthæi XXVII. Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον Γολγοθᾶ, ὅς ἐστι λεγόμενος κρανίου τόπος. *Et venerunt in locum, qui dicitur Golgatha, quod eſt Calvariæ locus.* Similiter interpreta- *Matth. XXVII. v. 33.*

Zzzz 3 tur

tur Marcus c. XV. Apud Lucam eſt cap. XXIII. Ὅτε ἀπῆλθον ἐπὶ τὸν τόπον τὸν καλούμενον κρανίον. *Poſtquam venerunt in locum qui vocatur Calvaria.* Vbi Epiphanius ac Vulgatus legiſſe videntur κρανίου: apud quem eſt *Calvariæ.* Sed μετωνυμικῶς κρανίον vocari potuit, quia κρανίου vel κρανίων locus foret. Ac firmare eam rem videtur, quod in Cephallenia etiam oppidum fuerit nomine *Cranium*, ſive, ut Thucydides vocat, κρανία.

LXV. At ſi Golgotha vox eſt Syriaca, vel Syro-Chaldaica, cur ergo S. Johannes habet pro Hebraica? quando cap. XIX. inquit: Καὶ ἐξῆλθεν εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον, ὃς λέγεται Ἑβραϊστὶ Γολγοθᾶ. *Et exivit* (JESVS) *in eum, qui dicitur, Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha.*

Joh. XIX. v. 17.

LXVI. Reſpondetur Hebræam dici, quod Hebræis iſtius temporis hæc lingua eſſet uſitata: vel quod aliam vox לשון עברית Ἑβραϊστὶ induerit ſignificationem poſt captivitatem Babylonicam ſub templo ſecundo, quam habuit antea ſub templo primo. Ante Ebræa dicebatur lingua, quam etiam nos hodie ita dicimus, ab Ebero; at reverſis e captivitate Babylonica lingua Chaldæa audiebat Ebræa, non ab Ebero, ſed ab עבר Ebher, *tranſitu;* ut eadem ſit Ebræa, ac Transfluviatilis, ſeu TransEuphratenſis, quod e Babylone transEuphratem eſſet advecta.

LXVII. Periculoſum eſt, cum Beza, Caninio, Mercero & Maldonato ſtatuere, fontes Græcos in voce Γολγοθᾶ corruptos, ac reponendum eſſe Γολγολθᾶ. Nam iſta lectio omnium ſeculorum conſenſu confirmatur. Vnde graviter Caſaubonus *Exercit. XVI. Num. LXXXI.* Mihi *religio eſt, ſacros codices mendi arguere, nulla neceſſaria ratione urgente, in lectione omnium ſeculorum conſenſu, firma-*

Digitized by Google

firmata: nam ætate Nonni non aliter fuiſſe ſcriptum in omnibus libris, paraphraſis ipſius oſtendit; ubi propter metrum ſuſpicio mendæ non eſt.

LXVIII. Credibile igitur eſt, Judæos, qui tempore CHRISTI vixerunt, eliſo uno ל hanc vocem protuliſſe, quod eſſet hæc pronunciatio facilior, nec auribus ingrata. Imo hæc ipſa eliſio in aliis vocibus linguæ Syriacæ non fuit inſolens. Et hoc ipſum vocabulum abſq; ſecundo L. ab interprete Samaritano uſurpatur Numer. I.

LXIX. Evangeliſtæ Γολγοθᾶ nomine generali τόπον, *(locum)* vocant: quem quamplurimi *montem* fuiſſe exiſtimant.

LXX. Atque eundem montem non Palæſtinæ modo, ſed univerſi mundi umbilicum tradidere veterum complures: ac fuiſſe convenientiſſimum, ut iſtic CHRISTVS pateretur, quia ejus virtus diffundi debuit per orbem univerſum: ac ſimul, quia Jeruſalem locus erat a Deo ad ſacrificia electus, quæ typus erant ſacrificii a CHRISTO in cruce peracti. Legas hoc apud Thomam *part. III. Quæſt. XLVI. artic. X.* Huc ſpectant verſus Tertulliani *lib. II. contra Marcionem cap. IV.*

Golgotha locus eſt, capitis calvaria quondam
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit.
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoria ſignum.

Et Victorini Pictavionenſis Epiſcopi Hymno *de Paſchate,* ſive *de Cruce,* quem alii Cypriano tribuunt.

Eſt locus ex omni medium quem credimus orbe,
Golgotha Judæi patrio cognomine dicunt.

Quos verſus & Beda adducit *cap. III. de locis Sanctis.* Atque idem ſtatuunt Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſ. XIII.* Hilarius *in Matthæum can. XXXIII.* Eucherius in *Quæſtion. Veteris Teſtamenti.*

LXXI.

LXXI. Opinio vero hæc nata eſt ex verbis Pſalmi LXXIII. v. 13. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Beda d. l. *In medio Hieruſalem — columna celſa ſtat, quæ æſtivo ſolſtitio umbram non facit: unde putant ibi mediam eſſe terram, & hiſtorice dictam: Deus ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Hinc Chriſtianus Adrichomius in *Deſcriptione urbis ſanctæ num. CCLII.* de Golgotha ſic ſcribit: *Quapropter a majoribus noſtris in circumferentia foraminis, cui crux CHRISTI infixa fuit, hæc Pſalmographi verba Græcis literis, olim quidem argento, nunc autem cupro inſculpta ſunt:* ὧδε ὁ θεὸς βασιλεὺς ἡμῶν πρὸ αἰῶνος εἰργάσατο σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς. id eſt: *Hic Deus Rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutem in medio terræ.*

LXXII. Verum in *medio terræ* valet ibi *palam, in omnium conſpectu.* Theodoretus: Τὸ ἐν μέσῳ τῆς γῆς, αὐτὶ τοῦ, πάντων ὁρώντων. Quomodo etiam exponunt Euthymius, & recentiorum plurimi. Tum quia orbiculata mundi eſt figura, non magis hic locus, quam quiſquam alius, pro medio eſt habendus.

LXXIII. Vnde autem ſive mons, ſive collis, ſive campus ſuppliciis deſtinatus, nomen a calvariis acceperit, inter eruditos haut vulgaris diſceptatio eſt.

LXXIV. Quidam a craniis interemtorum & ſupplicio affectorum, quæ paſſim ibi fuerint diſperſa, dictum volunt. Placet id Hieronymo in Matthæi caput XXVII. ſcribenti: *Extra urbem & foras portam loca ſunt, in quibus truncantur capita damnatorum & Calvariæ, id eſt, decollatorum ſumſere nomen.* Eidemque ſententiæ ſubſcribit quoque Beda, itemque Lyra iſtis verbis: *Dicitur Calvariæ locus, quia locus ille erat plenus capiti-*

Digitized by Google

capitibus mortuorum, qui ibi decollabantur: quia ibidem maleſactores puniebantur. Et ſic patet loci vilitas, in quo CHRISTVS crucifixus. Et ex recentioribus Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce: Locus ille, ut apparet, huic ſupplicio dicatus fuerat. Inde & nomen.*

LXXV. Verum reclamat huic opinioni, quod Judaici moris non fuerit ſub dio relinquere defunctorum crania. Tanta enim ipſis erat ſepulturæ cura, ut etiam ad patibulum damnatos ad occaſum ſolem humo mandarent. Deut. XXI. 23. Hinc Joſephus lib. IV. cap. VIII. præceptum divinum ſic expreſſit: Ὁ δὲ βλασφημήσας θεὸν καταλευσθεὶς κρεμάσθω δι' ἡμέρας, καὶ ἀτίμως καὶ ἀφανῶς θαπτέσθω. *Qui convicium Deo fecerit, lapidatus per diem pendeat, deinde ignominioſe & obſcure ſepeliatur.* In Miſchna Sanhedrin *cap. VI.* §. *V.* hæc legas: *Duo ſepulchra a Senatu conſtituta fuerunt, unum lapidatis & uſtis, alterum gladio & laqueo interemtis.*

LXXVI. Niſi forſan velis affirmare, Judæa in provinciæ formam redacta a Romanis, ac poteſtate capitali ſupplicio afficiendi reos ablata, aut reſtricta, in manu ſive Præſidis ſive Procuratoris fuiſſe ſontium cadavera ſive ad ſepulturam dare, ſive tali arcere. Quamobrem de corpore IESV dicitur, quod Pilatus id Joſepho inſtar ſingularis gratiæ conceſſerit. Vt adeo rebus ita habentibus quædam maleficorum cadavera vel gentilium vel Judæorum inſepulta fuerint relicta. Romanos enim magiſtratus, præſertim juſto rigidiores, ſcelerum diſcrimine ſublato plexos ſepultura arcuiſſe, obſervavit Kirchmannus *Appendice* libri *de Funeribus Romanorum.*

LXXVII. Voſſius in *Harmonia* locum vult *ſimpliciter* ſic appellatum, *quia facinoroſis illic ſoleant capita de-*

Digitized by Google

truncari. Nam Golgol, addit, *unde* Golgoltha, *non de craniis modo defunctorum videntur dixiſſe, ſed etiam capitibus viventium: quomodo & in Græcis Latiniſque κρανίῳ & Calvæ in vivis obtinet appellatio. Capitis igitur locus idem fuerit, ac decapitationis locus. Qualis locus Romanis* Seſtertium, *ac ſcalæ* Gemoniæ. Quomodo locus maleficorum decollationi deſtinatus in patria mea Luneburgo dici ſolet der Köpfgenberg.

LXXIIX. A forma montis capiti humano ſimilis nomen loco inditum, quosdam voluiſſe, refert Cyrillus Hieroſolymitanus. Ac B. Calixtus *montem ita dictum* autumat, *quod rotundus eſſet inſtar calvariæ*. Cujus judicio acquieſcit B. Henricus Mullerus in *JESU Patientem. XLVII.* & nos quoque in eo poſſumus acquieſcere.

LXXIX. Errant procul dubio, qui locum hunc denominatum credunt a cranio primi hominis, quem ibi ſepultum fuiſſe tradunt.

LXXX. Non nova hæc eſt traditio, ſed quæ jam Tertulliani, ac Origenis ævo invaluit, ac porro Cyprianum, Athanaſium, Baſilium, Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Nonnum Panapolitam, Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, Michaelem Glycam, Theophylactum, fere habet ſuffragatores.

LXXXI. Tertulliani hoc de argumento verſus ſunt quos paulo ante laudavimus, proxime excipientes:

Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum,
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum.
Hic patitur CHRISTUS, pio ſanguine terra madeſcit,
Pulvis Adæ ut poſſit veteris cum ſanguine CHRISTI
Commixtus ſtillantis aquæ virtute levari.

Orige-

Origenes in Matthæum Tractatu XXXV. *Locus Calvariæ dicitur diſpenſationem habere, ut illic moreretur, qui pro hominibus fuerat moriturus. Venit enim ad me traditio talis, quod corpus Adæ ibi ſepultum eſt, ubi crucifixus eſt Dominus: ut ſicut in Adam omnes moriuntur, ſic in CHRISTO omnes vivificentur: ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id eſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inveniat cum populo univerſo per reſurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit.* Cypriano hic locum damus, propter ſermonem, *de Reſurrectione CHRISTI inter illos de Cardinalibus CHRISTI operibus:* quamvis non ſim neſcius, pro recentiori haberi fœtu, ac Jacobum Vſſerium Armachanum in *Reſponſione ad Jeſuitam Hibern.* & Philippum Labbæum Arnoldo Bonavillarenſi Abbati adjudicare. Verba Auctoris ita habent: *CHRISTI ſanguine conſperſa creditur Adami calvaria, qui ſub loco, quo crux Domini fixa eſt, humatus traditur ab antiquis, ejusdem ſanguinis ſanctificati elapſu.* Athanaſii teſtimonium *ſermone in Paſſionem & Crucem Domini* ita habet: *In loco Calvariæ, quem Magiſtri Hebræorum dicunt eſſe Adami.* Ad Baſilium provocat Simeon Metaphraſtes in *vita Theodoſii Cœnobiarchæ,* quæ exſtat apud Laurentium Surium *Tom. I. Hiſtor. Sanctorum die XI. Januarii* his verbis: *Multa ex iis, quæ olim facta ſunt, ſita autem non ſunt in divina Scriptura, ſola ſcriptis non mandata traditio efficit, ut in hodiernum usque diem pro certis habeantur. Qualia ſunt ea, quæ dicuntur de loco cranii, quæ ſunt, inquam, tractata a magno Baſilio. Ille enim dicit in quadam ſua oratione (oportet enim ea tanquam condimentum aliquod addere orationi) non ſcriptam nobis exponens traditionem: Adam, inquit, primus noſter parens, in hoc,*

qui nunc dicitur cranii loco, dicitur eſſe ſepultus: ubi mens quoque CHRISTUS pro nobis crucem & mortem ſuſcepit, propter eam, quæ verbis explicari non poteſt, benignitatem. Affertur etiam illuſtris locus ex eodem Baſilio in Levit. cap. XXV. ubi dicit: *Obtinuit fama quædam in Eccleſia, memoriam conſervans, non quidem ſcripto proditam; quæ talis eſt. Quod prima utique Judæa hominem habebat accolam, nimirum Adam, ſimul atque excidit deliciis Paradiſi, in hac terra collocatum ad mitigandum jacturam bonorum, quibus fuerat exutus. Prima igitur etiam mortuum hominem excepit, qui & illic eam, cui addictus erat, ſententiam condemnationis plene eſt exſecutus. Itaque inſolens eſſe ac novum videbatur illius ætatis hominibus ſpectaculum, os capitis, defluente carne, nudum: at illi recondentes cranium loco illi indiderunt nomen Cranion, id eſt, Calvariam.* Sed recte negat Voſſius hæc Baſilium habere auctorem, cujus tam gravis error ſit, ac ſi Adamus primus mortalium mortuus. Longior eſt Epiphanii narratio *hæreſi XLVI.* quæ Tatianorum eſt; quam tamen item non pigrabor afferre. *Mirari licet de eo, qui novit, velut etiam in libris reperimus Dominum JESUM CHRISTUM in Golgotha crucifixum eſſe non alibi, quam ubi corpus Adam jacebat. Egreſſus enim Paradiſo, cum habitaſſet e regione ipſius multo tempore, & per multos dies perveniſſet, poſtea abiit eo, & in loco hoc, Hieroſolymorum videlicet, debitum naturæ perſolvens illic ſepultus eſt in loco Golgothæ, unde merito cognomen habuit locus, quem Cranii, ſive Calvariæ locum interpretantur, cujus nominis ſimilitudinem aliquam figura loci non oſtendit. Neque enim in altitudine quadam ſitus eſt, ut hoc cranium interpreteris, velut in corpore capitis locus dicitur. Neque ſpecula*

ſpecula interpretationem facere poſſis, nam neque reliquis locis altior eſt. E regione enim eſt mons oliveti altior, & a ſignis octo Gabaon eſt altiſſima. Sed & altitudo, quæ olim erat in Sion, nunc vero diſjecta eſt, & ipſa altior loco illo fuit. Vnde igitur cognominatio cranii eſt? imo, quia primum formati hominis Adam calvaria illic inventa eſt, & illic reliquiæ ſitæ erant, ea de cauſa cranii locus cognominatus eſt, in quo crucifixus CHRISTVS per aquam & ſanguinem, qui fluxit ab ipſo, per compunctum ipſius latus in ænigmate ſalutem noſtram oſtendit ab initio maſſæ primi patris reliquias reſpergere auſpicatus, quo etiam nobis oſtenderet reſperſionem ſanguinis ipſius ad mundationem noſtræ inquinationis & animæ pœnitentis & in exemplum rigationis ac purificationis ſordium peccatorum noſtrorum facta eſſe, effuſam videlicet aquam ſuper jacentem ſub loco & ſepultum in ſpem ipſius & noſtram, qui ab ipſo geniti ſumus. Succedat Ambroſius in Lucæ cap. XXIII. ſcribens: *Ipſe crucis locus, vel in medio terræ ut conſpicuus omnibus: vel ſupra Adæ, ut Hebræi diſputant, ſepulturam. Congruebat quippe, ut ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia.* Idem lib. V Epiſt. XX. *Hæc eſt anima Evangelica, hæc eſt de gentibus, hæc filia Eccleſiæ, longe meliore curſu, quam illa ex Judæa projecta ad Dominum JESVM, & ad ſuperiora ſe bonis conſiliis & opibus attollens, quam ſuſcepit in Golgotha CHRISTVS, ubi Adæ ſepulchrum, ut illum mortuum in ſua cruce reſuſcitaret.* Sequatur Hieronymus, qui Epiſtola XVI quam Paulæ & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcripſit. *In hac urbe imo in hoc tunc loco & habitaſſe dicitur, & mortuus eſſe Adam. Vnde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter, Calvaria appellatur: ſcilicet, quod ibi ſit antiqui ho-*

minis calvaria condita, ut ſecundus Adam, & ſanguis CHRISTI de cruce ſtillans, primi Adam & jacentis Protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo ille Apoſtoli completur: Excitare qui dormis, & exſurge a mortuis, & illuminabit te CHRISTVS. Audiamus porro Auguſtinum *Serm. LXXI. de Tempore*, Hieronymiana laudantem: *Audite alud ſacramentum, fratres cariſſimi. Hieronymus presbyter ſcripſit, ab antiquis & ſenioribus Judæis ſe certiſſime cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaac, ubi poſtea CHRISTVS crucifixus eſt. Denique ab eo loco, unde beatus Abraham juſſus eſt proficiſci, tertio die ad locum, ubi CHRISTVS crcifixus eſt, pervenitur. Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo, in ipſo loco, ubi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus, & ideo Calvariæ locum dictum eſſe, quod caput humani generis ibi ſepultum ſit. Vere, fratres, non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi jacebat ægrotus; & dignum erat, ut ubi acciderat humana ſuperbia, ibi ſe inclinaret divina miſericordia, & ſanguis ille pretioſus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur ſtillando contingere, redemiſſe credatur.* Itemque Chryſoſtomum *Homil. LXXXV. in Johannem*: *Quidam dicunt, ibidem Adamum mortuum & ſepultum, & JESVM, ubi mors regnavit, ibidem & tropæum erexiſſe.* Nonni Paraphraſis in Johannem ita canit:

Εἰσόκε χῶρον ἵκανε φαιζομένοιο Κρανίου,
Ἀδὰμ πρωτογόνοιο φερώνυμον ἄντυγι κόρσης.
Γολγοθὰ τὸ καλέεσκε Σύρων στόμα. ——

Donec in locum venit nominati Cranii, Adam priſci nomen ferentem ambitu capitis. Germani Patriarchæ teſtimonium exſtat in *Oratione, quam tertia Jejuniorum Dominica*

nica in vivificam crucem habuit. Glycæ autem *Annalium parte II.* de Cainitarum ſecta. Denique Theophylactum producemus, primo in Matthæi cap. XXVII. commentantem: *Cranii locus dictus eſt eo, quod dicant, qui traditiones tenent, quod Adam illic ſepultus ſit. Sicut enim in Adam omnes morimur, ita & in CHRISTO omnes vivificari oportebit nos.* Deinde in Marci cap. XV. *Traditio eſt, quæ a priſcis Patribus uſque ad nos pervenit, quod Adam illic ſepultus ſit. Dominus itaque, qui lapſum & mortem Adami ſanavit, illic crucifixus eſt, ut unde principium mortis, inde & mortis deſtructio.* Ac iterum in Johannis cap. XIX. *Calvariæ locum dicebant, ſicut narratio prodit, quod illic ſepultus ſit Adam; ut ubi principium mortis, illic & caſus ejus fieret. Traditio enim Eccleſiaſtica eſt, quia prior Judaica, poſtquam ejectus fuit homo ex paradiſo, domicilium ibi habuit in ſolatium bonorum, quæ in paradiſo, quæ omnium aliarum optima eſſet & pinguiſſima. Homines igitur qui tum habuerunt pro miraculo mortui calvariam depilatam, in loco illo habitantes inde eum nominaverunt, & poſt diluvium fama hæc Noe in omnes divulgata eſt. Vnde & Dominus, ubi fons mortis, illic moritur, ut illum ſiccet.*

LXXXII. Pro eadem quoque traditione faciunt illi, qui ſuſcepta in Palæſtinam peregrinatione, hanc auditu acceptam in literas retulerunt, & ad poſteros propagarunt. Quales Breitenbachius, Frater Felix Fabri, Auctor Appendicis ad Itinerarium Alberti Comitis de Levvenſtein, Joh. Tucher Patricius Noribergenſis, Jacobus Villamontius Eques Gallus, Surius Minorita.

LXXXIII. Ex hac traditione procul dubio natus mos ille pictorum, qui plerumque crucis CHRIS I. ſi-

piti ſubjiciunt cranium cum decuſſatim poſitis oſſibus, quæ reliquias Adami videntur repræſentare.

LXXXIV. At quicquid ſit de hac traditione, certe in iis libris, quos tum veteris, tum novi fœderis Eccleſia ad cognitionem cœleſtis veritatis a Deo accepit, de hoc Adami ſepulchro nihil reperitur.

LXXXV. Vnde ergo hunc ſive errorem, ſive figmentum natum eſſe dixeris?

LXXXVI. Judæis ſuam debere origenem, vix ſit veroſimile, cum nunquam ſcientes paſſi fuiſſent, ut illa ipſa terræ ora, quam omnium Patriarcharum principis cineres venerabilem redderent, ſupplicia ſceleratiſſimorum capitum facerent infamem.

LXXXVII. Quare, ſi Chriſtianis natales ſuos debet traditio, forte illi cum in Antiquitatibus legerent Judaicis, circa Hieroſolymitanam urbem terræ mandatum Protoplaſten; hoc, quod alteri loco aut poterant, aut debebant tribuere, illi tumulo, in quo CHRISTVS exſpiravit, pia mentis intentione aſſignarunt: pulchrum ducentes, vel loci memoria, ubi Deus morte ſua vitam mortalibus reſtituit, in mentem nobis revocari hominem, qui mortem in nos omnes derivavit.

LXXXVIII. Eam Adamo corporis ſui curam fuiſſe, ut id in terræ umbilico ſepeliendum atnepotis pronepoti Lamecho commendaverit, Lamechum filio Noacho id commiſiſſe; qui tempore diluvii ſervatum in arca moribundus Semo filio tradiderit; ab eo demum terræ medio, id eſt, Golgothæ, inditum, ex Chriſtianis Orientalium monimentis refert Saidus Patricides, Alexandrinus Patriarcha, Chronici Arabici auctor; & ex eo celeberrimus Seldenus *lib. III. de Jure Naturali Hebræorum cap. II.*

LXXXIX.

Digitized by Google

LXXXIX. Verum Jacobus Orrohaita, ſcriptor Syrus apud Moſen Barcepham Syrum *parte I. de Paradiſo cap. XIV.* Adami ſolum caput a Semo, quod ei Noachus, quando terras, & ſimul Adami oſſa divideret filiis, cum Judæa tribuerit, in Calvaria conditum, memoriæ prodidit.

XC. Horum narrationes niſi lubrico niterentur fundamento, arbitrari poſſis, Adamum divino quodam mentis præſagio, in ſpem extraordinariæ illius ad vitam reſurrectionis, quæ CHRISTO a mortuis reſurgente Sanctis contigit, expetiiſſe corporis ſui vel in Calvaria, vel non procul ab ea, ſepulturam, ſeu ſtatim poſt ſuprema fata, ſeu demum poſt diluvii tempora inſtituendam.

XCI. Interea Hieronymus, quod alibi aſſeruit, damnat in Matthæi cap. XXVII. ita ſcribens: *Magno applauſu populi pia explicatio ſuſcepta eſt, non tamen vera, cum neque Adam in Calvaria monte ſepultus ſit. Ubi enim ſepultus ſit Adam, teſtatur liber Joſuæ cap. XIV. dicens: Ibi Adam maximus inter filios Enakim ſepultus eſt. Neque & Calvariæ mons ab Adæ capite, ſed a calvariis eorum, qui in eo monte capite plectebantur, ſic appellatus fuit.* Et in libro *de Locis Hebraicis:* Corrupte *in noſtris codicibus Arbab ſcribitur, cum in Hebræo legatur Arba, id eſt, quatuor, eo quod ibi quatuor Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob ſepulti ſunt, & Adam magnus, ut in JESU libro ſcriptum eſt: licet eum quidam conditum in loco Calvariæ ſuſpicentur.*

XCII. Quomodocunque autem cum Adami ſepultura comparatum ſit, Joſuæ tamen locus pro ſtabiliendo Protoplaſti ſepulchro in Kirjath Arba non videtur ſatis habere roboris. Nam vox Arba non eſt hic nomen

 com-

commune, ut vult Hieronymus, ſive, ut Grammatici loqvuntur, appellativum, ſed proprium, ut fatentur Hebræi quoque communiter: Vt ſententia ſit: *Nomen Hebronis olim fuerat Kirjatharba, ſive civitas Arbæ. Is fuerat homo maximus inter Enacinos.* Deinde non dicitur in citato Joſuæ loco ſepultum ibi Adamum, ſed nuda eſt conjectura, quod Patriarchæ ibi ſepulti ſunt quatuor, unde hoc habeat nominis. Proinde conſentientem nobiſcum B. Lutherum *Commentar. in Geneſin* libet adjungere. *Si Etymologiam ſpectes, Kiriath Arbe idem eſt, quod civitas qvatuor, ſive tetrapolis. Hanc ſequitur Hieronymus, & appellationis hanc cauſam aſſignat, quod ſint ibi ſepulti quatuor Patriarchæ cum uxoribus ſuis, Adam, Abraham, Iſaac & Jacob. De tribus poſterioribus quidem non eſt dubium. Sed de Adam & Eva nemo facile probaverit. Ex Joſua autem colligere licet Hebron ante vocatam eſſe Cariath-Arbe, & civitati nomen inditum eſſe a principe quodam Arba, qui fuit magnus inter Enakim, id eſt, inter illos gigantes. Fuit vir præſtans ſive virtute & ſapientia, ſive vitiis infamis, aut quacunque de cauſa magnus & celebris. Sic nobis Carlſtad vocatur a Carolo, qui fuit magnus inter Reges. Halberſtad a quodam Alberto, qui præſtantiſſimus fuit nobilium. Nomen autem habuit Arba a numero, ſicut Latini Quintium, Octavium, Nonium dicunt. Non igitur probo illam opinionem Hieronymi, qui eo loco conditum eſſe ait Adamum. Quia per diluvium totius orbis tanta diſſipatio & confuſio facta eſt, ut priorum monumentorum nulla extiterint veſtigia. Sicut totus mundus incomparabiliter deterior eſt factus priore illo, tum in fructibus, tum in hominibus. Paradiſus laceratus & vaſtatus eſt, neque quisquam novit, ubi Adam aut Eva, aut alii Patres*

 tres

tres ſint ſepulti. Ideo nec ſepulcra, nec veſtigia eorum ulla apparuerunt. Comminiſcuntur & aliam fabellam, dicunt, Adam ſepultum eſſe in monte Calvariæ, ubi poſteà CHRISTUS crucifixus eſt: quo volunt ſignificare CHRISTUM mortuum in ſepulcro Adæ, vel ubi ſtetit Arbor ſcientiæ. Pia figmenta ſunt.

XCIII. Eodem in loco, ubi CHRISTUS crucifixus, volunt Jacobum Patriarcham obdormiviſſe, ſuppoſito capiti lapide Genes. XXVIII. v. 10. Macarius Chryſopolitanus: Λίθος δὲ ἦν πρὸς κεφαλὴν αὐτοῦ, καὶ ὁ τόπος κρανίου τὸ λιθόστρωτον, οὗ ἐπὶ τὸ ἄκρον ἐκκέχυται τὸ σωτήριον αἷμα. *Erat autem lapis ſub capite ejus, & locus Calvariæ lapidibus ſtratus, ubi in ſummitate effuſus ſalvificus ſanguis.*

XCIV. Alia Veterum eſt traditio ibidem paſſum eſſe JESUM, ubi Abrahamus Iſaacum, qui typus erat CHRISTI, ex mandato divino immolare voluit. Et ſane majorem habet veri ſpeciem, quam prior de Adami calvaria. Ita enim Auguſtinus *Serm. de Tempore LXXI. Audite ſacramentum, fratres cariſſimi, Hieronymus presbyter ſcripſit, ſe ab antiquis & ſenioribus Judæis certiſſime cognoviſſe, quod ibi immolatus ſit Iſaacus, ubi CHRISTUS poſtea crucifixus eſt.* Et Theodoretus *Dialogo III.* Φασὶ δὲ καὶ τὴν τοῦ ὄρους ἀκρωνυχίαν ἱερουργίας ἀξιωθῆναι συμφωνίας. *Narrant etiam montis verticem utroque ſacrificio decoratum eſſe.*

XCV. Demum nec id ſicco prætereundum pede, quod in loco crucifixionis poſtea temporibus Hadriani Veneris ſtatutum ſimulacrum: perinde ac Reſurrectionis profanatus locus, conſtituta iſtic ſtatua Jovis. Euſebius *lib. III. de Vita Conſtantini cap. XXV.* Δεινὸν ὡς ἀληθῶς ταφεῖον ψυχῶν κατασκευάζουσι νεκρῶν, σκότιον Ἀφροδίτης ἀκο-

ἀκολάστῳ δαίμονι μυχὸν ᾠκοδομησάμενοι. *Nefandum revera & execrabile buſtum animarum conſtruxere, & receſſum laſcivo Veneris dæmoni ædificarunt:* quo de loco vide quæ ad Paulini Epiſt. XI. annotavit Fronto Ducæus. Sic Hieronymus *Epiſt. XIII. ad Paulinum:* Ab *Hadriani temporibus usque ad imperium Conſtantini per annos circiter centum octoginta, in loco Reſurrectionis ſimulacrum Jovis, in Crucis rupe ſtatua ex marmore Veneris a Gentibus poſita colebatur, exiſtimantibus perſecutionis auctoribus, quod tollerent nobis fidem reſurrectionis & crucis, ſi loca ſancta per idola polluiſſent.* Sulpitius Severus *Hiſtoria Sacræ lib. II.* Qua *tempeſtate Hadrianus exiſtimans ſe Chriſtianam fidem loci injuria peremturum, & in templo ac loco Dominicæ paſſionis dæmonum ſimulacra conſtituit.* Ado in *Martyrologio* V. Non. Maji: *Adrianus, qui XI. Cæſar, & Imp. Romæ erat, exiſtimans, ſe fidem Chriſtianam loci injuria peremturum, in loco paſſionis ſimulacrum Jovis conſecravit.* Idem de Calvariæ monte tradunt Alexander monachus homilia *de Inventione S. Crucis*, & Georgius Ἁμαρτωλὸς *in Chronico:* & ante hos Socrates, Theodoretus, Sozomenus, ac Hieronymi æqualis Rufinus. Vnde ab hac Veneris ſtatua Calvariæ mons appellatus videtur *Venerarium.* Ambroſius in Pſalm. XLVII. *Dominus ſecundum cœli tractum in Venerario paſſus eſt, qui erat locus in latere Aquilonis.*

XCVI. Memoria fefellit Paulinum, cum *XI. Epiſtola* pro Veneris, Jovis ſtatuam repoſuit: niſi ex Heriberti Rosvveidi ſententia, malis adeo laxe locutum, ut propinquum Reſurrectionis locum comprehendat. Integra Paulini adſcribam. *Facile aſſequi conjectura poſſumus, qua vi excidiſſent Crucem, ſi exſtare vidiſſent, quæ*

&

Digitized by Google

& Crucis locum perſecuti ſunt. Nam Hadrianus Imperator exiſtimans ſe fidem Chriſtianam loci injuria peremturum, in loco paſſionis ſimulacrum Jovis conſecravit; & Bethlehem Adonidis fano profanata eſt: ut quaſi radix & fundamentum Eccleſiæ tolleretur, ſi in iis locis idola colerentur, in quibus CHRISTUS natus eſt, ut pateretur, paſſus eſt, ut reſurgeret, ſurrexit, ut regnaret, judicatus, ut judicaret. Me miſerum! etiam iſta pro nobis Dominus omnipotens perpeti non recuſavit, ut ubi pro ſalute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum ſacrilegio ſperneretur, & ſuper crucem (ad quam orbe concuſſo, & ſole refugo, & diſſilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat) ſtabat ſimulacrum dæmonis, & ara ſimulacri pecudum buſta fumabat; & Dei nomen deferebatur ſtatuis mortuorum, cum ipſe vivorum Deus, qui & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolum mortui, ſed & crucifixi hominis blaſphemaretur opprobrio.

CAP. XI.

De iis quæ proxime anteceſſerunt CHRISTI Crucifixionem.

De potu quem exhibuerunt moribundo. De detractione veſtium. Quod nudus pependerit in cruce. Fuſior diſputatio de hora mortis CHRISTI.

I.

ACcedimus jam ad novam Paſſionis CHRISTI partem, nempe ipſam Crucifixionem: quam pro triplici tempore in tria membra diſtinguemus. Primo in conſiderationem venient, quæ proxime antecedunt cru-

crucifixionem. Altero ipſam crucifixionem contemplabimur. Tertio declarabimus, quæ eam conſecuta, donec deponeretur de cruce.

II. Crucifixionem duo antecedunt in ſacris memorata. Prius, quod ut in locum ſupplicii deventum, datum JESV vinum myrrhatum cum felle mixtum. Alterum, quod veſtes ipſi exuerunt.

Marc. XV. 23 III. Marco οἶνος ἐσμυρνισμένος *vinum myrrhatum*
Matth. hæc appellatur potio. Matthæo μετὰ χολῆς μεμιγμένος
XXVII. 34 ὄξος, hoc eſt, *acetum felle mixtum.*

IV. Qualis ergo fuerit hic potus prima fronte difficile videtur dictu, quod magno diſtent intervallo οἶνος & ὄξος, *Vinum* & *Acetum*, χολὴ καὶ σμύρνη, *Fel* & *Myrrha*: & tamen vel alterutrum, vel utrumque CHRISTO eſt oblatum.

V. Res erit manifeſtior, ſi utriusque inter ſe virtutem ex medentium præceptis conferentes, ſimul expenderimus, quo fine potus propinatus fuerit.

VI. Stabat Servator feſſus ex itinere, & erigendæ crucis ſpectabat moras. Vnde ne vires eum deſtituerent jam laſſum atque ſitientem, ſed majoribus tormentis reſervandum, datus ei potus, ſive ab adſtantibus Judæis, ſive a piis mulierculis, quæ ipſum ex urbe comitatæ, pietatis & officii plenæ.

VII. Narrat Maimonides, apud Judæos pleraque omnia ad ſupplicii apparatum neceſſaria ab hominibus piis privato ſumtu & ſtudio ſolita parari.

VIII. An autem vel vinum, vel acetum in hoc cenſu fuerit, non æque manifeſtum eſt.

IX. Vinum plurimorum impetravit calculos, quod reis ad ſupplicium extremum deſtinatis vinum dabatur ad

Digitized by Google

ad ſolatium, more nec apud Athenienſes obſoleto, qui ne horrorem ſupplicii attenderent, ducendis cibum vinumque largius præbebant: quod Caſaubono *Exerc. XVI. n. LXXX.* comprobatum illuſtri loco Suidæ quem latine adſcribam: *His, qui ad mortem ducebantur, licebat, ubi ſe cibo & vino ingurgitaſſent, tria dicere, quæcunque vellent: quibus prolatis, ore obturato abducebantur ad mortem.*

X. Hoc opus pietatis urgetur in Proverbiis cap. XXXI. v. 6. his verbis: *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui ſunt amaro corde.* Vbi cum vino ſiceram conjungit, tanquam genus cum ſua ſpecie. Licet enim eo nomine a vino diſtet, quod ſit *omnis potio, quæ inebriare extra vinum poteſt*, teſte Iſidoro *lib. XX. Originum cap. III.* tamen vini quoque nomenclaturam ſubire poſſe ex Plinii lib. XIV. cap. XVI. patet, ubi inquit: *Vinum fit & e ſiliqua Syriaca, & e pyris, malorumque omnibus generibus, ſed & punicis, cornis, meſpilis, moris ſiccis, nucleis pineis.*

XI. Non ſacris ſolum ea vini virtus innotuit, ſed & Medicorum filiis, qui in Syncopes metu vinum ægroto exhiberi volunt: & quidem, ſi immodicæ præceſſerint evacuationes, ſive ex fluxu ſanguinis nimio, ſive humorum aliorum, auſterum, acerbum, craſſum, commendant.

XII. Talis jam aliquibus creditur Salvatoris conditio, ut ex longiori itinere, & acceptis plagis, contumeliis, ac infinitis animi affectionibus in Syncopen caſurus videretur, niſi aliquo vini hauſtu ſublevaretur.

XIII. Quid autem ſibi vult acetum, ſi vinum CHRISTO fuit præbitum?

XIV. Thomas Bartholinus eodem, quo vinum, jure acetum CHRISTO offerri potuiſſe cenſet; præſer-

tim ſi ſitis cauſa ab humiditate & calore in unum conſpirante provenerit. Quod ſi vero ad tormentum homines maleferiati hanc potionem miſcuerint, notam ait ex Aetio, Oribaſio, Celſo, reliquisque priſcæ medicinæ conditoribus aceti infamiam.

XV. Attamen quia vinum & acetum non parum inter ſeſe differunt, variæ conciliationes ſunt inventæ.

XVI. Nonnulli duplicem potum ante adſcenſam crucem CHRISTO propoſitam arbitrantur: ſed ſola ducti conjectura vinum a piis mulieribus; acetum a militibus profectum: qua de re mox plura afferemus.

XVII. Plures etiam liquores agnoſcere videtur Theophylactus, quando in ſumma illa rerum omnium confuſione alios alia attuliſſe putat. Verba in Commentariis ad Marcum hæc ſunt: *Dederunt illi bibere vinum myrrhatum. Myrrha autem amariſſima eſt. Illudentes igitur hæc dederunt Domino. Alius autem Evangeliſta dicit acetum cum felle, & alius aliud quid oblatum eſſe Domino, & nihil in iis contrarium. Cum enim nulla apud illos diſciplina, alii alia afferebant, & alius quidem acetum & fel, alius autem vinum myrrhatum.*

XVIII. Non autem eſt credibile plures potiones in promptu fuiſſe ſtatim, & hactenus quidem plerorumque Interpretum conſentiens eſt opinio, unicam modo exhibitam: at qualis illa fuerit, hoc eſt, quod in diſceptationem venit,

XIX. Quorundam eſt opinio, τὸ ὄξος incuria librariorum pro οἴνῳ in textum Matthæi irrepſiſſe, hacque parte peccaſſe quoque Syrum interpretem, Chryſoſtomum, Theophylactum, aliosque, *aceti* defenſores. Vnde eam vocem in *vinum* commutarint Vulgata verſio, Hila-

rius,

Digitized by Google

rius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Juvencus, Sedulius, & Evangelium Hebræum.

XX. Ceterum non usque adeo debemus eſſe faciles in admittendis erroribus librariorum, inprimis quando plerorumque exemplarium conſenſum habeamus.

XXI. Beza quidem in vetuſtiſſimo codice, quem Academiæ Cantabrigienſi dicavit, legit οἶνον, eandemque lectionem veriſſimam arbitratur. Sed id ex margine fortaſſis in textum involavit, quod eſſet interpretamenti gratia ad vocem ὄξος additum.

XXII. Hugoni Grotio ſi credimus, ὄξος Græcis vinum eſt factitii ſaporis: quale ὄξος ἑψητὸν apud Suidam ἀπὸ φοινίκων *ex palmulis* memoratur, & contra *cereviſia* οἶνος κρίθινος Athenæo appellatur: quo tibicine nixus Beza, audacter ſcripſit: *quamvis apud Matthæum habeatur* ὄξος, *ſignificare tamen vinum conditum.*

XXIII. Bartholinus vinum ὄξος dici putat poſſe, & hoc loco debere; vel quia acetum nihil niſi *vinum mortuum* ex Galeno *lib. I. de Simplic. Medicam Facult. cap. V.* & ὀξὺ καταβεβληκὼς οἶνος: ut exponat Gloſſarium ſuum ms. Plinio lib. XXIII. cap. I. *vini vitium*: vel, *quod vinum fuerit vetus & acetoſum.*

XXIV. Jam cujuscunque ſuppoſitionis partibus faveamus, vinum acidum CHRISTO credit propinatum dato ſtudio. Si ad pœnam, notum ex arte medica, tam uvas acidas, quam vinum, quod uvis his exprimitur, coctioni in ventriculo, diſtributioni ac nutritioni inimica eſſe. Si ad ſolatium laſſi Salvatoris interpretemur, potum, acceſcens vinum in laſſitudinibus à Galeno *lib. IV. de tuenda ſanitate cap. VI.* fuiſſe commendatum.

XXV. Subſcribat huic ingenioſæ maximi viri ſen-

Digitized by Google

tentiæ, quiſquis voluerit: nos, ne abſque neceſſitate literam videamur deſerere, per ὄξ☉ intelligimus acetum proprie dictum; & apud Marcum per οἶν☉ vinum, ſed aceſcens: quod acetum dicitur Horatio *lib. II. Serm. Sat. III.*

> *Si poſitis intus Chii, veteriſque Falerni*
> *Mille cadis (nihil eſt trecentum millibus) acre*
> *Potet acetum.*

Vbi *acetum*, ſeu vinum acre & acetoſum opponitur *Chio* & *Falerno.* Nec negaverim tamen, per ὄξ☉ *vinum acidum* poſſe intelligi, ſeu *vappa*, quæ Græcis dicatur ὀξίνη. Atque ita Theophylactus in Marci XV. *Fortaſſe & vinum acetoſum erat.* Et mox: *Vinum acetum dici poteſt, quia acetoſum.*

XXVI. Sic itaque, ut cum Bartholino concludamus, *vinum in textu ſacro Marci vindicavimus, ne ὄξ☉ ex Matthæo in exilium agatur, amica inter vinum acetumque firmata concordia.*

XXVII. Sed mixtum CHRISTO obtulerunt ſive acetum, ſive aceſcens vinum, atque dilutum, non meracum. In hac mixtura Evangeliſtæ iterum videntur diſſentire. Matthæus ὄξον vocat μετὰ χολῆς μεμιγμένον: Marcus οἶνον ἐσμυρνισμένον. Ergone *bilem* & *myrrham* pari ſignificationis paſſu ambulare dixeris?

XXVIII. Sunt qui credant, vinum & myrrha & felle ſimul fuiſſe temperatum, & Matthæum *fellis*, non *myrrhæ*, Marcum *myrrhæ*, non *fellis* meminiſſe, ne eadem uterque repeteret.

XXIX. Alii vinum a diverſis, amicis atque inimicis cenſent dilutum: ab iſtis myrrha, ab his felle.

XXX. Nimirum conjiciunt fœminas bene CHRISTO

STO cupientes, & caſum miſerantes myrrhatum vinum ex gentis more præparaſſe: ſed cum accedere ad Dominum non poſſent, ac ne honeſtas quidem pateretur, vinum præparatum militibus tradidiſſe, qui, ut erant proni ad omne ſcelus, aceto ac felle immixto poculum mulierum corruperint. Atque hanc opinionem fovet, & fuſiſius illuſtrans Caſaubonus *Exercitat. XVI. n. LXXX.* tandem ſic concludit: *Non puto fore aliquem ſimplicis veritatis amantem, qui in ſuperiore expoſitione non acquieſcat.*

XXXI. Jam olim in hanc ſententiam devenit Nicolaus Lyra *in Matthæum:* niſi quod *Judæis* tribuat, quæ Caſaubonus *militibus*. Verba ejus ſubjungo. *In Jeruſalem erant matronæ devotæ & compaſſivæ, quæ hoc vinum dabant ex devotione. Judæi igitur ex nimia crudelitate moti tale vinum datum pro CHRISTO & aliis duobus cum eo crucifixis acceperunt ſibi, ſecundum quod dictum Amoſ. II.* Vinum damnatorum bibebant: *& loco ejus poſuerunt acetum cum felle mixtum.* Atque ita fere Petrus Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis lib. VIII. cap. XIX.* modo excipias, quod & myrrhæ mixturam ad Judæos referat. *Erant*, inquit, *in Jeruſalem mulieres honeſtæ, quæ hæc ſponte mittebant. Bonum igitur vinum Domino JESV CHRISTO, aliisque cum eo crucifigendis ad hoc miſſum Judæi biberunt. Quare tunc impletum eſt, quod longe ante per Amos cap. II. dictum fuerat:* Et vinum damnatorum bibet domus Dei eorum. *Quaſi diceret, Vinum damnatorum bibet domus Iſrael, & quod majoris erat facinoris, vinum etiam Dei eorum. —— Pro incenſo igitur & bono vino bibito myrrham & acetum cum felle mixtum Judaica impietas Domino JESV propinavit.*

XXXII. Conjectura tamen hæc mera eſt, & cujus

Digitized by Google

in ipſa hiſtoria nullum apparet veſtigium. Nam quod Caſaubonus ſcribit, *Evangeliſtas, & beneficium matronarum & maleficium militum ſi diligenter expendantur, diſerte exprimere, & Marcum quidem in* vino myrrhato *ipſiſſimam populi conſvetudinem & factum mulierum ob oculos ponere; Matthæum* in aceto felle mixto *ſcelus militum deteſtabile commemorare:* id ſane ex contextu tam liquido, ut putat vir illuſtris, non apparet.

XXXIII. Amoſi vero Prophetæ locus cap. II. v. 8. huc nihil facit. Nam per *damnatos*, hic in genere intelligi poſſunt per vim & fraudem peremti. Vnde & LXX. reddiderunt οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν. Inde corraſum precium contulerunt in ſolennitate publica, ut largiſſime comeſſarentur apud altaria, poſtquam vitulis in Bethel ſacra fecerant.

XXXIV. Male nonnulli *myrrhatam* potionem cum *myrrhina* ſive *murrina*, vel *murrhina* confundunt. *Myrrhata* quippe potio a *myrrha*, Græcis σμύρνῃ, amarore ſuo ſatis nota; *Myrrhina* vero ab unguento, ſeu μύρῳ, item μυῤῥίνῃ dicta. Hæc ungventis odoratis, illa amara myrrha condita. Nam ſi CHRISTO *myrrhina* potio oblata, lautiſſima profecto fuiſſet: quod præter ipſa Marci verba Matthæi χολὴ non admittit.

XXXV. *Vinum myrrhatum* Marco dici, *quod in myrrhinis vaſis ad ſaporem & odorem quærendum, calidum appoſitum;* intolerandum Baronii commentum eſt, ac ſuo merito a Caſaubono caſtigatum. Myrrhina certe vaſa longe precioſiora fuerunt, quam quæ adhiberentur in ſuppliciis.

XXXVI. Pro myrrha *thus* adhibitum, ſuſpicatur Caſaubonus, quod Rabbini in eam rem nominaverint.

Sic

Sic legimus in Sanhedrin: *Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granumque thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus.* Sed quia ſunt diverſæ ſpecies, ac ſapore differentes, hoc in CHRISTI potione locum non videtur habuiſſe.

XXXVII. Vere itaque myrrha miſtam cenſemus potionem CHRISTO præbitam: quam condituram non ignoravit antiquitas: uti pluribus comprobatum Thomæ Bartholino §. IV.

XXXVIII. Qua autem de cauſa hæc mixtura fuerit adhibita, non immerito quæras.

XXXIX. Aliqui ex antiquitatibus Judaicis deducunt morem morte plectendis amarum potum exhibendi necis accelerandæ cauſa.

XL. At vero contrarias impiæ turbæ fuiſſe videtur animus, qui exhibito hoc potu delaſſatum reficere voluerint, ut reparatis viribus, majoribus quæ inſtabant cruciatibus ſufficeret, neve deliquio & imbecillitate penitus obtorpeſceret.

XLI. Alii vinum myrrhatum CHRISTO oblatum cenſent, ut ſopirentur ſenſus, ne horrorem ſupplicii Dominus attenderet. Tangit hoc B. Hieronymus ad *Matth. cap. XXVI.* Vsque *bodie Judæi omnes increduli dominicæ reſurrectionis aceto & felle potant JESVM, & dant ei vinum myrrhatum, ut eum conſopiant, & mala eorum non videat.* Quamobrem Nicolaus Faber acute apud Apulejum pro *mire* reſcripſit *myrrhæ.* Prior locus eſt *lib. VIII. Metamorph.* Indidem *ſeſe multimodis commulcat ictibus, myrrhæ præſumtione munitus.* Alter *lib X.* Obfirmatus *myrrhæ præſumtione, multis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.*

in ipſa hiſtoria nullum apparet veſtigium. Nam quod Caſaubonus ſcribit, *Evangeliſtas, & beneficium matronarum & maleficium militum ſi diligenter expendantur, diſerte exprimere, & Marcum quidem in* vino myrrhato *ipſiſſimam populi conſvetudinem & factum mulierum ob oculos ponere; Matthæum* in aceto felle mixto *ſcelus militum deteſtabile commemorare:* id ſane ex contextu tam liquido, ut putat vir illuſtris, non apparet.

XXXIII. Amoſi vero Prophetæ locus cap. II. v. 8. huc nihil facit. Nam per *damnatos*, hic in genere intelligi poſſunt per vim & fraudem peremti. Vnde & LXX. reddiderunt οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν. Inde corraſum precium contulerunt in ſolennitate publica, ut largiſſime comeſſarentur apud altaria, poſtquam vitulis in Bethel ſacra fecerant.

XXXIV. Male nonnulli *myrrhatam* potionem cum *myrrhina* ſive *murrina*, vel *murrhina* confundunt. *Myrrhata* quippe potio a *myrrha*, Græcis σμύρνη, amarore ſuo ſatis nota; *Myrrhina* vero ab unguento, ſeu μύρῳ, item μυρίνη dicta. Hæc ungventis odoratis, illa amara myrrha condita. Nam ſi CHRISTO *myrrhina* potio oblata, lautiſſima profecto fuiſſet: quod præter ipſa Marci verba Matthæi χολὴ non admittit.

XXXV. *Vinum myrrhatum* Marco dici, *quod in myrrhinis vaſis ad ſaporem & odorem quærendum, calidum appoſitum;* intolerandum Baronii commentum eſt, ac ſuo merito a Caſaubono caſtigatum. Myrrhina certe vaſa longe precioſiora fuerunt, quam quæ adhiberentur in ſuppliciis.

XXXVI. Pro myrrha *thus* adhibitum, ſuſpicatur Caſaubonus, quod Rabbini in eam rem nominaverint. Sic

Digitized by Google

Sic legimus in Sanhedrin: *Prodeunti ad ſupplicium capitis potum dederunt, granumque thuris in poculo vini, ut turbaretur intellectus ejus.* Sed quia ſunt diverſæ ſpecies, ac ſapore differentes, hoc in CHRISTI potione locum non videtur habuiſſe.

XXXVII. Vere itaque myrrha miſtam cenſemus potionem CHRISTO præbitam: quam condituram non ignoravit antiquitas: uti pluribus comprobatum Thomæ Bartholino §. IV.

XXXVIII. Qua autem de cauſa hæc mixtura fuerit adhibita, non immerito quæras.

XXXIX. Aliqui ex antiquitatibus Judaicis deducunt morem morte plectendis amarum potum exhibendi necis accelerandæ cauſa.

XL. At vero contrarias impiæ turbæ fuiſſe videtur animus, qui exhibito hoc potu delaſſatum reficere voluerint, ut reparatis viribus, majoribus quæ inſtabant cruciatibus ſufficeret, neve deliquio & imbecillitate penitus obtorpeſceret.

XLI. Alii vinum myrrhatum CHRISTO oblatum cenſent, ut ſopirentur ſenſus, ne horrorem ſupplicii Dominus attenderet. Tangit hoc B. Hieronymus ad *Matth. cap. XXVI.* Vsque *bodie Judæi omnes increduli dominicæ reſurrectionis aceto & felle potant JESUM, & dant ei vinum myrrhatum, ut eum conſopiant, & mala eorum non videat.* Quamobrem Nicolaus Faber acute apud Apulejum pro *mire* reſcripſit *myrrhæ.* Prior locus eſt *lib. VIII. Metamorph.* Indidem *ſeſe multimodis commulcat ictibus, myrrhæ præſumtione munitus.* Alter *lib X.* Obfirmatus *myrrhæ præſumtione, multis verberibus, ac ne ipſi quidem ſuccubuit igni.*

Digitized by Google

XLII. Hoc pacto autem ſublevaſſent pœnam impii, quam tamen augere ſatagebant: ut prius ſcilicet quam moreretur, mori ſe ſentiret. Nam ex omni crucifixorum hiſtoria patet, ſupplicia illis undiquaque aucta & conquiſita, non facile imminuta & mitigata fuiſſe.

XLIII. Baronius vinum hoc myrrhatum aromaticum fuiſſe ſcribit, tam ſapore quam odore ſuaviſſimum. Bene tamen eſt, quod in calce *tomi X.* ſententiam revocarit. Certe amara fuit illa potio; ſed ita tamen temperata, ut bibi potuerit.

XLIV. Et de amaritudine quidem vel ex vocabulo *fellis* judicandum, cujus mentionem faciens Matthæus quæſtioni locum fecit, an vere hoc admiſtum potioni, nec ne.

XLV. Nonnulli arbitrantur fragmenta fellis aridi in aceto emollita fuiſſe, ut acetum quidem loco vini eſſet, illa vero pro buccella panis. Ita enim Euthymius Zigabenus: *Acetum loco vini fuit, fragmenta vero fellis pro buccella panis. Et præcipue ſane potum dederunt, conſecutive vero etiam cibum. His enim qui animo deſtituuntur, vinum præbere ſolemus injecto pane, ut primum bibentes poſtmodum etiam poſſint edere.*

XLVI. Videntur in hanc opinionem deveniſſe auctoritate Davidis in perſona CHRISTI querentis Pſalmo LXIX. v. 22. *Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.* Vt enim ſolvant nodum, cibum potius quam potum cenſent eſſe fel, ſi nullo liquore diluatur.

XLVII. Simplicior tamen eſt interpretatio, quod CHRISTO ad deliquium animi prope excarnificato & adhuc jejuno refocillationis loco felleum acetum pro

cibo ſimul & potu dederint. Cum enim & potus in partem nutrimenti cedat, ideo & cibi nomine qnandoque continetur. Quo pacto & prophetiæ nihil decedit, & manebit tamen potus felleus. Altera autem vaticinii pars ad ſitim CHRISTI in cruce ſpectat: qua de re ſuo loco videbimus.

XLVIII. Equidem non puto verum fel, hepatis illud excrementum amarum in potione permixtum: quod tamen ex eo quibusdam probatur, quia facile impetrare potuerunt ob multa animalia ibi propter feſtum mactata.

XLIX. Multo minus admittendum Johannis Baptiſtæ Helmontii paradoxon medicum, qui verum fel miſtum propugnat: quod ſcilicet oblatum ſit Salvatori jam doloribus inſolitæ paſſionis delinquenti, & pondere crucis propriæ exantlato, ideoque Judæos fel pro balſamo vitam conſervante agnoviſſe, ut diutius ſub pœnis ante mortem cruciarent. Rectius id de myrrha dici jam oſtenſum.

L. Nos *Fel* hoc loco omnem amarorem putamus denotare, quem etiam a myrrha potuit habere. Quod loquendi genus nec Hebræis, nec Latinis eſt ignotum.

LI. Sic מְרֵרָה *Fel*, uti ab *amaritudine* nomen accepit, ita & pro ea quandoque ponitur: & quod habetur Pſalmo LXIX. v. 22. ראשׁ, alias *Caput* ſignificans, in genere notat *amaritudinem præcipuam*, quæ ſolet eſſe in aſpide animali, bile inprimis gaudente & abundante; non quidem ex virtute vocabuli, ſed ex vi particulæ additæ, quæ ipſius acceptionem reſtringat ad hanc ſpecialem acceptionem: ut apparet ex Deuteron. XXXII. v. 38. *Furor draconum vinum eorum, & fel aſpidum crudele.* Porro etiam ראשׁ denotat herbam maxime venenatam: ad quam

quam ſignificationem ſtabiliendam allegari ſolet dictum Hoſeæ X. v. 4. ubi nonnulli vertunt *abſynthium*, Hieronymus autem *amaritudinem* retinuit: item Devteron. XXIX. v. 18. ubi tamen a pleriſque interpretibus per *fel* exponitur. Ebr. XII. v. 15. vertitur *πικρία*. *De tali herba venenata*, inquit Forſterus in Lexico, *nonnulli intelligunt illud* ראש *quo acetum mixtum fuit, ut CHRISTVS in cruce ſuſpenſus illud biberet.*

LII. Hanc conſvuetudinem nec refugiunt Latinæ aures. Eleganter Dinarchus adoleſcens in Plauti *Truculento act. I.* ſc. II. ad meretrices:

In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ atque orationes
Lacteque, corda felle ſunt lita atque acerbo aceto.

Hinc apud Plinium *lib. XXV. cap. VI.* Centaurion propter ſummam amaritudinem *fel terræ* a Romanis appellari meruit.

LIII. Rectiſſime igitur *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. XI.* ſcribit Auguſtinus: *Fel pro amaritudine poſuit.* Et Theophylactus in Marcum: *Myrrha fel dici poteſt, quia amara.*

LIV. Ceterum CHRISTVS guſtavit quidem potionem, ſed bibere eandem noluit: vel, quod defugeret amarorem: vel, quod prædixerat ſe amplius non bibiturum fructum vitis: vel, quod oſtenderet ſe ad ferendos dolores nullo indigere medicamine: vel, quod majorem in cruce ſitim exſpectaret.

Matth. XXVII. v. 34. Marc. XV. v. 23.

LV. Et quia forſan plures hujus abſtinentiæ fuerunt cauſæ, non improbamus quoque iſtam myſticam, quod eo deſignarit, ſe reprobare incredulos Judæos, qui uvæ acerbæ in vinea Domini eſſent factæ.

LVI. Hieronymus dicit hac guſtatione & recuſatione

tione potus ſibi oblati CHRISTVM ſignificaſſe, *quod mortis amaritudinem propter nos guſtaturus ſit, ſed tamen paulo poſt reſurrecturus.* Quo etiam reſpicit Sedulius, ſic canens:

> —— *Tetigit labiis, & ab ore removit*
> *Quippe necem parvo deguſtaturus amaram*
> *Tempore, quo reduci contemnere carne pararet.*

LVII. De priori jam actum ſatis. Succedit alterum: quod CHRISTVM, non, ut ante, alienis, ſed ſuis jam exuerunt veſtibus. Quod ex eo patet, quia poſtea milites veſtimenta diviſerunt. Vnde oritur quæſtio, an prorſus nudus pependerit in cruce, ne verenda quidem velatus.

LVIII. Affirmare id nequaquam dubitamus, moti primo veterum more, qui nudos ſolebant crucifigere. Artemidorus Oneirocritικῶν lib. II. cap. LVIII. Σταυροῦσθαι ἀγαθὸν πένητι. καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθείς. πλουσίοις δὲ βλάπτει. γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται. *Crucifigi* (in ſomnis) *bonum eſt pauperi. Nam altus eſt crucifixus. Verum divitibus damnoſum eſt. Nudi enim crucifiguntur.* Arrianus *Diſſertat. in Epictet. lib. IV. cap. XXVI.* comparat lavantem in balneo & affixum in cruce: quod nudus uterque eſſet veſtibus omnibus detractis. Καὶ ἐν τῷ βαλανείῳ ἐκδυσάμενος καὶ ἐκτείνας σαυτὸν, ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι. Laudari etiam in hanc ſententiam ſolet Joſephus *lib. XIX. Antiq. Judaic. cap. III.* At quamvis ibi Lupo detrahantur veſtimenta, non tamen id fit crucifigendo, ſed gladio plectendo.

LIX. Deinde conſentientem habemus Patrum coronam. Ambroſium ſcilicet *lib. X. in Lucam* nuditatem Adami in paradiſo agentis cum CHRISTI nuditate conferentem. *Refert* inquit, *conſiderare, qualis crucem aſcendat.*

Nudus aſcendit Nudum ecce video. Talis ergo aſcendat, qui ſeculum vincere parat; ut ſeculi adjumenta non quærat. Victus eſt Adam, qui veſtimenta quæſivit: Vicit ille, qui tegumenta depoſuit: & talis aſcendit, quales auctores Deo nos natura formavit. Qualis in paradiſo homo primus habitaverat: talis ad paradiſum homo ſecundus intravit. Et ſimiliter Heſychius homilia de *S. Andrea* ait, ſic CHRISTUM pependiſſe in cruce nudum, qualis Adam fuerat in ſtatu innocentiæ. Auguſtinus quoque CHRISTUM cruci affixum confert cum Noe domi ſuæ nudato, *lib. XVI. de Civ. Dei cap. II.* ſcribens: *Paſſionem CHRISTI, quæ illius hominis nuditate ſignificata eſt, & annunciant profitendo, & male agendo exhonorant.* Ac iterum: *Ex genere Iſraelitarum carnem pro nobis & ſanguinem, ut pati poſſet, aſſumſit, & inebriatus eſt, id eſt paſſus, eſt & nudatus. Ibi namque nudata eſt, id eſt, apparuit ejus infirmitas, de qua dicit Apoſtolus: Etſi crucifixus eſt ex infirmitate.* Idem *lib. XII. contra Fauſtum cap. XXIII.* Quod *de vinea, quam plantavit, inebriatus Noe nudatus eſt in domo ſua, cui non appareat CHRISTUS paſſus in gente ſua?* Nec aliter Bonaventura *Meditat. Vitæ CHRISTI cap. LXXVIII.* & Ludolphus *in vita CHRISTI part. II. cap. LXIII.* tradiderunt. Et ex recentioribus huic ſententiæ adſtipulatur Polycarpus Lyſerus in *Paraphraſi Paſſionis CHRISTI act. V. §. VI.*

LX. Et ſane ad gravitatem paſſionis pertinuit, ſi mors ejus maxime fuerit ignominioſa; opprobrium vero auget, ſi nullo tectus fuerit velamine. Nec recuſavit CHRISTUS contumelioſam hanc denudationem, ut nobis ſummum honorem in cœlis repararet, ac ſtolam integritatis ac immortalitatis redderet.

LXI.

LXI. Sunt tamen qui CHRISTVM verenda linteo contectum volunt. Et ſic Brigitta *lib. IV. Revelationum* cap. LXX. *Mox juſſus veſtes ponit, parvumque linteum verendis prætexit, quod & ipſe inde quaſi conſolatus adjuvit ad ligandum.* Dialogus quidam qui inſcribitur Mariæ & Anſelmi de *Paſſione Domini*, ſic habet, loquente Maria: *Panniculum capitis mei circumligavi lumbis ejus.* Franciſcus quoque Polygranus *de Paſſione Domini artic. XIV.* Nudus *crucifixus eſt CHRISTVS: quamquam pium opinor, credere, obſequio alicujus velata pudenda: tum quod natura etiam horreat hoc facinus, tum quod CHRISTVS ipſe, in cujus erat voluntate, quod pateretur coram caſtiſſima matre, aliisque ſanctis mulieribus, non credendus eſt invelatus voluiſſe apparere: tum demum quod erat in cruce ſummus Pontifex, & hoſtia.* Et prædicant Aquisgranenſes, ſe habere velum iſtud, quo verenda CHRISTI contecta fuerint, cum ipſe in cruce penderet. Vide etiam, quæ ad ſuperiorem Brigittæ locum fuſe annotavit Conſalvus Durantius: qui propter Brigittæ auctoritatem, & alia quædam arbitratur, CHRISTI verenda fuiſſe contecta linteo. Non quidem diffitetur, prorſus nudos ſolere affigi cruci: ſed ait, CHRISTI paſſionem fuiſſe voluntariam, nec alia pati decreviſſe, quam quæ decerent: propterea vitaſſe, quicquid honeſtati repugnaret, quale fuiſſet, ſi a matre, & feminarum aliis, conſpiceretur prorſus nudus. Confer etiam Johannem Molanum lib. IV. *de Hiſtoria ſanctarum imaginum & picturarum cap. IV.* Hieronymi Sopranii *Davidem, Digreſſione I. de re veſtiaria Judæorum cap. IV. §. 5.* Huc quoque inclinat Nicolaus Fontanus ad Johannem Jacobum Chiffletium ſcribens: *Vt miſſum faciam, ſupparum forſan,*

Digitized by Google

quo tectus Dominus fuerit, inter femora convolutum, præbuiſſe ei quendam quaſi pulvinum, ne ab acie pali multum ſcinderetur, ſi palus quidem iſtiusmodi acutus ipſi erat ſubditus.

LXII. Etſi vero hæ cogitationes non plane ſunt de nihilo, non video tamen, qui liquido probare queant velationem partis cujusdam corporis. Horribilem, fateor, fuiſſe hunc adſpectum, ſed, præterquam quod cum aliis cruciariis, & cum latronibus quoque, in quorum medio pependit JESVS, ita actum; canina erat militum rabies & impudentia, ex qua cum CHRISTO egere. Nec video quid ſpontaneæ paſſioni repugnet illa ignominia: quæ, quo major, eo quoque exiſtimanda gravior. Quodque ad ſanctarum feminarum conſpectum attinet, bene cogitandum monet Voſſius, quid e gentilibus Livia Auguſta dixerit, cum in anguſta via obviam veniſſent, qui ad ſupplicium prorſus nudi raperentur: *non magis* ſcilicet *horum viſu ſe moveri, quam cum nudas conſpiceret ſtatuas.*

LXIII. Præterea Durantus ait, Patrum eos, qui magno numero ſcribunt CHRISTVM fuiſſe nudum, intelligendos eſſe de nuditate ea, qua quis dicitur nudus, cum veſte eſt a latrone ſpoliatus, utcunque ſit genitalia contectus. Perizoma enim, ſive ſuccinctorium, non cenſeri in veſte: quod ex Iſidoro, Gloſſa interlineari, & Lyrano adſtruere laborat.

LXIV. Sed aliam fuiſſe Patrum opinionem, arguit, quod dicant, CHRISTVM ſic nudum fuiſſe, uti naſcimur: atque uti Adamus fuit in paradiſo: uti item in cœlos petemus.

LXV. Nequaquam tamen culpabimus pictores &

ſtatua-

Digitized by Google

ſtatuarios qui, CHRISTVM verenda tectum a multis retro ſeculis pinxere, & ſic in præſenti pingunt, quando in eo ab illis conſultum eſt pudori. Et obſervavit jam ſuo ævo Gregorius Turonenſis in libro *de Gloria Martyrum*, eſſe apud Narbonenſem urbem in Eccleſia ſeniore, quæ Geneſii martyris reliquias ſervat, picturam, quæ Dominū noſtrum, quaſi præcinctum linteo, indicat crucifixum.

LXVI. Atque idem cenſeo de eo, quod pingunt IESVM in Jordane, dum a Johanne baptizatur, partes eas velatum. Aliter tamen hiſtoriæ veritas habuit. Omnibus enim partibus nudi erant, qui baptizarentur: imo & virgines & matronæ: id quod præter alios comprobavit Gerhardus Johannes Voſſius *Diſputatione I. de Baptiſmo theſi VI.*

LXVII. Longius abeunt Alphonſus Toſtatus *Paradox. V. cap. XLII.* & Alphonſus Salmeron *Tom. X. tract. XXXV.* qui CHRISTVM femoralibus fuiſſe contectum arbitrantur. Sed & B. Gerhardo hæc placuit ſententia. *Recte* inquiens *monet Abulenſis, hoc non intelligendum eſſe de omnimoda nuditate, ſed ſicut aliis crucifigendis, ita quoque CHRISTO publicæ honeſtatis cauſa relicta ſunt fœminalia linea, quæ ſuperiore parte ſub umbilico fortiter adſtricta usque ad genua & poplites veniebant, qualia Judæis in uſu fuiſſe commemorat Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam.* Sed quod de aliis crucifigendis tangit Theologus ſummus, de eo jam vidimus: ac præterea conſentientem habemus Lipſium *lib. II. de Cruce cap. VII.*

LXVIII Ante hos omnes tamen eo jam inclinaſſe videtur Petrus Bleſenſis *Epiſt. CII.* Divitibus *quidem in hoſpitio cum honore & reverentia ſuſceptis, in omni opulentia deliciæ apponuntur de patrimonio crucifixi. CHRISTVS*

 autem

autem ſemel olim crucifixus in ligno, foris in pauperibus ſuis crucifigitur, & torquetur in ligno, in quibus aut nudus omnino, aut in ſemicinctiis tabeſcens, fame & frigore tremens, de his, quæ interius dantur canibus, ſolatium anguſtiæ ſuæ poſtulat: & non eſt, qui moveatur, ſuper contritione Joſeph.

LXIX. Ineptiſſimæ vero ſunt picturæ & ſculpturæ, quæ CHRISTVM in cruce togatum repræſentant: qualis etiam in ponte Salfeldenſis civitatis Salæ fluvio incumbenti conſpicitur. Quamquam quod ad hanc imaginem attinet, putaverim potius inſcriptionem SALVATOR MVNDI ab imperito lapicida longe poſt adjectam, quam confecta imago: ſiquidem non CHRISTVM videatur exhibere, quam perſonam aliam: id quod alibi, ſi Deus voluerit, fuſius oſtendam.

LXX. Vidimus ea, quæ crucifixionem proxime anteceſſerunt, jamque ad ipſam crucifixionem foret abeundum. Sed prius hic agemus de temporis circumſtantia: quo die ſcilicet crucifixus, & qua hora.

Johan. XIX v. 14. LXXI. Dies erat Paraſceves: quod diſerte teſtatur Johannes cap. XIX. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα: qui dies proxime paſchale feſtum præcedebat, atque nomen ex eo habuit, quod tum omnia ad paſchalis agni immolationem & comeſtionem prępararent. Neque enim Bocharti concedendum eſt ſententiæ, qui *Hierozoici parte I. lib. II. cap. L.* CHRISTVM in ipſo Paſchate crucifixum tradit.

LXXII. Verum quid de eo ſentienum, jam *parte I. cap. XI.* prolixe eſt oſtenſum, ac ſimul confirmatum, non eo die CHRISTVM comediſſe Paſcha, quo Judæi, ſed pridie id feciſſe cum diſcipulis. Vbi & expoſitum, cur Judæi non accuſarint CHRISTVM, quod alio, quam ipſi, die celebraret Paſcha.

LXXIII.

Digitized by Google

LXXIII. Eundem eſſe anni diem, quo primus homo in peccatum lapſus, veterum quorundam eſt traditio: quam tangit Tertullianus adverſus Marcionem lib. I. cap. IV. v. CLXI.

Qua die, quoque loco cecidit chariſſimus Adam,
Hac eadem, redeunte die volventibus annis
In ſtadio ligni, fortis congreſſus athleta
Extenditque manus pœnam & pro laude ſecutus.

LXXIV. Longius etiam progreſſus Theophylactus, eadem hora lapſum cenſet Adamum, qua CHRISTVS eundem expiaturus in crucem ſublatus. *Sexta die homo eſt conditus* (adduco verba ex fide B. Gerhardi: nam in Commentariis ad Marcum & Johannem non offendo) *qui & ſexta hora de ligno comedit. Qua igitur hora Dominus hominem condidit, eadem & lapſum curavit, ſexta die & ſexta hora cruci affixus.*

LXXV. Sed de hac ipſa hora, ſextane an tertia fuerit, qua CHRISTVS cruci affixus non levis eſt diſputatio: quandoquidem Evangeliſtæ hic videntur diſſentire. Nam Marcus cap. XV. ait: ἦν ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* At apud Johannem *Marc. XV. v. 25.* cap. XIX. id factum legas *Paraſceves hora quaſi ſexta.* ὥρα *Joh. XIX. v. 14.* ὡσεὶ ἕκτη. Quæ difficultas una eſt ex maximis, & omnes huc usque interpretes exercuit.

LXXVI. Huic difficultati trifariam occurritur. Sunt, qui putent eſſe alterius Evangeliſtæ errorem. Sunt, qui exiſtiment eſſe lapſum librarii in alterutro loco. Sunt, qui nihil eſſe peccatum, ac conciliari loca iſta poſſe arbitrentur.

LXXVII. Prima eſt ſententia eorum, qui in rebus non neceſſariis ad fidem, uti in minuta de loco, aut tempore,

pore, circumſtantia, vel in numero, aut ſimili, Evangeliſtas ſtatuant falli potuiſſe; non item in rebus fidei, & ſaluti neceſſariis.

LXXVIII. Veruntamen ſeſe ab impietatis nota non extricabunt hujus ſententiæ patroni. Neque enim ſacræ Scripturæ conditores cum aliis ſcriptoribus conferendi, quos erroribus obnoxios eſſe novimus. Firmiter ſcilicet tenendum eſt, ne quidem in re minima Scriptores ſacros ceſpitaſſe, cum a Spiritu Sancto omnis veritatis principe regerentur. Id quod jam aliquoties monuimus.

LXXIX. Puto igitur Baronium paulo irreverentius in ſequentia verba erupiſſe *tom. I. Annal. ad ann. XXXIV. num. CLX.* Quod *Johannes dicit, fere hora ſexta; Marcus & Matthaus absque ulla diſtinctione dixerunt hora ſexta: ut ex his cognoſcas, Evangeliſtas in conſcribendis horis horologium non habuiſſe præ manibus, ut per ſua puncta ſingulas horas diſtinguere potuiſſent; ſed de horis ſcripſiſſe, quod tunc opinati eſſent.*

LXXX. Qui librarii in alterutro Evangeliſta errorem cenſent, in diverſa abeunt. Et nonnulli quidem ajunt Evangeliſtas non integre ſcripſiſſe τρίτῃ & ἕκτῃ, ſed Γ & ϛ inque ea ſcripturæ ſimilitudine vel apud Marcum Γ pro ϛ vel apud Johannem ϛ pro Γ irrepiſſe. Poſtea commiſſo jam errore, non amplius numerorum notis, ſed vocibus integris ſcriptum. Sed ſic quoque in ambiguo relinquitur, utrum Marcus e Johanne, an Johannes e Marco corrigendus. Ex Hieronymi ſententia Marci codices emendandi, & ἕκτῃ pro τρίτῃ reſcribendum. Et id quoque veriſimile ſit Voſſio, eo quod tam multa ab Evangeliſtis eveniſſe dicantur inter id tempus quo CHRI-

STVS

Digitized by Google

STVS a Cajapha deductus ad Pilatum, & illud quo in Golgotha crucifixus: quæ tantum abeſſe putat, ut intra trihorium fieri potuerint, ut mirandum ſit, ſex intra horas eveniſſe, præſertim moras tantopere Pilato nectente. Et hanc opinionem fovent Thomas Cajetanus & Melchior Canus.

LXXXI. At contra Johannem e Marco corrigendum, multis diſputat Theophylactus, cujus verba ex *Commentar. in Johannem* afferam. *Quomodo Marco dicente tertiam horam, quando CHRISTVS crucifigebatur, Johannes ſextam dicit? Igitur hoc ſolvunt quidam, quod ſcripturæ ſchema ſit. Nam litera quidem tertiam horam ſignificat, & eſt character ejus talis γ. Litera autem quæ ſextam ſignat, habet characterem talem ς. Veriſimiliter igitur literam gamma a ſcriptoribus non attentis tranſiſſe, quibusdam mutilatis, in characterem epiſemi, quo ſextus numerus ſignatur, & ſic errorem hunc ortum. Quod autem hoc veriſimile ſit factum eſſe, & tertiam horam ſcriptam eſſe etiam apud Johannem, & non ſextam, ſicut nunc manifeſtum hinc. Nam quum tres Evangeliſtæ, Matthæus, Marcus & Lucas, conſonanter dicunt, quod a ſexta hora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, usque ad horam nonam, manifeſtum, quod Dominus noſter ante ſextam horam priusquam fierent tenebræ, crucifixus ſit, ſcilicet circiter horam tertiam, ſicut Marcus prodit, & Johannes ſimiliter: quamvis ſcribentium error mutaverit gamma in epiſemi characterem.* Et hanc Theophylacti emendationem priori præferunt Theodorus Beza & Franciſcus Toletus, ejusque meminit B. Lutherus in Gloſſa marginali.

LXXXII. Alii porro integre primo a Johanne

Digitized by Google

ſcriptum volunt τρίτη, ſed poſtea peccatum a librario. Ac Petavius *lib. XII. de Doctrina Temporum cap. XIX.* refert, habere ſe Petri Alexandrini opuſculum ἀνέκδοτον de Paſchate, ubi teſtaretur, in avtographo Johannis, quod Epheſi aſſervaretur, ſcriptum fuiſſe τρίτη. De quo ſi certo conſtaret, jam deciſa lis foret. Verba Petri hæc feruntur: ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. *Erat hora quaſi tertia, ſicut habent libri accurate deſcripti, adeo ipſum avtographum manu propria Johannis Evangeliſtæ ſcriptum, quod gratia Dei ad hanc diem ſervatum exſtat in ſanctiſſima Epheſiorum Eccleſia, & a fidelibus eo accedentibus magna cum reverentia inviſitur.* Hæc Petrus ille, cujus libellum ſe legiſſe teſtatur Johannes Boiſius. At Robertus Bailius *Operis Hiſtorico-Chronologici part. II. lib. II.* pro mera habet fabula. *Quis enim ejus diebus,* inquit, *Johannis avtographum exſtitiſſe credat?* Interim idem legas in Chronico Alexandrino a Matthæo Radero edito. Joachimus quoque Camerarius *Annotat. in Marcum* vetus quoddam Ms. ſe vidiſſe teſtatur, ubi loci Johannæi lectio talis exſtitit, ὥρα ἦν ὡς τρίτη. Robertus quoque Stephanus & Beza non minus antiqua exemplaria mss. laudant, quæ ita habuere.

LXXXIII. Accedit ad confirmationem hujus ſententiæ magni ponderis auctoritas. Nonni nimirum vetuſtiſſimi paraphraſtæ interpretatio, ex qua conſtat vel legiſſe ipſum, vel legendum cenſiſſe τρίτη, quando ita canit:

Ἦν ῥ

Ἦν δὲ ἐκτεινομένη τρίτατη θανατηφόρος ὥρη

Eratque protenſa tertia letifera hora.

Quem locum male cepiſſe Lucam Burgenſem, & ἐκτεινομένην ὥραν pro *plane exacta* habuiſſe; cum intelligenda ſit ea quæ protendebatur & agebatur, bene obſervavit Caſaubonus.

LXXXIV. Equidem nec eo deveniendum cenſeo, ut vel librariorum mendum hic fingamus. Ipſe Hugo Grotius, cujus liberior in ſacris criſis alioquin non ignota, *lectionis hic mutandæ cauſam ſe non videre* profitetur. Et *Annotat.* ad Matth. XXVII. 45. *nihil in ſcriptura Marci aut Johannis contra vetuſtiſſimorum codicum & μεταφραστῶν auctoritatem immutandum judicat.* Jeſuitæ Maldonati laudanda hic eſt modeſtia, cujus verba eo libentius in medium affero, quo notius eſt, hoc hominum genus integritati S. Scripturæ non adeo æqvum ſemper ſe oſtendere. Ait ille *Comm. in Matth. XXVII.* Sunt qui *conjecturam faciant, apud Marcum Scriptorum culpa vitiatum eſſe numerum. —— Nimis audax ſemper mihi ea conjectura viſa eſt, & quia non alio nititur argumento, quam quod, qui ea utuntur, non poſſunt hujus loci difficultatem explicare. Et non debemus ut Scripturam interpretemur, corrumpere.*

LXXXV. Tertia eſt opinio illorum, qui hæc reconciliant. Quod non uno faciunt modo. Aliqui putant Marcum exprimere horam, qua decretoria in CHRISTVM lata ſit ſententia; Johannem vero eam, qua actus ſit in crucem. Meminit hujus quoque conciliationis Theophylactus his verbis: *Alii ajunt, quod Marcus quidem hora, qua lata eſt ſententia de crucifigendo Domino, manifeſte & abſque dubitatione ponat. Vtique quia*

 cruci-

crucifigere & punire ab eo tempore judices dicunt, quo ſententiam proferunt, eo quod vis pœnæ & mortis in linguis quoque ſit. Ejus gratia Marcus tertia hora crucifigi eum dicit, a qua Pilatus ſententiam expoſuit. Johannes autem, cum Marcus dixiſſet tempus ſententiæ, horam, in qua Dominum crucifixerunt, dicit. Ceterum conſidera, quanta acta ſint inter ſententiam a Pilato de cruce & horam ipſam, in qua in crucem Dominus aſcendit. Quum dimiſiſſet Barrabam, flagellavit JESVM, & tradidit eis, ut crucifigeretur. Nam Barrabæ dimiſſio, condemnatio erat Domini. Illudunt milites, & vide quanto tempore verberetur ad majorem illuſionem. Eduxit eum Pilatus, & locutus eſt cum eo. Iterum ingreſſus dijudicat JESVM, iterum egreſſus loquitur cum Judæis. Hæc omnia ſufficiebant ad inſumendum tempus ab hora tertia usque ad ſextam, quæ Johannes exponens diligenter, utpote is, qui alios fuit ſecutus horæ ſextæ meminit, quando & tradidit eum perfecte, ut crucifigatur, non ultra loquens cum Judæis, vel dijudicans JESVM, ſed extremam proferens ſententiam.

LXXXVI. Quod autem prævideret Theophylactus, ſive is, ex cujus ſententia hæc ſcribit, objici poſſe, hora tertia non poſſe dici ſententiam in CHRISTTM a Pontio latam, cum poſtea iterum voluerit abſolvi: reſpondet a multitudine coactum ſententiam quidem protuliſſe, deinde ſomnio mulieris impulſum mutaſſe animum, ac de eo abſolvendo egiſſe.

LXXXVII. Ab hoc non multum abit Auguſtinus, quando *lib. III. de Conſenſu Evangeliſt. c. XIII.* hora tertia CHRISTVM crucifixum putat linguis Judæorum ferale illud crucefige clamantium; hora vero ſexta mani-

bus

bus militum. *Erat hora ſexta,* inquit, *quando Pilatus ſedit pro tribunali, ſed ne hoc facinus in Romanos magis, quam Judæos retorqueretur, ideo Marcus dicit, CHRISTVM hora tertia crucifixum, quia ſcilicet Judæi circa illud tempus clamaverant, crucifige.*

LXXXVIII. Sed coacta quodammodo hæc conciliatio B. noſtro Gerhardo viſa; idque non immerito. Nam de reali crucifixione Marco ſermo eſt, quam ſubſecuta veſtimentorum diviſio, non de metaphorica.

LXXXIX. Longe vero durior eſt altera illa Auguſtini, qua Johannem loqui cenſet non de ſexta Paraſceves Judaicæ, ſed Chriſtianæ. Eam Chriſtianam Paraſcevem incepiſſe ab hora noctis nona, qua CHRISTVS in ſynedrio videtur pronunciatus morti reus. Quomodo ſexta Paraſceves non alia fuerit, quam diei tertia. *Paſcha,* inquit, *eſt immolatio CHRISTI, cujus paraſceve, id eſt, præparatio ab hora noctis nona cœpit, qua in domo Pontificis pronunciata eſt mors CHRISTI a dicentibus, reus eſt mortis. Ab illa hora noctis nona usque ad diei tertiam ſex horæ ſunt præparationis, tres ſcilicet noctis, tres diei, quarum ſexta jam cœperat, cum Pilatus tribunal aſcendit, quod adhuc erat præparatio immolationis, quæ facta eſt ſecundum Marcum tertia; non præparationis, ſed diei: & eadem eſt ſexta præparationis.* Ac ſimiliter conciliat Laurentius Ramirez de Prado *Pentecontarchi cap. XXXVIII.*

XC. Verum præterquam quod iſta expoſitio coacta, incerta, & metaphorica eſt, modus iſte computandi horas nuſpiam deprehenditur uſitatus fuiſſe. Vtramque hanc ſolutionem adducit Thomas Aquinas *part. III. Summæ Quæſt. XLVI.*

XCI. B. noſter Lutherus in Nota ad Marci XV. v. 21. adſcripta verbum ἐσταύρωσαν non de actuali crucifixione CHRISTI, ſed de mandato, conſilio, & diſpoſitione crucifixionis intelligendum pertendit.

XCII. Inficias quidem ire non poſſumus, verba Hebræorum activa, actum nonnunquam inchoatum & incompletum denotare: at heic loci Evangeliſtis de actu ipſo ſermonem eſſe, liquido conſtat.

XCIII. Ludovicus de Dieu diſtinguit inter computum horarum Romanum, & Judæum. Illum Johannem, hunc Marcum obſervaſſe putat. Exiſtimat nimirum *accuſationes Sacerdotum duraſſe a ſummo mane usque ad horam fere Romanorum ſextam, quæ Judæorum prima erat. Inde usque ad Judæorum tertiam, quæ Romanorum nona erat, contigiſſe quæ naravit crucifixionem anteceſſiſſe. Ipſa tertia fuiſſe crucifixum. Inde usque ad ſextam, quæ Romanorum duodecima, contigiſſe tenebras usque ad nonam.* Confer Iohannis Affelmanni *Reſolutionem VII. Verborum CHRISTI.* Romani enim diem ſuum civilem inchoabant a ſexta hora noctis, quæ nobis eſt ferme prima; Iudæi ab ortu Solis. De Iudæis res eſt certa. De Romanis id confirmat A. Gellius *lib. III. Noct. Attic. cap. II.*

XCIV. At Iohannem, qui alibi in recenſendis horis Iudæorum conſuetudinem obſervat, hic attendiſſe morem Romanorum, plane non eſt credibile.

XCV. Recentiores pleriq; exiſtimant, tolli difficultatem omnem poſſe per diſtributionem horarũ diei in quatuor quadrantes, ſicuti noctis in quatuor vigilias. Quilibet quadrans tres horas complectebatur, & ferme ab illa hora, quæ initium ei dabat, appellationem ſortiebatur. Primus

Digitized by Google

mus a prima ad tertiam extendebatur, ſecundus a tertia ad ſextam, tertius a ſexta ad nonam, quartus a nona usque ad duodecimam. Morem illum e templi conſvetudine natum conjiciunt, ubi ſacrificia & preces hora tertia, ſexta & nona fieri ſolebant. Hinc ubi ſtatarum precum mentio fit, non alia fere horarum nomina occurrunt. Sic Actor. III. 1. ὥραν τῆς προσευχῆς ἐννάτην legas, & cap. X. v. 9. Petrum preces fudiſſe περὶ ὥραν ἕκτην deprehendimus. Etiam Cornelio circa horam nonam oranti Angelus apparuit Actor. X. v. 3. Inde horæ illæ, ceu vulgo notiores, celebratæ, & quicquid inter illas evenit, ut ſolent, quæ in medio ſunt poſita, nunc ad hunc nunc ad illum terminum relata ſunt. Vide Actor. II. v. 15. Ita Matth. XX. v. 3. 5. 6. horæ tertia, ſexta & nona, quibus Paterfamilias operarios conduxit, commemorantur, ut inter eas nulla nominetur. Poſt nonam autem undecimæ ſaltem, ut a fine diei proximæ, mentio injicitur.

XCVI. Huc itaque pertinere volunt, quod Evangeliſtæ ſimiliter in paſſione CHRISTI horas *tertiam*, *ſextam & nonam* indigitent. Et Marcum & Johannem, dum crucifixionem Servatoris circa horas *tertiam & ſextam* factam indicant, illum diei quadrantem omnino putant deſignare, qui a *tertia* hora incipit, & in *ſextam* deſinit. Hoc pacto uterque idem tempus notaret, non diverſum. Marcus CHRISTUM ſecundo diei quadrante crucifixum diceret, eo nimirum, qui a tertia hora exordium & denominationem habuit; non initio quadrantis, tertia hora ſuſpenſum oſtenderet. Idem firmaret Iohannes, dum ὥραν ὡσεὶ ἕκτην fuiſſe doceret. Neque eſt de nihilo, quod addat particulam ὡσεὶ, ne horæ στιγμὴν intelligamus. Non præciſe hora ſexta fuit, nec longe tamen

men abſuit. Et ſane, quod ad particulam ὡσεὶ attinet, jampridem Theophylactus monuit, eandem conſiderationem mereri. *Inſuper conſidera,* inquit, *& Johannem dixiſſe, quod fuerit hora ferme ſexta, quaſi non definiens, & in ambiguo relinquens dixit, ferme ſexta.*

XCVII. Hoc pacto nullam plane inter divinos Hiſtoricos contrarietatem remanere credunt hujus ſententiæ defenſores. Matthæum ſcilicet & Lucam, dum a ſexta ad nonam tenebras factas indicant, optime concordarent: ut & ipſe Marcus, idem aſſerens v. XXXIII. CHRISTVS enim ante ſextam crucifixus eſt. Brevi autem poſt ſextam tenebræ ingruerunt. Videantur Alſtedius *lib. II. Prœcognitorum Theolog. cap. CIX.* Bailius *Operis Hiſtorico-Chronol. part. II. lib. II. Quæſt. XIV.* Bartadius *Tom. IV. lib. VII. Concord. Evangel. cap. XIII.* Centuriæ Magdeburg. *l. I. c. X.* Dannhauerus in *Idea boni Interpretis part. I. Sect. II.* Gvilielmus Eſtius ad *Marci XV.* Gerhardus *Harmoniæ Paſſ. cap. XI.* Glaſſius *Philolog. Sacra lib. I. Tract. II.* Grotius *d. l.* Ianſenius in *Concordia Evangel. cap. CXLII.* Maldonatus *d. l.* Schindlerus in *Lexico Pentaglotto* ad radicem שעור Tirinus in *Chron. Sacro c. II.* Torniellus in *Annalibus Sacris* ad an. M. 4084. n. XIX. Waltherus *part. I. Harmon. Evangel cap. III. reg. VIII.* Wandalinus *Diatribe Hiſtorico-Theolog. de Feria Paſſionis & Triduo mortis CHRISTI cap. VII.* cujus præcipue verbis hoc loco ſumus uſi.

XCVIII. Quamquam autem ingenioſa & ſvavis hæc eſt conciliatio, neſcio tamen an ſolido nitatur fundamento. Noctis quidem vigilias quatuor novimus: at de ejusmodi diei diſtributione in quatuor quadrantes altum in Scriptura & antiquitate ſilentium. Fit tertiæ, ſextæ

Digitized by Google

ſextæ & nonæ mentio laudatis locis, ac apud Tertullianum quoque *lib. de Jejunio cap. X.* Cyprianum de Orat. *Dominica*, Chryſoſtomum *Homil. LXIX. ad populum Antiochenum.* Verum non reperitur *tertiam, ſextam* & *nonam* plures diei horas complecti: ſed ſolum ſingulas iſtarum horarum in ordine ad res divinas & officium orationis fuiſſe magis ſolennes.

XCIX. Audiamus itaque cenſuram Caſauboni *Exercit. XVI. num. CX. Putavit* Baronius, *tolli omnem difficultatem per tributionem horarum diei in quatuor quadrantes ternarum horarum; qui ab ultima cujusque quadrantis hora denominarentur. Et eſt profecto iſta ratio admodum expedita; eſſet modo ſatis certa: quod neque Franciſco Toleto viſum, nec mihi videtur. Nam quis veterum ei obſervationi fundus eſt? Cenſorinus id non dicit, quem laudat Baronius, & alii poſt illum. Meminit quidem Cenſorinus quadrantis diei; ſed hoc nihil quicquam facit ad illam obſervationem, qua de nunc agimus.* Caſaubonum ſequitur B. Calixtus *Concord. Evang. lib. VI. cap. XII.*

C. Igitur in tanto ſententiarum divortio & nobis quoque placet laudati Calixti modeſtia d. l. ſcribentis: *Si neque quadrantum diei appellationes, nec mendum deſcriptorum admittimus, fateri nos oportet, eſſe in ſacra hac hiſtoria quæ a nobis exponi non poſſint.*

CAP. XII.

De ipſa Crucifixione CHRISTI.

Digitized by Google

De Crucis nomine, materia, forma, partibus. De clavis, de modo cruciarios affigendi. De cruce inventa poſt longum tempus aliisque eo pertinentibus ex hiſtoria. Ad quam mundi plagam CHRISTVS vultum direxerit, indeque ortis ritibus variis. Cur CHRISTVS potius crucifixus, quam alio ſupplicio ſublatus.

I.

POſtquam ea quæ Crucifixionem antecedunt una cum temporis circumſtantia conſideravimus, nunc ipſam quoque crucifixionem cum reliquis circumſtantiis ſpectabimus: acturi ſcilicet de nomine, materia, forma, partibus Crucis, tum etiam de clavis ejus: quibus adjiciemus, quam mundi partem ſpectarit CHRISTVS in cruce pendens, & qui ritus Eccleſiæ inde originem traxerint, denique cur Deus maluerit filium cruci affigi, quam alio mortis genere necari.

II. CRVX unde ſit, obſcurum eſt: nec puto tamen ejus etymon *crucem* Grammaticis figere debere. Iſidorus lib. V. cap. XX. cui Fungerus in Etymologico adſtipulatur, ſic dictam vult, quod in ea homines *crucientur*. Verum *crux* non a *cruciando*, ſed *cruciare* eſt a *cruce*. A κρούειν, *pulſare* qui derivant, neſcio an originis rationem reddant. Dixeris forte ſic dictam a pulſandis clavis, quibus cruciarii affiguntur. Vnde Heſychio προσκροῦσαι eſt προσηλῶσαι, *clavis affigere*. Voſſio videtur proxime accedere ad ἴκριον, quod notat *palum arrectum, vel tabulam arrectariam*. Sane & Heſychio eſſe dicitur Σανίδωμα ἢ ξύλον, ἐν ᾧ οἱ κακοῦργοι ξέονται. Atque ita apud Suidam legas: ἰκρίῳ Ιυδαῖοι τὸν σωτῆρα προσήλωσαν.

III.

III. Dixerunt Crucem alio nomine *Gabalum*, forte ab Ebræo גבל *limitavit:* quam vocem & Varro, citante Nonio, uſurpavit; habeturque in priſcis Gloſſis, ſed media vocali mutante: *Gabulum*, *βάσανος*.

IV. Græcis dicitur Σταυρὸς & Σκόλοψ. Et illud quidem ab ἵστασθαι derivat Euſtathius in Odyſſ. ξ. Σταυροὶ, ὀρθὰ καὶ ἀποξυμμένα ξύλα. τὰ καὶ σταύαρα παρὰ τοῖς μὴ λαλοῦσιν εὐγενῶς γίνονται· ἢ παρὰ τὴν εἰς ἀέρα στάσιν, ἢ παρὰ τὸ εἰς αὖρον ἵστασθαι. οἱ δὲ αὐτοὶ Σκόλοπες λέγονται. *Stauri ſunt ligna recta & praeacuta: quæ & Stavara dicuntur ab iis, qui minus ingenue loquuntur. Facta vox, vel quod ad aerem ſtent, vel, quod in latum. Hi ipſi & Scolopes dicuntur.* Eandem derivationem inculcat Heſychius, cujus hæc ſunt verba: Σταυροὶ οἱ καταπεπηγότες σκόλοπες, χάρακες, καὶ πάντα τὰ ἑστῶτα ξύλα, ἀπὸ τοῦ ἑστάναι σταυροὶ, ἢ ἐκ τοῦ εἰς τὴν αὖραν ἵστασθαι. Lucianus *in Judicio vocalium* ingenioſene dicam, an jocoſe, deducit a Tav litera, quæ figura crucem refert. Ait ἀπὸ τούτου (τοῦ ταῦ) καὶ τῷ τεχνήματι τῷ πονηρῷ τὴν πονηρὰν ἐπωνυμίαν συνελθεῖν: *ab iſta etiam, inſtrumento peſſimo* (cruci) *peſſimum nomen veniſſe.* Atque hoc in fine etiam dialogi repetit.

V. Σκόλοπες Heſychius interpretatur ὀξέα ξύλα, ὀρθά. *Scolopes, acuta ligna, recta.* Euſtathius ad illa Homeri *Iliad.* μ.

—— Σκόλοπες γὰρ ἐν αὐτῇ (τάφρῳ)
Ὀξέες ἑστάσιν:

Σκόλοπες, ὀρθὰ ξύλα καὶ ὀξέα, ἃ καὶ σταυροὺς ἐκάλουν, ἐφ' οὓς οἱ κρεμασθέντες ἀνεσταυροῦσθαι καὶ ἀνασκολοπίζεσθαι ἐλέγοντο. *Scolopes recta ligna & acuta, quæ & ſtavros vocabant: in quibus appenſi, & crucifigi dicebantur.*

VI. Materiam Crucis fuiſſe lignum, in confeſſo eſt.

 At

At quale illud fuerit, incertum. Ex obvio quoque fabricatum, nullus dubito. Quam in rem non inepte Bellonius, qui terram Sanctam totumque Orientem peragravit, *lib. II. Obſervat. cap. LXXXVIII.* Fructiferæ *in Palæſtina arbores proveniunt, ficus, olea, punica malus, zizypha, prunus. Cum vero lignarii mercatores in urbibus varia lignorum genera aſſervare ſoleant in ſuis ædibus ac fabrorum tabernis, vix ſuſpicari licet ex altero, quam ſupra memoratarum arborum ligno crucem fabricatam fuiſſe.*

VII. Lipſius *lib. III. de Cruce cap. XIII.* CHRISTI crucem e quercu fuiſſe cenſet: primo quod fruſta ſacratiſſimi hujus ligni, quæ hodie exſtent, ſpeciem hanc referant: deinde, quia crebra & frequens in Judæa olim, & nunc quoque illa arbor: denique quia robuſtum lignum, & fixioni laturæque aptum.

VIII. Sed in prima ratione parum roboris: cum qualescunque reliquiæ iſtæ procul dubio ſint ementitæ. Nec in altera ſatis præſidii: nam quercum in Judæa rariſſimam ex Hebræorum fragmentis conſtat. Neque demum ex Silio recte colligit roboris uſum in affixione ad crucem: quandoquidem vocem *roboris* pro qualibet arbore uſurpent Poetæ.

IX. Qui ex cedro vel cupreſſo fuiſſe conjectant, nituntur inquiſitione & inventione crucis, quæ Helenæ Conſtantini matri tribuitur: cum alias trecentis ſub terra annis durare non potuerit.

X. Verum ut nihil de eo afferamus, quod nec alia ligna ſub aquis demerſa, vel profunde terris obruta putreſcant; fabulis, quam veræ hiſtoriæ ſimiliora videntur ea omnia, quæ de inventa cruce monumentis literarum conſignata ſunt.

XI. Et

XI. Et ſane quo minus huic narrationi fidem habeam, altum Euſebii ſilentium facit: qui, cum alia omnia ab Imp. Conſtantino & matre ejus Helena in terra ſancta, in locis nativitatis, paſſionis, ſepulturæ CHRISTI geſta accurate narrat, de inventa cruce plane ſilet.

XII. Deniq; inſana hoſtium immane ſævientium crudelitas non admiſiſſet, qui vel cedrina vel cupreſſina crux pararetur Domino. Abjectiſſima quæque hic fuerunt in abjectiſſimo & ob ſcelera noſtra damnatiſſimo vermiculo JESV.

XIII. Reperti ſunt, qui ex *Junipero* compingant: ideo quod in baccis hujus arboris crux ſit conſpicua, quod quam ſit firmum, facile apparet.

XIV. Linquenda etiam eorum conjectura, quæ pro *nuce* militat, cum Itinerarium B. Antonini martyris materiam tituli, quem martyr ſe manu tenuiſſe & oſculatum dicit, e nuce faciat. Plurimis enim fabulis admixtis narrationem ſuam dubiam reddit, parumque eum juvant verba Ambroſii lib. de Joſeph. c. IX. ſcribentis: *Venit Paulus crucem Domini prædicans, ilicem ſemper virentem & nuces, quarum teſta durior & fructus tenerior, meritoque virga ſacerdotalis nucina & Hieremiæ baculus hujusmodi.*

XV. Sunt qui lignum crucis e triplici, ſunt qui e quadruplici lignorum genere compoſitum, ſcribant. Prioris ſententiæ auctorem Johannem Cantacuzenum laudat Fungerus: quam recte, non habeo affirmare, quod inclytus ſcriptor non ſit ad manus.

XVI. In poſteriori Beda videtur præiviſſe, cujus hæc ſunt verba in *Collectaneis & Floribus* tomo III. adjectis: *Crux Domini de quatuor lignis facta eſt, quæ vocantur Cu-*

 preſſus,

Digitized by Google

preſſus, Cedrus, Pinus & Buxus. Sed Buxus non fuit in cruce; niſi tabula de illo ligno ſupra frontem CHRISTI fuit, in qua conſcripſerunt Judæi titulum: Hic eſt Rex Judæorum. Cupreſſus fuit in terra usque ad tabulam, cedrus in transverſum, pinus ſurſum. Pro Pinu & Buxo alii Palmam & Oleam ſubſtituunt. Gloſſa Clementis l. de *ſumma Trinitate & Fide Catholica:* Fertur *crux quatuor habuiſſe genera lignorum, Cedrum in ſtipite, Palmam in palo, per longum, Cupreſſum in ligno ex transverſo, Oliva in tabula ſuper crucem, & datur verſus:*

Ligna crucis Palma, Cedrus, Cupreſſus, Oliva.

Quo pertinent ſequentes item verſiculi:

Quatuor ex lignis Domini crux dicitur eſſe,
Pes Crucis eſt Cedrus, corpus tenet alta cupreſſus?
Palma manus retinet, Titulo lætatur Oliva.

XVII. Omnino id fabuloſum: nec hujusmodi quid traditum ab antiquioribus. Ac putat Voſſius *Harmon. lib. II. cap. VII.* inde ortum, quod lignis quatuor crucem conſtare, multorum fuerit opinio, videlicet ſtipite erecto, transverſo, titulo, & ſtipite, ſeu mediano, hoc eſt, ſedilis exceſſu, ſeu imo, hoc eſt, ſuppedaneo. Ipſe Bellarminus *lib. II. de Imagin. Sanctorum cap. XXVII.* agnoſcit, *opinionem, de quatuor generibus lignorum in cruce non habere teſtimonia veterum, nec eſſe probabilem.*

XVIII. Nec minus in fabulis habenda ſunt ſequentia: quod ex palmæ, abietis & cupreſſi ſurculis ab Hionto quodam Noæ filio in paradiſum admiſſo decerptis arbor concreverit, triumque illorum naturam referens materiem cruci CHRISTI præbuerit: ut refert Gotfridus Viterbienſis *in Chronico.* Item, quod ex pinus, cupreſſi & cedri ſurculis, diſtinctis radicibus cervicibusque una arbor

bor coaluerit: ut perhibet ms. quidam codex græcus Bibliothecæ Auguſtanæ *num. LVIII.* ex quo & aliis repetit Leo Allatius *Epiſt. III.* ad Bartoldum Nihuſium. Denique, quod tranſeuntibus per torrentem Cedron pontis loco fuerit, & Reginæ Sabæ admonitu a Salomone in eo loco defoſſum, ubi poſtmodum facta probatica piſcina, in quo multis annorum centuriis ſepultum ſub ipſum paſſionis dominicæ tempus emerſerit, & a Judæis CHRISTO in crucem fuerit efformatum: quod vult Auctor *Hiſtoria Scholaſtica in lib. III. Reg. cap. XXVI.* Hæc enim deliramenta ſunt: quæ judicio ipſius Gretſeri *de Cruce lib. I. cap. IV.* refutatione non egent.

XIX. Quid de arbore illa, quæ in templo quodam monachorum Palæſtinæ creſcere dicitur, ex cujus ligno crux Servatoris efformata, quivis facile judicaverit. Adſcribam tamen Nobiliſſimi Fuhreri verba ex *Itinerario Palæſtinæ:* In *Palæſtina eſt clauſtrum Græcorum Monachorum Paulinorum, duobus milliaribus Italicis Hieroſolyma diſtans; in cujus templo prope ſummum altare creſcit peculiaris quadam arboris ſpecies, ex cujus ligno crux Dominica fuit formata.*

XX. Tantum de Materia Crucis. Nunc de ejusdem forma eſt dicendum.

XXI. Crucem in *Simplicem & Compactam* Lipſius diſtinguit *lib. I. cap. V.* & compactam iterum in *Decuſſatam, Commiſſam, & Immiſſam* dividit *lib. I. cap. VII.*

XXII. *Decuſſata* dicitur, quæ eſt χιαστὴ, ad inſtar literæ Græcæ χ: quam & *Andreanam* vocant, quod tali Apoſtolus Andreas credatur ſuffixus.

XXIII. At male eam Lipſius definit, *in qua duo ligna directa & æquabilia inter ſe obliquantur.* Hæc enim definitio

finitio non ſeparat commiſſam crucem a decuſſata. Nam duo ligna ita committi poſſunt, ut decuſſis figuram repræſentent: quæ crux eſt decuſſatim commiſſa.

XXIV. *Commiſſam* idem *cap. VIII.* ſic definit, *cum ligno erecto brevius alterum ſuperne & in ipſo capite committitur, ſic ut nihil exſtet.*

XXV. Verum dici etiam commiſſa crux decuſſata poteſt, qua in medio duo ligna decuſſatim concurrentia committuntur, & junguntur invicem.

XXVI. Quam igitur Lipſius *Commiſſam* vocat, *Immiſſa* potius dicenda videtur, vel *Supermiſſa,* quia erecto ligno aliud transverſarium immittitur, vel ſupermittitur.

XXVII. At *Immiſſam* Lipſius *cap. IX.* vult eſſe, *cum ligno erecto transverſum alterum injungitur atque immittitur, ſed ſic ut ipſum ſecet.*

XXVIII. Veruntamen ſic lignum transverſum cum erecto committitur.

XXIX. Melius igitur dixeris, crucis compactæ aliam eſſe decuſſatam, ad inſtar literæ X: aliam capitatam, ad inſtar mali navis cum antenna ſua: † aliam ſine capitella, ut eſt *Tau* litera: quam proinde *ſignum crucis* appellat Tertullianus *lib. III. adverſus Marcionem.*

XXX. Generatim etiam dici poteſt, Crucem compactam habere longitudinem & latitudinem. Longitudo eſt in erecto ligno, latitudo in transverſo.

XXXI. In Furca vero ſeu Patibulo veterum neque transverſim, neque decuſſatim ligna coeunt, ſed ex uno trunco bifidum caput in duo patentia exſurgit cornua, ſic ut figuram literæ Pythagoricæ Y exprimat.

XXXII. Vbi denuo notandus eſt error Lipſii, qui cum *Crucem* dicamus de ſupplicio, quo Servator noſter affe-

Digitized by Google

affect u, vocem eam putat accipi improprie. Cum enim *Crux* conſtet ligno recto & transverſo; rectum proprie vocari *Crucem:* transverſum proprie eſſe *Patibulum.*

XXXIII. At enim nec *Crux,* nec *Patibulum* pro alterutro ligno uſurpantur: ſed proprie *Patibulum* eſt furca, ceu diximus, quæ ſimilis literæ Y, *Crux* vero eſt, quæ literam T repræſentat. Neque vero cum aliquem legimus *patibulatum,* credendum geſtaſſe transverſum crucis lignum; ſed *furcam,* hoc eſt, ſtipitem rectum, ſumma in parte habentem duos ramos, ſive cornua. Porro verum quidem eſt *Crucem* proprie nuncupatam duobus lignis conſtitiſſe, recto, & transverſo: ſed nunquam vel *crux* pro *ſolo recto;* vel *patibulum* pro ſolo transverſo, uſurpatum a veteribus invenias.

XXXIV. Denique Patibulum recentius, a quo poſt abolitam a Conſtantino M. in ſuppliciis crucem facinoroſi cœperunt ſtrangulari, obtinet formam Π Græcorum.

XXXV. Salvatoris Crucem non fuiſſe decuſſatam, unanimis eſt veterum ac juniorum ſententia: & confirmat elogium capiti CHRISTI ſuperpoſitum: quod commode in decuſſata non potuiſſet fieri.

XXXVI. Quod capitata fuerit, non ſatis liquet ex veterum monumentis. In Nizachon veteri, quem librum edidit Cl. Wagenſeilius in *Telis Igneis Satanæ,* a Judæo refertur, Chriſtianorum quaſi communis eſſet ſententia de duplici Crucis forma. *Fatentur ipſi,* inquit, *crucem, in qua JESUS fuit ſuſpenſus, principio tria tantum crura habuiſſe hoc modo* T, *atque huic illum fuiſſe affixum, quæ paxilli refert imaginem: quoad quidam venit, qui miſertus caput ſic ſine fulcimento pendere, quartum crus e*

Digitized by Google

regione capitis ſuperaddidit, hac forma †. Sed qui eſt Judæorum mos, quod ex uno audiunt, toti Chriſtianæ genti tribuunt.

XXXVII. Fuiſſet ergo ſine capite, ad formam literæ T apud Græcos & Romanos.

XXXVIII. Eandem formam olim etiam Hebræorum Tau habuiſſe, quæ hodie propius ad Græcorum accedit ת, auctor eſt Origenes, eundemque forte ſecutus B. Hieronymus: qui & Samaritanum Tav eadem forma olim exaratum ſcribunt. Ita autem Origenes ſuper cap. IX. Ezech. Ἀκύλας καὶ Θεοδοτίων. σημειώσεις τὸ Ταῦ ἐπὶ τὰ μέτωπα. Ἑβραίων δέ τις τῶν εἰς Σωτῆρα πεπιστευκότων ἔλεγε. τὰ ἀρχαῖα στοιχεῖα ἐμφερὲς ἔχειν τὸ Ταῦ τῷ τοῦ σταυροῦ χαρακτῆρι. *Aquila & Theodotion. Signabis Tav in fronte. Hebræorum vero in CHRISTVM credentium nonnemo dixit, in antiquis literis Tau ſimilitudinem habere characteris crucis.* Hieronymus *lib. III. Comment. in Ezech. cap. IX.* Vt *ad noſtra veniamus, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodie utuntur Samaritani, extrema Thav litera crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur.* Nec dicere poſſumus Hieronymum Samaritanas literas ignoraſſe, cum Samaritana etiam conſulere Biblia ſoleat, ac *lib. II. Commentar. in Epiſt. ad Galatas* teſtetur, *Samaritanorum a ſe relecta volumina.*

XXXIX. Hodie tamen Alphabetum Samaritanum nihil tale præfert, utpote in quo litera ultima Tau figura N. expreſſa exhibetur.

XL. Forte igitur Hieronymus cum in Ezechielem ſcriberet, ab Origene deceptus, nondum ſcivit literas Samaritanas: easque poſtea demum didicit, ac jam ſcivit,

cum

Digitized by Google

cum in epiſtolam ad Galatas commentaretur. Niſi malis dicere, Samaritanos geminam habuiſſe literæ Tav figuram, quarum una tantum fuerit cruciformis: qua de re plura affert Kippingius libro de *Cruce & Cruciariis Exercit. XVII.*

XLI. Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce* ad Thomam Bartholinum putat memoriæ quodam lapſu de Samaritano Tav id proditum, quod lectum in Alphabeto Ægyptiaco. Et conſentit Hottingerus *Exercitationibus contra Morinum de Pentateucho Samaritano Diſt. XXVIII.*

XLII. Ac reperitur utique in literis Ægyptiorum ſacris, quas Angelus Rocha Mercurio tanquam primo inventori tribuit, T illud loco ultimo. Quamquam an genuinæ ſint hæ literæ, non immerito Eruditi dubitant. Certe nec in Athanaſii Kircheri *Oedipo Ægyptiaco,* Pignorii *Tabula Iſiaca,* Jacobi Boſii *Sculpturis Ægyptiacis,* Vlysſis Aldrovandi *Figuris Hieroglyphicis,* Goropii Becani *Simulacris Ægyptiacis,* Pauli Petavii *Monumentis,* characteres Ægyptiacos oſtendentibus, aliisque libris Antiquitates Ægyptias pertractantibus, reperitur.

XLIII. Quod autem de litera Tau, quomodo illa olim ab Hebræis & Samaritanis exarata, tantopere laborent veteres, fit potiſſimum propter Ezechielis locum cap. IX. v. 4. ubi Dominus jubet, ut Angelus per mediam eat Hieroſolymam, inque fronte eorum, qui piis ſuſpiriis ob peccata populi, & calamitates ejus, ingemiſcunt, *Tau* (quod cruciforme fuit) notet, quo his ſolis parcatur, dum occidione occiduntur, qui non fuerint ita ſignati. Sic enim accepit hunc locum Tertullianus *lib. III. contra Marcionem cap. XXII.* Dicit *Dominus ad me, Pertranſi in medio portæ Hieruſalem, & da ſignum Tau in frontibus*

Digitized by Google

virorum. Ipſa eſt enim litera Græcorum Tau, noſtra autem T, *ſpecies crucis, quam pertendebat futuram in frontibus noſtris apud veram & catholicam Hieruſalem.* Chryſoſtomus homilia XIV. in Marcum: *In trecentis numeris crucis myſterium demonſtratur. Litera* T *index eſt trecentum. Vnde dicitur & in Ezechiele: Et ſcribes, inquit, in frontibus gementium Thau. Et quicunque illud habuerit ſuperſcriptum non interficietur. Nam quicunque crucis vexillum habet in fronte ſua, hic a Diabolo percuti non poteſt.* Et Iſidorus *Originum lib. I. cap. III.* T. figuram *demonſtrans Dominicæ crucis. Vnde & Hebraice ſignum interpretatur: de qua dictum eſt in Ezechiele angelo: Tranſi per mediam Hieruſalem, & ſigna Thau in fronte virorum gementium & dolentium.*

XLIV. Nimis autem curioſa fortaſſis eſt de hoc Ezechielis loco quæſtio: quandoquidem Propheta non loquitur determinate de figura literæ, ſed indefinite de ſigno aliquo. Quamobrem etſi Theodotio retinuit Hebræam vocem תָּו, LXX. tamen, Aquila & Symmachus γενικῶς transtulere σημεῖον, uti monet Hieronymus: quamvis Aquilam in contrarium laudet Origenes. Sane תו *ſignum* deſcendit a תוה *ſignavit*. Vide eruditam Joſephi Scaligeri diſputationem in *Animadverſionibus Euſebianis* ad locum Euſebii n. 1617. & qui hanc commendat, Iſaacum Caſaubonum *Exerc. XVI. n. LXXVIII.*

XLV. Hæc ſuffecerint de externa forma Crucis. Componebatur vero duobus præcipue lignis, Stipite arrectario, quem Tertullianus etiam *Staticulum, Statumen, & Statuam* appellat, & ligno transverſo, quod & *Antenna* dicebatur. Prior magnam partem obtegebatur corpore cruciarii. Alteri alligabantur, vel affigebantur brachia expenſa.

XLVI.

Digitized by Google

XLVI. Ex ſtipite arrectario metienda crucis altitudo, quæ non uniusmodi ſemper erat. Quædam enim cruces extra ordinem fuere ſublimiores: aliquando ad majus exemplum, aut etiam ſtudio majoris crudelitatis; pro criminis etiam atrocitate aut perſonæ odio, aut ad majorem cruciarii infamiam.

XLVII. Hujusmodi crux erat illa Hamani quinquaginta cubitos alta, ut eſt in hiſtoria Heſteræ *cap. VII. v. 9.* quamquam ex ea non ſatis conſtet, an Hamanus vivus pependerit: quandoquidem Perſæ raro dabant in crucem, qui in ea mori deberent, ſed occiſos in ſtipite, qui crucis inſtar erat, arrecto ſuppendebant, exemplum daturos poſt mortem. Talis item erat, cui affixus a Carthaginenſibus M. Regulus: de qua Silius Italicus lib. II.

—— Cum robore pendens
Italiam cruce ſublimis ſpectaret ab alta.

Hanc diverſitatem etiam coghoſcimus ex epigrammate hoc Lucilii:

Μακροτέρῳ σταυρῷ σταυρούμενον ἄλλον ἑαυτοῦ
Ὁ φθονερὸς Διόφων ἐγγὺς ἰδὼν ἐτάκη.

Quod ſic vertit Salmaſius:

Cum Diophon cruce ſuffixum majore videret
Altius eſſe alium, tabuit invidia.

Sic Maleus Cartalonem filium, quod juſſa ſua ſpreviſſet, *in altiſſimam crucem in conſpectu urbis ſuffigi juſſit.* Juſtinus *lib. XVIII. cap. VII.* Inprimis vero illuſtre teſtimonium de ſublimitate crucis habetur in Svetonii *Galba cap. IX.* Hic *tutorem, quod pupillum, cui ſubſtitutus heres erat, veneno necaſſet, cruce affecit: implorantique leges, & civem Romanum ſe teſtificanti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter*

ceteras altiorem & dealbatam ſtatui crucem juſſit. Forte etiam altior fuit crux, quam *ſummam* nuncupat Juſtinus *lib. XXII. cap. VII.* de qua Bomilcar, *veluti de tribunali, in Pœnorum ſcelera concionatus.* Nam vehementer, ut ab erectiori audiretur, inclamaſſe arguunt ſequentia: *Hæc cum in maxima populi concione vociferatus eſſet, exſpiravit.* Præterea ex Salmaſii emendatione, pro ſublimius ſolito, *Improbum patibulum* dixit Salluſtius *IV. Hiſtor.* ad Nonium.

XLVIII. Vt plurimum autem non erant ſublimiores, quam ut pedes cruciarii a terra tribus ſolum, vel quatuor pedibus abeſſent. Nam niſi adeo humiles fuiſſent, quomodo potuiſſent de ſolo in eas inſilire? quod judicant hæ veterum formulæ: *Excurrere, Aſcendere. In crucem tolli, levari, exaltari,* imo *in crucem ſaltare.*

XLIX. Nec, ſi tam alta crux fuiſſet, qui unus eam ferre potuiſſet? quod tamen Romano more uſitatum erat, ac in ſuperioribus probatum. Neque commode etiam de cruce mortuos licuiſſet tollere.

L. Denique modus, quo in cruce, nec tamen per crucem moriebantur, ſatis hanc altitudinem refellit. Nam in ſublimiori cruce, non potuiſſent, niſi fame exanimari. At humiliori cruci conveniunt tot alia, quæ mortem afferrent. Crurifragium, laniatio a canibus & lupis: item, quod ſuppoſito ad ſtipitem igne pendentes uſtularentur.

LI. Atque hanc CHRISTI crucem non fuiſſe ſublimiorem, quam vulgares, ac adeo duorum latronum, multæ nos ſvadent rationes.

LII. Harum prima eſt, quod id Scriptura tacet, quæ mini-

minima alioquin ignominiæ argumenta, quibus CHRISTVM affecerunt Judæi, non prætermiſit. Solent enim ſcriptores, uti vidimus, ſublimis crucis nominatim meminiſſe, cum ad exemplum, & extra ordinem talis nocenti conſtitueretur.

LIII. Altera eſt, quod CHRISTVS ipſe eam, ex more apud Romanos recepto portaverit. Nam ſi fuiſſet paulo altior, quomodo unius hominis onus eſſe potuerit? Ex craſſioribus enim lignis, ſive trabibus compingebatur, ut ferendo corpori par eſſet.

LIV. Tertiam a titulo ad caput CHRISTI crucifixi poſito petimus. Quomodo enim de plano ille potuiſſet legi, ſi crux tam ſublimis, ut vulgo pingitur, fuiſſet?

LV. Huc accedit, quod is, qui ſpongiam aceto plenam, & calamo ſive harundini circumdatam porrexit, ſi crux fuiſſet paulo elevatior, non calamo, ſed pertica longiori habuiſſet opus. Nam equitem hic fingere quis permiſit?

LVI. Neque etiam JESV tam commode cum Johanne, Maria & latrone licuiſſet loqui, ſi longius intervallum feciſſet crux ſublimior. Nam tum inſigniter clamaſſe, non patet.

LVII. Porro, niſi exſpiraſſet CHRISTVS, crura ejus, perinde ut duobus cruciariis, fregiſſent. Hoc autem crurifragium de plano factum eſt credibile.

LVIII. Denique miles, qui lancea transfodit latus Domini in cruce pendentis, non alte ſuſpenſum fuiſſe ſubindicat. Enimvero lancea, ſive haſta Romana, quamvis aliquanto exceſſerit ſtaturam hominis, miles tamen non

non ex imo in altum debuit haſtam nimis ſubrectam infigere, ſed ictum dirigere paulum ea allevata.

LIX. Objectionibus etiam, quas hic nonnulli movent, breviter reſpondebimus.

LX. Dicunt famoſam CHRISTI perſonam, cui omnia magna & atrocia Judæi minabantur, ſive odii, ſive crediti delicti ergo altam & ſpectabilem crucem popoſciſſe.

LXI. At hoc, ſi ſpectaſſent Judæi, utique ſilentio non prætermiſiſſent Evangeliſtæ. Deinde famoſis & inſignibus facinoroſis non ſemper magnæ & excelſæ cruces poſitæ.

LXII. Neque tamen mihi probatur magni cujusdam viri ſententia, qui CHRISTVM inter cetera humiliori cruce ſuſpendi debuiſſe cenſet, quod per humilitatem voluntariam & extraordinariam infra humillimos ſe depreſſerit. Quæ enim ſit humilitas (de virtute arrogantiæ adverſanti loquor:) quando quis humiliori cruce velit ſuffigi? Imo, cum major ignominia fuiſſet in majori & altiori cruce, major fuiſſet ac clarior humilitas eam quoque contumeliam ſubire.

LXIII. Ajunt ſtaturam CHRISTI longiorem, altiorem crucem exegiſſe. Quamobrem Johannes Caramuel Lobkovvitius ad Bartoldum Nihuſium ſcribit: *Exiſtimo crucem fuiſſe magnam: nam & homines illa ætate majores, CHRISTVS inter ſui temporis viros procerus.*

LXIV. An vero CHRISTVS eminentioris ſupra vulgus hominum ſtaturæ fuerit, dubitamus non immerito. Longe nimirum probabilius eſt, mediocrem corporis CHRISTI fuiſſe longitudinem: hoc eſt, nec proceram, nec depreſſam nimis. Et quid ſi fuiſſet ſtatura paulum

Digitized by Google

paulum longiori? Sane nec tum eandem nimium exceſſiſſet altitudo crucis.

LXV. Majus in eo videtur eſſe robur, quod niſi aliquantum erectior fuiſſet, commode non conſpici potuiſſet a remotioribus, quibus ſcilicet viciniores aſpectum intercepiſſent.

LXVI. Ceterum non ideo CHRISTVS in crucem ſublatus, ut omnibus & ſingulis eſſet oſtentui. Tum vero, ceu vulgo ſolet fieri, non omnes ſpectatores eodem manſere loco, ſed remotioribus ſuo abitu aditum fecerunt.

LXVII. Nec eſt, quod quis hic typum ſerpentis ænei opponat: cum non neceſſe ſit per omnia & examuſſim typum reſpondere illi rei, quam adumbrat & figurat.

LXVIII. Quod interdum Patres ſublimem & conſpicuum in cruce CHRISTVM pependiſſe dicunt, certum eſt, exaggerandi gratia facere, & in majus extollendi redemtionis noſtræ myſterium. Pius calor & zelus ſæpiſſime illorum incitavit calamum, non ipſa ſemper rei veritas, quam non potuerunt aliunde, niſi ex Evangelica hiſtoria haurire, quæ tamen, ut ad prima redeamus, de altitudine crucis ſilet.

LXIX. Quæ cum ita ſe habeant, faceſſant pictores, lapicidæ, ſculptores, ſtatuarii, qui plerumque cruces longiores faciunt, & inprimis CHRISTI cruci immanem proceritatem tribuunt.

LXX. Satis de crucis altitudine, ad quam nos ſtipes arrectarius deduxit.

LXXI. Præter hunc ſtipitem, & lignum transverſarium, quæ formam crucis conſtituebant, erant partes minores aliæ, non tamen ſimpliciter neceſſariæ, quia &

crux erat ſine partibus minoribus. In his de una conſtat ex Scripturis. Ea eſt tabella ſuper verticem, quæ continebat ſupplicii cauſam. De hac inferius agemus, quando ſimul titulum CHRISTI ſpectaverimus.

LXXII. De altera conſtat ex antquiſſimis Eccleſiæ Doctoribus. Et eſt lignum inter femina excurrens ac prominens, cui inſidebat, vel inequitabat quaſi cruciarius.

LXXIII. Nimirum iſtud lignum medianum agnoſcitur ab iis Theologis, qui vixere ante Conſtantini M. tempora, cum crux etiamnum foret in uſu, ut ejus figuram optime potuerint noſſe.

LXXIV. Varia hoc lignum eſt ſortitum nomina. Juſtinus μονόκερως, & τὸ ἐξέχον πῆγμα, Tertullianus *medium ſtipitis palum, ſedilis exceſſum*, nec non (modo proba ſit lectio) *ſoliſtaticulum*, & *cornu* nuncupant. *Subſidem* in Mæcenatis verſibus vocari Salmaſius contendit.

LXXV. Singula Doctorum loca afferemus. Faciemus initium ab Irenæo, auctore quanto antiquiore, tanto præſtantiore. Verba ejus *lib. II. cap. XLII.* ita habent: *Ipſe habitus crucis fines & extremitates habet quinq; : duas in longitudine, & duas in latitudine, & unam in medio, ubi requieſcit, cui clavis affigitur.* Extremis verbis clare ſignat *lignum medianum:* ut male de ſuppedaneo intellexerit *in Notis* Fevardentius. Iuſtini verba ſecundo apponemus loco, ex Apolog. lib. II. *Totus homo crucem repræſentat, naſus ſedile.* Sed prolixior eſt locus in *dialogo* ejus *cum Tryphone.* Hic primo adducit verba Moſis Deuteron. XXXIII. 17. Joſepho benedicentis, gloriamque ejus inter fratres comparantis tauro bicorni, ac rhinoceroti unicorni. Subdit deinde: Μονοκέρωτος γὰρ κέρατα
οὐδενὸς ἄλλου πράγματος ἢ σχήματος ἔχοι, ἂν τις εἰπεῖν, καὶ
οὐδενὸς ἄλλου πράγματος ἢ σχήματος ἔχοι, ἂν τις εἰπεῖν, καὶ δείξαι-

οὐδενὸς ζώου.

ἀποδεῖξαι, εἰ μὴ ἐκ τοῦ τύπου ὃς τὸν σταυρὸν δείκνυσιν. Ὄρθιον γὰρ τὸ ἓν ἐστὶ ξύλον, ἀφ' οὗ ἐστι τὸ ἀνώτατον μέρος εἰς κέρας ὑπερηρμένον, ὅταν τὸ ἄλλο ξύλον προσαρμοσθῇ, καὶ ἑκατέρωθεν ὡς κέρατα τῷ ἑνὶ κέρατι παρεζευγμένα τὰ ἄκρα φαίνεται. καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας, (Salmaſius corrigit, εἰς κέρας: ut ſenſus ſit, *Eminere in figuram cornu*) καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστὶν, ἐφ' ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. καὶ βλέπεται, ὡς κέρας καὶ αὐτὸ σὺν τοῖς ἄλλοις κέρασι συνεσχηματισμένον. *Vnicornis enim cornua nemo alterius cujusquam rei aut figuræ dixerit vel oſtenderit eſſe ſimilia, quam typi crucem deſignantis. Rectum enim unum eſt lignum, unde ſumma pars in cornu attollitur, cum ei aliud lignum aptatur, & utrimque extremitates, tanquam cornua uni iſti cornu adjuncta apparent: & quod in medio impactum eſt lignum, ipſum etiam inſtar cornu eminet, in quo vehuntur, qui crucis ſupplicium ſubeunt, & cum aliis cornubus junctum & confirmatum, ipſum quoque ut cornu conſpicitur.* Scilicet quatuor in cruce cornua agnoſcit Juſtinus: duo, quibus taurum bicornem referat: ea ſunt extremitates ligni transverſi, antennam referentis: duo item, quibus referat monocerotem: nempe & illud, quod ſupra medium ſtipitis arrectarii exſtat, cuique titulus affigebatur; & iſtud, quod ex medio ſtipite eminet. Quintum cornu ab Irenæo allatum, extremitatem nempe imam ſtipitis arrectarii præterit Juſtinus, quia ſub terris latet. At Tertullianus, quia conſiderat crucem ſub figura literæ T, non habuit rationem ejus, quod ſupra medium ligni transverſi ſtipes arrectarius paululum emineret. Itaque tria ſolùm crucis cornua agnoſcit: videlicet duo ligni transverſi, & unum medii ſtipitis erecti. Sic igitur ille *lib. adverſus Judæos cap. X.* ubi itidem myſtice enarrat

verba illa Moſis benedicentis filiis Joſephi: *Tauri decor ejus cornua unicornis cornua ejus, in eis nationes ventilabit pariter ad ſummum usque terræ. Non utique rhinoceros deſtinabatur unicornis, vel minotaurus bicornis: ſed CHRISTVS in illo ſignificabatur: taurus, ob utramque diſpoſitionem; aliis ferus, ut judex; aliis manſvetus, ut Salvator: cujus cornua eſſent crucis extima. Nam & in antenna navis, quæ crucis pars eſt hac, extremitates hujus cornua vocantur: unicornis autem medio ſtipite palus.* Videmus, duo animantia memorare, taurum bicornem, & rhinocerotem unicornem. Transverſum crucis lignum ait referre taurum bicornem: quia lignum illud ſe habet in cruce, ut in navi antenna, cujus extremitates duo appellantur cornua. Vt vero tauro bicorni aſſimilat Tertullianus cornua ligni transverſi; ita ſtipitem arrectarium comparat cum rhinocerote: quia, ut rhinoceros cornu habet unicum, in naribus puta, unde & nomen accepit; ſic etiam ſtipes ille in medio ſui habet palum acutum, eum videlicet, cui ſolet inſidere cruciarius. Vltima Tertulliani in editione B. Rhenani ſic habent: *media ſtipite palus*, pro *medio*, vel *in medio ſtipite.* Vnde Pamelius fecit, *media ſtipitis palus.* Quod ἄλογον. Poſſis & cum Thoma Bartholino, *medius ſtipitis palus* legere. *Proclivis fuerit*, Voſſio judice, *error*, ut medio *ſit ex* medius, *quia* 9. *vel ſimile, ſæpe pro* us *ſoleat ſcribi.* Idem Tertullianus *lib. II. ad Nationes cap. XII.* Pars *crucis, & quidem major, eſt omne robur, quod erecta ſtatione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antenna ſcilicet ſua, & cum illo ſedilis exceſſu.* Vt vero hic *Sedile* nuncupatur, ita Claudius Salmaſius, *lib. III. de fœnore Trapezitico & Epiſt. I. de Cruce* quia in ea ſubſiſterent,

rent,

rent, *ſubſtitem* dici cenſet a Mæcenate, verſibus iſtis apud Senecam *Epiſt. CI.*

Vita dum ſupereſt, bene eſt.
Hanc mihi vel acuta
Subſidem cruce ſuſtine.

Juſtus Lipſius ex codicibus veteribus, ut habet *Commentar. in Senecæ hunc locum, ac Taciti Annal. XIV.* & *lib. I. de Cruce cap. VI.* atque ante eum Pincianus legunt:

Si ſedeam cruce, ſuſtine.

Joſephus Scaliger lib. I. Epiſt. XXXIII. reſcribit:

—— *Hanc mihi vel acuta*
Subdas ſuſtineo cruce.

Vulgo ſic ſcribuntur:

Hanc mihi vel acutam
Si das, ſuſtineo crucem.

Sed quomodocunq; legeris, non improbabile eſt per *acutam crucem* intelligi acutum illud in media cruce ſedile. In hoc Mæcenatis *turpiſſimum votum* (ſic appellat) *quo noviſſime acutam crucem non recuſat*, dummodo inter hæc mala ſpiritus prorogetur, graviter invectus Seneca *Epiſt. CI.* demum ſic interpretatur: *Suffigas licet, & acutam ſeſſuro crucem ſubdas: eſt tanti, vulnus ſuum premere, & patibulo pendere diſtrictum.* Quod autem Tertullianus nunc *ſedile*, paulo ante vocavit *ſoliſtaticulum*. Quod *ſi de hoc*, inquit, *differentia interſedit, quanto diſtinguitur a crucis ſtipite Pallas Attica, & Ceres Pharia, quæ ſine formarum dipalo, & ſoliſtaticulo ligni informis repræſentatur.* Conringius tamen ex *Apologetico* Tertulliani reponendum putat: *Quæ ſine forma rudi palo, ac ſolo ſtaticulo.* Reineſius quoque in mss. ſcedis *Staticulum*

culum probat, ac parvam interpretatur ſtatuam: at non de ſedili illud medio, verum de arrectario ſtipite accipit. Quomodocunque autem locus ſe habuerit, ad ὑποπόδιον, ſive *ſuppedaneum* (ſecus ac putat Jacobus Gothofredus) hoc minime referendum. Putabat Joſephus Scaliger etiam ſedilis exceſſum notari a Julio Firmico, cum libro *de errore profanarum religionum* ait: *Cornua nihil aliud niſi venerandum crucis ſignum monſtrant. Hujus ſigni uno extenſo, ac directo cornu, mundus ſuſtentatur, terra conſtringitur.* Nec diſſentit B. Calixtus in *Prælectionibus* Lipſii libello adjectis. At Salmaſius cenſet, per unum illud cornu intelligi ſummam partem ſtipitis arrectarii. Sed neutra ſententia meretur locum: quia Firmicus tria ſolum cornua agnoſcit, præterito medio ſtipitis palo. Nam præter inferius terræ infixum cornu, duo alia ponit ligni transverſi, quod conſiderat, quaſi e duobus eſſet lignis compactum, quæ brachia hominis repræſentant. Sic enim ſubdit: *Et e duorum, quæ per latus vadunt, compagine, Oriens tangitur, Occidens ſublevatur, ut ſic totus orbis, tripartita ſtabilitate firmatus confixi operis, immortalis radicis fundamenta retineat.*

LXXVI. Tot igitur graviſſimis teſtibus ſuffultum, quia eſt medianum crucis lignum, merito ejusdem defenſionem ſuſcipimus, nec cum Gretſero & Nihuſio (is ut Calixto per omnia adverſaretur, & hic quoque diſſenſum teſtari viſus) pro commento habemus. Vt Scriptura S. breve hoc lignum ac tum nemini non notum memoraret, nulla fuit cauſa. In picturis ac cælaturis non conſpici, nemo mirabitur, qui antiquiſſimarum imaginum ante Conſtantinum, & forte proximis a Conſtantino ſeculis nullas ad nos perveniſſe cogitabit. Nec contemnen-

Digitized by Google

temnenda prorſus Calixti conjectura, ſedile hoc vel ideo poſtea omiſſum, *quod Chriſtianis fuerit ſolenne, crucem ductibus digitorum in aere deformare, & inprimis fronti imprimere:* quomodo ſedilis medii, utpote partis præ ſtipite & antenna exiguæ & quaſi ſuperadditæ rationem habere non potuerint.

LXXVII. Quantumvis autem ſedile admittamus medium, non tamen recurvum fuiſſe putamus; ſecus ac clariſſimo cuidam viro nunc in cœlis triumphanti placuit: quem procul dubio decepit a Juſtino memoratum *cornu.* At præter id, quod in animali proprie ſignificat, metaphorice deſignat quemvis in ſuperficie plana apicem, exſtantiam, prominentiam, projecturam; qualis in ædificiis, corvi, mutuli, pali, menſulæ, ad aliquid fulciendum vel ſuſtentandum e parietibus projecti, quas rectas eſſe neceſſe eſt, non recurvas, vel inclinatas. Athenæus lib. V. κεραίας appellat infixa turribus tignorum capita, ſuper quibus paries vel lorica exſtrui poſſit. Heſychius: Κέρας ἡ ἐξοχὴ. Idem κέρας, ὄρθιον ἢ ὑδωρ: ὄρθιον autem πρόσαντες, ἀναπεπταμένον, *in rectitudinem extentum.* Item κέραιος σταυρὸς, hoc eſt, palus, ſtipes arrectarius, altera extremitate in terra defixus, altera recta ſurſum tendens, σκόλοψ: in quibus omnibus nemo curvum aliquod ſibi imaginari debet. Præterea cum extremitates, ſive ἄκρα in ligno transverſario, quod itidem σταυρὸς dicitur, pariter a Juſtino vocentur κέρατα, ea vero recurva non ſint picta, neque vero debuere: cur κέρας recurvum & extra femora pendentis protenſum pingi debuit, & non potius ſedile, ut vocat Tertulianus, ſimile duobis iſtis extremis rectum? Κέρας igitur in medio ſimile fuit, etſi fortaſſe vaſtitate differret, extremi-

tatibus

tatibus antennæ, puta quadratum vel rotundum rude lignum arrectario palo vel immiſſum vel affixum, vel etiam adnatum lignum rectum & extra femora non prominens, adeo ut inſpectantium oculos non facile incurreret. Quam quidem diſputationem, ne quid diſſimulemus, Illuſtri debemus Reineſio, cujus in Cl. quendam virum in hoc argumento animadverſiones in ſcriniis Boſianis ſuperſunt.

LXXVIII. Quod ſi quæras, quem in finem veteres uſurparint ſedile, reſpondendum; primo, ut ſuſtentaret patientis corpus; ne ruptis manuum & nervis & tendinibus pronum rueret, deinde ut cruciaret, malamque ſeſſionem faceret.

LXXIX. Incommodam illam ac maxime difficilem fuiſſe, facile apparet: quippe cum idipſum cruciariorum ſecretas, ſed tum revelatas partes attriverit.

LXXX. Suſtentaculo autem corpori extenſo fuiſſe opus, vel ex eo clarum, quod alioquin clavis cruci ſuffixi ruptis manuum nervis & tendinibus proni corruiſſent. Quo enim corpus & pedes recto ſtipiti arctius applicantur, eo illud prorſum ruit pronius. Quod cuivis experiri in proclivi eſt, ad proximum parietem corpus & pedes applicanti. Etſi vero nonnulli hic in ſubſidium vocent funes, nos tamen ſupra clavos in CHRISTO crucifigendo eos habuiſſe locum non immerito dubitamus: uti paulo poſt monebimus.

LXXXI. Vt igitur corpus cruciarii ſuſtineretur, alii aliud invenerunt lignum, *ſuppedaneum* ſcilicet, cui pedes affixi clavis. Quod an in cruce Dominica locum habuerit, quæritur.

LXXXII. Nullus eorum, qui ante Conſtantinum M. florue-

floruerunt, ſuppedanei meminit. Sed memorarunt alii, qui multo poſt tempore fuerunt: inprimis Gregorius Turonenſis, qui initio VII. ſeculi obiit, Beda, Innocentius III.

LXXXIII. Gregorii evidens locus eſt *lib. I. de Gloria Martyrum cap. VI.* Quæritur, *cur plantæ affixæ ſint, quæ in cruce ſancta dependere viſæ ſunt potius, quam ſtare. Sed in ſtipite erecto factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam tanquam ſtantis hominis, ſacræ adfixæ ſunt plantæ.* Turonenſem integro ſeculo poſt ſecutus Beda (ſive quis alius auctor) in *Collectaneis:* ac pene annis quingentis poſt Innocentius III. qui *Sermone* priori *de martyre uno* hunc in modum loquitur: *Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, ſtipes erectus, & lignum tranſverſum; truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Quæ poſtea repetit, myſticeque enarrat. Juſtus Lipſius *lib. II. cap. X.* hoc accipit de trunco, in terra fulciendæ cruci appoſito: quod recte refellit Voſſius: tum, quod nec is crucis pars fuiſſet: tum nec unus ſuffeciſſet, ſed pluribus habuiſſent opus. Jam de ſedili medio non capiendum, facile largior, quod ex quo crux in uſu eſſe deſiit, de illo non amplius loquantur ſcriptores: minimeque omnium, qui vixere tanto poſt Gregorium Turonenſem.

LXXXIV. Etiam Gregorii ſententiam ſecuti ſunt pictores multi, qui poſt eum, ſed ante complura ſecula vixerunt. De quo apponemus Franciſci Fevardentii verba *Notis in Irenæi lib. II. cap. XLII.* Iſtud *denique plurimum confirmant vetuſtiſſimæ crucifixi Domini noſtri in templis ſervatæ imagines, quas etiam eodem anno, quo hæc ſcribimus,* CIↃ IↃXCV. *multis in locis conſpeximus, cum*

Digitized by Google

tatibus antennæ, puta quadratum vel rotundum rude lignum arrectario palo vel immiſſum vel affixum, vel etiam adnatum lignum rectum & extra femora non prominens, adeo ut inſpectantium oculos non facile incurreret. Quam quidem diſputationem, ne quid diſſimulemus, Illuſtri debemus Reineſio, cujus in Cl. quendam virum in hoc argumento animadverſiones in ſcriniis Boſianis ſuperſunt.

LXXVIII. Quod ſi quæras, quem in finem veteres uſurparint ſedile, reſpondendum; primo, ut ſuſtentaret patientis corpus; ne ruptis manuum & nervis & tendinibus pronum rueret, deinde ut cruciaret, malamque ſeſſionem faceret.

LXXIX. Incommodam illam ac maxime difficilem fuiſſe, facile apparet: quippe cum idipſum cruciariorum ſecretas, ſed tum revelatas partes attriverit.

LXXX. Suſtentaculo autem corpori extenſo fuiſſe opus, vel ex eo clarum, quod alioquin clavis cruci ſuffixi ruptis manuum nervis & tendinibus proni corruiſſent. Quo enim corpus & pedes recto ſtipiti arctius applicantur, eo illud prorſum ruit pronius. Quod cuivis experiri in proclivi eſt, ad proximum parietem corpus & pedes applicanti. Etſi vero nonnulli hic in ſubſidium vocent funes, nos tamen ſupra clavos in CHRISTO crucifigendo eos habuiſſe locum non immerito dubitamus: uti paulo poſt monebimus.

LXXXI. Vt igitur corpus cruciarii ſuſtineretur, alii aliud invenerunt lignum, *ſuppedaneum* ſcilicet, cui pedes affixi clavis. Quod an in cruce Dominica locum habuerit, quæritur.

LXXXII. Nullus eorum, qui ante Conſtantinum M. florue-

Digitized by Google

floruerunt, ſuppedanei meminit. Sed memorarunt alii, qui multo poſt tempore fuerunt: inprimis Gregorius Turonenſis, qui initio VII. ſeculi obiit, Beda, Innocentius III.

LXXXIII. Gregorii evidens locus eſt *lib. I. de Gloria Martyrum cap. VI.* Quæritur, *cur plantæ affixæ ſint, quæ in cruce ſancta dependere viſa ſunt potius, quam ſtare. Sed in ſtipite erecto factum manifeſtum eſt. Pes quoque parvulæ tabulæ in hoc foramen inſertus eſt: ſuper hanc vero tabulam tanquam ſtantis hominis, ſacræ adfixæ ſunt plantæ.* Turonenſem integro ſeculo poſt ſecutus Beda (ſive quis alius auctor) in *Collectaneis*: ac pene annis quingentis poſt Innocentius III. qui *Sermone* priori *de martyre uno* hunc in modum loquitur: *Fuerunt in cruce Dominica ligna quatuor, ſtipes erectus, & lignum tranſverſum; truncus ſuppoſitus, & titulus ſuperpoſitus.* Quæ poſtea repetit, myſticeque enarrat. Juſtus Lipſius *lib. II. cap. X.* hoc accipit de trunco, in terra fulciendæ cruci appoſito: quod recte refellit Voſſius: tum, quod nec is crucis pars fuiſſet: tum nec unus ſuffeciſſet, ſed pluribus habuiſſent opus. Jam de ſedili medio non capiendum, facile largior, quod ex quo crux in uſu eſſe deſiit, de illo non amplius loquantur ſcriptores: minimeque omnium, qui vixere tanto poſt Gregorium Turonenſem.

LXXXIV. Etiam Gregorii ſententiam ſecuti ſunt pictores multi, qui poſt eum, ſed ante complura ſecula vixerunt. De quo apponemus Franciſci Fevardentii verba *Notis in Irenæi lib. II. cap. XLII.* Iſtud *denique plurimum confirmant vetuſtiſſima crucifixi Domini noſtri in templis ſervatæ imagines, quas etiam eodem anno, quo hæc ſcribimus,* CIϽ IϽXCV. *multis in locis conſpeximus, cum*

 dicto

Digitized by Google

dicto ſcabellulo, in quo pedes etiamnum diſtincti ſecretique duobus clavis affiguntur. Nimirum Virduni in majori eademque vetuſtiſſima æde unam: & monaſterio, quod a divo Paulo nomen babet, alteram. Treveri ejusdem forma vidimus in majori templo duas: in æde B. Virginis, tres: Sancti Simeonis, duas: S. Paulini, unam: & S. Mariæ, alteram. Confluentiæ in templis diverſis, tres. Coloniæ Agrippinæ etiam ejusdem forma imagines, id eſt, pedibus disjunctis, atque duobus clavis in ſubjecta tabella confixis, plurimas conſpeximus. In ſummo templo, tres; ad S. Severinum, tres; ad S. Cunibertum, tres; ad S. Gereonem, unam; ad S. Vrſulam, unam; ad S. Mariam de Capitolio, unam; in cœmeterio S. Georgii, unam; ad Indulgentias, unam; ad S. Mauritium, unam; ad Clariſas, unam; in quodam Xenodochio, unam: audimusque in aliis ſacris locis tales multas ſervari: quibus ſuperior conjectura noſtra non mediocriter firmatur.

LXXXV. Adhæc ſuppedanei forma reperitur in Aringhi *Roma ſubterranea.* Nec minus in veteribus nummis obſervarunt Franciſcus Nanſius, hoc nomine etiam Scaligero in *Animadverſionibus Euſebianis* & Voſſio laudatus; item Juſtus Lipſius *Notis ad lib. II. de Cruce cap. X.* qui ectypon nummi Græcanici, qui aureus in monaſterio Laetienſi in Hannonia aſſervatus, a Dionyſio Villerio acceperat: quem eundem repræſentat Cornelius Curtius *de Clavis Dominicis cap. V.*

LXXXVI. Multorum nihilominus opinio eſt, pictorum & ſimilium de ſuppedaneo eſſe commentum. Sane nec ipſe Lipſius in libris *de Cruce* agnovit. Lipſium in eo laudat, ſequiturque Gretzerus *lib. I. de Cruce cap. XXX.* & Bellarminus *Præfat. in VII. verba CHRISTI.*

Hinc

Hinc cum eodem ſentit Jacobus Boſius *de Cruce Triumphante lib. I. cap. VI.* Theophilus Raynaudus in *Metamorphoſi latronis cap. III.* non dubitat ſcribere: *Nulla hujus fulcri & ſuſtentaculi veſtigia apparent apud Ethnicos, cruciariorum ſupplicia deſcribentes.*

LXXXVII. Interim quia non deſunt, qui pro ſtatuminando ſuppedaneo expungunt medium ſedile, eorum argumenta contemplabimur.

LXXXVIII. Dicunt in ὑποπόδιον inſiliiſſe uno pede cruciarium, ac idem indicare varias veterum loquendi formulas: uti ſunt: *Excurrere, Inſilire, Aſcendere in crucem:* cui opponatur, *Deſcendere de cruce.* Vnde etiam a Plauto fictam volunt vocem *Cruciſali,* quaſi in crucem ſalientis.

LXXXIX. Reſpondetur, iſtis loquendi formulis tantum haud ineſſe roboris, quod firmet ſuppedaneum, cum & is *Aſcendere, Inſilire, Excurrere,* præſertim Poetis, apud quos potiſſimum hæc legas, dici poſſit, qui ope aliorum id faciat. Nam *levabantur* atque *tollebantur* in crucem. Quomodo & veteres hac de re locuti ſunt.

XC. Porro ſedili medio ob quietem cruciarii fuiſſe non putant opus, quod ſatis in ſuppedaneo requieſcere potuerint.

XCI. Verum ipſa nos docet experientia, in ſtando parvam, & ad modicum temporis eſſe requiem; certe præ ea quæ ex ſeſſione capitur, longe minorem: adeo ut diutius ſtantes, modo ſint in promtu, de ſedilibus diſpiciant, aut reclinato corpore in terram procumbant. Quid igitur dixerimus de homine expanſis brachiis pendente?

Digitized by Google

XCII. Juſtini quoque verba in diſcrimen vocant, putantes per *τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ὡς κέρας* & *hypopodion* intelligi: utpote cui remoto ſedili ſuppetat locus inter ſtipitis arrectarii extremitates quomodocunque medius.

XCIII. At enim quia cruces ut plurimum humiliores erant, & vix uno atque altero pede à terra diſtabant, medium crucis occupaſſe ſuppedaneum vix ſine inſigni *καταχρήσει* affirmare licuerit.

XCIV. Atque in eodem Juſtini loco, ajunt, per *cornu* deſignari potuiſſe ὑποπόδιον, quod id fortaſſis efformaverint forma in cuſpidem exeunte, ut conjunctorum pedum reſponderet pollicibus.

XCV. Potuiſſe ita formari, ſi hoc tempus & operam voluerint impendere, non nego: at unquam ita formatum fuiſſe ſuppedaneum, quis demonſtraverit? Tabellæ largioris, vel trunci obtuſi craſſique ſpeciem ubique refert in picturis antiquioribus & ſculpturis, in acutum fere non deſinit. Et licet in una atque altera crucem cum acuto cernas ſuppedaneo, id pictorum potius curioſitati, quam rei veritati tribuendum.

XCVI. Vindicavimus Juſtinum. Nunc eandem operam Irenæo ſacrabimus. Per *unam in medio extremitatem*, uti ſupra monitum, ſedile intelligimus.

XCVII. Quidam tamen hæc itidem ad ὑποπόδιον adſtringunt, quod hoc quoque extremitate non caruerit, & quodammodo medium occupaverit locum; & cruciarius in eo habuerit quieſcere.

XCVIII. Extremitatem habuiſſe ὑποπόδιον nego; ſed in medio crucis non fuiſſe fixum, in Juſtini vindiciis diximus. Nec minus de quiete, quam nullam, aut minimam

nimam in ſuppedaneo crucifixis obtigiſſe, ſatisfactum arbitror.

IC. Vltima Irenæi verba, *Vbi requieſcit, qui clavis affigitur,* male conjungit, atque explicat Nicolaus Fullerus *Miſcellaneorum Sacror. lib. IV. cap. XII.* Non enim Irenæus dicit, ea parte, qua clavis affigitur, cruciarium quieſcere; ſed requieſcere in medio trunco. Et ſane, ſi Fulleri de quiete expoſitio locum habere poſſet, non video, cur non ad manus pari clavorum vulnere perforatas æque ſpectet iſta quies.

C. Tertullianum denique, qui ſua ex Juſtino hauſerit, non recte Juſtini mentem percepiſſe cenſent, quod τὸ ἐξέχον ἐν μέσῳ πῆγμα appellaverit *Sedile:* aut, ſi recte acceperit, per *ſedile* intelligi poſſe ſellam quandam pedum, eo quod ſedilis quandam formam habuerit.

CI. Ad prius quod attinet, Tertullianum male interpretatum Juſtini verba (modo unquam a Juſtino hauſerit, & non potius ex ſeſe ſcribat) non admittimus; quandoquidem Juſtinum non aliter, quam de ſedili medio intelligendum, perſvaſi ſimus. At ſcabellum pedum, in quo vis conjecturæ eſt poſterioris, unquam ſedile appellatum, tum credemus, cum id exemplis luculentis fuerit oſtenſum.

CII. Præterquam autem quod priſcæ Eccleſiæ Triumviros de ponte conantur dejicere ὑποποδίου patroni, etiam Nazianzenum pro ſua citánt ſententia. Hujus enim in *CHRISTO Patiente* verſus ſunt:

--- Ἥλωσαν χεῖρας
Πόδας τε καθήλωσαν ἐν πηκτῷ ξύλῳ

Quæ latine ita reddere poſſis:

Digitized by Google

Fixerunt clavis manus
Impacto ut affixere ligno ejus pedes.

CIII. Nihil jamnunc de eo dicam, quod de Auctore Tragœdiæ χριστοῦ πάσχοντος adhuc dubitetur: quamquam ſi Apollinarem habuit auctorem, eodem cum Nazianzeno vixerit ſeculo: non video cur non aſſentiam Claudio Salmaſio, cui πηκτὸν ξύλον ſtipes eſt erectus ſoloque defixus. Sane ad ſtipitem hunc arrectarium affigi ſolebant pedes, uti manus ad lignum transverſum.

CIV. Aliqui præterea neque hoc ſedile medium volunt admittere, quod CHRISTUS non ſemel in Actis Apoſtolicis in cruce non ſediſſe, ſed dicatur pependiſſe: tum tanta fuerit Judæorum ac militum contra CHRISTUM crudelitas, ut qualemcunque hanc levationem ægre ipſi conceſſiſſe videantur, quin potius cruciatum hac ratione auxerint, dum totam molem corporis ſine ullo fulcro ex teneris, nervoſis, ferroque perforatis manibus pendere permiſerint.

CV. Sed ad primum licebit forſan reſpondere, veritatem verbi κρεμᾶν cum ſedili non pugnare: quod etſi ex parte CHRISTI corpus quieverit, partim tamen pependerit: præſertim quia & alia loca in gentilium hiſtoria habentur, ubi pendere dicuntur cruciarii, licet hoc ſedile inter femina immiſſum.

CVI. Deinde non tantum ad allevandum corpus, ſed & ad majores cruciatus, præſertim in natibus ac verendis inferendos, additum, jam ſupra paucis monuimus.

CVII. Negant denique ſedili medio fuiſſe opus, (quod argumentum etiam contra ſuppedaneum pugnaverit) quia nervoſæ adeo ſint hominis manus, ut nihil peri-

Digitized by Google

periculi ſit, ne mole corporis rumpantur: ſaltem pedibus conjunctis, & clavis ad ſtipitem arrectarium affixis. Atque hoc inprimis urſit Nicolaus Fontanus Epiſt. ſingulari ad Johannem Jacobum Chifletium, qua reſpondet ad propoſitam ſibi quæſtionem, *An manus clavis transfixæ pares ferendo corpori, inde pendulo.*

CIIX. Id fortaſſe aliquid ſit in corporibus tenuibus & emaciatis: vel etiam corpulentis, quando ante Solis occaſum corpora de cruce tollerentur: ut fiebat apud Judæos. Sed apud alias gentes ratio erat diſpar, ubi non tollebant corpora de cruce, ſed cibum relinquebant alitibus, lupis item ac canibus. Cujusmodi cadavera tempore diutino ita tabeſcebant, ut neque nervi ſufficerent corpori ſuſtinendo, inprimis mole vel pondere prægravato.

CIX. Quod de Judæis dixi, haut difficulter aliquis admiſerit in CHRISTI crucifixione. Sed ut nihil dicam, CHRISTVM more Romano crucifixum, non Judaico (Judæis enim ignotum crucis ſupplicium ſupra demonſtratum ſatis) nondum ob Juſtini & Tertulliani auctoritatem, qui tum vixerunt, cum crux obtineret, ac de cruce CHRISTI certiora tradere potuerunt, quã longe poſt Gregorius Turonenſis & ſequaces, a noſtra nos patimur divelli ſententia.

CX. De imaginum abſentia, & unde illa ſit, ſatis, ut puto, ſupra actum. Addo tamen & hoc, quod ex quo cœperint cum linteo verenda obvelante pingi cruciarii, ſimul eodem hoc ſedile fuerit occultatum. Tantum de medio illo in cruce lingno: de quo primus, quod ſciam, ex Irenæo & Juſtino nos docuit ante hos annos octoginta Celſus Adornus, Theologus Novarienſis in Epiſtola

ſtola ad Johannem Talentonium, quam ipſe habet Talentonius *Rerum reconditarum lib. II. cap. XXII. & XXIII.*

CXI. Nunc a partibus & forma Crucis ad Clavos me converto, quos Gregorius Turonenſis vocat dominicos, quia iis Dominus cruci affixus.

CXII. Vulgus pictorum, imo & ſcriptorum aliqui latrones duos, quin & nonnulli Servatorem ipſum, funibus cruci alligatos repræſentant.

CXIII. Verum quod ad CHRISTVM, ſatis eos refellunt veſtigia clavorum in manibus & pedibus oſtenſa, ut non ſit neceſſe ad teſtimonia Theologorum veterum confugere: ex quibus tamen bonam manum producit Voſſius *in Harmonia.*

CXIV. Quod ad latrones, quia & hi crucifixi dicuntur ab Evangeliſtis, vox ipſa Crucifigendi ſuam vim amittit, ſi fuerint alligati, non item affixi clavis.

CXV. Interea non nego, olim etiam funibus alligatos cruci. Imo etiam vincula & clavi quandoque videntur concurriſſe: quod in CHRISTO quoque contigiſſe, quidam ex Hilario & Ambroſio probare ſatagunt. Audiamus iſtum. *lib. X. de Trinitate:* Sed *forte penduli in cruce corporis pœna, & colligantium funium violenta vincula, & adactorum clavorum cruda vulnera ſunt dolori. Et videamus, cujus corporis CHRISTVS homo ſit, ut in ſuſpenſam & nudatam, & transfoſſam carnem dolor invaſerit.* Et hunc ſuper illud Matthæi XXVII. Si Rex Iſrael eſt, deſcendat. *O ſtulte & cæce grex Sacerdotum, numquid impoſſibile erat de parvo ſtipite ligni deſcendere, qui deſcendit e cœlorum altitudine? Numquid tua vincula poſſent illum retinere, quem cœli non poſſent capere?*

CXVI.

Digitized by Google

CXVI. Neque tamen mihi id ſit vero ſimile, in illo Evangeliſtarum, ceterorumque ſcriptorum Eccleſiæ vetuſtiſſimorum ſilentio. Tum vero *Vincula* Ambroſii non minus de clavorum ſuffixione, quibus retinebatur CHRISTVS, quam de funibus, me judice, acceperis.

CXVII. De modo affigendi nunc videbimus. Vt plurimum clavis affigebantur cruci jam erectæ. Nempe in medium palum, ſive ſedile levabatur crucifigendus: haut aliter, ac aliquem a ſtratore in eqvum videmus ſublevari. Tum illum palum inſcendebat carnifex, eique inſiſtens manus cruciarii clavis ſuffigebat ligno transverſario. Qui detrahere corpus de cruce volebat, in eundem palum e media cruce eminentem inſcendebat, clavosque refigebat.

CXVIII. Hæc ſi in mentem veniſſent Juſto Lipſio, nunquam *Notis ad lib. II. de Cruce cap. VIII.* ſcalas admoviſſet cruci, nec Johan. Boiſotum id ſibi ſuggerentem admiſiſſet. Nusquam ſane ſcalarum in hoc ſupplicio meminerunt veteres: quod non omiſiſſent credo, ſi earum aliquis fuiſſet uſus. Quid igitur de pictorum licentia, quæ fere ſemper in ſcalis cruci appingendis operoſa, judicandum, patet.

CXIX. Quandoque tamen, maxime ſi ſublimior foret crux, jacentes ac ſupini affigebantur cruci exinde erigendæ. Et hoc modo CHRISTVM crucifixum volunt Laurentius Juſtinianus *Sermone de Paſſione*, Palæotus *cap. VI. de ſacra Sindone*, Franciſcus Lucas Brugenſis *in Matth. cap. XXVII. 35.*

CXX. Quia Servatoris crucem non multum elevatam cenſeo, dubium mihi relinquitur nullum, quin in CHRISTO obtinuerit conſuetudo receptior, quod prius

Digitized by Google

nuda crux infixa humo, ac deinde crucifigendus in eam ſit ſublatus. Et ſic quoque legas in Brigittæ *Viſionibus lib. IV. cap. LXX. Erat crux fixa, & brachia ejus elevata.* Quæ vero ſeqvuntur curioſa magis ſunt, quam vera. *Ad crucem igitur juſſus dorſum vertit. Et manum poſtulatus, primo dexteram extendit. Et inde alia manus ad reliqvum cornu non attingens, diſtenditur.* Perinde ac iſta Godefridi Lithei *Sacrar. Veſpertin. conc. XXXIII.* ubi notat, *alios dextram tamdiu tendiſſe, donec clavi loco ſeſe accommodarent, imo ſæpius ob molle ſubjectum mallei ictum fuiſſe illuſum.* Vlterius etiam progreſſus Jeſuita Xavierus hanc extenſionem tam graphice cum ſingulis circumſtantiis deſcribit, ac ſi eam oculis ipſe uſurpaſſet. Audiemus hominem: *Cum eo devenerunt, crucem in terram poſuerunt, eumque denudarunt, & veſtem a corpore exuerunt. —— Deinde manum dextram ſuper unum lignum crucis ponentes, clavum ferreum per volam adegerunt, & in cruce pro ratione cujusque manus & pedis ejus foramina fecerunt, ut clavos infigerent. Quandoquidem cum manui dextræ clavum infixiſſent, venæ ex effluxu ſanguinis arefactæ fuerunt, & contractiores factæ, cumque vellent per aliam etiam manum ferire, hæc manus contractionem fecerat, & illud foramen non pertingebat. Summa itaque vi eam trahentes effecerunt, ut ad illud foramen pertingeret, & clavum ferierunt, ſimiliter pedem ſupra pedem ponentes clavum infixerunt. --- Tum crucem ſurſum elevarunt, e manu ſua dimiſerunt, ut in loco ſuo firma conſiſteret, tota crux concuſſa fuit, & vulnera majora facta ſunt.*

CXXI. Sanctiſſimus ille cruciarius manus carnificibus ſponte figendas præbuit, ut non tantum pro Ada-

mi

mi peccato, qui manum ſuam ad arborem vetitam extendens in omnes homines derivarat mortem, exaſſe ſatisfaceret, ſed & omnes qui acerbiſſimam hanc paſſionem vera fide amplectuntur ad cœlum manuduceret.

CXXII. Pulchre & pie Athanaſius περὶ ἐνανθρωπήσεως τοῦ λόγου *ad Macarium:* ἐν μόνῳ τῷ σταυρῷ ἐκπεταμέναις χερσί τις ἀποθνήσκει. διὸ καὶ τοῦτο ἔπρεπεν ὑπομεῖναι τὸν κύριον, καὶ τὰς χεῖρας ἐκτεῖναι, ἵνα τῇ μὲν τὸν παλαιὸν λαὸν, τῇ δὲ τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἑλκύσῃ, καὶ ἀμφοτέρους ἐν ἑαυτῷ συνάψῃ. *In ſola cruce extenſis manibus homo moritur. Atque ideo hoc ſupplicium Dominum ſubire par erat: ut hac quidem veterem populum, illa vero gentiles attraheret, & utroſque in ſemetipſo conjungeret.*

CXXIII. Manus pedesque CHRISTI clavis transfixos, nemo dubitat: ſed remanet controverſia, de manibus quidem, qua parte perforati; de pedibus vero, utrum altero alteri impoſito, pes uterque uno transmiſſus ſit clavo; an uterque ſeorſim fuerit trajectus.

CXXIV. De priori ambigunt, num דויר *Hir* ſivo *vola*, hoc eſt, medium manus fuerit trajectum; an vero vel carpus, qui inter brachium & manum, vel proximum carpo, metacarpium.

CXXV. Poſterius nonnulli probant, eo quod laxius accipiatur manus, ut carpum comprehendat. Ac cenſent, ſic potius capi Scripturas oportere, quia carpus firmior ſit vola ad ſuſtinendum pondus corporis.

CXXVI. Hoc modo CHRISTVM Antverpiæ pinxerat Petrus Paulus Rubenius, vir non a penicillo tantum, ſed excellenti quoque eruditione notus. At quia pictura in templo & illuſtri loco collocanda, ob picturæ novitatem turbavit quorundam animos; qui idcirco li-

Digitized by Google

tem ei moverunt. In his fuit Caramuel Lobkovvitzius, Abbas Diſenbergenſis & Melroſenſis: ut ipſe ſcribit ad Bartoldum Nihuſium literis anno cIↄIↄcXLIV. VIII. Junii datis: & in alia ad Nihuſium epiſtola anno XLIII. perſcripta ejus rei meminit Johannes Bollandus.

CXXVII. Et non injuria reprehenſus eſt Rubenius. Caret enim veterum & ſcriptorum & pictorum fide: niſi quod in *Roma ſubterranea*, a Jani Nicii Erythræi fratre reperta ex ære ſit icuncula, in qua CHRISTI non vola, ſed carpus clavis conſpicitur trajectus.

CXXVIII. Quod ad prius argumentum de laxa in Scripturis ſacris ſignificatione manus, aſſenſum nullum meretur: cum ſacris Evangelicæ hiſtoriæ conditoribus adeo inſolens ampla hæc manuum notio, ut ſi per omnia, exempla eas, vix unicum invenias, quod non extremæ parti vola digitisque comprehenſæ faveat. Carpum præ vola firmiorem ſi largiremur, non tamen concedere poſſemus ejusdem transfixionem. Nam hæc præcipue obſtat ratio, quod ob arteriarum, venarum, tendinumq; uberiorem concurſum, quæ in vola latius diſperguntur, citiſſime CHRISTO mortem acceleraſſet hæc transfosſio.

CXXIX. Pro vola igitur manus Theologorum pugnant plurimi, eoque Zachariæ effatum trahunt *cap. XIII.* v. 6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum:* ut vulgata habet translatio: ſive, ut in aliis: *Quid ſunt plagæ iſtæ inter manus tuas?* uti ad verbum ſonant Hebræa.

CXXX. Tum etiam pro ea ſuffragium ferunt antiquiſſimi pictores, ſtatuarii, ſculptores, ad unum ferme omnes; & accedit unanimis prope conſenſus Eccleſiæ Chriſtianæ.

Digitized by Google

CXXXI. Curioſior fortaſſis illla quæſtio, an recta, an obliqua fuerint vulnerum foramina. Repertus tamen eſt, qui pro his adeo militavit, ut etiam per feneſtras in templo Salomonis præfigurata ſcripſerit.

CXXXII. Vt ad pedes veniamus, de iisdem quæritur: utrum CHRISTVS cruribus divaricatis, ac pedibus disjunctis pependerit, eoque pedes ſinguli ſeorſim fuerint transfixi clavis; an uno clavo pes uterque, quod unus alteri impoſitus.

CXXXIII. Antiquiores imagines ſingulis clavis ſingulos pedes transfixos repræſentant. Nec aliter ſentiunt Cyprianus (ſi is eſt auctor libelli *de Paſſione Domini*) Ruffinus, Gregorius Turonenſis, alii. Verbis Gregorii *lib. I.* de Gloria Martyrum nihil eſt apertius. Poſtquam enim narraſſet, clavos Dominicos ab Helena repertos, ſubjicit: *Clavorum Dominicorum gratia, quod quatuor fuerint, hac eſt ratio. Duo ſunt affixi in palmis, & duo in plantis.* Itemque Innocentii Papæ *Serm. de uno martyre:* Fuerunt *clavi quatuor, quibus manus confixæ ſunt, & pedes affixi.* Nec aliter Brigitta lib. IV. cap. LXX. *Pervento ad locum crucifixionis; & ecce malleus, & quatuor clavi acuti in promtu ſunt.* Et paucis interjectis: *Pedes ſimiliter ad foramina ſua diſtenduntur, cancellatique & quaſi infra a tibiis diſtincti, duobus clavis ad crucis ſtipitem per ſolidum os ſicut & manus erant, configuntur.* Et lib. *Extrav. Revelat. cap. II.* Pedes *deorſum tracti & duobus clavis perfoſſi.* Et rurſus *lib. VII. cap. XVIII. Deinde extenſo corpore ultra modum in cruce poſita fuit una tibia ejus ſuper aliam, & ſic junctos pedes adfixerunt in cruce duobus.*

Digitized by Google

CXXXIV. Ac is quidem Romanus erat mos: & liquido teſtatur Plauti locus in Moſtellaria:

Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:
Sed ea lege, ut affigantur bis pedes, bis brachia.

CXXXV. Pro utroque numero clavorum rationes & conjecturas colligunt Alphonſus Palæotus *de CHRISTI ſtigmatibus cap. XIX.* & Daniel Mallonius *Notis in illud caput.* At conjecturas Mallonii pro ternario numero refutat Cornelius Curtius libro ſingulari *de Clavis Dominicis cap. III.* ac pro quaternario numero pugnant porro Joſephus Scaliger *Animadvers ad Euſebiũ,* Richardus Montacutius *Originum Eccleſiaſticarum Tom. I. parte poſter.* §. *181.* Contra Franciſcus Collius *lib. III. de Sangvine CHRISTI cap. III.* probabiliorem illorum opinionem judicat, qui tribus, quam qui quatuor clavis CHRISTVM cruci affixum volunt. Atque in hanc ſententiam concedunt ex noſtris B. Johannes Hulſemannus in *Pentagono CHRISTI,* e Pontificiis Lipſius *l. II. de Cruce c. IX.* Baronius *ad an. XXXIV. n. CXIV.*

CXXXVI. Clavos non præacutos, ſed obtuſiores quidam faciunt, ut cruciatus eo eſſet gravior, quo perfoſſio erat difficilior. Sed compages manuum ac pedum non admittit fiſſuram, niſi ſint clavi acutiſſimi.

CXXXVII. Antiquarii Eccleſiaſtici clavos fingunt pollicali craſſitie. Brigitta *Revelat. lib. II. c. XXI.* adeo fuiſſe longos obſervat, ut ultra ſtipitem crucis protenderent.

CXXXIIX. Craſſos ſane fuiſſe ex Evangelica hiſtoria apparet: ſi quidem adeo ampliata fuerunt vulnera, ut S. Thomas digitum cicatricibus potuerit inſerere.

CXXXIX. Et de hac atroci clavorum fixione vaticinatus

tus David Pſalmo *XXII.* v. 17. inquit: *Foderunt manus meas & pedes meos.* In Hebræo eſt כארי ubi י pro ו poſitum juxta Marcum Marinum aliosque nonnullos ipſa clavorum ſtigmata denotare creditur.

CXL. Bonaventura & Landſpergius *Homil. XLI. de Paſſ. Domini* tradunt clavos XXXVI. ictibus omni vi collecta in CHRISTI pedes adactos eſſe. Qua de re tamen nihil certi affirmare cuiquam eſt integrum.

CXLI. Atque hæc de cruce & clavis ratione temporis, quo CHRISTVS & Apoſtoli fuere. Coronidis vice ſubjungemus, quæ pertinent ad tempora trecentis quaſi annis ſubſecuta, quando creditur crucem eam reperiſſe Helena.

CXLII. Quamvis autem valde nobis ſuſpecta videatur (id quod jam ſupra monitum) omnis quæ de inventione crucis circumfertur hiſtoria, non pigrabimur tamen eandem verbis Ambroſii repetere ex Concione *in obitu Theodoſii Imp.* Conſtantino *licet baptiſmatis gratia in ultimis conſtituto omnia peccata dimiſerit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & poſt ſe hæreditatem fidei Principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, cujus temporibus completum eſt illud Propheticum: In illo die erit, quod ſuper frænum equi eſt, ſanctum Domino omnipotenti.* (Zachar. XIV.) *Quod illa ſanctæ memoriæ Helena mater ejus infuſo ſibi Dei ſpiritu revelavit. Beatus Conſtantinus tali parente, quæ imperanti filio divini muneris quæſivit auxilium, quo inter prælia quoque tutus aſſiſteret, & periculum non timeret. Magna fœmina, quæ multo amplius invenit, quod Imperatori conferret, quam quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani ceſſerat, feſtinavit Hieroſolymam, & ſcru-*

Digitized by Google

ſcrutata eſt locum Dominicæ paſſionis. Stabulariam hanc primo fuiſſe aſſerunt, ſic cognitam Conſtantino ſeniori, qui poſtea regnum adeptus eſt. Bona ſtabularia, quæ tam diligenter præſepe Domini requiſivit. Bona ſtabularia, quæ ſtabularium non ignoravit illum, qui vulnera curavit a latronibus vulnerari. Bona ſtabularia, quæ maluit æſtimari ſtercora, ut CHRISTVM lucrifaceret. ---- Venit ergo Helena, cœpit reviſere loca ſancta, infudit ei Spiritus, ut lignum crucis requireret. Acceſſit ad Golgatham, & ait: Ecce locus pugnæ, ubi eſt victoria? Quæro vexillum ſalutis, & non invenio. Ego, inquit, in regnis, & crux Domini in pulvere? Ego in aulis, & in ruinis CHRISTI triumphus? Ille adhuc latet, & palma vitæ æternæ. Quomodo me redemtam arbitror, ſi redemtio ipſa non cernitur. Video, quid egeris, diabole, ut gladius, quo peremtus es, obſtrueretur. Sed Iſaac obſtructos ab alienigenis puteos eruderavit, nec latere aquam paſſus eſt. Tollatur igitur ruina, ut vita appareat. Promatur gladius, quo veri Goliæ caput eſt amputatum. Aperiatur humus, ut ſalus fulgeat. ---- Aperuit itaque humum, decutit pulverem: tria patibula confuſa reperit, quæ ruina contexerat, inimicus abſconderat. Sed non potuit obliterari CHRISTI triumphus. Incerto hæret ut mulier, ſed certam indaginem S. Spiritus inſpirat, eo quod duo latrones cum Domino crucifixi fuerint. Quærit ergo medium lignum. Sed poterat fieri, ut patibula inter ſe ruina confunderet, caſus mutaret, & inverteret. Redit ad Evangelii lectionem, invenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat: JESVS Nazarenus Rex Judæorum. Hinc collecta eſt ſeries veritatis, titulo crux patuit ſalutaris. Hoc eſt, quod petentibus Judæis Pilatus reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi: id

eſt,

Digitized by Google

eſt, non ea ſcripſi, quæ vobis placerent, ſed quæ ætas futura cognoſceret: non vobis ſcripſi, ſed poſteritati, propemodum dicens: Habeat Helena, quæ legat, unde crucem Domini recognoſcat. Invenit ergo titulum, Regem adoravit, non lignum utique: quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum: ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo: illum, inquam, qui ſicut ſcarabæus clamavit, ut perſecutoribus ſuis peccata donaret.

CXLIII. Ecce! per titulum agnitam CHRISTI crucem affirmat Ambroſius. Sed alii rem miraculo augent, ac ſi triga crucium impoſita fuerit homini mortuo, qui ad tactum crucis CHRISTI revixerit, eoque experimento veritatem ejus comprobaverit. Pluribus hoc miraculum inculcat Paulinus Epiſcopus Nolanus *Epiſt. XI. ad Severum*, cujus narrationem itidem afferemus. *In hiſtoria Crucis accipite magnum & vere divinum miraculum. Regina illa venerabilis, ut venit Hieroſolymam, diligenter & pie locis illis & circa omnibus, divinorum curioſa inſignium, & oculis haurire geſtiens fidem, quam piis auribus literisque perceperat, Crucem Domini ſtudioſiſſime inquirere adorſa eſt. Sed quæ via vel ratio inveniendi ſubeſſet, cum index idoneus nemo inveniri poſſet, ubi memoriam & curam religioſæ conſcientiæ vel obſervantiæ, & antiquitas ævi, & ſuperſtitionis impiæ diuturnitas abolevisſet? Verum ipſo omnium & terris & animis opertorum conſcio & teſte Deo, fidelis mulier Sanctum Spiritum per affectum pium meruit: quo aſpirante, cum rem ab humana conſcientia divinitus remotam, fruſtra diligens requiſiiſſet, de loco tantum paſſionis certior fieri ſtuduit. Itaque non ſolum de Chriſtianis doctrina & ſanctitate plenos viros, ſed & de Judæis peritiſſimos, ut propriæ (qua miſeri*

& gloriantur) impietatis indices exquiſivit, & accitos in Jeroſolymam congregavit. Tum omnium una de loco teſtificationis confirmata, juſſit illico, urgente ſine dubio conceptæ revelationis inſtinctu, in ipſum locum operam foſſionis accingi, paratàque mox civium pariter & militari manu, brevi laborem iſtius molitionis hauſit; & contra ſpem omnium, ſed ſecundum ipſius tantum Reginæ fidem, alta egeſtione reſeratis terræ ſinibus, abdita crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino & latronibus ſteterant, repertæ fuiſſent; gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi juſto piorum metu, ne forſitan aut pro Cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut ſalutare lignum pro ſtipite latronis abjiciendo violarent. Reſpexit pias fideliter æſtuantium curas Dominus, & ipſi potiſſimum, quæ tam piæ ſolicitudinis princeps erat, hujus conſilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri & inferri juberet. Nec mora, verbum factum, cadaver illatum eſt: deponitur, jacenti una de crucibus admovetur, & altera: ſed reorum ligna mors ſprevit. Poſtremo Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum morte profuga funus excuſſum, & corpus erectum eſt; tremefactisque viventibus ſtetit mortuus; & funebrib. ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter ſpectatores ſuos redivivus inceſſit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Judæis in tempore paſſionis abſcondita, neque gentibus in ædificatione fani terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus revelata, nonne divina manu latuit, ut nunc inveniretur, cum religioſe quæreretur?

CXLIV. Quomodocunque jam cum Cruce illa fuerit comparatum, ſummo certe habita honore, ac proceden-

cedente tempore culta ſuperſtitioſe: præſertim cum vulgi non modo, ſed & prudentiorum animis inſtillata opinio, quaſi detrimentum non ſentiret lignum, licet hinc & inde diſtribuerentur particulæ. Idem id laudata epiſtola teſtatur Paulinus, verbis ſequentibus: *Vt Crucem CHRISTI decuit, experimento reſurrectionis inventa & probata Crux CHRISTI eſt; dignoque mox ambitu conſecratur, condita in paſſionis loco baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano poſitam ſacrario Crucem ſervat; quam Epiſcopus urbis ejus quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa, quæ Sacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne profertur, niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui hac tantum cauſa illo peregninati advenerint, ut ſibi ejus revelatio quaſi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur. Quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt: cujus & tantum munere de eadem Cruce hæc minuta ſacri ligni ad magnam fidei & benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidem crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pœne quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividuam ſumentibus, & ſemper totam venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem & indetriblem ſoliditatem de illius profecto carnis ſangvine bibit, quæ paſſa mortem non vidit corruptionem.* Ex hac Crucis multiplicatione & diſperſione, quæ tamen ſemper integra maneret, CHRISTI divinitatem colligere videtur Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. X. *Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τοῦ σταυροῦ μαρτυρεῖ μέχρι*

σήμερον παρ' ἡμῖν φαινόμενον, καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ αὐτοῦ λαμβανόντων, ἐντεῦθεν τὴν οἰκουμένην πᾶσαν σχεδὸν ἤδη ἐπλήρωσαν. *Lignum crucis CHRISTUM teſtatur, ad hodiernam diem apud nos apparens; & apud eos qui ſecundum fidem ex illo hinc capientes, univerſum orbem fere jam repleverunt.*

CXLV. Manſit Hieroſolymis credita hæc CHRISTI crux in ſeculum usque VII. quo Phoca imperante, Coſroes Perſarum Rex occupatis his provinciis, crucem in Perſidem deportavit. Paulus Diaconus *de geſtis Longobardorum lib. IV. cap. XXXVII. Perſæ quoque adverſus Rempubl. graviſſima bella gerentes, multas Romanorum provincias, & ipſam Hieroſolymam auferunt, & deſtruentes Eccleſias ſancta quoque profanantes, inter ornamenta locorum ſanctorum, etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt.* Iisdem verbis utitur Marianus Scotus *lib. II. ætat. VI. ad ann. IↃCXI.* Gvilielmus Tyrius *Hiſtor. Belli Sacri lib. I. c. II.* Cosdroe *Syriam violenter ingreſſus, urbes dejecerat, vel incenderat, ſuburbanaſque Eccleſias ſubvertens, populum captivaverat: & urbe ſancta effracta, hoſtiliter in ea triginta ſex civium millia gladio perimens, crucem Dominicam & loci ejusdem Epiſcopum Zachariam, cum reſiduo populi tam urbis, quam regionis univerſæ ſecum transtulit in Perſidem.* Zonaras *Annal. Tom. III.* in hiſtoria Heraclii: *Quum Choſroes omnia prædaretur & deleret, & Palæſtina ſubacta Hieroſolyma quoque expugnaſſet, fertur infinita Chriſtianorum multitudo eſſe interfecta. --- Patriarcham autem ſanctæ urbis, & precioſa Crucis ligna Perſæ domum ſecum aſportarunt.* Confer Hermannum Contractum ad ann. DCX. & Sigebertum ad ann. DCXVII.

CXLVI.

Digitized by Google

CXLVI. At non diu poſt Heraclius ingenti victoria potitus, hoſtem compulit reddere ademtas provincias,& crucem recepit,quam Hieroſolymam referens novum Exaltationis Crucis feſtum propterea inſtituit. Regino Prumienſis Chronic. lib. I. Heraclius *adverſus Perſas bellum aggreſſus, occiſo Choſroe Rege eorum, Perſas in deditionem accepit, & lignum Sanctæ crucis Hieroſolymæ, unde ſublatum fuerat, cum magna veneratione reſtituit.* Hermannus Contractus an. IↃCXIX. His *temporibus Heraclius Coſdroem Regem Perſarum, qui ſe ut Deum coli juſſit, ſuperavit, & lignum Dominicæ crucis Hieroſolymam reduxit.* Zonaras l. l. *Syroes regno Perſarum potitus, legatos ad Heraclium mittit, Choſroæ interitum illi nuncians, paceq; facta omnes Romanos captivos dimittit, & venerabilia ligna ſalutaris Crucis, & Patriarcham Hieroſolymitanum Zachariam illi reſtituit.* Fabuloſa quadamtenus videtur Sigeberti narratio ad ann. IↃCXXXI. *Heraclius Imperator devicta Perſide Zachariam Patriarcham cum captivorum populo Hieruſalem reducit: & ſanctam crucem Domini reportans, cum regio ſchemate ornatus portam vellet intrare, per quam JESVS ad crucem ſubeundam exivit, porta divinitus clauſa eſt, eique rurſum admonitu angeli humiliato & diſcalceato porta ultro aperta eſt, & ita cruce relata celebritatem exaltationis ejus annuatim dedicavit.* Magis tamen eam incruſtat Auctor Compilationis Chronologicæ ad ann. IↃCXXII. *Iſte Heraclius Imperator XII. Imperii ſui anno, cum multa militia per ſex annos regnum Perſarum vaſtavit, occiſo Rege Coſdroe Perſidis, & occiſo filio ejus ſingulari certamine in lapideo ponte Danubii, vivificæ crucis lignum in Hieruſalem reduxit; quod Coſdroes ſpoliato templo cum multis theſauris aſportaverat.*

Digitized by Google

Hic Heraclius quando intrare voluit Hieruſalem, portans crucem Domini cum triumpho victoriæ, & cum magnifica gloria, angelus Domini concluſit ante eum portam civitatis, dicens ei, Rex cœlorum humilis hic intravit. Qui erubeſcens, depoſitis inſignibus imperialibus, & relicta pompa, venit nudatis pedibus, humiliter incedens (angelus namque patefacta porta intromiſit eum) cum omnibus exercitibus ſuis: ſicque Heraclius reportavit crucem Domini cum magna veneratione in templum. Idem paucis interjectis: *Heraclius Imp. victo Coſdroe Rege Perſarum crucem Domini in Hieruſalem reduxit. Sub hoc Papa Honorio inſtitutum eſt feſtum Exaltationis ſanctæ Crucis.*

CXLVII. Creſcebat interim Saracenorum potentia, felicibus Abubeceri auſpiciis ita aucta, ut Heraclius rebus deſperatis Syriam relinquere neceſſum haberet. Ac tum, ſi Cedreno fides, Heraclius quoque S. Crucis lignum Hieroſolymis Conſtantinopolin transtulit. Verba Cedreni latine facta ſic habent: *Heraclius rebus deſperatis Syriam deſerit: ſublatisque Hieroſolymis venerabilibus lignis, Conſtantinopolim abit.* Sigebertus ad ann. IↃCXXXV. *Sarracenis Syriam infeſtantibus, Heraclius crucem ſanctam Domini ab Hieruſalem Conſtantinopolim transtulit.*

CXLVIII. Quid tum de Cruce factum, non habeo affirmare. Wilhelmus Tyrius *Belli Sacri lib. IX. cap. IV.* refert, quomodo pars ſanctæ Crucis poſt receptam ſeculo X. Hieroſolymam fuerit reperta, magnaque religione habita. *Per idem tempus* inquit, *inventa eſt in parte ſanctæ reſurrectionis Eccleſiæ, ſeorſum portio una Crucis Dominicæ: quam ob metum gentilium, quorum jugum patiebantur fideles, ad ampliorem cautelam, multo ante, pau-*

cis

tis admiſſis, occultaverant. Hanc ſtudio & opera cujuſdam hominis Syri, qui ejus tam precioſi depoſiti fuerat conſcius, repertam, theca reconditam argentea, primum ad Domini ſepulchrum, deinde ad templum Domini, cum hymnis & canticis ſpiritualibus deportantes eam univerſo clero & populo, conſolationem quaſi de cœlo miſſam omnes in commune acceperunt, arbitrantes ſe laborum & moleſtiarum ſuarum mercedem condignam recepiſſe.

CXLIX. Illorum temporum ſuperſtitio auxit qualeſcunque has reliquias, aut novam Crucem ſubſtituit. Poſtquam enim ſeculi XII. anno ſeptimo & octogeſimo Hieroſolyma Saladino dedita, crucem ludibrio habitam reperio. Sic enim Arnoldus *Chronici Slavorum lib. III. cap. XXVI.* Crucem *Domini a ſuis apparitoribus tractari præcepit, dicens: Crucem captivam, in qua habetis fiduciam, ſimiliter concaptivi adorate, donec experiar virtutem Dei veſtri, ſi vere poſſit eruere vos de manibus meis.* Albertus Stadenſis ad annum Domini CIƆCLXXXVIII. notat, *Crucem Domini aſportatam eſſe Damaſcum.*

CL. Ex his jam facile fuerit judicare, quid de reliquiis illis ſanctæ Crucis ſentiendum, quas paſſim jactant Pontificii. Sane una Roma vel ſexaginta numerat templa, quæ ſingula ſe aliquid habere hujus Crucis jactitant: nec mirum eſt per alias quoque regiones tantam lignorum farraginem monſtrari, quæ vel centum crucibus ſufficeret, cum repertus ſit non nemo ſacrificulus, qui miraculoſum ligni augmentum, perinde ac quinque panum hordeaceorum aſſerere auſus ſit.

CLI. Non autem felices æſtimamus, qui hujus quantumvis veræ crucis particulas habuerint. Is demum vel Hieronymo judice in Pſalm. XCV. felix *qui crucem,*

&

& Reſurrectionis & locum Nativitatis & Aſcenſionis CHRISTI portat in pectore ſuo.

CLII. Atque hæc de ipſa Cruce dicta ſunto. Ad clavos CHRISTI regredimur. De quibus, quid inventa cruce factum, exponit Rufinus *Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. VIII.* Clavos *quoque quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat* (Helena) *ad filium. Ex quibus ille frenos compoſuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe.* Vbi quotuor agnoſcit clavos: quod & facit Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. XVIII.* De duobus aſſentit Ambroſius laudata oratione in obitum Theodoſii Imp. cujus verba repeto: *Quæſivit clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas crucis redemtionis divinæ gemma connecteret. Miſit & frænum. Vtroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem transmiſit ad poſteros Reges.* Atque item Gregorius Turonenſis *de Gloria Martyrum lib. I.* ſed de aliis duobus paulo aliter. Sic enim ſcribit: *Quæritur etiam, quid his clavis fuerit factum. Duo ſunt, quos ſupra diximus aptatos in fræno; tertius projectus in fretum: quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini.*

CLIII. Cur autem fræno inſerti? Cauſam addit Gregorius. *Quo facilius, ſi adverſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur.* Nec dubitat dicere, Zachariam de hoc vaticinatum verbis iſtis: *Erit, quod in equum ponitur, ſanctum Domini:* ubi Græca habent cap. XIV. 20. καὶ ἔςαι τὸ ἐπὶ τῷ χαλινῷ τοῦ ἵππου ἅγιον τῷ κυρίῳ

παν-

παντοκράτορι. *Atque erit hoc in freno equi ſanctum Domino omnipotenti.* Nēc aliter jampridem Theodoretus d. l. Ac tangit quoque Ambroſius ſequentibus verbis: *Principium credentium Imperatorum ſanctum eſt quod ſuper frenum.*

CLIV. Veruntamen majoris hoc auctoritatis foret, niſi pro *freno equi* Hebraice foret *tintinnabulis*: illis nempe, quæ collis equorum appendebantur, ac Græcis dicebantur κώδωνες. Vnde & Hieronymus *ridiculam* illam cenſet interpretationem. *Audivi*, inquit, *a quodam rem ſenſu quidem pio dictam, ſed ridiculam: Clavos Dominicæ Crucis, e quibus Conſtantinus Auguſtus frenos equo ſuo fecerit, Sanctum Domini appellari.*

CLV. Clavorum iſtorum magnam eſſe virtutem comprobat poſtea Gregorius eo, quod Juſtinus Imperator *a mago quodam illuſus, propter pecuniam expertus eſt, ac ſuis omnibus patefecit.*

CLVI. De tertio clavo in fretum ab Helena projecto, ſic rem paulo plenius narrat Gregorius: *Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demerſio hominum, ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida Regina, condolens excidia miſerorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus, confiſa de Domini miſericordia, quod ſævas fluctuum commotiones facile poſſet opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præſtantur. Vnde usque hodie ſanctificatum mare venerantur, cum ingreſſi fuerint, jejuniis; orationibusque & Pſalterio vacant.*

CLVII. De quarto Clavo ſic ſcribit: *Aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini: quæ civitate, ut*

 ajunt,

ajunt, tota excelſior eſſe ſuſpicitur: ſcilicet ut tota, cui eminet, ſalutis quodammodo galea coronata eſt. Zonaras (modo recte ſe habuerit verſio) plures clavos ſtatuæ infixos memorat. *Divinus Imperator* inquit, *ſuum illi nomen indidit, clavis quibusdam capiti inſertis, qui corpus Domini ſalutifera cruci affixerant.*

CLVIII. Non immerito autem miratur Salmaſius, quomodo clavi Crucis CHRISTI potuerint dignoſci ab illis, qui fixi fuerunt in cruce utraque latronum. Neque enim cruci inhærere potuerunt, quia, ut tollerentur crucifixi, neceſſe fuit extrahi, inque terram conjici. Quis enim credat clavos quosque, iis locis unde prius fuerant exemti, iterum inſertos?

CLIX. Quamobrem Simeonis Metaphraſtæ, quem Baronius in *Annalibus* ſequitur, opinio eſt, cum CHRISTVS eſſet ſepeliendus, B. Virginem hoſce clavos e corpore filii exemiſſe, & in ſinu ſuo collegiſſe. Quod ſi foret, longe veriſimilius eſſet, clavos a piis aſſervatos, quam annis prope trecentis poſtea ſub terra eſſe repertos ab Helena magni Conſtantini matre.

CLX. Sive jam triga, ſive quadriga fuerit clavorum, quibus cruci CHRISTVS eſt affixus, magnam certe nobis peperit clavorum congeriem. Vnus eorum ab Helena dicitur transmiſſus Romam in Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem, hodieque illic aſſervari ait Franciſcus Maurolycus in *Topographia ſanctarum reliquiarum.* Nec aliter Chriſtianus Adrichomius in *Deſcriptione Hieroſolymorum num CCXLII.* Deinde Mantuani unum clavorum oſtentant. Mediolani quoque clavus ſumma in veneratione eſt. Clavus pedis dextri Treveris aſſervari dicitur. Alium Anconitani, alium Pariſienſes, in cœnobio

bio Dionyſiano, alium Colonienſes, in templo trium Mariarum, atque item alium Senenſes poſſidere feruntur. Inter Imperii quoque Inſignia Noribergæ quæ aſſervantur *Clavus unus* habetur, *quo manus CHRISTI cruci affixa:* ut eſt in Bulla Martini V. quamvis alii *Clavos* memorent. Imo Calvinus in tractatu *de Papiſtarum reliquiis*, quem Jacobus Eiſenberg in vernaculam tranſtulit, quatuordecim clavos paſſim monſtrari ſolitos numerat.

CLXI. Quis igitur non intelligit hos clavos tantopere auctos clamare impoſturam? Baronius quidem ab ea liberare contendit hac ſubtilitate, quod *aliquis fortasſe clavus inter ſacras reliquias alicubi aſſervetur, quo myſtica membra CHRISTI, nempe Martyr quispiam confixus, atque idem unus ex ipſis CHRISTI clavis fuerit exiſtimatus.* Et alia Corn. Curtius *de Clavis Dominicis cap. VI.* Non *eſt in toto Chriſtiano orbe angulus aliquis, qui extra tres urbes Romam, Mediolanum, & Treviros, Clavum Dominicum ſibi vendicet, aut venditet. In aliis forſitan erit aliquis, qui a clavorum Dominicorum attactu ſacer, & in honore erit; alius propter incluſam ſibi particulam pretium apud populum faciet; alius denique quia prototypo ſeu vero clavo ſimilis eſt, venerationem merebitur.*

CLXII. Sed valde dubito, has diſtinctiones ut admiſerint, quæ de his clavis adeo triumphant Eccleſiæ: quandoquidem multum ſic deceſſerit eorum ſanctitati. Tum etiam vereor, ut nec martyrum, nec CHRISTI ſint clavi, ſed utroſque mentiantur ad fucum faciendum olim fabricati.

CLXIII. Obſervationem denique meretur noſtram, quod in inſignibus Ducum Holſatiæ, ac plerarumque ci-

vitatum Holſaticarum urticæ folium clavis diſtinctum reperiatur. Poſtquam enim Adolphus III. Schovvenburgicus & Holſatiæ Comes iterata vice in Palæſtinam profectus, & Hieroſolymis Eques auratus a primoribus Eccleſiaſticis, creatus eſt, eorundem hortatu avita inſignia aliqua acceſſione auxit, & urticæ folio tres clavos adjecit, quos in paſſione CHRISTI adhibitos credidit antiquitas, & galeæ coronam e ſpinis contextam impoſuit.

CLXIV. Quia de forma Crucis & clavis abunde videor dixiſſe, venio ad illud, quam ad mundi plagam vultum CHRISTVS direxerit, dum in cruce penderet, deque ritibus, qui inde fluxerunt.

CLXV. Vetus eſt traditio CHRISTVM, cum crucifigeretur, occidentem ſpectaſſe. Meminerunt ejus rei Hieronymus in *Marci cap. XV.* Sedulius *lib. IV.* Beda *in Lucam.* Germanus in Theoria *rerum Eccleſiaſticarum.* Johannes Damaſcenus *lib. IV. de Orthodoxa fide c. XIII.* cujus commentator in hanc ſententiam ſic ſcribit: *Sicut Judæi CHRISTVM extra portam ejecerunt, ut crucifigerent, tanquam malefactorem, & indignum, quem urbs ipſa contineret: ita & facie verſa ad oppoſitam urbi partem eosdem ipſum crucifixiſſe ſatis veritati conſentaneum videtur, tanquam minus dignum, qui urbem contueretur. Quare facie ad Occidentem converſa crucifixus eſt.*

CLXVI. Eandem ob cauſam factum procul dubio, quod in pleriſque Eccleſiis imago crucifixi CHRISTI ad Occidentem vergat. Pergit laudatus Auctor: *Et hinc, ut conjectare licet, in templis & baſilicis noſtris Dominus noſter figuratur ad Occidentem crucifixus.*

CLXVII. Etiam hinc ritus alter oriundus, ut precantes

tes Chriſtiani veteres reſpicerent orientem. Id quod memorant Clemens Romanus *lib. II. Conſtitut. Apoſtol. cap. LVII.* Juſtinus *lib. Quæſtion. ad Orthodoxos, quæſt. CXVIII.* Clemens Alexandrinus *lib. IV. Stromatum,* Tertullianus *adverſus Valentinianos* , Origenes *homil. III. in Numer.* Baſilius *lib. de Spiritu*, Damaſcenus *d. l.* quos laudo fide Voſſii *Harmoniæ lib. II. cap. VII.* Damaſceni commentatorem denuo audiemus : *Quem* CHRISTVM crucifixum) *ubi primum templa ſubimus, oculis noſtris objectum cernentes, proni, facie ad ipſum converſa, Orientem verſus CHRISTVM adoramus.*

CLXVIII. Quia autem CHRISTVS expanſis manibus in cruce Occidentem ſpectabat : eo in baptiſmo quoque baptizandus ſic ſtatuebatur , ut expanſis in formam crucis manibus terque quaterque dæmonem exſufflans, ſpectaret Occidentem. Hunc ritum cognoſcere eſt ex Dionyſio Areopagita. *lib. de cœleſti Hierarchia, cap. II.*

CLXIX. Reſtat, ut de illa agamus quæſtione, cur CHRISTVS potius cruci ſit adfixus, quam alio ſupplicii genere affectus.

CLXX. Ad divinam eandemque ſpontaneam electionem quin hic ſit recurrendum Chriſtianorum nemo dubitat: ſed cum huic electioni ſuæ fuerint cauſæ , & in his forte una atque altera hominibus nondum perſpecta ſatis, aliquas tamen rimari voluerunt veteres Eccleſiæ Doctores, de quibus nunc dicemus.

CLXXI. Et primo quidem convenire judicarunt, ut, ſicut primus homo in ligno nobis mortem peperit, comedendo de arbore ſcientiæ boni & mali; ita filius Dei, ſecundus ille Adam nobis vitam acquireret in ligno

crucis. In quam ſententiam Irenæus lib. V. *CHRISTVS diſſolvens eam, quæ ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus eſt usque ad mortem, mortem autem crucis, eam quæ in ligno fuerat, inobedientiam ſanans.* Gregorius Nazianzenus Orat. I. Apologet. *Lignum adverſus lignum, & manus adverſus manum. Illæ, inquam, fortiter extenſæ adverſus incontinenter extenſam; illæ clavis confixæ atque conſtrictæ adverſus remiſſam & ſolutam; illæ orbis fines conjungentes adverſus eam, quæ Adamum ex paradiſo exturbavit.* Petrus Galatinus lib. VI. *de Arcanis Catholicæ veritatis* allegat verba quædam B. Andreæ Apoſtoli ad Ægeæ Proconſulem perſcripta. *Primus homo per lignum prævaricationis mortem induxit, & neceſſarium hoc erat generi humano, ut per lignum paſſionis mors quæ ingreſſa fuerat, pelleretur. Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum prævaricationis mundo mortem intulerat, neceſſario de immaculata virgine natus eſt perfectus homo, in quo Dei filius, qui primum fecerat hominem, vitam æternam, quam perdiderant per Adam homines, repararet, ac per lignum crucis lignum concupiſcentiæ excluderet, expanderet in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extenſis: pro ſuavi cibo arboris vetitæ eſcam fellis acciperet, & in ſe ſuſcipiens mortalitatem noſtram, ſuam nobis immortalitatem offerret.* Vnde in hymno Eccleſiaſtico cantari ſolitum:

Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.

CLXXII. Præterea eo Deum ſpectaſſe volunt, quod hoc mortis genus eſſet acerbiſſimum, eoq; magis oſtenderit

derit Dei odium adverſus peccatum: quippe quod noluerit expiari, niſi ſupplicio tam duro diroque. Vnde non immerito Auguſtinus *illa morte pejus nihil inter omnia genera mortium tradidit.*

CLXXIII. Huc accedit, quod non modo valde eſſet acerbum, ſed etiam ignominioſum & infame ſupplicii genus: ut adeo humillimus humillimo ſive abjectiſſimorum hominum affici voluerit ſupplicii genere. Lactantius ſane lib. IV. cap. XXVI *Dicat fortaſſe aliquis, cur, ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem honeſto aliquo mortis genere affectus eſt? cur potiſſimum cruce? cur infami genere ſupplicii quod etiam homine libero, quamvis nocente videatur indignum.* Ac optime reſpondet: *Primum, quod is, qui humilis advenerat, ut humilibus & infirmis opem ferret, & omnibus ſpem ſalutis oſtenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infimi ſolent, ne quis eſſet omnino, qui eum non poſſet imitari.*

CLXXIV. Neque enim ignotum eſt, ſervile id ſupplicium fuiſſe tum Græcis, tum Romanis, quin & aliis quoque gentibus. De Alexandro M. Curtius lib. IV. c. IV. *Triſte deinde ſpectaculum victoribus ira præbuit Regis. Duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus adfixi per ingens litoris ſpatium pependerunt.* Factum id tradit Juſtinus lib: XVIII. cap. III. *ob memoriam veteris cædis:* quod ſcilicet orti eſſent ex ſervis antiquorum Tyriorum, qui cæſis dominis in rempubl. involarant. Quamquam Freinshemius hanc Juſtini rationem, de Tyriis ob majorum delicta exſtirpatis, haud cuiquam pro certa auſit venditare.

CLXXV. In Romanorum moribus res notiſſima: ut etiam apud Juvenalem Sat. VI. mulier edicat:

Pone

--- *Pone crucem ſervo.*

Et alia apud Petronium: *Nec Dii ſinant, ut amplexus meos* (ſic venuſte ſervum ſuis amplexibus deditum appellat) *in crucem mittam.* Servus ipſe Sceledrus in Plauti Milite Glorioſo act. II. ſc. IV. *Noli minitari: ſcio crucem mihi futuram ſepulcrum: Ibi mei majores ſunt ſiti; pater, avus, proavus, abavus.* Nec ineleganter Seneca Controv. III. lib. VI. *Fecit ſe ſimilem ſervis, ſororem raptis, libertum cruciariis.*

CLXXVI. Et in tantum quidem id invaluit, ut civem Romanum crucifigere ſummæ eſſet religioni. Cicero extrema Verrina: *Facinus eſt civem Romanum vinciri, ſcelus verberari, parricidium necari, quid dicam in crucem tolli?* Lactantius lib. IV. cap. XVIII. *Non Gavianam crucem deſcribimus, quam M. Tullius univerſa eloquentiæ ſuæ nervis ac viribus, velut effuſis totius ingenii fontibus proſecutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, civem Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum.* Hinc & tutor ille, qui pupillum veneno necaverat, a Galba cruci affigendus *implorabat leges, & civem ſe Romanum teſtificabatur,* apud Svetonium *cap. IX.*

CLXXVII. Et ut ad exempla veniam Livius lib. II. Dec. III. teſtis eſt, ſervos quinque & viginti in crucem actos, quod in campo Martio conjuraſſent. De ſervis, qui duce Spartaco bellum moverant, Appianus fine lib. I. de Bellis civilibus: *Depugnabant, donec omnes interfecti cum ceteris occubuere, ſex millibus exceptis, qui capti in crucibus ſublati ſunt per iter, quod a Capua Romam usque protenditur.* In Hirtio de bello Hiſpan. hæc legas: *Prehenſi ſervi tres, & unus e legione vernacula. Servi ſunt in crucem ſublati, militi cervices abſciſſæ.* Auguſtus quoque

que

que confecto adverſus Sex. Pompejum bello, ſervos Dominis carentes adfixit cruci. Teſtis eſt Dio lib. XLIX. De Helvio Pertinace Capitolinus: *Eos qui calumniis appetiti per ſervos fuerant, damnatis ſervis delatoribus; liberavit; in crucem ſublatis talibus ſervis.* Sic Macrino Principe, *Sycophantæ, aut ſervi, quicunque Dominos detulerant, in crucem ſunt acti:* quod habet Herodianus lib. V.

CLXXVIII. Scytharum quoque ſervi fugitivi *quicunque capi potuerunt, ſupplicia crucibus luerunt:* Videatur Juſtinus lib. II. cap. V. ac legantur porro, quæ hanc in rem congeſſerunt Lipſius *lib. I. de Cruce cap. XII.* Petrus Faber. *Semeſtrium lib. II. c. VIII.* Radulphus Fornerius *Rerum Quotidianar. lib IV. cap. II.* Berneggerus ad *Juſtini lib. XLVIII. cap. IV.* Elmenhorſtius *ad Arnobii lib. I.*

CLXXIX. Non immerito igitur ſupplicium familiare ſervis *ſervile* nomen meruit. Sic enim recte Tacitum lib. II. & IV. Hiſtor. explicat Lipſius & de Avidio Caſſio diſerte Vulcatius Gallicanus: *Centuriones rapi juſſit, & in crucem tolli, ſervilique ſupplicio affici.* Nec minus de Opilio Macrino Julius Capitolinus: *Nam & in crucem milites tulit, & ſervilibus ſuppliciis ſemper affecit.*

CLXXX. Illud autem inprimis obſervatione dignum, quod in obſidione Hieroſolymitana Judæi inter ſervos & infra habiti una die quingenti a Romanis in crucem ſublati ſint, donec tandem cruces deeſſent. Legendus hanc in rem Joſephus, *de Bello Jud. lib. VI. cap. XII.* ac pie cogitandum; quod inter alia divinæ vindictæ inſtrumenta, etiam eodem ſupplicio, in quo peccaverant, venerit ſuper eos ſangvis JUSTI.

CLXXXI. Denique rationem hanc myſticam ejus-

Digitized by Google

& Reſurrectionis & locum Nativitatis & Aſcenſionis CHRISTI portat in pectore ſuo.

CLII. Atque hæc de ipſa Cruce dicta ſunto. Ad clavos CHRISTI regredimur. De quibus, quid inventa cruce factum, exponit Rufinus *Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. VIII.* Clavos *quoque quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat* (Helena) *ad filium. Ex quibus ille frenos compoſuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominus belli uſibus aptam fertur armaſſe.* Vbi quotuor agnoſcit clavos: quod & facit Theodoretus *Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. XVIII.* De duobus aſſentit Ambroſius laudata oratione in obitum Theodoſii Imp. cujus verba repeto: *Quæſivit clavos, quibus crucifixus eſt Dominus, & invenit. De uno clavo frænos fieri præcepit, de altero diadema intexuit: unum ad decorem, alterum ad devotionem vertit. Miſit itaque filio ſuo Conſtantino diadema gemmis inſignitum, quas pretioſior ferro innexas crucis redemtionis divinæ gemma connecteret. Miſit & frænum. Vtroque uſus eſt Conſtantinus, & fidem tranſmiſit ad poſteros Reges.* Atque item Gregorius Turonenſis *de Gloria Martyrum lib. I.* ſed de aliis duobus paulo aliter. Sic enim ſcribit: *Quæritur etiam, quid his clavis fuerit factum. Duo ſunt, quos ſupra diximus aptatos in fræno; tertius projectus in fretum: quartum aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini.*

CLIII. Cur autem fræno inſerti? Cauſam addit Gregorius. *Quo facilius, ſi adverſæ gentes reſtitiſſent Principi, hac virtute fugarentur.* Nec dubitat dicere, Zachariam de hoc vaticinatum verbis iſtis: *Erit, quod in equum ponitur, ſanctum Domini:* ubi Græca habent cap. XIV. 20. καὶ ἔσαι τὸ ἐπὶ τῷ χαλινῷ τοῦ ἵππου ἅγιον τῷ κυρίῳ παν-

παντοκράτορι. *Atque erit hoc in freno equi ſanctum Domino omnipotenti.* Nec aliter jampridem Theodoretus d. l. Ac tangit quoque Ambroſius ſequentibus verbis: *Principium credentium Imperatorum ſanctum eſt quod ſuper frenum.*

CLIV. Veruntamen majoris hoc auctoritatis foret, niſi pro *freno equi* Hebraice foret *tintinnabulis:* illis nempe, quæ collis equorum appendebantur, ac Græcis dicebantur κώδωνες. Vnde & Hieronymus *ridiculam* illam cenſet interpretationem. *Audivi*, inquit, *a quodam rem ſenſu quidem pio dictam, ſed ridiculam: Clavos Dominicæ Crucis, e quibus Conſtantinus Auguſtus frenos equo ſuo fecerit, Sanctum Domini appellari.*

CLV. Clavorum iſtorum magnam eſſe virtutem comprobat poſtea Gregorius eo, quod Juſtinus Imperator *a mago quodam illuſus, propter pecuniam expertus eſt, ac ſuis omnibus patefecit.*

CLVI. De tertio clavo in fretum ab Helena projecto, ſic rem paulo plenius narrat Gregorius: *Adriaticum mare magnis fluctibus movebatur, in quo tam frequentia erant naufragia, ac demerſio hominum, ut vorago navigantium diceretur. Tunc provida Regina, condolens excidia miſerorum, unum ex quatuor clavis deponi jubet in pelagus, confiſa de Domini miſericordia, quod ſævas fluctuum commotiones facile poſſet opprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps navigantibus flabra præſtantur. Vnde usque hodie ſanctificatum mare venerantur, cum ingreſſi fuerint, jejuniis orationibusque & Pſalterio vacant.*

CLVII. De quarto Clavo ſic ſcribit: *Aſſerunt eſſe defixum in capite ſtatuæ Conſtantini: quæ civitate, ut ajunt,*

Mmmmm

ajunt, tota excelſior eſſe ſuſpicitur: ſcilicet ut tota, cui eminet, ſalutis quodammodo galea coronata eſt. Zonaras (modo recte ſe habuerit verſio) plures clavos ſtatuæ infixos memorat. *Divinus Imperator* inquit, *ſuum illi nomen indidit, clavis quibusdam capiti inſertis, qui corpus Domini ſalutiferæ cruci affixerant.*

CLVIII. Non immerito autem miratur Salmaſius, quomodo clavi Crucis CHRISTI potuerint dignoſci ab illis, qui fixi fuerunt in cruce utraque latronum. Neque enim cruci inhærere potuerunt, quia, ut tollerentur crucifixi, neceſſe fuit extrahi, inque terram conjici. Quis enim credat clavos quosque, iis locis unde prius fuerant exemti, iterum inſertos?

CLIX. Quamobrem Simeonis Metaphraſtæ, quem Baronius in *Annalibus* ſequitur, opinio eſt, cum CHRISTVS eſſet ſepeliendus, B. Virginem hoſce clavos e corpore filii exemiſſe, & in ſinu ſuo collegiſſe. Quod ſi foret, longe veriſimilius eſſet, clavos a piis aſſervatos, quam annis prope trecentis poſtea ſub terra eſſe repertos ab Helena magni Conſtantini matre.

CLX. Sive jam triga, ſive quadriga fuerit clavorum, quibus cruci CHRISTVS eſt affixus, magnam certe nobis peperit clavorum congeriem. Vnus eorum ab Helena dicitur transmiſſus Romam in Eccleſiam S. Crucis in Hieruſalem, hodieque illic aſſervari ait Franciſcus Maurolycus in *Topographia ſanctarum reliquiarum.* Nec aliter Chriſtianus Adrichomius in *Deſcriptione Hieroſolymorum num CCXLII.* Deinde Mantuani unum clavorum oſtentant. Mediolani quoque clavus ſumma in veneratione eſt. Clavus pedis dextri Treveris aſſervari dicitur. Alium Anconitani, alium Pariſienſes, in cœnobio

bio Dionyſiano,alium Colonienſes, in templo trium Mariarum,atque item alium Senenſes poſſidere feruntur. Inter Imperii quoque Inſignia Noribergæ quæ aſſervantur *Clavus unus* habetur, *quo manus CHRISTI cruci affixa:* ut eſt in Bulla Martini V. quamvis alii *Clavos* memorent. Imo Calvinus in tractatu *de Papiſtarum reliquiis*, quem Jacobus Eiſenberg in vernaculam tranſtulit, quatuordecim clavos paſſim monſtrari ſolitos numerat.

CLXI. Quis igitur non intelligit hos clavos tantopere auctos clamare impoſturam? Baronius quidem ab ea liberare contendit hac ſubtilitate, quod *aliquis fortasſe clavus inter ſacras reliquias alicubi aſſervetur, quo myſtica membra CHRISTI, nempe Martyr quispiam confixus, atque idem unus ex ipſis CHRISTI clavis fuerit exiſtimatus.* Et alia Corn. Curtius *de Clavis Dominicis cap. VI.* Non *eſt in toto Chriſtiano orbe angulus aliquis, qui extra tres urbes Romam, Mediolanum, & Treviros, Clavum Dominicum ſibi vendicet, aut venditet. In aliis forſitan erit aliquis, qui a clavorum Dominicorum attactu ſacer, & in honore erit; alius propter incluſam ſibi particulam pretium apud populum faciet; alius denique quia prototypo ſeu vero clavo ſimilis eſt, venerationem merebitur.*

CLXII. Sed valde dubito, has diſtinctiones ut admiſerint, quæ de his clavis adeo triumphant Eccleſiæ: quandoquidem multum ſic deceſſerit eorum ſanctitati. Tum etiam vereor, ut nec martyrum, nec CHRISTI ſint clavi, ſed utrosque mentiantur ad fucum faciendum olim fabricati.

CLXIII. Obſervationem denique meretur noſtram, quod in inſignibus Ducum Holſatiæ, ac plerarumque ci-

vitatum Holſaticarum urticæ folium clavis diſtinctum reperiatur. Poſtquam enim Adolphus III. Schovvenburgicus & Holſatiæ Comes iterata vice in Palæſtinam profectus, & Hieroſolymis Eques auratus a primoribus Eccleſiaſticis, creatus eſt, eorundem hortatu avita inſignia aliqua acceſſione auxit, & urticæ folio tres clavos adjecit, quos in paſſione CHRISTI adhibitos credidit antiquitas, & galeæ coronam e ſpinis contextam impoſuit.

CLXIV. Quia de forma Crucis & clavis abunde videor dixiſſe, venio ad illud, quam ad mundi plagam vultum CHRISTVS direxerit, dum in cruce penderet, deque ritibus, qui inde fluxerunt.

CLXV. Vetus eſt traditio CHRISTVM, cum crucifigeretur, occidentem ſpectaſſe. Meminerunt ejus rei Hieronymus in *Marci cap. XV.* Sedulius *lib. IV.* Beda *in Lucam.* Germanus in Theoria *rerum Eccleſiaſticarum.* Johannes Damaſcenus *lib. IV. de Orthodoxa fide c. XIII.* cujus commentator in hanc ſententiam ſic ſcribit: *Sicut Judæi CHRISVM extra portam ejecerunt, ut crucifigerent, tanquam malefactorem, & indignum, quem urbs ipſa contineret: ita & facie verſa ad oppoſitam urbi partem eosdem ipſum crucifixiſſe ſatis veritati conſentaneum videtur, tanquam minus dignum, qui urbem contueretur. Quare facie ad Occidentem converſa crucifixus eſt.*

CLXVI. Eandem ob cauſam factum procul dubio, quod in pleriſque Eccleſiis imago crucifixi CHRISTI ad Occidentem vergat. Pergit laudatus Auctor: *Et hinc, ut conjectare licet, in templis & baſilicis noſtris Dominus noſter figuratur ad Occidentem crucifixus.*

CLXVII. Etiam hinc ritus alter oriundus, ut precantes

Digitized by Google

tes Chriſtiani veteres reſpicerent orientem. Id quod memorant Clemens Romanus *lib. II. Conſtitut. Apoſtol. cap. LVII.* Juſtinus *lib. Quæſtion. ad Orthodoxos, quæſt. CXVIII.* Clemens Alexandrinus *lib. IV. Stromatum*, Tertullianus *adverſus Valentinianos*, Origenes *homil. III. in Numer.* Baſilius *lib. de Spiritu*, Damaſcenus *d. l.* quos laudo fide Voſſii *Harmoniæ lib. II. cap. VII.* Damaſceni commentatorem denuo audiemus: *Quem* CHRISTVM crucifixum) *ubi primum templa ſubimus, oculis noſtris objectum cernentes, proni, facie ad ipſum converſa, Orientem verſus CHRISTVM adoramus.*

CLXVIII. Quia autem CHRISTVS expanſis manibus in cruce Occidentem ſpectabat: eo in baptiſmo quoque baptizandus ſic ſtatuebatur, ut expanſis in formam crucis manibus terque quaterque dæmonem exſufflans, ſpectaret Occidentem. Hunc ritum cognoſcere eſt ex Dionyſio Areopagita. *lib. de cœleſti Hierarchia cap. II.*

CLXIX. Reſtat, ut de illa agamus quæſtione, cur CHRISTVS potius cruci ſit adfixus, quam alio ſupplicii genere affectus.

CLXX. Ad divinam eandemque ſpontaneam electionem quin hic ſit recurrendum Chriſtianorum nemo dubitat: ſed cum huic electioni ſuæ fuerint cauſæ, & in his forte una atque altera hominibus nondum perſpecta ſatis, aliquas tamen rimari voluerunt veteres Eccleſiæ Doctores, de quibus nunc dicemus.

CLXXI. Et primo quidem convenire judicarunt, ut, ſicut primus homo in ligno nobis mortem peperit, comedendo de arbore ſcientiæ boni & mali; ita filius Dei, ſecundus ille Adam nobis vitam acquireret in ligno

crucis. In quam ſententiam Irenæus lib.V. *CHRISTVS diſſolvens eam, quæ ab initio in ligno facta fuerat, hominis inobedientiam, obediens factus eſt usque ad mortem, mortem autem crucis, eam quæ in ligno fuerat, inobedientiam ſanans.* Gregorius Nazianzenus Orat. I. Apologet. *Lignum adverſus lignum, & manus adverſus manum. Illæ, inquam, fortiter extenſæ adverſus incontinenter extenſam; illæ clavis confixæ atque conſtrictæ adverſus remiſſam & ſolutam; illæ orbis fines conjungentes adverſus eam, quæ Adamum ex paradiſo exturbavit.* Petrus Galatinus lib, VI. *de Arcanis Catholicæ veritatis* allegat verba quædam B. Andreæ Apoſtoli ad Ægeæ Proconſulem perſcripta. *Primus homo per lignum prævaricationis mortem induxit, & neceſſarium hoc erat generi humano, ut per lignum paſſionis mors quæ ingreſſa fuerat, pelleretur. Et quoniam de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum prævaricationis mundo mortem intulerat, neceſſario de immaculata virgine natus eſt perfectus homo, in quo Dei filius, qui primum fecerat hominem, vitam æternam, quam perdiderant per Adam homines, repararet, ac per lignum crucis lignum concupiſcentiæ excluderet, expanderet in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extenſis: pro ſuavi cibo arboris vetitæ eſcam fellis acciperet, & in ſe ſuſcipiens mortalitatem noſtram, ſuam nobis immortalitatem offerret.* Vnde in hymno Eccleſiaſtico cantari ſolitum:

Hoc opus noſtræ ſalutis ordo depopoſcerat,
Multiformis proditoris ars ut artem falleret,
Et medelam ferret inde, hoſtis unde læſerat.

CLXXII. Præterea eo Deum ſpectaſſe volunt, quod hoc mortis genus eſſet acerbiſſimum, eoq; magis oſtenderit

derit

Digitized by Google

derit Dei odium adverſus peccatum: quippe quod noluerit expiari, niſi ſupplicio tam duro diroque. Vnde non immerito Auguſtinus *illa morte pejus nihil inter omnia genera mortium tradidit.*

CLXXIII. Huc accedit, quod non modo valde eſſet acerbum, ſed etiam ignominioſum & infame ſupplicii genus: ut adeo humillimus humillimo ſive abjectiſſimorum hominum affici voluerit ſupplicii genere. Lactantius ſane lib. IV. cap. XXVI *Dicat fortaſſe aliquis, cur, ſi Deus fuit, & mori voluit, non ſaltem honeſto aliquo mortis genere affectus eſt? cur potiſſimum cruce? cur infami genere ſupplicii quod etiam homine libero, quamvis nocente videatur indignum.* Ac optime reſpondet: *Primum, quod is, qui humilis advenerat, ut humilibus & infirmis opem ferret, & omnibus ſpem ſalutis oſtenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infimi ſolent, ne quis eſſet omnino, qui eum non poſſet imitari.*

CLXXIV. Neque enim ignotum eſt, ſervile id ſupplicium fuiſſe tum Græcis, tum Romanis, quin & aliis quoque gentibus. De Alexandro M. Curtius lib. IV. c. IV. *Triſte deinde ſpectaculum victoribus ira præbuit Regis. Duo millia, in quibus occidendi defecerat rabies, crucibus adfixi per ingens litoris ſpatium pependerunt.* Factum id tradit Juſtinus lib: XVIII. cap. III. *ob memoriam veteris cædis:* quod ſcilicet orti eſſent ex ſervis antiquorum Tyriorum, qui cæſis dominis in rempubl. involarant. Quamquam Freinshemius hanc Juſtini rationem, de Tyriis ob majorum delicta exſtirpatis, haud cuiquam pro certa auſit venditare.

CLXXV. In Romanorum moribus res notiſſima: ut etiam apud Juvenalem Sat. VI. mulier edicat:

Pone

que confecto adverſus Sex. Pompejum bello, ſervos Dominis carentes adfixit cruci. Teſtis eſt Dio lib. XLIX. De Helvio Pertinace Capitolinus: *Eos qui calumniis appetiti per ſervos fuerant, damnatis ſervis delatoribus, liberavit; in crucem ſublatis talibus ſervis.* Sic Macrino Principe, *Sycophantæ, aut ſervi, quicunque Dominos detulerant, in crucem ſunt acti:* quod habet Herodianus lib. V.

CLXXVIII. Scytharum quoque ſervi fugitivi *quicunque capi potuerunt, ſupplicia crucibus luerunt:* Videatur Juſtinus lib. II. cap. V. ac legantur porro, quæ hanc in rem congeſſerunt Lipſius *lib. I. de Cruce cap. XII.* Petrus Faber. *Semeſtrium lib. II. c. VIII.* Radulphus Fornerius *Rerum Quotidianar. lib. IV. cap. II.* Berneggerus ad *Juſtini lib. XLVIII. cap. IV.* Elmenhorſtius *ad Arnobii lib. I.*

CLXXIX. Non immerito igitur ſupplicium familiare ſervis *ſervile* nomen meruit. Sic enim recte Tacitum lib. II. & IV. Hiſtor. explicat Lipſius & de Avidio Caſſio diſerte Vulcatius Gallicanus: *Centuriones rapi juſſit, & in crucem tolli, ſervilique ſupplicio affici.* Nec minus de Opilio Macrino Julius Capitolinus: *Nam & in crucem milites tulit, & ſervilibus ſuppliciis ſemper affecit.*

CLXXX. Illud autem inprimis obſervatione dignum, quod in obſidione Hieroſolymitana Judæi inter ſervos & infra habiti una die quingenti a Romanis in crucem ſublati ſint, donec tandem cruces deeſſent. Legendus hanc in rem Joſephus, *de Bello Jud. lib. VI. cap. XII.* ac pie cogitandum, quod inter alia divinæ vindictæ inſtrumenta, etiam eodem ſupplicio, in quo peccaverant, venerit ſuper eos ſangvis JUSTI.

CLXXXI. Denique rationem hanc myſticam ejus-

Digitized by Google

modi mortis adducit Athanaſius *de Incarnatione verbi Dei*: Vt *in morte ſine mutilatione integrum corpus ſervaret, & cauſa ſubduceretur iis, qui Eccleſiam in partes cupiunt diſcindere.*

CAP. XIII.

De illis quæ contigere in hiſtoria paſſionis donec CHRISTVS de cruce deponeretur. CHRISTVS in medio latronum ſcrucifixus. De Titulo Crucis CHRISTI fuſior diſſertatio.

I.

AB iis quæ ad Crucifixionis tempus & formam Crucis pertinent, ad illa nos convertimus, quæ contigere, donec de Cruce CHRISTVS deponeretur. Horum alia mortem antecedunt, alia conſeqvuntur.

II. Quæ mortem CHRISTI præceſſerunt, triplicis ſunt generis. Alia alii fecere CHRISTO: alia dicta ſunt a CHRISTO. Alia a Deo facta ſunt ad glorificandum CHRISTVM.

III. Quæ CHRISTO fecere, ſi non omnia, pleraque certe ab inimico plane animo profecta ſunt.

IV. Huc pertinet quintuplex ignominia. Primum, quod à latere ejus duo ſunt latrones crucifixi. Deinde, quod titulus ſit adſcriptus cruci, quaſi foret læſæ majeſtatis reus. Adhæc, quod eo in cruce nudo & inſpectante veſtes ſint diviſæ. Porro quod Judæi ac gentiles irriſerint ac ſubſannarint crucifixum. Denique quod ſitienti acetum porrigeretur. Quamquam hoc ulti-

ultimum (uti ſuo loco dicemus) non ex malevolentia, ſed humanitatis ergo, ut deficientem refocillarent, nonnulli factum eſſe velint.

V. Primum ignominiæ genus omnes memorant Evangeliſtæ. Matthæus autem & Marcus latronum una cum CHRISTO ſuſpenſorum crucifixioni diviſionem veſtimentorum, & narrationem de titulo crucis CHRISTI præmittunt: ſed Lucas cum dixiſſet, alios duos facinoroſos una cum CHRISTO ad locum ſupplicii fuiſſe ductos, ſtatim ſubjicit, eos fuiſſe ſimul crucifixos, ac tum demum veſtium ſortitionem & titulum memorat. Hunc igitur ordinem vel ob id ſequemur, quod Lucas ſub initium hiſtoriæ Evangelicæ pollicetur, ſe velle omnia *καθεξῆς ordine* ſcribere: ac veriſimile eſt milites Romanos a Judæis compulſos feſtinaſſe propter feſti propinquitatem, ac tum demum ad ſortienda veſtimenta ſe accinxiſſe.

Matt. XXVII 37. Marc. XV. 27. Luc. XXIII. 33. Johan. XIX. v. 18.

VI. Biga hæc latronum ante damnationem CHRISTI ſupplicio crucis videtur deputata: oblata igitur hac opportuna occaſione CHRISTO dantur comites, ut crucifixi latus utrinque clauderent.

VII. Quod ceteri Evangeliſtæ dicunt, unum a dextris CHRISTI, alterum a ſiniſtris crucifixum, id Johannes eo expreſſit, quod CHRISTVS inter utrumque medius pependerit: ex quo intelligas, non multum inter eos fuiſſe intervalli, ſic ut invicem colloqui potuerint.

VIII. Non igitur (id quod jam proximo capite oſtenſum) præ reliquis duabus ſublimior fuit CHRISTI crux: utut ſic repræſentare ſoleant plerique pictores: quibus in his talibus nemo facile ſit credulus.

IX. Medius tamen JESVS inter nequiſſimos homi-

Digitized by Google

nes ſuſpenſus fuit, ut eo ipſo in extremum apud omnes ſpectatores contemtum adduceretur: quippe qui pro ſocio non modo latronum, ſed pro principe & anteſignano haberetur.

X. Quia autem homini innocenti nihil accidit acerbius, quam ſi in ſceleratorum catalogo præcipuus reputetur; facile intelligi poteſt, quantum dolorem hæc ſocietas latronum CHRISTO vitæ integro ſceleriſque puro, imo peccare neſcio attulerit.

XI. Vnde etiam de hac ignominia peculiare exſtat vaticinium Eſaiæ LIII. v. 12. ad quod nos Marcus revocat
Marc. XV. 28 his verbis: *Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit, Et cum iniquis reputatus eſt.* Et ipſe Salvator hoc vaticinium ad ſe revocat Luc. XXII. v. 37. *Dico vobis, quoniam adhuc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me, Et cum iniquis deputatus eſt.*

XII. Hebræum נמנה verterunt LXX. Interpretes per λογίζεσθαι, *reputari*; ſed non incommode quoque reddideris, *computari, numerari.* CHRISTVS enim non ſolum pro latrone reputatus eſt, ſed etiam numeratus inter eos, quando ſcilicet in medio eorum fuit crucifixus.

XIII. Poteſt autem verbum λογίζεσθαι, quo cum LXX. uſus Evangeliſta Marcus, perpulchre accommodari ad imputationem juſtitiæ, quam CHRISTVS in cruce credentibus promeruit. Quia enim ipſe cum iniquis reputatus eſt, idcirco & nos propter ipſum pro juſtis reputamur.

XIV. Nonnulli quoque huc traxerunt verba Prophetæ Habacuc cap. IV. v. 2. *In medio annorum vivifica illud*; quæ vulgata reddidit: *In medio duorum animalium cognoſceris.* Sic enim Hieronymus in Commentar. *Simplex*

Digitized by Google

plex interpretatio & opinio vulgi de Salvatore intelligit, quod inter duos latrones crucifixus agnitus ſit. Qui autem melius, hoc dicunt, quod in prima Eccleſia, quæ de circumciſione fuit, & de præputio congregata duobus populis ſe hinc inde cingentibus intellectus ſit Salvator & creditus.

XV. Eo curioſitatis non nemo prolapſus, ut nomina latronum fingeret. Sic nempe legas in Collectaneis Tom. III. Operum Venerabilis Bedæ non ſine nominis ejus injuria ipſi adſcriptis: *Dic mihi nomina duorum latronum, qui cum JESV ſimul crucifixi ſunt? Matha & Joca. Matha credidit, Joca negavit vitam, mortem elegit.* Sed converſum latronem Goffridus Abbas Vindocinenſis Sermone *de Latrone ſalvato in cruce* vocat *Dimam.*

XVI. Johannes Huſſus in *Hiſtoria Paſſionis tomo I.* ad ſpiritualem crucifixionem hanc ſocietatem latronum accommodat. *JESVS*, inquit, *eſt ſpiritus humanus, latrones caro & mundus. Crucifigatur cum ſpiritu caro per continentiam, mundus per paupertatem voluntariam.* Sed hæc allegoria B. Gerhardo merito videtur inconcinna. Neque enim Spiritus, *ſed caro cum vitiis & concupiſcentiis crucifigi jubetur*, Galat. V. v. 24. ac *corpus* dicitur *mortuum, propter peccatum, Spiritus vero vita propter juſtitiam* Rom. VIII. v. 10.

XVII. Altera irrogata CHRISTO ignominia hæc fuit, quod Pilatus in tabella capiti affixa ſcribi juſſerit cauſam hanc ſupplicii, quod regnum affectarit apud Judæos. S. Johannes cap. XIX. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον ὁ Πιλά- *Joh. XIX. 19.*
τος, καὶ ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. *Scripſit & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem.*

XVIII. Prius de ipſa quam inſcriptione agamus, placet aliqua de etymo variisque tituli ſignificationibus afferre.

Digitized by Google

XIX. Ridiculi ſunt Papias, Thomas Valoiſius, & nonnulli alii paris farinæ homunciones, qui *tituli* vocem à *Titane* factam putant, quod ſicut Titan mundum, vel quæcunque obſcura, ita titulus libri contenta illuſtret.

XX. Longius item abeunt Jacobus Dalechampius *Notis in Plinii lib. XXXIII. cap. VII.* & Salmaſius *de modo Vſurarum cap. XV.* qui primordia tituli a flaminum & feminarum vittis petunt. Quemadmodum enim in his capillorum in conum congeſtus; in illis vero pileorum, quibus utebantur, faſtigia *Tutuli* apud antiquos audiebant, ſive, ut Varro lib. VI. de L.L. habet, *ab eo, quod tuendi cauſa capilli fiebant, ſive ab eo, quod altiſſimum in urbe quod eſt, ea res tutiſſima eſſet*; ita inſcriptiones quoque horum *tutulorum* ſimilitudine in librorum frontiſpicio lectas, & lapides in ejusmodi ſpeciem erectos inſcriptosque, tutulos primum fuiſſe volunt appellatos, unde poſtea nomen generale factum, omnem ἐπιγραφὴν, quacunque materia aut forma poſitam, ſignificare cœperit. Caret enim hæc ſententia veterum teſtimonio, quibus tamen coniformis illa crinium convolutio in capite muliebri conſtanter *Tutulus*, nunquam *Titulus* dicitur: adeo quidem, ut & inter alios Tertulliano cap. IV. de *Pallio* hanc vocem docti reſtituerint, cum *titulus* in vulgatis legeretur.

XXI. Propius ad verum Varro & Feſtus accedunt, Titulum a *tutando* deducentes: quos ſequuntur Jacobus Gretſerus *de S. Cruce Tom. II. lib. II. cap. VII.* & Honoratus Niquetus *lib. I. Hiſtoriæ Tituli S. Crucis* cap. I. cui Titulus idem eſt, quod *monumentum, qui moneat nos, memoriam tueatur & conſervet alicujus rei.*

XXII.

Digitized by Google

XXII. Si tamen Julium Cæſarem Scaligerum *de cauſis Linguæ Latinæ cap. XVII.* audimus, tantum abeſt, ut Titulus a *tutando* deſcendat, ut potius hoc ac illo fluxiſſe dicendum ſit. Quod ſi ita eſt, facile etiam patet, cur, auctore Feſto, milites olim *Tituli* appellati ſint.

XXIII. Gerhardus Feltman tractatu de Titulis Honorum lib. I. cap. I. Titulum a *tuendo* quidem etiam derivat, ſic tamen ut *tueri* hic non ſit defendere, ſed *intueri.* Atque *hanc ob cauſam,* ait, *olim ſtatuis ad vias poſitis affixa ſigna, quæ iter viatoribus monſtrarent, titulos appellatos, quod iter facientes eorum intuitu illico intelligerent, qua eundum eſſet. Nec tantum ſigna ejusmodi, ad quæ etiam ſuſpenſa hedera, tanquam vini venalis titulus notiſſimus referri mereatur, ſed etiam verba pauca, ex quorum intuitu res cognoſci cito poſſet, eo nomine veniſſe.* At hæc ſubtilius magis, quam verius a Cl. viro dici, jam ante nos alii obſervarunt.

XXIV. Denique Scaligero *de cauſis L.L. cap. XVII.* item *de re Poetica lib. I. cap. IX.* & *lib. III. cap. CXXVII.* placet græcum etymon τίειν, καὶ ἡ τιμή: in quo præ ceteris ei adſtipulantur Joſephus filius *Conjectaneis ad Varronem de L.L.* Wolfgangus Lazius *lib. IX. Commentar. Reip. Rom. cap. I.* Becmannus in *Originibus L.L.* Martinius in *Lexico Philologico,* Voſſius in *Etymologio.* Quamvis hic non tam τὸ τίειν, quam τὸ τιτίειν, quod propius adhuc & per reduplicationem a priori factum eſt, amplectatur, cum & Heſychius illud ipſum per τιμῶ exponat.

XXV. Becmannus tamen & Martinius Scaligeri mentem non ſatis videntur penetraſſe, dum uterque de *laudibus* & *honoribus* unice agit: cum tamen ille τὸ τίειν καὶ τὴν τιμὴν eo potius ſenſu intelligat, quo *pretium,* quam

quam quo *honorem laudemve* deſignet. Quod ſatis teſtatur *lib.III. de Re Poëtica cap. CXXVII.* ubi *antiqui moris rationem fuiſſe* obſervat, *cum quid proſcriberetur, quanti indicari.* Atque hunc titulum fuiſſe ὧδε τὸ τίεν καὶ τὴν τιμήν. Ita teſte Athenæo *lib. VI. cap. II.* piſces adſcripto in tabulis pretio venibant. Et in fornicibus cellæ proſtibuli præſcriptum erat ſtupri pretium cum nomine meretricis. Seneca lib. I. controv. II. *Meretrix vocata es, in communi loco ſtetiſti, ſuperpoſitus eſt cellæ tuæ titulus.* Et iterum: *Deducta es in lupanar, accepiſti locum, pretium conſtitutum eſt. Titulus inſcriptus eſt.* Ibidem: *Nomen tuum pependit in fronte: pretia ſtupri accepiſti.* Impurus leno apud Apollonium Tyrium: *Ancilla exornetur, ſcribatur ei titulus; quicunque Tarſiam defloraverit, mediam libram dabit, poſtea populo patebit ad ſingulos ſolidos.* Confer Briſſonium *de Jure Connubiali*, Caſellium Durantium *lib. I. cap. II. & X. Variarum*, Janum Douzam *Præcidaneorum ad Petron. lib. I. cap. IV.* Et nos quoque jam ea de re diximus libello de *Januis Veterum cap. XXVIII.* Imo vitia rei venum expoſitæ ejuſmodi titulis aliquando exprimebantur, uti patet ex ædilitio edicto apud Gellium lib.IV. cap.II. *Titulus ſervorum ſingulorum utei ſcriptus ſit, coerato ita utei intellegi recte poſſit, quid morbi vitiive quoi ſit, quis fugitivus, errove ſit, noxave ſolutus non ſit.* Vide Laurentium Pignorium *de Servis pag. 170.* Talem quiſque titulum de collo ſuſpenſum gerebat, juxta illud Propertii lib.IV. Eleg. V.

--- quorum titulus per barbara colla pependit.

XXVI. Ab hoc igitur vocis uſu *ſignificationem ad alias poſtea inſcriptiones translatam eſſe*, putat Scaliger:

quæ

Digitized by Google

quæ quidem adeo late manavit, ut generalis facta ſit ad omnia, quæ brevi inſcriptione rem aliquam aut cauſam rei, τὸ ὅτι καὶ τὸ διότι, demonſtrare ac declarare debebant, affirmante Salmaſio cap. XV. libri *de modo Vſurarum.*

XXVII. Et proxime quidem ad res ſimpliciter venales indicandas transiiſſe videtur. Hinc in Epiſtola Plinii lib. VII. XXVII. *Deſerta inde & damnata ſolitudine domus, totaque illi monſtro relicta, proſcribebatur tamen, ſi quis emere, ſeu quis conducere ignarus tanti mali vellet. Venit Athenas Philoſophus Athenodorus, legit titulum, auditoque pretio, quia ſuſpecta vilitas, percunctatus omnia docetur.*

XXVIII. Hic ipſe tamen titulus oppido diverſus erat ab eo, qui ædibus pignori oppoſitis propter debitum a creditore imponebatur. Etenim creditor poſt legitimam impletam denunciationem, debitore non ſolvente, non contentus ſimplici titulo, qui in publico ad columnam propoſitus ædes venum ire ſignificaret; ſed præterea ipſi ædium fronti tabellam ab illa publica diverſam affigebat, quæ ſingulari indicio erat, eſſe pignori ædes, quæ proſcriberentur. Hujus moris apud Labeonem §. *item ſi quis pignus D. de injur.* agnoſcere licet veſtigia: ubi hæc leguntur: *Si quis pignus proſcripſerit, venditurus tanquam a me acceperit, infamandi mei cauſa, cum eo injuriarum agi, ſecundum Servii Sulpitii ſententiam poteſt.* Quæ ergo ædes ad hunc modum inſcriptæ erant, *ſub titulum ire*, proprie dicebantur. Tibullus lib. II. Eleg. IV.

Quin etiam ſedes jubeat ſi vendere avitas,
Ite ſub imperium, ſub titulumque lares.

Et qui id ageret, *ſub titulum mittere* dicebatur. Ovidius de Remed. Amor. lib. I.

Digitized by Google

cæ Epiſt. XVIII. *Quicquid eſt, cui dominus inſcriberis, apud te eſt, tuum eſt.*

XXXI. De alienarum autem poſſeſſionum vendicatione, hoc eſt, cum nimirum ex magnatibus aliquis ob potentiam, qua neminem timet, invadere conaretur inopis vicini prædium vel ædes, nomen ſuum eis jubebat adſcribi vel inſcribi, affixis *titulis*. Contra ſi inops ille ſe aliter tueri non poſſet ab invaſione præpotentis, ad hoc decurrebat, ut alterius æque potentia ſubnixi nomen prædio ſuo inſcriberet, quo ab incepto abſterreretur invaſor, metu ſcilicet, ne offenderet potentem illum, cujus nomen tituli affixi præferent. Hæc a Salmaſio obſervata confirmat Auguſtinus loco allegato. *Ne domum ipſius invadat aliquis potens ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces. Ipſe vult eſſe poſſeſſor, & frontem ſuam de titulo alieno muniri, ut cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis, abſtineat ab invaſione.*

XXXII. Quia vero inde multæ contentiones oriri poterant, non tantum vetuere hoc Principes, ſed omnino privatis tam in ſuis, quam alienis prædiis ponendorum *titulorum* poteſtatem ademere, jure illo Auguſtæ domui fiſcoque in totum transſcripto. De quo paſſim exſtant edicta Imperatorum. *Titulos*, inquit Juſtinianus Novella XXX. cap. VIII. §. I. *prædiis apponere per provinciam, continentes certorum hominum appellationem, excepto nomine Majeſtatis Imperatoriæ aut tamii, hoc eſt, ærarii, in tantum prohibebit Cappadociæ Proconſul, ut patrimonium eorum, qui tale quid perpetrare moliantur, in publicum redigat, & manus abſcindat eos imponentibus, ſi præſentes forte id auſi fuerint; ſi vero procuratores abſentium, ingentibus illos tormentis ſubdet.*

Digitized by Google

XXXIII. Manavit poſtea ab hoc ipſo more, quo nimirum Principes conſveverunt poſſeſſionibus ſuis propria nomina ſub titulis inſcribenda jubere, illa conſuetudo, qua quicquid fiſco applicaretur, vel patrimonio Principis ex damnatorum bonis, vel quacunque alia ex cauſa ac jure, ejus rei dominum jam factum eſſe Principem tabulis nominis ejus adfixis vel velis ſuſpenſis ſignificaretur. In quibus tamen modeſtiores quidam Principes, ut Theodoſius & Arcadius, commemorationem nominis ſui fieri noluerunt. Liquet hoc ex lege X. Cod. Theodoſ. de proſcriptorum bonis; quam Salmaſius ita emendatam refert: *Si quis pro atrocitate commiſſi formam ejusmodi ſuſtinebunt, ut bona eorum proſcriptionis nomine fiſcalibus ſint ſocianda corporibus, commemorationem noſtrorum nominum in his titulis nolumus fieri, qui eorum poſtibus adfigentur vel velis, quorum jus ac proprietas auſertur.*

XXXIV. Atque ſecundum hunc titulorum figendorum ritum invaluit mos in Eccleſia antiquitus, ut appoſito crucis vexillo, quaſi titulo præfixo, locus aliquis aut domus divino cultui manciparetur. Juſtinianus Imperator Novella Conſtitut. IV. cap. I. *Illud igitur ante alia dicendum eſt: Si quis ædificare venerabile monaſterium voluerit, non prius licentiam eſſe hoc agendi, quam Deo amabilem locorum Epiſcopum advocet: at ille manus extendit ad cœlum, & per orationem locum conſecret Deo, figens in eo ſalutis noſtræ ſignum.* Plura in hanc rem teſtimonia attuli cap. III. Diſſertationis *de Natalitiis Martyrum* §. XXXI.

XXXV. Ab hac crucium erectione nonnulli ipſas Eccleſias a fidelibus exſtructas *Titulorum* nomen accepiſſe

piſſe volunt. Nos tamen dicta diſſertatione a ſepulchrorum titulis hoc nominis derivavimus: ubi etiam Cardinalibus Presbyteris id proprium eſſe oſtendimus, quod illius *tituli,* hoc eſt, Eccleſiæ, cujus ſint Presbyteri, dicantur Cardinales, Onuphrii quoque Panvinii hoc de more librum ſingularem ibidem laudantes.

XXXVI. Sed longe plura hoc complexum fuit nomen, tamque late patere cœpit, quam res ipſæ, quæ vel ſimpliciter, vel laudis aut vituperii nomine innoteſcere poſſunt. In libris Titulus dicitur ἐπιγραφὴ totius operis, quæ uno plerumque vocabulo abſolvitur, ſæpe tamen & pluribus, ac in fronte libri ſcribitur. Adi Salmaſii Prolegomena *ad Exercitationes Plinianas* & Lotichium *in Notis ad Petronium.*

XXXVII. Imo & lemmata ſingulorum epigrammatum ita appellaſſe Martialem indicio eſt Epigramma III. lib. XIII. *Addita per titulos ſua nomina rebus habebis,*
Prætereas ſi quid non facit ad ſtomachum.

XXXVIII. *Titulus* in fabulis dicebatur, quod non pronunciabatur tantum ab eo, qui modos faciebat, ſed etiam proponebatur in proſcenio, habebatque nomen tam auctoris quam fabulæ. Videatur Scaliger *lib. I. de Re Poet. cap. IX.*

XXXIX. Apud Caſſiodorum *lib. V. Variar. Ep. II. titulus* legitur pro eo, quod nos dicimus *Edictum valvis affixum.*

XL. Eſt etiam Ictis aliisque *Tituli* appellatione dicta Inſcriptio, quemadmodum legis cujuspiam periocha, ſumma. Scaliger *de Re Poet. lib. III. cap. CXXVII.* quales apud Tacitum Annal. I. cap. VIII. *legum latarum tituli.*

Digitized by Google

XLI. Tituli autem, quorum meminit Suidas, erant ſectiones, in quas olim diviſi erant ſacri libri, atque ita vocabantur, quod ſingulæ περικοπαὶ ſuos haberent titulos, ſuas ἐπιγραφὰς, ſive inſcriptiones. Ita apud laudatum Suidam Matthæus olim habebat titulos tales LXVIII. capitula vero CCCLV. Marcus titulos XLVIII. capitula CCXXXV. vel XXXVI. Lucas titulos LXXXIII. capitula vero CCCXLVIII. Johannes titulos XVIII. capitula vero CCXXXIII. atque ita ſæpiſſime laudantur a Patribus. Vide quæ prolixe habet in hanc ſententiam Johannes Crojus *ſacrarum & hiſtoricarum ad Novum fœdus obſervationum cap. IV.* In hujusmodi etiam titulos ſeu ἀναγνώσματα CLXVII. Victorinum diviſiſſe libros Ciceronis de Inventione patet ex Cod. ms. & editione Pithœana.

XLII. Elogia item ærium ſive ſcripturæ (die Verſchreibung der Poſten in Rechnungen) ex quibus ratio impenſæ diſcenda, Titulorum appellationem ſubiere, obſervante Buchnero ad Plinii *lib. VIII. Epiſt. XXIV.*

XLIII. In publicis etiam operibus literæ auctoris nomen demonſtrantes Tituli dicti. Apud Svetonium in Auguſto cap. XXX. *Opera cujuscunque manentibus titulis reſtituit.* Et in Domitiano cap. V. *Opera ſub titulo tantum ſuo, ſine ulla priſtini auctoris memoria reſtituit.*

XLIV. Tabellæ item quæ in triumpho geſtabantur, in quibus elementis majuſculis inſcriptus navium captarum numerus, urbium expugnatarum, in fidem receptarum, tributo affectarum, gentium perdomitarum, Regum devictorum nomina, Tituli dicebantur. Svetonius in Julio cap. XXXVII. teſtatur, eum *in Pontico triumpho trium verborum prætuliſſe titulum: Veni, vidi, vici,*

non

non ut acta belli ſignificantem, ſicut ceteri, ſed celeriter confecti notam. Ovidius lib. IV. Triſtium Eleg. II.

Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphos,
Cumque Ducum titulis oppida capta leget.

XLV. Ad hos proxime accedunt illi gladiatorum tituli, quibus eorum victoriæ & palmæ adnotabantur, quosque de collo ſuſpenſos geſtabant: de quibus accipiendus hic Martialis verſus:

Dum numerat palmas credidit eſſe ſenem.

XLVI. Cumque magnam partem ſupellectilis ſuæ, ut pocula, ſcyphos, cultros, cochlearia, lances, Romani literatam, hoc eſt, literis inſcriptam habuerint, ea ab auctoribus latinis *Tituli* audiebant.

XLVII. Singularis autem illa acceptio eſt Tituli, quæ in Publii Mimi verſibus apud Petronium legitur, ubi Ciconia avis ſic inceſſitur:

Avis exul hyemis, Titulus tepidi temporis.

Ad quæ Barthius Adverſarior. lib. LIV. cap. XXII. ita commentatur: *Titulum tepidi temporis vocat Ciconiam Poëta doctiſſimus, quod vernum tempus hyemi elapſa ſuccedens hujus avis pictura notetur, ut nemini ignotum eſſe poteſt.* Sed quid ſi vel propterea *titulus tepidi temporis* vocetur, quod hoc ipſum tempus adventu ſuo ſignet & prædicet?

XLVIII. De ſepulchralibus titulis res eſt notiſſima, omnesque illi de *Funeribus* qui *Romanorum* commentati, ut & Cujacius *Obſervation. lib. XXI. cap. XIII.* in eosdem inquiſivere.

XLIX. Sed & qui mortem ſibi vel voto, vel pretio, vel etiam crimine auctorabant, eorum ſeu voti, ſive venditionis criminisve ſignificatio in tabula publice nonnunquam fiebat: quæ *Tituli* voce ab auctoribus claſſicis

pas-

Digitized by Google

paſſim denotatur. De votorum ſuſceptione ſunt hæc apud Svetonium in Auguſto cap. LIX. *Nonnulli Patrum familiarum teſtamento caverunt, ut ab hæredibus ſuis prælato victimæ titulo votum pro ſe ſolveretur, quod ſuperſtitem Auguſtum reliquiſſent.* Et in Calig. cap. XIV. *Ut in adverſam valetudinem incidit, non defuerunt, qui pro ſalute ægri capita ſua titulo propoſito voverent.*

L. De iis autem, qui mortis periculo pretio ſe addicebant, capiendus locus apud Quinctilianum argumento Declamat CCCII. *Quidam ut Patrem ſepeliret, auctoravit ſe die muneris productus ſub titulo cauſæ, rudem poſtulante populo accepit.*

LI. De poſtremo, nempe publica criminis damnatorum teſtificatione præcipuus locus eſt apud Johannem Evangeliſtam, cujus gratia ceteros titulorum ordines in campum eduximus: & in quem nunc inquiremus curatius.

LII. Ex hoc autem τίτλȣ voce colligas, quam tritum ſermone, imo ſolenne hoc nomen apud veteres in hac ſignificatione fuerit, ut etiam in græcam lingvam admiſerint Helleniſtæ: quod tamen iis vel ſolis, vel utplurimum accidiſſe, docet Caſaubonus *Exercitat. ad Baronium IX. n. III.* quæ cum militia & jurisdictione Romana terrarum orbem pervaſerant, forenſibus nempe & militaribus, quorum uſus apud populos Romano jugo ſubjectos quotidianus erat. Hæc magno numero collecta ſiſtit Bartholomæus Mayerus *Philolog. Sacræ part. I. cap. VI.* ex quo etiam diſces, vocabula latina in N. T. ſermone occurrentia a ſcriptoribus ſacris græca civitate minime primum donata, ſed potius maximam partem ex Ebræa ſeu Syro-Chaldæa Herodis Magni tempore la-

tinis-

Digitized by Google

tiniſmis æque, ac ſub imperio Græcorum helleniſmis deformata in Græcam linguam commigraſſe.

LIII. Occurrere nomen hoc latinum crebro in Græcis Conſtitutionibus Imperatorum, auctor eſt Gretzerus *de Sancta Cruce Tom.I. lib.I. cap. XXVIII.* Servavit etiam Nonnus in paraphraſi Johannis:

> γράμμα, τόπερ καλέουσι λατινίδι τίτλον ἰωῇ
> *Scriptum, quod latina lingva vocant titulum.*

LIV. Quod vero Græci mediam vocalem extrudant, id facere putandi ſunt genio lingvæ ſuæ, & fecerunt id in aliis etiam hujusmodi vocabulis; qualia ſunt κάτλος, *Catulus*, βίβλος, Bibulus, λέντλος, *Lentulus*: quæ apud Plutarchum & alios, qui de rebus Romanis Græce ſcripſerunt, paſſim obſervare licet. Hinc etiam παράτιτλα Juſtiniano ſummæ rerum ad titulos appoſitæ.

LV. Ceterum quod nomine Romano τίτλον dixit Johannes, illud ipſum Matthæi XXVII. 37. per αἰτίαν, Marcus cap. XV. 26. per ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας, Lucas cap. XXIII. 38 ſimpliciter per ἐπιγραφὴν expreſſerunt.

LVI. Nempe competebat hoc nomen non tantum literatæ alicui tabellæ, ſeu cippo, ut & codicillo una cum literis; ſed & inſcriptioni, ut tabellæ contradiſtingvitur. De priori clare Heſychius: τίτλος πλυχίον ἐπίγραμμα ἔχον, *Codicillus inſcriptionem continens.* γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα, dixit Dio Caſſius, γραπτὰς σανίδας Heſychius, πίνακα Euſebius.

LVII. De ſolis Inſcriptionibus a ſubjecto ſuo ſeorſim intellectis agitur, cum apud Svetonium in Domitiano cap. XXIII. *eradi tituli*, apud Paulum Ic. lib. I. tit. XXII. *monumentis inſcripti tituli eradi*, & apud Petronium pittacia *affixa amphorarum cervicibus cum titulo* dicuntur,

Ppppp Juve-

Digitized by Google

Juvenalis Sat. X. --- *titulique cupido*
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.

LVIII. Porro ad ea quoque tractum eſt, quæ cum ipſis rebus ejusmodi tabulis inſcribi ſolitis ſignificandi ſimilitudine conveniebant. Sic Titulus pro cauſa, aut prætextu, ſeu ſpecie invenitur, ut in illo Curtii lib. VII. cap. V. §. 20. *Titulum facinoris ſpecioſum præferre*, Livii lib. XXXVII. cap. LIV. *Titulum belli prætendere*, Velleji lib. II. cap. XLV. *ſub titulo miniſterii relegari.* Sic Valerius Maximus lib. IX. cap. XII. *Fine vitæ noſtræ variis & occultis cauſis expoſito, interdum quædam immerentia ſupremi fati titulum occupant.*

LIX. Sicut autem inſcriptiones cauſas continebant, quis poſuiſſet, & cur poſuiſſet, ita *Titulus* poſtea pro cauſa abſolute poſitus: quemadmodum etiam honeſtorum contractuum cauſam *Titulum* dici mille locis apud Jctos, teſtatur Barthius *Adverſarior. lib. XLV. cap. V.* & Theodorus Hopingk *de Jure Inſignium cap. XXII. n. XVII.* ubi & aliæ res complures Titulorum nomine dictæ enarrantur.

LX. Et videntur natales pari modo ſtatui poſſe titulis laudem aut laudabile quiddam ſignificantibus, ut ſicuti nomen, laudes, resque bene ac proſpere geſtas Titulus ſeu inſcriptio ſtatuæ monumentive contineret, ita pro honore, dignitate atque bono elogio ea vox uſurparetur. Pro nomine ponitur a Juſtino lib. XII. cap. XI. *Inſignis hæc munificentia non ſumma tantum verum etiam titulo muneris fuit.* Svetonio in Domitiano cap. I. *Honorem præturæ cum conſulari poteſtate titulotenus ſuſcepit.* Vellejo lib. II. cap. LXIII. *Antonius titulo Imperii cedebat Lepido, cum ſumma virium penes eum foret.*

LXI.

LXI. Pro laude vero capiendum apud Solinum Polyhiſt. cap. I. & LV. *quando pernicitatis & felicitatis tituli* meminit, docet Salmaſius *in Exercitat. Plinianis*. Pari ratione *principalis titulus, honor, præſumptio, exiſtimatio* apud Tychonium Afrum fine Regulæ VII. item *meritum, præconium & obſequium.* Clemens lib. VII. Recognitionum: *Et ideo nequaquam titulo caritatis imminuto, quæ utilia videntur & neceſſaria procuremus:* hoc eſt, honore illo, quem caritati debemus.

LXII. Sic *Titulare* non tantum inſcribere, nominare, cenſere, ut apud Johannem Maxentium ad Hormisdam: *Vnde non eſt facile credendum, hanc eſſe epiſtolam, cujus fertur nomine titulata:* de quo Voſſius *de Vitiis Sermonis Latini lib. IV. cap. XX.* ſed etiam honorare, ornare. Pontius Diaconus in vita Cypriani: *Nec enim aliud oportebat, quam ut eum, qui intra ſecretam conſcientiæ latebram religionis & fidei honore florebat, etiam publice celebrata gentilium fama titularet.* Tertullianus libro de judicio Domini:

Quis mihi ruricolas aptabit carmine Muſas,
Et vernis roſeas titulabit floribus auras?

LXIII. Vnde Titulus ſimpliciter pro honore, ornamento. Scribonius Largus Epiſt. ad Calliſtum: *Ego certe aliquoties magnum ſcientiæ conſecutus ſum titulum ex uſu proſpere datorum medicamentorum.* Paulinus ad Nicetam:

Ibis illabens pelago jacenti
Et rate armata titulo ſalutis
Victor antenna Crucis ibis undis
Tutus & aſtris.

LXIV. Inprimis autem nomen hoc ſedem hodie propriam

priam quaſi & domeſticam ſibi fixit in epithetis illis, quibus opinionem, quam de virtute alicujus aut dignitate concepimus, prodere ſolemus: quæ Feltmannus lib. I. *de Titulis Honoris cap. III.* dicit *brevem atque juſtam honoris debiti vel muneris ei dati aut rerum notam.* Ita apud Curtium lib. IV. cap I. legimus, *vehementer offenſum Alexandrum, quod Darius ſibi Regis* titulum, *nec eundem Alexandri nominis adſcripſerit.*

LXV. Sed ut ad Titulum S. Johannis revertamur, cum dicatur γεγραμμένος *literas, inſcriptionem*, cum vero τεθειμένος ἐπὶ τοῦ σταυροῦ, ſoliditatem ſuam declarat, ſive ipſam, cui αἰτία inſcribebatur, tabulam.

LXVI. Ceteri autem Evangeliſtæ cum diverſis vocibus rem eandem proponerent, titulum ejuſmodi omnes in animo habuiſſe, par eſt credere. Cum enim verbum in Græca lingva non reperirent, quod examuſſim reſponderet voci Latinæ, ad ſignificationem exprimendam, quam ſententia loci poſtulabat, unusquisque apta voce, ex tituli πολυσήμου ſignificationibus unam alteramve deſignante latinum ſenſum reddere ſtuduit.

LXVII. Matthæo αἰτία placuit, cauſa videlicet, cur CHRISTVS ſit crucifixus; per quam titulum recte exponi, cum ex dictis arbitramur clarum eſſe, tum etiam ex Gloſſis a Lipſio *lib. II. de Cruce cap. XI.* laudatis, ubi legas: Αἰτία, *cauſa, materia, titulus.* Marcus ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας, Lucas ſimpliciter ἐπιγραφὴν poſuerunt. Quæ egregie illuſtrant verba Canonis XXXVI. ex Concilio Carthaginenſi apud Zonaram: Ἡ ἐπιγραφὴ λέγεται καὶ ἡ αἰτία. Ἀλλὰ καὶ τὸ βιβλίον, ὡς ἐν τοῖς νόμοις που γέγραπται. Et illa item Harpocrationis, cum ὅρους vocat τὰ ἐπόντα ταῖς ὑποκειμέναις οἰκίαις καὶ χωρίοις γράμματα. Vbi γράμματα

ματα non eſſe literas ſolas, quæ fundum pigneratum declarant, ſed ipſas columellas, in quibus ſcriptæ literæ hoc indicantes, inquit Salmaſius *de modo Vſurarum cap.XV.*

LXVIII. Quandoquidem vero, ut eſt apud Quinctilianum *Declamat. CCLXXIV.* pœna omnis non ad delictum, ſed ad exemplum pertineat, exemplum vero tale eſſe deſinat, niſi aliorum animos oculosque in ſe convertat, Judææ Procurator Pilatus de Domino & Servatore noſtro JESV CHRISTO ultimum ſumturus ſupplicium non tantum in Calvariæ monte, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri metu poſſent, affigendum cenſuit, pœnæ cauſam in tabula ſuper caput affixa publice exſtare voluit, ut cuncti, qui legerent eam, a ſimili flagitio tanto rectius ſibi caverent.

LXIX. Atque hoc more Romano ab eo factum eſt, quo nemo nocens aut ſupplicio ullo addictus, titulo ejusmodi tanquam indicio & nota criminis, cujus reus peractus & puniendus erat, caruit: quamvis ratio illius publicandi nonnihil variaret.

LXX. Aliquando enim præco, ſilentio facto, clara voce, & ut eſt apud Apulejum, *amplo boatu* cauſam criminis ad populum claſſico hoc advocatum, ipſo ſupplicii exigendi tempore, pronunciabat, lictoremque lege agere jubebat. Quo reſpexit Horatius Epod.IV.

Sectus flagellis hic triumviralibus
Præconis ad faſtidium.

Et Seneca Controv.V. *Aſcendit prætor tribunal inſpectante provincia, noxiæ poſt terga ligantur manus, ſtat intento ac triſti omnium vultu, fit a præcone ſilentium, adhibentur deinde legitima verba, canitur ex altera parte claſſicum.* Spartianus in Severo cap. II. *In legatione* procon-

ſulari Africæ, *cum eum quidam municipum ſuorum Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ut antiquum contubernalem ipſe plebejus amplexus eſſet, fuſtibus eum ſub elogio ejusdem præconis cecidit:* Legatum Romanum homo plebejus temere amplecti *noli.* Alexander quoque Severus, ut eſt a Lampridio in ejus vita cap. LI. proditum, *per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat:* Quod tibi fieri non vis, alteri ne *feceris.* Idem Imperator apud eundem. cap. XXXVI. *Vetronium Turinum in foro Tranſitorio ad ſtipitem ligari præcepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri juſſerat, necavit, præcone dicente:* Fumo punitur, qui vendidit *fumum.* Trebellius Pollio in vita Gallieni cap. XII. *Cum quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet ejus uxori, atque illa, re prodita, vindicari vellet; ſurripi quaſi ad leonem venditorem juſſit; deinde e cavea caponem emitti: mirantibusque cunctis rem tam ridiculam, per curionem dici juſſit,* Impoſturam fecit & paſſus *eſt.* Ambroſius quoque *Serm. XC.* judicem narrat Agnem virginem ſpoliari & nudam ad lupanar duci juſſiſſe, ſub hac voce præconis: *Agnem ſacrilegam virginem Diis blaſphemiam inferentem ſcortum lupanaribus datam.*

LXXI. Interdum vero ſcripturam pro præconis voce adhiberi, & elogium, ſi non pronunciari, ſcribi tamen, præferri, vel applicari damnatis cœpiſſe, certum. Quod priorum Imperatorum ævo potiſſimum invaluit. Ita enim ſervus ſub Auguſto, qui herum Cæpionem conquirentibus ad necem prodiderat, per medium forum a Cæpionis patre traductus cum titulo literisque ſupplicii cauſam indicantibus, cruci tandem ſuffixus fuit, teſte Dione *lib. LIV.* Apud Svetoninm in Caligula cap. XXXII.

ſer-

Digitized by Google

ſervus ob detractam argenteis lectis laminam, manibus abſciſſis atque e collo pendentibus, praeunte titulo, qui cauſam pœnæ indicaret, per cœtus epulantium circumductus eſt. Lugdunenſes de Attalo martyre apud Euſebium lib.V. cap.I. περιαχθεὶς κύκλῳ τοῦ ἀμφιθεάτρου, πίνακος αὐτὸν προάγοντος, ἐν ᾧ ἐγέγραπτο ῥωμαϊστί, οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός. *Circumactus per amphitheatrum, tabella ipſum praeunte, in qua Latine ſcriptum. Hic eſt Attalus Chriſtianus.*

LXXII. Verum ſuper dictum præconis & inſcriptionem aliquando ſimul eſſe adhibita, ex antiquorum monumentis adſtrui vix poteſt. Hieronymus quidem Xaviorius in *Hiſtoria CHRISTI Perſica* de titulo Crucis CHRISTI id affirmat, cujus verba latine facta jam ſupra adduximus. Verum quid is homo veri proderet, qui CHRISTI Hiſtoriam tantis conſpurcavit mendaciis? ut merito cum Salmaſio *Epiſt. II. de Cruce*, deploremus, quos tales Evangeliſtæ doctrina CHRISTI imbuendos ſuſcepere.

LXXIII. Nec minus etiam vehementer errat, quisquis eſt in Gemara Babylonica *ad cap. VI. Sanhedrim* ſcribens: *Traditio eſt veſpera Paſchatis ſuſpenſum fuiſſe JESVM, praiſſeque præconem per XL. dies ſic dicentem: Prodit iſte lapidandus, eo quod præſtigias egit, & perſuaſit & ſeduxit Israëlem: Quicunque novit pro eo defenſionem, prodeat & proferat. At non invenerunt pro eo defenſionem. Suſpenderunt ergo eum veſpera Paſchatis. Dicit Illa: Contrarius videtur defenſioni, cum eſſet ſeductor, dicatque Deus: non parces ei, nec de eo celabis.* Devt. XIII. Cauſam erroris habere videtur, quod crucifixionem Romano more totam peractam ad leges Judaicæ lapidatio-

tionis exigere velit. Vbi, ut & in reliquis Judæorum ſuppliciis, crimen, ob quod damnatus peribat, voce præconis populo manifeſtatum non negamus.

LXXIV. Mos autem ille crimina reorum publicandi non Romanis tantum proprius fuit, ſed gentes pleraſque pervaſit. De Siculis teſtatur Diodorus Siculus *lib. XIV. Bibliotheca*, apud quos Dionyſius de Phytone Rheginorum Duce ſupplicium, imminente crimenque exponente præcone, exegit. Ipſi Iaponenſes, ſi Jacobo Boſio *de Cruce triumphante lib. I. cap. XI.* credimus, cum titulis Jeſuitas Evangelii prædicatores in crucem egerunt: & Turcæ cum potati vini quemquam convincunt, omnium eum injuriis exponunt, pileo capiti impoſito, in quo delictum inſcriptum eſt. Imo & jam in Italia hoc ſervari interdum, ut, qui puniuntur, ſcripturam geſtent, quæ delictum aut pœnæ cauſam complectitur, auctor eſt Honoratus Niquetus *Hiſtoria Tituli Crucis CHRISTI cap. XVII.* Johanni Huſſo martyri coronam ex papyro factam, & ad ſpeciem pyramidis faſtigiatam cubitali ferme longitudine impoſuerunt, in qua tres Cacodæmones erant depicti, cum hac inſcriptione: *Iſte eſt Hereſiarcha.* Quam conſpiciens dixit: *Dominus meus JESVS CHRISTVS pro me miſero longe aſperiorem atque graviorem coronam ſpineam innocens ad infame genus mortis geſtare dignatus eſt; quapropter ego miſer peccator hanc multo leviorem coronam, quanquam meum in ludibrium, libens nominis ipſius ac veritatis cauſa in capite feram.*

LXXV. At enim CHRISTVM more apud Romanos tum recepto, ſine viva præconis voce, titulo ſolum ſuper caput affixo, ſupplicum ſubiiſſe, circumſtantiæ pleræque

ræque omnes nobis perſvadent. Quamvis negare nolumus, cum in quemquam animadverteretur Imperatorum recentiorum temporibus, populum crimen & pœnæ cauſam ex præcone ſuperdicente apud ipſos Romanos iterum addidiciſſe: quo tamen tempore mos ea ſcribendi exoleverat. Exempla ſuperindictorum talium attulimus §. LXX. & plura congeſſit Briſſonius *de Formulis lib. V.* quo etiam titulum parmularii apud Svetonium reducit Caſaubonus *Exercitatione Anti-Baron.* XVI. LXXXVI.

LXXVI. His ita ſe habentibus, videndum nunc eſt, quomodo titulus CHRISTI crucis fuerit comparatus.

LXXVII. Singularis eſt opinio Nicolai Lyrani, cauſam CHRISTI in charta ſcriptam, atque hanc tabulæ ligneæ ſuper caput CHRISTI appenſæ affixam fuiſſe. Hanc tamen, cum ſit ſine ſuffragio antiquitatis, non immerito deſerimus.

LXXVIII. Ex ligno fuiſſe, plerorumque omnium eſt ſententia. Quamvis enim iis temporibus chartarum membranarumque uſu promiſcue jam patente, dolati ex ligno codicilli in epiſtolis reque libraria univerſa fere deſiiſſent, obtinuerunt tamen adhuc ligneæ tabellæ vel cera inductæ; vel nudæ etiam, ſeu cera non illitæ, in quibus ea potiſſimum ſcripta, quæ tempeſtatum, aut rerum aliarum injuriis expoſita ætatem ferre debebant. Quas poſteriores *ſchedas* appellat Plinius lib. XIII. cap. XI. deque iis Joſephus Scaliger contra Gvilandinum *de Papyro* membro III. Aliud *eſt cera, aliud ſcheda. Scheda non eſt delebilis, erat enim pagella lignea.*

LXXIX. Hujuſmodi fuerunt, ex quibus pueri ἀναλφάβητοι diſcerent. Plautus Bacchid. act. III. ſc. III.

 Ex-

Digitized by Google

Extemplo puer pædagogo tabula dirumpit caput.
Quod certe tenuis aliqua ex papyro pagella non potuiſſet. Librum etiam ex aſſellis ſeu tabellis Hebraicis & Latinis characteribus ſcriptum, prope Toletum inventum eſſe temporibus Regis cujusdam Ferdinandi, narrat Rodericus Sanctius Epiſcopus Palentinus *parte III. Hiſtoriæ Hiſpanicæ cap. IV.* Quod etiam de codice Evangelii D. Mathæi Hebraice ſcripto & in monumento D. Barnabæ Apoſtoli invento Baronius in *Martyrologio Romano* refert. Cum item Juſtinianus Novella XXX. mandat, *ut ſi quis alienis prædiis titulum privati alicujus nomine affixiſſet, præter ceteras pœnas etiam titulus in capite hujusmodi hominis comminuatur,* manifeſtum eſt ſolidioris eum materiæ eſſe debuiſſe, cum pœna alias gravis cenſeri non potuiſſet, ſi titulus tantum fuiſſet chartaceus, vel membranaceus.

LXXX. Sed inprimis id neceſſe erat in crucifixorum elogiis, quandoquidem corpora eorum plerumque in cruce relinquebantur, donec putrefacta ſponte defluerent, aut aves beſtiæque carnivoræ ea depaſcerentur; niſi ex indulgentia & clementia quadam judicis potius, quam ex Romanorum more ſuſpenſi corpus ad ſepulturam concederetur.

LXXXI. Hujusmodi titulos Græci auctores Σανίδας, hoc eſt, *aſſeres, tabellas, ſtipites* vocabant. Heſychius: Σανὶς, θύρα. Σανὶς λευκὴ, λεύκωμα, ἐν ᾧ αἱ γραφαὶ Ἀθήνησιν ἐγράφοντο πρὸς τοὺς κακούργους. Τίθεται δὲ καὶ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ. Σανίδας apud Juſtinianum, γραπτὰς σανίδας apud Agathiam; σανίδια, πίνακας, πινακίδια apud alios paſſim reperias.

LXXXII. Quo vero ligni genere conſtiterit tabella hæc, non ſatis liquet.

LXXXIII.

LXXXIII. Qui ex diverſis lignis compactam tradidere crucem, ſingulare quoque lignum titulo addicunt. Hinc Pſeudo-Beda in Collectaneis: *Buxus non fuit in cruce, niſi tabula illa de ligno ſuper frontem CHRISTI fuit, in qua conſcripſerant Judæi titulum.* Et auctor verſiculorum jam ſupra laudatorum:

--- *Titulo lætatur oliva.*

Ejusdem eſt farinæ, quod in Itinerario Antonini Martyris legitur de nuce, ex qua martyr titulum crucis CHRISTI manu tenens eundem fuerit oſculatus.

LXXXIV. Sed quis credat in tanta præcipitantia, qua compingi crucem oportuit, tantum in conquirendis lignis ſelectum fuiſſe?

LXXXV. Quod igitur ſupra de ipſa Cruce, nunc denuo de titulo habeo affirmare; non videri ex alio fabricatum ligno, quam quod in Judæa maxime vulgare fuerit primumque obvium: inprimis ſi ex uno ligno & crux & titulus crucis formatus fuit: id quod Honorato Niqueto quoque videtur probabile.

LXXXVI. Quod ſi igitur Buxus inter illa ligna locum habuiſſet, non multum in hac materia refragarer. Ex buxo certe ſæpius formabantur tabellæ, in quibus ſcribebatur: ut etiam Prudentius pro ipſis tabulis *buxum* poſuerit. Et vulgatus Bibliorum interpres illud Eſaiæ XXX. v. 8. *Scribe ſuper tabulam,* reddit, *ſcribe ſuper buxum.* Et ex buxo quidem plebem pugillaria habuiſſe, opulentiores vero ex ebore, apud Scaligerum contra Gvilandinum *membro III.* legere eſt.

LXXXVII. Et hi quidem ſcriptores quamvis de tabulis cera induci ſolitis loquantur, eadem tamen ratio fuit nudarum ac ceratarum, in quantum ſcilicet utræque

Digitized by Google

facilioris ſcriptionis cauſa lævigandæ, æquandæ & expoliendæ erant: quo pacto ligna cuncta, quæ dolabram aſciamque admittebant, ad ſcribendi uſum fuiſſe idonea videntur. Illud tantum diſcriminis intercedebat, quod hæ ceræ cruſta, illæ vero colore albo induci ſolerent.

LXXXVIII. Hanc tabularum diverſitatem apud Demoſthenem etiam obſervavit Budæus, unde *Commentario Lingvæ Græcæ* monet, *duo tabularum genera fuiſſe, unas λευκοῦσθαι ſolitas, id eſt, albario quodam induci, alteras vero cera liquefactas illini, quæ facile delebiles erant.* Atque illæ quidem dealbatæ λευκώματα appellabantur: quod nomen pro λελευκωμένοις γράμμασι plerumque adhibitum fuiſſe, idem Budæus alibi obſervat. Etymologicum magnum: λεύκωμα, πίναξ γύψῳ διηλειμμένος· πρὸς γράμματα πολιτικὰ γραφόμενα ἐπιτήδειος. Vnde etiam Latinorum *Album* nomen videtur accepiſſe.

LXXXIX. De his quia ſollicitè & accurate egit ſummus Vir Claudius Salmaſius libro *de Modo Vſurarum*, verba ejus non pigrabimur adſcribere. Sic autem cap. XV. *Elogia iſta condemnatorum tabellæ erant ligneæ dealbatæ gypſo vel ceruſſa, in quibus literæ ex encauſto vel atramento ſcribebantur. Græci λευκώματα appellant, quas alii σανίδας γύψῳ διηλειμμένας interpretantur: alii σανίδας ſimpliciter λελευκωμένας.* Album *hujuſmodi tabula Latinis dicitur. Vnde* Album Prætoris. *Omnes tabellæ, libelli, tituli in publico proponendi aut affigendi ita erant dealbati & ſcripti.* Vnde Album citharœdorum, *id eſt, laterculum in quo nomina eorum ſcripta habebantur.* Album judicum *ſimiliter judicum nomina continebat. Inde* adſcribi albo judicum, *&* eradi albo judicum *apud Svetonium. Antiquis ſane Græcis λεύκωμα nihil aliud eſt,*

quam

Digitized by Google

quam tabella dealbata & ſcripta encauſto. Diogenes Laertius in vita Canis cognominis: πληγὰς ἔλαβε καὶ ἐγγράψας τὰ ὀνόματα τῶν πληξάντων εἰς λεύκωμα περιῄει ἐξημμένος. *Appenſa collo tabella, cui nomina eorum, a quibus pulſatus fuerat, inſcripta inerant, ſic incedebat. Tituli e ſervorum venalium collo ſuſpenſi, quibus, quid in ſingulis vitii morbive eſſet, ſignificabatur, tabellæ fuere albæ nigris notatæ literis. Demoſthenes contra Timocratem meminit legis Solonis* εἰς λεύκωμα, *hoc eſt, in album ſeu tabulam albam relatæ & publice propoſitæ. Tabulas auctionarias apud Romanos, quibus bona proſcribebantur venalia,* λευκώματα *fuiſſe, nobis compertum eſt. Quin & illæ proſcriptionum tabulæ, quæ, ut ait Tertullianus,* non ſolum ſangvinem ſuffundebant, ſed & effundebant, *ut Syllana, ac Triumviralis Octavii, Antonii & Lepidi, etiam* λευκώματα. *Ita eas vocant Auctores Græci, qui res Romanas ſcripſerunt. Dio de Syllana:* ἔτι γὰρ προσθείη τις λευκώματι, αἰτίαν ὡς πλουτεῖ ἀγμονεῖν τι εἶχεν. *Paulo ante* πινάκια *vocavit,* & λελευκωμένους πίνακας. *Johannes Antiochenſis de Triumvirali proſcriptione:* καὶ ἵνα μὴ κεναὶ ἐν τοῖς λευκώμασιν τῶν ἀνδρῶν αἱ χῶραι ὦσιν, ἑτέρους ἀντέγραψαν, ὅτι καίπερ καὶ Λέπιδος, καὶ Ἀντώνιος. Conferatur idem *Epiſt. I. de Cruce* ad Thomam Bartholinum, & Joſephus Scaliger in *Animadverſionibus Euſebianis ad ann.* CIϽIϽ CCCC LXXIII.

XC. Quandoquidem itaque omnes damnatorum tabellæ ita dealbatæ fuerunt, dealbatum etiam CHRISTI titulum fuiſſe, haut obſcurum eſt. Et fuiſſe talem Sozomenus teſtatur, titulum exſtitiſſe dicens καὶ χωρὶς ἄλλο ξύλον ἐν τάξει λευκώματος, ῥήμασι καὶ γράμμασιν ἑβραϊκοῖς, ἑλληνικοῖς τε καὶ Ῥωμαϊκοῖς, quem ſequitur Nice-

 pho-

phorus *Hiſtor. Eccleſ. lib. VIII. cap. XXIX.* λελευκωμένην σανίδα, *tabulam dealbatam* memorans.

XCI. Tabula in hunc modum parata, videndum nunc, quo potiſſimum modo in ea ſcriptum fuerit. Variabat enim is apud antiquos. Alia quippe ſcribendi ratio erat, cum tabulis cera cruſtatis incidebant literas, alia cum in charta aut dealbata tabula eas pingebant: illic ſtylo, hic calamo opus erat. In pugillaribus enim ſcribebant ſtylis ferreis; in papyros autem arundineis calamis, & poſtmodum etiam avium pennis. Nec enim penna, neque calamo ſcite arari poterat cera; nec contra charta ob raritatem ſuam ſtyli acumen patiebatur: quod λελευκώματα ſi paterentur forte, tamen non expoſcebant, ut pote in quibus per omnia non aliter ac in ipſa charta ſcribi ſolebat. Cum etiam in ceris ſufficeret ſtylus ſeu inſtrumentum quo ſcribebatur, pennæ & calami niſi coloribus intincti non valebant ad ſcriptionem. Vnde materia etiam opus, ex qua literæ fingerentur, quæ communiter *atramentum librarium* erat, ut vocat Victruvius, ſive *ſcriptorium*, ut nominat Cornelius Celſus: de cujus parandi modo ex veteribus agunt Dioſcorides lib. V. cap. CLXXXIII. & Plinius lib. XXXV. cap. VI. & ex recentioribus Hermannus Hugo *de prima ſcribendi origine cap. IX. X. XII.* Gerhardus Johannes Voſſius *de Arte Grammatica lib. I. cap. XXXVI. XXXVIII. XXXIX.* Leo Allatius *Animadverſionibus in Antiquitatum Etruſcarum fragmenta ab Inghiramio edita* §. *LXXIX.*

XCII. Cui tamen incredibile videtur, dolatam tabulam ita pingi calamo poſſe, ne literæ in lubrico illius materiæ fugiant, is cogitet, de noſtris tantum calamis pennacei generis, quibus hodie ſcribimus, id videri debere:

bere: nam veteres alios de arundine habuere, quos etiam aliter temperabant: atramentum quoque quo utebantur, a noſtro diverſum, ebori etiam, ne dicam ligno politiſſimo, pingendo aptum fuit: uti obſervavit Salmaſius *ad Vopiſci Tacitum cap. VIII.*

XCIII. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, titulum noſtrum eo ſcripturæ genere debuiſſe notari, quod calamo & atramento perficiebatur: quandoquidem, ut paulo ante oſtendimus, in λευκώματι ſcriptus fuit. Et ſuffragatur nobis Johannis Evangeliſtæ paraphraſtes Nonnus, quando σοφῷ καλάμῳ expreſſum ait.

XCIV. Vapulat quidem eo nomine Ariſtarcho ſeu Danieli Heinſio, *Exercitat. Sacr. cap. IX.* qui titulum ita fuiſſe vult cælatum, ut literarum ductus in tabula eminerent, non introrſum cederent: quod operis genus vernacula noſtra dicimus erhobene Arbeit.

XCV. Vix tamen alia ratione ducitur Heinſius, quam quod tali cælatura in lamina frontali coronæ Pontificalis inſculptæ eſſent literæ, quæ typum tituli inſcripti & cruci CHRISTI impoſiti repræſentarent.

XCVI. Verum præterquam quod de hoc merito dubitari poſſit; ſi tamen vel maxime concedatur, non neceſſe tamen fuit literas ac inſcriptionis formam examuſſim reſpondere. Nam quid coronæ cum titulo? quid auro cum ligno? Adde quod ἐκτύπωμα σφραγῖδος Exodi XXIX. 30. in quo præcipuum Heinſii robur, cavatura potius fuerit, quam cælatura ejusmodi exſtantibus literis. Ita enim & σφραγῖδες, hoc eſt, ſigilla annulorum, ſculpi moris erat, ut cum ceris inprimerentur, exſtantem in iis figuram exprimerent, cujusmodi ſigilla in muſeo

Bo-

Boſiano penes me ſuperſunt aliqua, ac multo plura candidæ ceræ cura B. Boſii impreſſa.

XCVII. Bene tamen eſt, quod Heinſius in poſteriori editione *Ariſtarchi* de ea re dubitare cœperit, multoque remiſſiorem & placabiliorem Nonno ſe præbuerit. Nam qui ante *ineptus* ei erat, nunc ſolummodo ***non placet*** & ***imprudens*** eſt: imo ***cælaturam*** nunc ait ***eſſe potuiſſe***, quæ olim omnino erat cælatura. Sed merito quærit Salmaſius, ſi cælatura eſſe potuerit, cur non & ſcriptura? & hæc quidem potius, quia & Evangeliſtæ ſcripturam fuiſſe uno conſenſu affirmant.

XCVIII. Sic itaque omnis ſcriptoria ſuppellex in promtu; jam manum ad tabulam. Sed num Pilati, an ſcribæ alicujus, merito ambigimus: utraque enim a magni nominis viris prenſatur. Salmaſius ipſe de *Modo Vſurarum cap. XV.* de genuina dubius, ait, ***Elogia condemnatorum aut ab ipſis judicibus ut plurimum fuiſſe ſcripta, aut adfuiſſe, cum ſcriberentur.*** Petrus Faber *Semeſtrium lib. II. cap. VIII.* Emundus Merillius *Notis Philologicis in Paſſionem CHRISTI in Johannis cap. XIX.* & nonnulli alii ipſius Pilati manum amplectuntur. Et ſane his favere videtur Evangeliſta, diſerte affirmans: ***Scripſit & titulum Pilatus.*** Et poſtea ipſe Pilatus in hæc verba erumpit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.*

XCIX. At vero quod ſupra de Flagellatione CHRISTI, quam Matthæus & Johannes ipſi tribuunt Pilato, diximus, id hic in ſcriptione quoque tituli locum habeat; nempe quod ejus juſſu & auctoritate factum, recte in ipſum conferri Pilatum.

C. Cum enim ſcribarum Romæ & in provinciis magnus eſſet numerus, qui ſingulis magiſtratibus eo appa-

Digitized by Google

paruerunt nomine, ut rationes publicas in tabulas referrent,& leges actaque omnia perſcriberent,non dubitandum eſt Pilato,qui Cæſaris loco Judæam gubernabat, tales præſto fuiſſe; ut recte adeo Prudentius Pilatum introducat loquentem:

--- Tu, ſcriba, tripictis
Digere verſiculis, quæ ſit ſuffixa poteſtas.

CI. Inprimis etiam operoſa ſcriptio in tabula, & in hac quidem trilingvis repugnare videtur faſtigio & auctoritati Procuratoris Pilati: quam ſane magnam fuiſſe, ex ſuperioribus elucet.

CII. Singularis eſt opinio Nicqueti, ac ſi non unus, ſed plures ſcribæ exararint titulum. Nam *lib. I. cap. XII. Hiſtor. Tituli Crucis CHRISTI* ait, *ſibi certum videri, non ab uno eodemque ſcriptum totum titulum, neque eundem græcas latinasque literas ligno inſculpſiſſe.* Sicut enim nullus dubitat, quin Romanus homo Romanas ſcripſerit literas, ita Hebræum Hebræas, Græcasque voces Græcum pinxiſſe conjicit.

CIII. Sed hæc conjectura quia ſoli diverſæ formationi literarum Græcarum & Latinarum N. A. Z. in fruſto tituli Romæ in Eccleſia S. Crucis in Hieruſalem aſſervati, innititur; hoc ipſum autem fragmentum ſubleſtæ procul dubio eſt fidei: quid de ea ſit ſentiendum, absque longiori diſputatione unicuique arbitror patere.

CIV. Quod ſi ergo non ipſe ſcripſit titulum Pilatus, multo minus ipſum cruci impoſuit. Vnde Salmaſius contra Heinſium ſic ſcribit: *Non ipſe certe Pilatus poſuit* (titulum) *ſed ponendum curavit. In ædium proſcriptione: Inſcripſit ædes, illico vendidit. Nimirum curavit vel juſſit inſcribi. Tædet plura congerere. In Hiſtoria Au-*

guſta ſimile eſt: Fecit ſibi lanceas, fecit ſibi thoracas, cum illi ipſi ſibi non fecerint, ſed faciendas procuraverint.

CV. Milites igitur prætoriani a Pilato, ſive etiam a centurione crucifixioni deſtinati, uti in aliis ad ſupplicium ſpectantibus, ita & in titulo figendo fuerunt occupati, ex quibus unus medium, qui cruciario pro ſedili erat palum conſcendens, ut manus clavis cruci affigeret, commode tunc tabulam impoſuit: quam ipſam quoque clavis fuiſſe firmatam par eſt credere. Nec aliter ſentit antiqvus auctor tractatus *de Sina & Sion* in Operibus Cypriani: *Pontius Pilatus infuſa mente a Deo, accepit tabulam & titulum tribus lingvis Hebraice, Græce & Latine, JESUS Nazarenus Rex Judæorum, & in capite ligni clavis tabulam cum nomine Regis Judæorum confixit.* Et Nonnus:

καὶ Πιλάτος θηητὸν ἐπίγραφε μάρτυρι γόμφῳ.
Et Pilatus ſpectabile inſcripſit teſtificante clavo.

CVI. Titulum enim CHRISTO vel prælatum, ut ſervo Cæpionis apud Dionem, aut Attalo Martyri apud Euſebium; vel cruci in urbe adhuc appoſitum, & a CHRISTO ſimul latum fuiſſe, ex eo nobis fit incredibile, quod Judæi non prius, quam in Calvariæ monte ſtatueretur, eum mutari petierint, cum ſi aliquid de eo ante accepiſſent, cavendæ eorum ignominiæ plurimum interfuiſſet, de mutando illo ante interpellare Pilatum, quam omnium oculis in excelſo proponeretur.

CVII. Quo vero ordine eorum, quæ circa crucifixionem CHRISTI & latronum contigerunt, titulus ſit appoſitus, variant Evangeliſtæ. Matthæus & Marcus poſt crucifixum CHRISTUM veſtimentorum diviſionem commemorant, ſubjungunt deinde tituli inſcriptionem, tan-

Digitized by Google

tandem addunt latronum crucifixionem. Lucas vero primum latrones crucifixos, deinde veſtimenta diviſa, tertio demum loco ſuperſcriptum titulum enarrat. Johannes primo loco latronum crucifixionem, ſecundo tituli inſcriptionem, poſtremo veſtimentorum diviſionem narrat.

CVIII. Quæ ſi perpendimus, exacte nequit definiri, quo ordine ſingula contigerint, cum probabile ſit, quædam, ut in tumultuariis actionibus fieri conſvevit, ſimul geſta eſſe, ut dum milites alii in CHRISTO crucifigendo occuparentur, alii interea cum duobus latronibus transigerent. Interim S. Johannis ductum in hac tractatione nos ſecutos, nemo nobis vertet vitio.

CIX. An vero tum demum ſcriptus ſit titulus, cum cruci eſt impoſitus, an ſtatim poſt ſententiam, in tam alto Evangeliſtarum ſilentio determinare difficile eſt.

CX. Merillio probabile, Gretzero etiam certum apparet, Pilatum domi ſuæ, cum ſederet pro tribunali, ſcripſiſſe vel dictaſſe titulum ſimul, vel ſtatim poſt ſententiam capitalem. Minimum ante parari non potuit, quam CHRISTVS judicatus & damnatus eſſet: quo quidem Heinſius, ut operoſam ſuam cælaturam tueatur, confugere audet, exceptus tamen a Salmaſio in præfatione libri *de modo Vſurarum* non immerito fabula, qua duo venatores litigabant de pelle urſi ante quam eſſet captus. Laudatus quoque Merillius a CHRISTO ſimul cum cruce latum fuiſſe putat titulum; ſed dum ferretur in via, plurimis concurrentibus, titulum a Judæis non ita facile deprehendi legive potuiſſe; ut tunc Pilatum de eo mutando interpellarent, veluti cum cruci ſuperpoſitus fuit.

CXI. Locum quod attinet, aliquando quidem non

cruci, ſed ipſius cruciarii fronti titulum applicatum, dicit Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce.* Noſtrum tamen Matthæus ſuper caput CHRISTI, Johannes ſuper crucem collocat, uterque ſenſu eodem, quandoquidem in recta cruce caput cruciarii ſuprema æquabat.

CXII. Ad regiam CHRISTI majeſtatem hoc refert Ambroſius lib. X. in Lucam: *Merito ſupra crucem titulus, quia non humani corporis, ſed divinæ poteſtatis eſt regnum, quod habet CHRISTVS. Merito ſupra crucem titulus, quia licet in cruce erat Dominus JESVS, ſupra crucem tamen Regis majeſtas radiabat.*

CXIII. De eo autem liticula quædam inter doctos ſuperat, ex arrectarione ſtipite eminuerit aliquid, cui titulus potuerit affigi, an vero ipſi antennæ ſit affixus; ſive, ut clarius dicam, an crux CHRISTI capitata fuerit, in qua ab illa parte, quæ transverſa figitur, ſurſum verſus de majori ſtipite aliquid relictum ſit; an vero fuerit ἀκέφαλος, in qua ſupra lignum transverſarium nihil de ſtipite arrectario prominens videbatur, quarum hæc cum majuſcula græcorum litera T comparari poteſt, communiter Crux commiſſa, illa vero cum Æthiopum ✢ aut etiam minutiori Latinorum t, *immiſſa* auctoribus, qui de Cruce ſcripſerunt, appellata.

CXIV. Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce* in illam videtur proclivior, nec neceſſariam putat talem ὑπεροχὴν ad titulum continendum, ſiquidem tabella dealbata poſſet affigi ad lignum transverſarium, media ejus parte, qua caput erat, præcipue cum mortui jam crucifixi caput in humerum alterum recumbens non vetaret conſpici ipſum titulum. Et ſane nobis hanc ſententiam videri probabilem, ex ſuperioribus clarum.

CXV.

Digitized by Google

CXV. Alii tamen commiſſam crucem nil niſi pi-ćturam & commentum eſſe, immiſſasque omnes, quibus in ſupereminenti ſtipite titulus hæreret, olim fuiſſe, acriter propugnant. Et negari non poteſt de immiſſa cruce ſententiam inter ſanctos Patres communiorem fuiſſe, uti locupletiſſimis eorum teſtimoniis palam facit Gretſerus *de Cruce Tom.I.lib. I. cap.III.*

CXVI. De magnitudine ligni ex crucis altitudine judicandum. Hanc autem cum non valde altam fuiſſe pluribus argumentis ſupra comprobaverim, nec tabulam titularem adeo enormem, vel ipſas literas tricubitales nobis imaginemur.

CXVII. Falluntur ergo Arnoldus Mermannius tractatu *de Cruce cap. XIV.* & Jacobus Boſius *de Cruce Triumphante lib. I. cap. VI.* quando τὸ ἐν εἴδει στήλης apud Nicephorum *lib.VIII. cap. XXIX. inſtar columnæ* vertunt, & ingentem columnam ſuper caput CHRISTI poſitam animo concipiunt. At decepit eos vox στήλη, quæ non columnam modo, ſed quemlibet titulum quamvis in columna non eſſet, deſignat.

CXVIII. Sed apparet tamen, voluiſſe Nicephorum eam tabulam non transverſam poſitam, ſed erectam ad inſtar στήλης, ut tituli ſepulchrorum collocari ſolebant. Hoc igitur modo impoſita ſuper caput CHRISTI fuiſſet  non ſic  Videatur Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce ad Thomam Bartholinum pag. 268.*

CXIX. Hinc itaque facile patet, grandiores literas in titulo non fuiſſe adhibitas, quam quæ ex loco hoc non nimium excelſo a prætereuntibus ſine magna contentione cognoſcerentur: præſertim cum in tabella dealbata

Digitized by Google

nigro encauſto ſcriptæ fuerint. Nihil enim ad remotiora diffunditur magis, quam in candido ſpatio nigræ emicantes notæ.

CXX. Certum tamen & indubitatum nobis eſt, quantum quidem ad Græcas Latinasque literas attinet, eas *majuſculas*, ut vocat vulgus, ſeu, ut Petronius, *quadratas* & *unciales* fuiſſe: cum iis temporibus characteres, quibus nunc utimur, & quos propter velocitatem currentemque calamum in iis expediendis *Curſivos* appellamus, omnino in uſu non fuerint, qui demum poſt Longobardicam in Italiam irruptionem ex majuſculis in eam formam ſeſe ſenſim induerunt. Et capitalibus illis quidem quadratisque literis omnia quæ publice proponebantur, deſcribi moris erat, *unde de plano recte legi poſſent*. Loqvuntur hoc inſcriptiones quæ inde usque a florentiſſima Romanæ linguæ ætate ad nos pervenerunt, magno numero. Imo antiquiora & vetuſtiora volumina non niſi tales prodere characterum formas, multi præclari viri annotarunt, quorum teſtimonia attulit Leo Allatius *Animadverſionibus in Antiquitates Etruſcas* §. *XXXIII*. Dictis fidem faciunt Pandectæ Florentinæ, antiquiſſimi Virgilii codices Vaticani, & his antiquior Terentianus a Fulvio Vrſino eidem Bibliothecæ legatus, qui toti majoribus hiſce characteribus perſcripti ſunt. Græcarum vero literarum itidem majuſcularum ſpecimina exhibent ex Dioſcoride MS. auguſtisſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Petrus Lambecius *Commentar. de Bibliotheca Vindobonenſi lib. II. cap. VII.* & ex Codice quodam MS. Alexandrino Brianus Waltonus *Apparatu ad Biblia Polyglotta Prolegom. II.*

CXXI. Prius autem ad alia quam pergamus, pauca de

Digitized by Google

de ea quæſtione ſunt dicenda. Num ſola CHRISTI crux ſuperpoſitum habuerit titulum, an vero cum ea quoque duorum latronum.

CXXII. Latronum cruces titulum non habuiſſe, refert Chryſoſtomus *homilia LXXXIV. in Johannem*, & Theophylactus *in cap. XIX. Johannis*, inque eam ſententiam inclinant Jacobus Gretſerus *de Cruce lib. I. c. XXVI.* Theophilus Raynaudus *de Sancto Latrone cap. II. n. V.*

CXXIII. At nulla ſane ratio nobis perſvadet CHRISTUM cum titulo ſuæ condemnationis cruci affixum fuiſſe, & latrones, qui cum eo pariter ſublati ſunt, titulo notatos non eſſe. Nunquam enim factum more Romano, ut aliquis nocens ullo ſupplicio affectus fuerit ſine elogio, quod erat indicium & notoria criminis, cujus cauſa reus peractus & punitus fuerat.

CXXIV. Sed, inquies, non meminere hujus tituli in latronibus Evangeliſtæ, qui de ſolo CHRISTO hoc tradiderunt.

CXXV. Veruntamen nec animus erat Evangeliſtis de horum ſupplicio ſigillatim agere; ſed ſatis pro inſtituto ipſis viſum dicere, crucifixos cum CHRISTO latrones, & medium inter eos locum CHRISTO datum: atque ideo nullam fecere mentionem elogii cruci illorum impoſiti, quia nec cauſam explicarunt ſupplicii, nec quo ſingulari crimine perierint. Certum tamen eſt, non ſine titulo in crucem datos fuiſſe, haut ſane magis quam ſine ſententia judicis condemnatos.

CXXVI. Perinde autem ac Evangeliſtæ, nos de ſolo CHRISTI crucifixi titulo erimus ſolliciti. Hujus concepta verba ſic tradit S. Iohannes: Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. *JESUS Nazarenus Rex Judæorum.* *Joh. XIX. v. 19.*

Matth. XXVII. v. 37 Luc. XXIII. v. 38.

rum. Matthæus vero & Lucas addunt demonſtrativum οὗτος. *Hic eſt JESUS Rex Judæorum:* quod quidem non e titulo deſcriptum, ſed ſententiæ perficiendæ cauſa ab illis adjectum putant; præſertim quia in his titulis brevitati ſtuduerunt veteres.

CXXVII. Nos tamen cum B. Gerhardo verba οὗτός ἐστιν non minus quam reliqua in ipſo titulo expreſſa putamus. Neque enim inſolens fuit veteribus τὸ δεικτικὸν cum nomine in titulo exprimere: ut in illo Attali: οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ χριστιανός. *Hic eſt Attalus Chriſtianus.*

CXXVIII. Sunt qui ludibrii cauſa hunc titulum a Pilato ſcriptum contendunt, ac ſi is CHRISTO exprobrare voluerit crimen affectati regni contra Judæos. Sed tanto minus id eſt probabile, quanto clarius conſtitit Pilato, injuſte JESUM de affectato regno eſſe accuſatum: ut nihil de eo dicam, haut ſane moris fuiſſe ignominioſis & contumelioſis verbis ejusmodi titulum conſcribere.

CXXIX. Credendum potius eſt, Pilatum hac inſcriptione CHRISTO dare voluiſſe teſtimonium innocentiæ. Qui enim in ferenda decretoria ſententia nullum invenire potuit crimen morte piandum, is in evulganda quoque per titulum ſolennem mortis cauſa non habuit, quod criminis loco CHRISTO vere objiceret.

CXXX. Præterea hoc elogio egregie ſe ultus eſt Pilatus de Judæis. Negabant illi, poſſe Cæſaris amicum eſſe, niſi eum, qui Regem ſe diceret, pœna crucis afficeret, quæ ſeditioſos maneret. Paruit ille: atque ita ſatis oſtendit, Cæſaris ſe gratiam cupere. Sed dum ſcribi jubet, JESUS Nazarenus Rex Judæorum, non (ut maluiſſent proceres Judæorum) qui ſe Regem diceret Judæo-

rum:

rum: exprobravit iis ſtultitiam, quod Regem exſpectarent, & quando haberent, voluiſſent eum cruci affigi.

CXXXI. Denique, neſcius licet Pilatus ſplendori gloriæ ac majeſtati Salvatoris noſtri per hunc titulum egregie velificabatur. Significabat enim hoc elogium, per crucis ignominiam nequaquam aboleri regiam ejus dignitatem, imo crucem eſſe ipſi ut & omnibus credentibus viam ad regnum & gloriam. Præclare igitur Beda in cap. XXVII. Matthæi: *Qui apte etiam, quoniam Rex ſimul & Pontifex eſt, cum eximiam Patri ſuæ carnis hoſtiam in altari crucis offerret, Regis quoque, qua præditus erat, dignitatem titulo prætendit, ut cunctis legere, hoc eſt, audire & credere volentibus inſinuaret, quod per crucis patibulum non perdiderit ſuum, ſed confirmarit potius & corroborarit imperium.*

CXXXII. Tribus lingvis conſcriptus fuit titulus, Hebræa, Græca & Latina; idque propterea factum, ut is a quamplurimis legeretur. Quandoquidem enim in feſto Paſchatos ex omnibus nationibus & gentibus Judæi, proſelyti & Romani Hieroſolymam confluerent, Pilatus tribus his lingvis elogium voluit deſcribi, ut ab omnibus, qui tum degebant Hieroſolymis legi cognoſcique poſſet. Neminem enim tum temporis commoratum Hieroſolymis, par eſt credere, qui non unam harum lingvarum calleret. Quam in rem non male cecinit Chriſtianus vates in *Apotheoſi:*

Fronte crucis titulus ſit triplex, triplice lingva.
Agnoſcat Judæa legens, & Græcia norit,
Et venerata Deum percenſeat aurea Roma.

CXXXIII. Et *Hebræa* quidem in uſu erat, ubi ſumebatur ſupplicium; Græca maxime familiaris erat Orienti,

Digitized by Google

ex quo Alexander Magnus eam ſubegiſſet, & Seleucidæ ſive Syromacedones imperium illic tenuiſſent, ut Ptolomæi in Ægypto. Latina autem, quia Judæa & Syria reliqua in Romanorum fuerat poteſtate, ex quo Pompejus Tigranem vicerat.

CXXXIV. Neque inſolens erat veteribus Romanis publica monumenta pluribus lingvis ſcribere, ut eo in plurium venirent notitiam. Herodotus de Dario Europam ingreſſo in *Melpomene:* Contemplatus *item Boſphorum, duos ſuper eum cippos erexit e candido lapide literis inciſis, unum quidem Aſſyriis, alterum vero Græcis.* Sic apud Joſephum *Antiquitat. Judaic. lib. XIV. cap. XVII.* C. Cæſar Dictator juſſit in publicis monumentis reponi edicta tum latino tum etiam græco ſermone. Sic poſtea Gordiani Junioris milites, ut habet Julius Capitolinus, titulum Imperatoris ſui inſcripſerunt *Græcis & Latinis, Perſicis & Judaicis & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur.*

CXXXV. Non igitur eo recurri opus, quod in tribus lingvis non contemnendum cernamus S. S. Trinitatis myſterium. Quo ſpectant verſus Sedulii:

Scribitur & titulus: Hic Rex eſt Judæorum.
Quod nihil a Deitate vacet: nam cælitus actum
Hoc Hebræa refert, hoc Græca, Latinaque lingva,
Hoc decet una fides, unum ter dicere Regem.

Et inter recentiores Pontificios id placere Jacobo Ledeſimæ libro *de divinis ſcripturis quavis lingva non legendis cap. III.* annotavit Voſſius *Harmonia Evangelica lib. II. cap. VIII.*

CXXXVI. Melius illi, qui ideo hanc trigam volunt adhibitam, quod inter ceteras lingvas principatum obtine-

Digitized by Google

tinerent. Auctor Collectaneorum apud Bedam: *Tria vaſa ſunt lingvarum, Ebræum, Græcum, Latinum. Tres enim hæ lingvæ in titulo crucis CHRISTI conſecratæ ſunt. Prima Ebræa, propter legem; ſecunda Græca, propter ſapientiam Græcorum; tertia Latina, propter regnum Romanorum: & ideo hæ tres lingvæ principatum obtinent in omnibus lingvis. Nam erat ſcriptum Ebraice, Græce, Latine: Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.*

CXXXVII. Quamvis igitur ſonus Evangelii in omnibus lingvis exiit, quam maxime tamen per hanc trigam ſe exſeruit. Quod Hilarius agnoſcit *præfatione in Pſalmos.* Quod *myſterium voluntatis Dei & exſpectatio beati regni tribus iſtis lingvis erat inprimis annuncianda.* Quo etiam referas illa Cyrilli *lib. XII. in Johannem cap. XXIX.* Divinitus, *ut ego puto, factum eſt, ut trium lingvarum, quæ præcipuæ ſunt, literis ſcriptus titulus fuerit: omnium enim gentium regnum CHRISTO attributum eſſe ſignificavit.* Theophylactus etiam pro *ſymbolo* habet, *quod potentiſſimi gentium Romani, & ſapientiſſimi Græci, & religioſiſſimi Hebræi regno CHRISTI ſubjiciendi eſſent.* Longius autem petita ſunt ejusdem Scriptoris in Johannem: *Manifeſtat Pilatus & Dominum Regem eſſe Philoſophiæ practicæ, quæ pertinet ad Romanos, qui ſtrenui in rebus erant bellicis: Naturalis, cui vacabant Græci; & Theologicæ, quæ ad Hebræos pertinebat.*

CXXXVIII. Male autem ad quatuor Evangelia hæc nonnemo trahit, ac ſi Matthæus Hebraice, Marcus Latine, Lucas & Johannes Græce ſcripſerint. Quamvis enim quidam veterum Matthæum Hebraice ſcripſiſſe velint, nullus tamen eorum ſtatuit Latina lingva uſum eſſe Marcum: in quo probando inanem operam con-

Digitized by Google

ſumſit Baronius *Tom. I. Annal. ad ann. XLV.* Græca enim lingva omnium veterum conſenſu originaria eſt & avthentica. Rectius igitur ad totam Scripturam in genere, quam ad ſcripta Evangeliſtarum in ſpecie diverſitas lingvarum in hoc crucis titulo referetur.

CXXXIX. At de Hebræa lingva quæſtio eſt, utrum pura fuerit illa, an Syro-Chaldaica Hebræis tum temporis familiaris. Licet vero non deſint, qui priorem ſententiam amplectantur, nos tamen merito poſteriori accedimus, eo quod antiqua lingva Hebraica nonniſi in ſacris ſolennibus & inter eruditos fuerit recepta, Syro-Chaldaicæ autem gens Judaica poſt reditum ex captivitate Babylonicæ adſveverit: quæ quidem nomine Hebrææ in ſcriptis Evangeliſtarum communiter intelligitur. Vide Johann. V. v. 2. cap. XIX. v. 13. & 17. Actor. XXI. v. 40.

CXL. In ordine lingvarum variant Evangeliſtæ. Apud Johannem inſcriptio Hebræa primum locum obtinet, quam ſequitur deinde Græca, & poſtremo Romana. Lucas primo loco Græcam, exinde Romanam & tandem Hebræam collocat.

Joh. XIX. v. 20
Luc. XXIII. v. 38.

CXLI. Priorem ordinem arripit Baronius, ac Latinam lingvam extremo ait loco poni, quod locus extimus foret honoratiſſimus. Ex eo hoc evincere conatur, quod in theatris & amphitheatris ima cavea Senatorum foret. Sed alia hoc de cauſa factum non eſt, quam quia ſic proximi ſpectaculo forent, ac facilius cuncta cernerent.

CXLII. Idem pro ſe affert, quod in pompa triumphali præmitterentur aurum, & alia hujusmodi: poſtea vero Dux ſubactus & inde Imperator conſequeretur. At

hos

Digitized by Google

hoc factum, ut ſic voluptas creſceret ſpectaculo. Quod non fuiſſet, ſi initio præiſſent victi Duces & Imperator. Imo ne in eo quidem ſatis rem explicat cum Imperatorem ait poſtremum fuiſſe. Nec enim in fine is, ſed medio pompæ erat. Quippe ſequebantur Imperatorem amici, ac Senatores, poſteaque legiones.

CXLIII. Nihilo ſolidius eſt, quando poſtremum in conviviis locum ait fuiſſe Conſularem. Sed verius dixiſſet, eam ſedem fuiſſe honoratiſſimam, quod eſſet Conſularis, non contra. Per ſe enim talis non erat, neque honoris cauſa locus ille fuit Conſuli tributus: ſed propter alias rationes, quas inquirit Plutarchus toto *problemate III. libri I. Sympoſiacorum.*

CXLIV. Hoc ut pateat clarius, obſervandum eſt tribus fere lectis Romanos ſua ſolitos agitare convivia. Honoris ratio ſpectabatur & in lectis, & in ſedibus diſcumbentium in illis lectis. Lectus medius ſemper honoratiſſimus; ſedes item media, cum terni accumbebant in eodem lecto: ſin bini, locus ſuperior honoratior erat. Si vero Conſul aderat convivio, is in medio quidem lecto diſcumbebat, ſed in ultimo loco, non medio, aut ſummo. Vltimus igitur locus cum alias minus eſſet honoratus, quam vel medius, vel ſummus, neceſſarium duxit Plutarchus in rei extraordinariæ cauſam inquirere.

CXLV. Maneat itaque inconcuſſum axioma, locum ultimum, niſi peculiaris ratio intervenerit, minime omnium habitum fuiſſe honoratum; ſed duo ſi forent, locum priorem, ſi tres, medium fuiſſe honoratiorem. Vide Caſaubonum *Exercitat. Anti-Baroniana XVI. num. LXXXVI.* cujus dicta in Epitomam redegit Voſſius in *Harmonia Evangelica.*

Digitized by Google

CXLVI. Quid quod Baronius ſibi ipſe contradicat? Nam *ad annum CHRISTI XVI.* ſpreto ligno, quod Romæ viſitur, ſpreta auctoritate Evangeliſtarum, Romanæ inſcriptioni primum locum cenſoria auctoritate vindicat.

CXLVII. Longe igitur vero eſt ſimilius, S. Johannem retinuiſſe illum ordinem, quo lingvæ iſtæ in Judæa fuerunt uſurpatæ. Nam Judæorum ſermo vernaculus erat Hebræus; a Græcis victi, Græcam; a Romanis ſubacti, Romanam didicere.

CXLVIII. Proque eo ordine etiam ſe habet harum trium lingvarum antiquitas. Latina enim profluxit e Græca, Arcadum inprimis, qui Dorice locuti. Græca autem promanavit a Phœnicia, ſive Syra, quæ dialecto ſolum ab Hebræa differebat.

CXLIX. At Lucas videtur attendiſſe ordinem Pilati, vel miniſtrorum: qui primum locum genti dedere, quæ prius viciſſet Judæos; ſecundum autem, quæ ſecundo ſubegiſſet; poſtremum vero genti his ſubactæ.

CL. Huc accedit, quod Græca lingva multo latius pateret, quam Romana, ac iſtis terris Græce prope omnes ſcirent, Latine non item.

CLI. *Cui hæ cauſæ non placent*, (quæ verba ſunt Voſſii in *Harmonia lib. II. cap. VIII. §. VIII.*) *dicat, eo diverſo ordine uſos Evangeliſtas, quia de ordine non laborarent, ſufficeret iis, dicere de tribus linguis, quæ tum in uſu eſſent; ac neglectu ordinis oſtendiſſent, neque nos de ordine curioſos eſſe oportere.* Quam in ſententiam quoque Caſaubonus ſcribit: *Si cauſam quæris diverſitatis; reſpondebo: Evangeliſtas rem momenti nullius, ordinem in iſtis inſcriptionibus neglexiſſe, & ut quidque illis veniebat in mentem,*

tem, id ſcripſiſſe: ita illos ſua incurioſitate noſtram caſtigaſſe curioſitatem, qui frivola ſæpe ſectamur, ſeria negligimus.

CLII. Hanc inſcriptionem Pontificibus invidioſam, ob loci frequentiam, quod urbi vicinus eſſet, & vel caſu prætereuntibus conſpicuus, multi Judæorum legebant, & plurimi JESV Nazareni nomen agnoſcebant. Quantum autem abfuiſſet ab affectato regno, plerique noverant, qui viderant illum abdere ſeſe, cum ad regnum pertrahendus eſſet. Johan. VI. v. 15. Sed exſpectabatur vulgo Judæis Rex ille promiſſus a Prophetis, quem illi Meſſiam vocabant. Hoc cum negligeret Pilatus, tamen imprudens eum dedit titulum, qui maxime demonſtraret, quis eſſet ille, qui pendebat. Pendebat enim vere Rex ille regum, qui morte ſua debellabat diaboli tyrannidem. *Joh. XIX. v. 20.*

CLIII. Quod hæc inſcriptio honorificentior eſſet, quam vellent Pontifices, movit illorum animos, ut agerent cum Pilato de mutando titulo, ne ſcriberetur Rex Judæorum, ſed quod ſibi hoc nomen uſurpaſſet. *Joh. XIX. v. 21.*

CLIV. De tempore ac loco diſceptationis nihil affert Evangeliſta. Aliqui putant ante contigiſſe, quam CHRISTVS ad ſupplicium duceretur. At quia Johannes monet, a multis Judæorum in loco ſupplicii lectam hanc inſcriptionem, ac idcirco de mutatione ejus cum Pilato actum; multo eſt veroſimilius, Pontifices a loco ſupplicii urbi proximo ad prætorium reverſos Pilatum compellaſſe. Quomodo difficultas tolleretur, quod Pilato minime convenerit ad aream damnatorum exire.

CLV. Verumtamen Pilatus in ceteris hactenus morigeratus illorum odiis, nunc importunitatis & iniquitatis pertæſus, negavit ſe titulum mutaturum. *Quod ſcripſi,* *Joh. XIX. v. 22.*

Digitized by Google

ſcripſi, inquit, *ſcripſi*: hoc eſt, quod ſemel ſcripſi, ſcriptum ratumque maneat, nec in veſtri gratiam vel tantillum mutabitur.

CLVI. Sunt qui putent, nec integrum fuiſſe Pilato mutare hanc inſcriptionem; præſertim cum Apulejus *lib. I. Floridorum* teſtetur, *Proconſulis tabellam ſententiam eſſe, quæ ſemel lecta, neque augeri litera, neque minui poſſit; ſed utcunque recitata ita provinciæ inſtrumento referatur.*

CLVII. Sed ibidem Apujejus de titulo non agit, quem mutare poterant magiſtratus, verum de ipſa ſententia, quam utique non licuiſſe immutare judicibus, patet ex Svetonii Cæſare cap. XIV. *Quin & tantum metum injecit aſperiora ſuadentibus, ut Decimum Silanum conſulem deſignatum non piguerit, ſententiam ſuam, quia mutare turpe erat, interpretatione lenire, velut gravius atque ipſe ſenſiſſet exceptam.* Et Senecæ *lib. II. Controverſ. III.* ubi Silo Pompejus ajebat, *non poſſe mutari ſemel latam ſententiam.* Itemque *lib. VII. Controv. VIII.* Judex, *quam tulit de reo tabellam, revocare non poteſt, quæſitor non mutabit pronuntiationem ſuam.*

CLVIII. Noluit autem Pilatus naturæ alioquin durioris & moroſioris in tantum concedere petentibus Judæorum proceribus, ut ſemel conceptum ſcriptumque immutaret titulum. In quo divinam providentiam agnoſcit Cyrillus; quod ideo titulum mutare noluerit Pilatus, *quoniam non fuiſſet in omnibus ipſi divinitus permiſſum adverſus Salvatoris gloriam furere.* Auguſtinus quoque tractatu CXVII. in Johannem exclamat. *O ineffabilem vim divinæ operationis etiam in cordibus ignorantium. Nonne occulta vox quædam Pilato intus quodam,*

Digitized by Google

dam, ſi ſic dici poteſt, clamoſo ſilentio perſonabat, ne videlicet titulum mutaret?

CLIX. Male tamen huc refertur, quod in inſcriptione Pſalmorum LVII. LVIII. & LIX. legitur: *Ne diſperdas, David in tituli inſcriptione.* Quo de Lyra in *cap. XIX. Johannis:* Non *fortuito factum, quod Pilatus noluerit mutare titulum, ſed divina præordinatione, quia hoc erat ante prophetatum; propter quod Pſalmo LVIII. qui loquitur de paſſione* CHRISTI, *& duo præcedentes Pſalmi ſic intitulantur: Ne corrumpas tituli inſcriptionem. Ideo titulus crucis non fuit mutatus, ſed magis confirmatus.*

CLX. At merito hoc coactum credit B. Gerhardus. Nam in Pſalmorum iſtorum inſcriptionibus ideo additur, *Ne diſperdas:* quia Propheta tum temporis in periculis conſtitutus ſic oravit.

CLXI. Et hæc de Titulo Crucis CHRISTI ſufficiant, quæ paſſim ex variis Scriptoribus in unum corpuſculum congeſſimus. Neque tamen diffiteor, non parum me adjutum docta ac eleganti Exercitatione hiſtorica *de Titulo Crucis Dominicæ,* quam anno CIↃ IↃC LXXII. publicæ doctorum cenſuræ in hac Academia ſubjecit M. Johannes Daniel Haakius Nördlingenſis, Juvenis, vel B. Anteceſſoris mei Johannis Andreæ Boſii judicio, *eximius & ſupra ætatem doctus,* mihi autem amiciſſimus: quem in patria honorificæ Spartæ Eccleſiaſticæ admotum cum ſingulari voluptate animi audivi, eidemque in ſacro munere proſperos ſucceſſus voveo.

Digitized by Google

Cap. XIV.

De Veſtimentis CHRISTI. De facto militum circa veſtimenta, Diviſione nimirum & Sortitione. De judicio Meſſiæ querulo ob factum illud.

I.

Matth. XXVII. v. 35. Marci XV. v. 24. Joh. XIX. v. 23.

TErtium ignominiæ genus eſt, quod CHRISTO prorſus nudo in cruce relicto, eodem vivente, ac vidente, diviſere ejus veſtes in partes quaternas, ac ſortem ſuper eas miſerunt, ut hac arbitra quisque ſuam haberet portionem.

II. Vt autem ſingula in hoc capite pateant clarius, primo de veſtitu CHRISTI, deinde de facto militum circa veſtitum, tertio de judicio Meſſiæ querulo de facto diſpiciemus.

III. In veſtitu CHRISTI occurrunt primo τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, deinceps χιτὼν ἄῤῥαφος, tunica inconſutilis.

IV. In numero multitudinis quia Johannes Evangeliſta dixit τὰ ἱμάτια, exiſtimarunt jam olim nonnulli, ea voce non unam aliquam veſtem ſignificari, ſed plures. Sed Caſaubonus *Exerc. Anti-Baron. XVI. Sect. LXXXIV.* contra exiſtimat, pluralem numerum hoc loco ex Hebræorum conſuetudine & aliarum etiam lingvarum pro ſingulari eſſe poſitum. Quandoquidem enim ἱμάτιον veſtis ſit exterior, proportione reſpondens *pallio* Græcorum & Romanorum togæ; ſi pluralis habenda foret ratio; ex eo ſequeretur, duas veſtes exteriores, puta duo pallia ſive togas CHRISTVM geſtaſſe: quod abſurdum eſſet.

V. Sicut

V. Sicut igitur Græci uno utebantur pallio, Romani toga una, ſic Judæi unam veſtem exteriorem מעיל *Meil* geſtabant : quam vocem in Græcis Bibliis variè verſam reperimus : ſcilicet ποδήρης, ὑποδύτης, ἐπενδύτης, διπλοῒς, στολὴ, ἱμάτιον.

VI. Præterea cum Marci V. v. 27. hæmorrhouſa mulier dicitur tetigiſſe τὸ ἱμάτιον Domini, id eſt, *pallium*, ſive *Meil*, quando aliam veſtem tangere non potuerit, niſi exteriorem, quæ reliquas tegebat, utpote a tergo ſecuta; tamen CHRISTVS dicit τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων : *Quis tetigit indumenta mea.* Sic Pilati milites CHRISTO adimunt veſtimentum ſuum, ut purpura ipſum amiciant: poſt purpura humeris detracta veſte induunt, qua prius exuerant. Matthæus cap. XXVII. v. 28. 31. & Marcus cap. XV. v. 20. vocant τὰ ἱμάτια, cum indubium ſit, ſolam exteriorem veſtem CHRISTO fuiſſe detractam, cum purpura erat induendus. Nec minus Iohannes *c. XIII. v. 4.* CHRISTVS dicitur poſuiſſe veſtimenta ſua, cum ſolum pallium reliquerit.

VII. Falluntur ergo e veteribus, qui CHRISTVM ad crucem attuliſſe putant quinque veſtimenta, quia ſingulis militibus pars veſtimentorum ceſſiſſe dicitur, quo pacto quatuor, adeoque addita tunica quinque fuiſſent.

VIII. Euthymius Zigabenus monachus, qui priorem conjecturam rejicit, tria CHRISTO crucifigendo relinquit veſtimenta, Pallium, Tunicam inconſutilem, quæ corpori adhæreret, & alteram Tunicam, quæ reſpectu pallii veſtis interior dici potuit, reſpectu inconſutæ tunicæ cutem ſacram contingentis, Tunica exterior.

IX. Verum & hæc Euthymii ſententia non probatur Caſaubono. *Nam ſi duas tunicas*, inquit, *CHRISTVS*

Ttttt 2 *geſta-*

Digitized by Google

geſtavit; altera fuit lanea, altera linea; ita enim moris fuit olim, quando autem lineæ & laneæ veſtes ſimul geſtabantur, ſemper linea ante alteram ſumebatur, quod hodieque fit. Lineæ enim veſtes cuti admoventur potius, quam laneæ. Quare non poteſt exiſtimari, tunicam inconſutam fuiſſe intimam. Repugnat enim hoc vetuſtiſſimæ traditioni: quam nos putamus veram, τὸν ἄῤῥαφον χιτῶνα γίνεσθαι ἐρεοῦν, *veſtem inconſutam e lana fuiſſe. Statuimus igitur, Dominum duas ſolum veſtes geſtaſſe; pallium & tunicam: aut ſi alteram tunicam indutam habuit, eam fuiſſe lineam, ab inconſuta diverſam.*

X. Sed quod de linea tunica monuerat Caſaubonus, diſplicuit Octavio Ferrario *de re veſtiaria lib. III. cap. III.* eo quod *nullus aut rarus linearum uſus fuerit apud Hebræos, quemadmodum apud Romanos, præcipue in CHRISTO Domino, & Apoſtolis, qui nullam bujusmodi in cultu mollitiem agnoverint.*

XI. Succedet nunc conſideratio χιτῶνος ἀῤῥάφου. De hac Tunica Johannes ita: ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου. Inter opera Athanaſii Tom. I. edit. Commelinianæ exſtat tractatus *in Paſſionem & Crucem Domini,* quem tamen Eraſmus cenſet, *non ſapere phraſin Athanaſii,* eidemque non audet tribuere Petrus Nannius, qui ante hac Athanaſii opera recenſuit, & propterea in tertium tomum conjecit. In hoc paulo aliter habent verba Iohannis: τὸν δὲ χιτῶνα, ἐπεὶ ἦν ἄῤῥαφος, ἐκ τῶν ἄνω ὑφαντὸς δι' ὅλου. Vulgatus Iohannis verba ſic vertit: *Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum:* eundemque fere ſequuntur veteres & pleriq; juniores. Franciſcus tamen Vatablus reddidit: *a ſummo contexta per totum,* & in margine addit: *vel a ſumma*

par-

Digitized by Google

parte continuo textu; vel continua textura per totum contexta.

XII. Duas igitur notas hujus Tunicæ proponit S. ſcriptor, τὸ ἄῤῥαφον, & τὸ ἄνωθεν ὑφαντὸν δι' ὅλε. Vtramque notam nunc excutiemus.

XIII. Salmaſius *Notis in Vopiſcum* tam veteres, quam recentiores omnes in illa inconſutili tunica explicanda tota regione aberraviſſe, pronunciare audet, & quomodo vox ἄῤῥαφος capienda eſſet, ignoraviſſe. Putaſſe enim omnes peculiare artificium, & texturæ ſpeciem non vulgarem in tunica Domini notari a D. Johanne. Ita omnes hactenus deſudaſſe quærendo & inveſtigando, quanam ratione tale contexi veſtimentum potuerit, quod ſuturam non haberet, quoniam per artem hujusmodi veſtis in tela fieri non potuerit. Ipſe igitur novam affert explicationem: nempe ex tunicis alias apertas ſive σχιςὰς, alias ἀῤῥάφες fuiſſe, quæ ex toto tectæ ac concluſæ, nulla parte ſutiles ſciſſilesque eſſent, ut ſunt camiſiæ, & interulæ noſtræ laneæ vel lineæ. Tunicas apertas ex utraque parte in humeris ſtringi conſveviſſe: quas fibulas ῥαφὰς & ῥαφίδας dicerent, hoc eſt, ſuturas. Ita *ſutum* pro fibulatum, & *reſutum* pro refibulatum a Latinis dici. Nam Suetonius in Auguſto: *Sumenti virilem togam tunica laticlavi reſuta ex utraque parte ad pedes decidit.* Quoniam igitur tunica Domini non eſſet de eo tunicarum genere, quæ ῥαφὰς, id eſt *fibulas* haberent, aut ſuturas, Græce ἄῤῥαφον dici, Latine *inconſutilem.* Tales autem tunicas laneas noſtras, ſive lineas, quæ licet conſutæ ſarcinatricis acu dicantur, nihil tamen prohibere, quin inconſutiles ſint: nam acum ſarcinatricis idem facere, quod pecten textoris, quod nempe ex

Digitized by Google

acu texere veteres dixerunt. Ita hanc tunicam Domini fuiſſe ex eo veſtium genere, quæ ut apud nos ex variis pannis ſectis conſuuntur, cum tunicæ reliquæ & colobia non ſuerentur, ſed tantum duæ plagulæ in humero ac latere fibulis committerentur. Hinc tunicam Domini a militibus non fuiſſe diviſam, quia ſi diviſiſſent, perdidiſſent, cum nulli uſui futura fuiſſet; pallium contra quod fibulis commiſſum erat, licet ſic diviſum, alicui uſui eſſe poſſet.

XIV. Accedit huic ſententiæ Voſſius *in Harmonia lib. II. cap. VIII. §. XI.* Sed alia mens eſt Octavio Ferrario, qui *lib. III. de Re Veſtiaria cap. XVI.* diſerte contra illam diſputat. Et primo quidem illud omnibus merito durum videri credit, tunicam vocatam fuiſſe inconſutilem, quia eſſet conſuta, & ita omnia veſtimenta conſuta dicenda inconſutilia. *Demus enim,* pergit, *fibulas* ῥαφὰς *dictas eſſe, & ſuturas, quamquam improprie; quod ſuturæ loco eſſent, quid ſequetur? Tunicas apertas etiam conſutas fuiſſe, quia habebant fibulas; contra tunicas clauſas non fuiſſe conſutas, quia carebant fibulis, id eſt, ſuturis, licet acu eſſent conſutæ. Etſi, inquam, fibulæ ſuturæ dictæ ſint, non video, cur tunica Auguſti refibulata potius fuerit, quam reſuta; nec ſcio quis fibularum in tunicis virilibus & colobiis Romanorum mentionem fecerit. Paucas admodum ſtatuas togatas, in queis una fibula tunicam jungit, videre eſt, in reliquis nullæ fibulæ apparent. Sed omnes tunicas ſuperiores* σχιστοὺς *& apertas fuiſſe concedamus, fibulisque nexas, quod non ita facile fuerit oſtendere. At ſaltem ſubuculas ſive interulas tam apud Græcos, quam apud Romanos conſutas acu fuiſſe credendum eſt, nullisque fibulis conſtrictas, quod corpori preſſæ, & ad frigus arcendum, velandum-*

Digitized by Google

dumque corpus eſſent clauſa. Atque ita omnes interulas & ſubuculas inconſutiles fuiſſe neceſſe eſt: Et ideo quid opus erat talem CHRITI tunicam deſcribere; cum tunicæ ſive interulæ communes tales eſſent? Atqui Johannes tanquam rem peculiarem in ea tunica notavit, quod eſſet inconſutilis, ſive inconſuta: & ideo modum, quo texta erat, poſuit, non utique facturus, ſi tales omnium interulæ fuiſſent, *quemadmodum pallii texturam non addidit. Fuiſſe autem* ἄῤῥαφον *aperte tradit, & quod ſequitur, deſuper* contextam per totum, *id eſt, non acu, aut ſutura junctam. Præterea veriſimile eſt, ne dicam, certum, etiam veſtimenta aperta, præcipue Græcorum pallium, licet in humero fibulæ necterentur, ſaltem aliqua in parte conſuta fuiſſe, qualia noſtra pallia conficiunt. Et ita CHRISTI Domini pallium, ſive illud commune Græcorum, & Judæorum fuerit, ſive Tribonium, in quo nullus fibulæ uſus eſſe potuit, ſi debuit in quatuor partes dividi, non potuit non eſſe conſutum, alioqui ſciſſum fuiſſet, ac laceratum: quod ne in tunica eveniret, eam dividere noluerunt. Niſi quis dicat, pallium Domini quatuor plagulis conſtitiſſe multiplici fibularum ſerie connexis, quod mihi nunquam perſuaſerit. Conſutum ergo pallium illud fuit, & tantum in anteriori parte apertum, ut vel in humeris fibula necteretur, vel a dextro brachio in ſiniſtrum humerum rejiceretur. Quidquid ſit, ratio illa nihili eſt, tunicam conſutam non fuiſſe diviſam, quod cum eſſet acu conſuta, nulli uſui futura erat, ſi reſueretur. Id enim falſum. Nam quemadmodum diviſo pallio in quatuor partes, certe partes illæ pallii vicem præſtare non potuerunt, alterius minoris tamen veſtimenti; nam aut palliolum ex iis confici potuit, aut tunicula, aut manicæ, thoraxve. Eodem modo, ſi tunica*

nica

Digitized by Google

nica illa conſuta fuiſſet diviſa, ac reſuta, tunicæ quidem uſum præſtare non potuit, ex partibus tamen ſic diviſis quid vetuit thoracem confici, manicas, orarium? Quod manifeſtum eſt in camiſiis noſtris, & interulis lineis. Nam ſi quis reſuat, & ſcindat, non tamen penitus peribunt, ſed & linteola, & ſudaria, & pedules, & alia minora nihilominus conficientur. Secus in tunica inconſutili, ſive inconſuta: quæ ſi diviſa, ideo tota peritura erat, quod nullas futuras haberet, ſed per totum contexta eſſet.

XV. Atque hæc ſunt quæ fuſe contra Salmaſium diſputat Ferrarius. Ipſe autem tunicam illam inconſutilem ſarcinatoris acumine, nullaque in parte conſutam, ſtatuit, ſed ad inſtar ſubucularum & tibialium, quæ ſerica vel lanea tota ſimul texuntur, non quidem pectine & in tela, ſed per acus longiores reticulatim confectam.

XVI. Eadem mens eſt Caſaubono, qui præcipuas duas artes circa conficiendas veſtes occupatas monet, τὴν ὑφαντικὴν *textoriam*, & τὴν ῥαπτικὴν *ſartoriam*. Illam telas & pannos e lana aut ſerico, aliave materia conficere; hanc pannos prius incidere, deinde acu conſuere: ac utriusque artis Johannem meminiſſe, ſed negare ſartores illi tunicæ manum adhibuiſſe.

XVII. Modum autem conficiendi ejusmodi veſtimenta exprimit S. Johannes per τὸ ἄνωθεν ὑφαντὸν δι᾽ ὅλου: quæ diverſum fuiſſe a textura vulgari artificium evincunt. Nam textores qui telas & pannos e ſtamine pendente ad jugum, intexta trama conficiunt, ejusmodi veſtem non potuiſſe conficere certum eſt.

XVIII. Vidit hoc Chryſoſtomus, qui homilia in Johannem LXXXV. de hac textura ſic ſcribit: Τίνες αὐτὸ τὸ εἶδος τοῦ χιτωνίσκου φασὶ τὸν Εὐαγγελιστὴν ἱστορεῖν. ἐπειδὴ γὰρ

ἐν

Digitized by Google

ἐν παλαιστίνῃ δύο ῥάκη συμβάλλοντες οὕτως ὑφαίνουσι τὰ ἱμάτια, δηλῶν ὁ Ἰωάννης, ὅτι τοιοῦτος ἦν ὁ χιτωνίσκος φησὶν ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντός. *Quidam putant, ipſam tunicæ formam a Johanne narrari. Nam quia ſolent in Palæſtina duos pannos committentes veſtimenta texere; Johannes, ut ſignificet, talem fuiſſe hanc tunicam, ait fuiſſe deſuper, vel a ſummo textam.*

XIX. Fatetur tamen Caſaubonus, hæc Chryſoſtomi ſe vix ſatis aſſequi: nec enim capere, qui poſſit illa duorum pannorum commiſſura per texturam fieri: in quo Caſaubonum ſequitur Ferrarius.

XX. Theophylactus, ut notat ibi Caſaubonus, more ſuo Chryſoſtomi verba deſcribens quædam de ſuo adjecit, declarandæ ſententiæ. Ἐν παλαιστίνῃ, ait, δύο ῥάκη συμβάλλοντες, ἤτοι δύο πανία ὑφαίνουσιν ἱμάτια, ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ συνυφασμῷ. *In Palæſtina duos pannos committentes texunt veſtimenta, pro ſutura utentes contextura.* Quod dixerat Chryſoſtomus, δύο ῥάκη, ille exponit δύο πανία, voce ſui ſeculi, quæ idem ſignificet, ut ad Svetonii Auguſtum olim oſtenderat Caſaubonus *cap. XXI.* deinde addit Theophylactus, Palæſtinos duos illos pannos non ſutura connectere, ſed contextura, id eſt, connexione texendo facta. Sed difficultatem modo propoſitam non ſolvere, fatetur Caſaubonus. Addit Ferrarius: *Quam texendi rationem ideo fortaſſe non aſſequimur, quia intercidit: vel eam nobis explicent, qui nihil ignorant.*

XXI. Iſidorus Peluſiota *lib. I. Epiſt. LXXIV.* (ut iterum habet Caſaubonus) difficilis nodi ſolvendi aliam init viam: in hoc cum Chryſoſtomo conſentiens, quod illam tunicam peculiari artificio hominum Galilæorum in Palæſtina vult fuiſſe elaboratam; artificium vero

Digitized by Google

ipſum longe aliter ſic explicat; poſtquam dixit de veſtis vilitate, qua ſoli uterentur pauperes Galilæorum; καθ' οὓς, ait, καὶ μάλιστα τὸ τοιοῦτον φιλεῖ γίνεσθαι ἱμάτιον, τέχνῃ τινὶ, ὡς αἱ στηθοδεσμίδες, ἀνάκρουστον ὑφαινόμενον: *apud quos vel maxime indumentum ejusmodi ſolet fieri, & arte quadam texi pectinem retrorſum impellendo, ut fit in faſciis pectoralibus.* στηθοδεσμίδες Caſaubono ſunt *faſciæ pectorales*, quarum B. Hieronymus & alii Græci Latinique ſcriptores faciunt mentionem. Sed ἀνακρουστὶ ὑφαίνειν, hoc eſt, *retrorſum texere*, videtur ei eſſe peculiaris texendi ratio: non enim omnes eodem modo texuiſſe. *Erant*, inquit, *qui tramam ſurſum impellerent; erant qui deorſum, ut Ægyptii, quorum propria inſtituta commemorans Herodotus in Euterpe, illud ponit inter prima*, ὑφαίνουσι, ait, οἱ μὲν ἄλλοι, ἄνω τὴν κρόκην ὠθέοντες, Αἰγύπτιοι δὲ, κάτω: *alii antrorſum tramam impellebant, Ægyptii retrorſum.* Addit Caſaubonus: *Sed hoc quid ſit, cogitent eruditi: mihi difficultatem de qua ante diximus, hæc hiſtoria non videtur ſolvere.*

XXII. Mox alia Theophylacti affert Caſaubonus, explicando, ut videtur, Iſidoro, in quibus aptet huic περὶ χιτῶνος ἀῤῥάφου loco morem texendi Ægyptiorum, quaſi ita difficultas tolleretur. Sic autem ille: Ἄλλοι φασὶν, ὅτι ἐν Παλαιστίνῃ ὑφαίνουσι τοὺς ἱστοὺς, οὐχ ὡς παρ' ἡμῖν, ἵνα τῶν ἄνω μὲν τῶν μίτων καὶ τοῦ στήμονος, κάτω δὲ ὑφαινομένου τοῦ πανίου, καὶ οὕτως ἀναβαίνοντος· ἀλλὰ τοὐναντίον κάτω μέν εἰσιν οἱ μίτοι, ἄνω ὑφαίνεται τὸ ὕφασμα. *Alii dicunt, quod in Palæſtina telas, non quemadmodum apud vos, texant, ut fila ſtamenque ſint in parte anteriori, pannus in poſteriori parte texatur, & ſic in anteriorem partem pergat: Sed contrarium hic fit, ut in poſteriore parte ſint fila, in anteriore*

riore vero tela texatur. Sed & hunc Theophylacti locum multa luce indigere, quis non videt?

XXIII. Alioqui eſt in uſu hodie genus quoddam operum laneorum ſericeorumque quaternis, interdum etiam binis prælongis acubus factorum, cujusmodi ſunt tunicæ nocturnæ, tibialia, chirothecæ: quorum operum confectio ſi fuit veteribus nota, nullum eſt dubium, Domini hanc tunicam eo artificio fuiſſe confectam.

XXIV. Quod ſi autem hoc artificium tunc fuit incognitum, ſaltem ſine acu manibus ſurſum verſus contextam fuiſſe veroſimile eſt: qualiter nunc reticula & muliebres calanticæ fiunt; & ideo forte ἄνωθεν, *deſuper*, id eſt, ſurſum verſus contexta, & δἰ ὅλυ, *per totum*, id eſt, in orbe, & totam ſimul, ſine ulla ſciſſura, quæ acu committenda eſſet. Ita non fuiſſet a militibus diviſa, quia hujus generis veſtimenta ſi dividantur, ut ſunt tibialia, ſubuculæ, ac reticula, nulli alii omnino uſui eſſe poſſunt: tota enim pereunt: cum ſubuculæ lineæ vel laneæ conſutæ ſi ſcindantur, aut reſuantur, nihilominus alium uſum præſtare poſſint.

XXV. *Deſuper* ergo *contextum* recte explicatur quod *ſurſum verſus* texeretur: quales fuere *veſtes rectæ*, quas Patres, ut ait Feſtus, *liberis ſuis conficiendas curabant ominis cauſa, ſic dictas, quod in altitudinem ſurſum verſus & a ſtantibus texerentur.* Et ſic quoque Jacobus Dalechampius ad Plinii *lib. VIII. Hiſt. Natur. c. XLVIII. rectam tunicam interpretatur.*

XXVI. Etſi autem ex dictis liquet, peculiare artificium, & texturæ ſpeciem in hac tunica fuiſſe adhibita, non tamen ex eo ſequitur, precioſam eam fuiſſe & elegantem. Non igitur audiendi ſunt, qui ex ſerico confectam

putant. Neque enim credibile eſt, ejus generis veſtibus Dominum eſſe uſum, qui Johannis Baptiſtæ ſanctitatem commendans dixerat: *Qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt.* Sed præſtat Iſidorum Peluſiotam audire *lib. 1. Epiſt. LXXIV.* Τίς δὲ ἀγνοεῖ τὴν εὐτέλειαν τῆς ἐσθῆτος ἐκείνης, ἥπερ οἱ πτωχοὶ κέχρηνται τῶν Γαλιλαίων. *Quis autem veſtis illius vilitatem ignorat, ut qua Galilæorum pauperes utantur?* Et Chryſoſtomus quoque monet, *veſtes CHRISTI non fuiſſe pretii adeo magni, cum paupertatem ſibi in hac vita comitem elegerit, & in infantili ætate vilibus pannis fuerit involutus.*

XXVII. Sunt qui hanc tunicam ipſius matris Domini manibus contextam velint. Tradit hoc Euthymius *ad Matth. XXVII.* adjungens ea de re, utpote exploratiſſima, nunquam fuiſſe in Eccleſia dubitatum. Huc accedit, quod Epiphanius in *Serm. de B. Virgine* eam tradit miram artificem fuiſſe in veſtibus texendis & acu laborandis, & Anſelmus libro *de vita Virginis*: Opus *vero manuum ejus erat lana & lini & ſerici.* Johannes Gerſon in ſuo *Joſepho diſt. I.* ad B. Virginem illa aptat de muliere præſtanti Prov. XXXI. v. 13. *Quæſivit lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Mantuanus etiam de illa ſic canit:

Nunc lanam pingebat acu, nunc penſa trahebat
Serica & immiſſis per lilia pendula filis
Vela ſacerdotum ſacros texebat in uſus.

XXVIII. Verum Euthymii, qui ſeculo ineunte XII. floruit, tanta apud nos non eſt auctoritas, ut tacentibus veteribus eidem credamus hac de re nunquam in Eccleſia fuiſſe dubitatum. Epiphanii vero Sermo *de Dei para* veterem illum Epiphanium auctorem mentitur, & quis-

quis

quis ejus auctor, totus Mariolatra eſt. Opuſculum quoque *de excellentia B. Virginis* non habet ſtylum neque gravitatem Anſelmi.

XXIX. Præterea ſi vel maxime perita fuiſſet artificii varias conficiendi veſtes, adhuc tamen incertiſſimum eſſet B. Virginem texuiſſe illam inconſutilem tunicam. Ex recentioribus tamen huic ſententiæ adſtipulantur Baronius, Salmeron, Maldonatus, Cornelius a Lapide, eidemque ſubſcribit Caſaubonus. *Antiqua*, inquiens, *traditione proditum eſt, tunicam hanc opus fuiſſe manuum glorioſæ Virginis: quod nos facile credimus.* Nec diſſentit B. noſter Gerhardus *Harmoniæ cap. XIV.*

XXX. Denique Mantuani opinio ex eo nata eſt, quod B. Virgo in ipſo templo educata a nonnullis dicitur. Habet id Damaſcenus *lib. IV. de Orthodoxa Fide cap. XV.* Nicephorus *Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. VII.* Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus *Orat. de Oblatione B. Virginis in templo.* Gregorius Nyſſenus in *diem natalem CHRISTI Tom. II.* memorat, ſe audiviſſe *hiſtoriam Apocrypham talia narrantem.* Baronius in *Apparatu ad Annales* ait, *neminem Orthodoxorum in eo diſſenſiſſe.* Et operoſe de eo diſputat Petrus Caniſius *Hiſtoriæ Deiparæ virginis cap. XII.*

XXXI. Merito autem rejicienda hæc eſt opinio, quam pluribus argumentis confutarunt Iſaacus Caſaubonus *Exercitat. I. ad Annales Baronii num. XXI.* Richardus Montacutius *Apparatu ad Annales Baronii IX. ſect. II. & ſeqq.* Andreas Rivetus *Apologia pro ſanctiſſima Maria lib. I. cap. X.* Johannes Dorſcheus in *Tunica CHRISTI Inconſutili cap. II. §. IX.*

XXXII. Et multo magis fabuloſum eſt, quod de eadem

Digitized by Google

dem tunica prodidere nonnulli ſcriptores Pontificii, Landulphum *de Vita CHRISTI lib. II. cap. LXIII.* ſecuti, ac ſi eadem ſemper indetrita manſerit, & cum artubus ac annis CHRISTI creverit.

XXXIII. Ejusdem eſt farinæ, quod hæc Tunicæ ab Angelis confecta & cœlitus ſit miſſa: ut ex voce ἄνωθεν, *deſuper* nonnemo contendit apud Mendozam in *lib. I. Reg. cap. II. n. XIX.*

XXXIV. Denique ſunt, qui fimbriam hujus tunicæ a muliere hæmorrhouſa tactam & ſanatam velint Marci V. v. 29. Sed quia veſtis illa procul dubio fuit exterior, ceu §. VI. hujus capitis diximus, ad tunicam inconſutilem, quæ veſtis erat interior, muliercula illa manum eo extendere commode non potuit.

XXXV. Ceterum vero non eſt abſimile, Dominum veſtem illam accepiſſe ab aliqua opulentiorum mulierum, quæ ipſam ex Galilæa ſecutæ ei de neceſſariis proſpicere volebant.

XXXVI. Si quæratur, an adhuc ſuperſit illa tunica, diverſi de diverſis locis id affirmant.

XXXVII. Et Galatæ quidem in baſilica quadam asſervatam, jam exeunte ſeculo VI. tradidit Gregorius Turonenſis *de Gloria Martyrum lib. I. cap. VIII.* Adſcribam ipſa verba. *De hac immaculati agni tunica, quæ audivi a quibusdam, ſilere nequeo. Ferunt autem in civitate Galatea in baſilica quadam, quæ ad ſanctos Archangelos vocatur, retineri. Eſt enim hæc civitas ab urbe Conſtantinopolitana quaſi millibus centum quinquaginta, in qua baſilica eſt crypta antiquiſſima, ibique in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca a devotis atque fidelibus cum ſumma diligentia adſervatur, non immerito digna,*

digna, quæ hoc veſtimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.

XXXVIII. Alia tamen eſt traditio, in civitate Zaphad haud procul Hieroſolymis repertam, Hieroſolymam fuiſſe translatam. Fredegarius Scholaſticus in *Chronico cap. XI. Anno XXX. regni ſupraſcripti Principis* (Guntramni) *tunica Domini noſtri JESU CHRISTI, quæ eidem in paſſione ſublata eſt, & a militibus, qui eum cuſtodiebant, eſt ſortita, de qua David Propheta dixit; Et ſuper veſtimenta mea poſuerunt ſortem, inventa eſt, profitente Simone filio Jacobi. Qui per duas ebdomadas multis cruciatibus adfectus, tandem profitetur ipſam tunicam in civitate Zafad, procul a Hieruſolimis, in arca marmorea poſitam eſſe. Quam Gregorius Antiochenus & Thomas Hieruſolimorum, & Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum aliis multis Epiſcopis, triduanum facientes jejunium, exinde condigne cum arca marmorea (levi effecta, quaſi ex ligno fuiſſet) ordine pedeſtri Hieruſolimam cum devotione ſanctiſſima perduxerunt, & eam in loco, ubi crux Domini adoratur, cum triumpho poſuerunt.* Iisdem fere verbis utitur Aimoinus *de Geſtis Francorum lib. III. cap. LXXVIII.* Conſentiunt Sigebertus Gemblacenſis *ad ann. IↃXCIV.* Conradus Abbas Urſpergenſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis, & Johannes Nauclerus in *Chronographia Generat. XX.*

XXXIX. Sed Rupertus Abbas Montenſis, continuator Sigeberti in monaſterio Argentolio Pariſienſis diœceſios anno CIƆ CLVII. repertam tradit hanc tunicam. *In pago,* inquit, *Pariſienſi cappa Salvatoris noſtri in monaſterio Argentolio revelatione divina reperta eſt inconſutilis & ſubruſi coloris, quam, ſicut literæ, quæ in eo repertæ,*

in-

indicabant, glorioſa mater illius fecit, dum adhuc puer eſſet. Subſcribit Alphonſus Salmeron *Tom. X. Commentar. in N. T. tract. XXXVIII. Tunicam*, inquit, *CHRISTI inconſutilem dicunt quidam Treviris aſſervari; alii vero in oppido Argentolio non longe a Lutetia Pariſiorum diſſito, ubi magna veneratione peregrinis ſpectanda proponitur, nec ſine magnis interdum ſignis.*

XL. Et tantum de Tunica CHRISTI inconſutili ex veteris ævi ſcriptoribus. Recentiores varie de illa diſſerunt. Pomponius Vgonius lib. *de Stationibus Romæ* Italice ſcripto & a Dorſcheo laudato *Stat. V.* inter reliquias baſilicæ Lateranenſis hanc quoque tunicam recenſet. Onuphrius item Panvinius libro *de VII. Vrbis Eccleſiis* recitat antiqui ſcriptoris hos verſus:

Et ſacra ſanctarum ſi nomina relliquiarum
Lector, ſcire velis, docet hoc te charta fidelis.
Clauditur in ciſta chlamys inconſutilis iſta.

Et plura in hanc rem teſtimonia affert Dorſcheus *cap. II. §. XIX.*

XLI. Extra Romam etiam aliquot inconſutilis tunicæ particulæ demonſtrari olim ſunt ſolitæ, & in præſentem diem commonſtrantur. Sic Hallis Saxonum id quondam factum, teſtatur tractatus Germanicus ibidem anno CIƆIƆXX. excuſus, & Wittebergæ anno CIƆIƆCXVII. recuſus, cui titulus: Verzeichniß und Zeigung des Hochlobwirdigen Heiligthumbs der Heiligen St. Mauritz und St. Mariä Magdalenen zu Hall. Num. XX. legas: Ein gülden Tafel mit Steinen und Perlen von dem Stamm Jeſſe/ darinnen iſt vom Rock/ der mit Chriſto aufgewachſen. Et num. XXIII. In einem viereck[illegible] güldenem Pacem mit Steinen und Perlen/ und eine [illegible] tten iſt neben einem

nem Stück von der Dornen Kron Chriſti/ vom heiligen Creutz/ creutzweiſe 2. Partickeln/ auch vom Tuch mit Chriſti Blut beſprenget/ ein Stück vom ungeneheten Rock Chriſti.

XLIII. De Eccleſia S. Barbaræ cœnobiticæ virorum Carthuſianorum ſic ſcribit Erhardus Weinhemius Carthuſianus in *Sacrario Agrippinæ ſect. XXVII.* Oſtenduntur ibi *portio notabilis de ligno S. Crucis & duæ ſpinæ de Corona Domini, de fimbria tunicæ CHRISTI inconſutilis, quam mulier ſanguine fluens tetigit. Quam matronæ civitatis eadem infirmitate detentæ, vinum in Carthuſiam mittentes petunt, ut panniculus, quo particula fimbriæ attingi ſolet, in illud intingatur, de quo guſtantes incunctanter revaleſcunt.*

XLIV. *In provincia Tuſciæ* (ita Franciſcus Gonzaga Ord. Minorum Generalis *Hiſtoriæ Seraphicæ parte II. conventu XVIII.*) *in Conventu S. montis Alverni ſacrarium modernioris Eccleſiæ continet una cum particula Dominicæ crucis, inconſutilis Dominicæ veſtis partem.*

XLV. Inprimis vero gloriantur Trevirenſes, ac ſi ad ipſos pervenerit integra Tunica inconſutilis. Hanc enim volunt Agricium Epiſcopum ab Helena Conſtantini M. matre acceptam in novo templo cathedrali in altare chori poſterioris cum clavo & parte crucis Dominicæ recondidiſſe anno CCCXXX. per aliquot deinde ſecula intactam manſiſſe, donec Johannes I. Archiepiſcopus cathedrale templum anno CIↃXCVI. reſtauraturus, eam accurate cuſtoditam & obſignatam conſecutus ſingulari feſtivaque lætitia populo publice oſtenderit. Altera vice publice exhibita fuit anno CIↃIↃXII. ſub Richardo Electore & Archiepiſcopo ad inſtantiam Maximiliani Cæſaris, præſentibus Eccleſiaſticis & Politicis Electoribus & Prin-

indicabant, glorioſa mater illius fecit, dum adhuc puer eſſet. Subſcribit Alphonſus Salmeron *Tom. X. Commentar. in N. T. tract. XXXVIII. Tunicam*, inquit, *CHRISTI inconſutilem dicunt quidam Treviris aſſervari; alii vero in oppido Argentolio non longe a Lutetia Pariſiorum diſſito, ubi magna veneratione peregrinis ſpectanda proponitur, nec ſine magnis interdum ſignis.*

XL. Et tantum de Tunica GHRISTI inconſutili ex veteris ævi ſcriptoribus. Recentiores varie de illa differunt. Pomponius Vgonius lib. *de Stationibus Romæ* Italice ſcripto & a Dorſcheo laudato *Stat. V.* inter reliquias baſilicæ Lateranenſis hanc quoque tunicam recenſet. Onuphrius item Panvinius libro *de VII. Vrbis Eccleſiis* recitat antiqui ſcriptoris hos verſus:

Et ſacra ſanctarum ſi nomina relliquiarum
Lector, ſcire velis, docet hoc te charta fidelis.
Clauditur in ciſta chlamys inconſutilis iſta.

Et plura in hanc rem teſtimonia affert Dorſcheus *cap. II. §. XIX.*

XLI. Extra Romam etiam aliquot inconſutilis tunicæ particulæ demonſtrari olim ſunt ſolitæ, & in præſentem diem commonſtrantur. Sic Hallis Saxonum id quondam factum, teſtatur tractatus Germanicus ibidem anno CIƆIƆXX. excuſus, & Wittebergæ anno CIƆIƆCXVII. recuſus, cui titulus: Verzeichniß und Zeigung des Hochlobwirdigen Heiligthumbs der Heiligen St. Mauritz und St. Mariä Magdalenen zu Hall. Num. XX. legas: Ein gülden Tafel mit Steinen und Perlen von dem Stamm Jeſſe/ darinnen iſt vom Rock/ der mit Chriſto aufgewachſen. Et num. XXIII. In einem viereckicht güldenem Pacem mit Steinen und Perlen/ und einer güldenen Ketten iſt neben einem

nem Stück von der Dornen Kron Chriſti/ vom heiligen Creutz/ creutzweiſe 2. Partickeln/ auch vom Tuch mit Chriſti Blut beſprenget/ ein Stück vom ungenäheten Rock Chriſti.

XLIII. De Eccleſia S. Barbaræ cœnobiticæ virorum Carthuſianorum ſic ſcribit Erhardus Weinhemius Carthuſianus in *Sacrario Agrippinæ ſect. XXVII.* Oſtenduntur ibi *portio notabilis de ligno S. Crucis & duæ ſpinæ de Corona Domini, de fimbria tunicæ CHRISTI inconſutilis, quam mulier ſanguine fluens tetigit. Quam matronæ civitatis eadem infirmitate detentæ, vinum in Carthuſiam mittentes petunt, ut panniculus, quo particula fimbriæ attingi ſolet, in illud intingatur, de quo guſtantes incunctanter revaleſcunt.*

XLIV. *In provincia Tuſciæ* (ita Franciſcus Gonzaga Ord. Minorum Generalis *Hiſtoriæ Seraphicæ parte II. conventu XVIII.*) *in Conventu S. montis Alverni ſacrarium modernioris Eccleſiæ continet una cum particula Dominicæ crucis, inconſutilis Dominicæ veſtis partem.*

XLV. Inprimis vero gloriantur Trevirenſes, ac ſi ad ipſos pervenerit integra Tunica inconſutilis. Hanc enim volunt Agricium Epiſcopum ab Helena Conſtantini M. matre acceptam in novo templo cathedrali in altare chori poſterioris cum clavo & parte crucis Dominicæ recondidiſſe anno CCCXXX. per aliquot deinde ſecula intactam manſiſſe, donec Johannes I. Archiepiſcopus cathedrale templum anno CIↃXCVI. reſtauraturus, eam accurate cuſtoditam & obſignatam conſecutus ſingulari feſtivaque lætitia populo publice oſtenderit. Altera vice publice exhibita fuit anno CIↃIↃXII. ſub Richardo Electore & Archiepiſcopo ad inſtantiam Maximiliani Cæſaris, præſentibus Eccleſiaſticis & Politicis Electoribus & Principibus

Digitized by Google

cipibus S. Rom. Imperii. Tertia id factum vice anno CIↃIↃLXXXV. ſub Johanne VII. Archiepiſcopo, ac demum Anno CIↃIↃCLV. auſpiciis Caroli Caſparis Archiepiſcopi.

XLVI. Prodiit tum non modo Archiepiſcopale diploma, plenariam omnium peccatorum indulgentiam Tunicam iſtam rite venerantibus promittens, ſed & juſſu laudati Electoris & Archiepiſcopi concinnatum ſingulare ſcriptum de hac tunica, Treviris apud Huprichtum Reulandum excuſum, in quo anonymus auctor quinque tractat quæſtiones. I. Quando & quomodo S. Tunica Treviros allata, depoſita & manifeſtata ſit? II. Quæ ejus exterior forma & conſtitutio? III. Quæ interior in ea virtus & pretioſitas cogitanda? IV. Quomodo ab antiquis temporibus oſtenſa fuerit? V. Quis honor, quæque devotio circa eam perpetuo inſtituta fuerit?

XLVII. Forma & materia hujus Tunicæ in iſto libello ſic deſcribitur, quod ſit vera, longa, virilis, manicis amplioribus, non extimum, neque intimum veſtimentum, ſed medium, quotidianum: formam eſſe pro regionis more & ſtatus CHRISTI convenientia congruam & valde conſpicuam: materiam dignoſci haut facile poſſe, nec lanam eſſe, nec ſericum, ſed quantum diſcernere liceat, potius ſimilem tenuiſſimo lino, quale Jacobus frater Domini geſtarit: colorem pariter eſſe ineffabilem, ex fuſco, rubro, & cinereo cyaneo quaſi mixtum, lucentem ad candelam inſtar cinnabaris non præparati, mutantemque ſe in aere: artificium quod attinet, eſſe inconſutilem, deſuper contextam per totum, adeoque neque contextam, neque conſutam, ſed ex uno tenuiſſimo filo per totum concinnatam, & inſtar panni undulati contortam, juxta fimbriam ſive effigiatam, ſive floribus

bus contextam, & quaſi eſſent decolores literæ: omnino enim omnia in ea adeo mirabilia & ſingularia eſſe, ut etiam ante centum quadraginta & quod excurrit, annos rei veſtiariæ peritiſſimi artifices tunicæ huic proxime admoti haut ægre faſſi fuerint, ſua peritia ejus rationem ſatis comprehendi non poſſe.

XLVIII. At enim quis tam cæcus eſt, ut offucias in hac tunica Trevirenſi non deprehendat? quas etiam docte & graviter detexit magni nominis Theologus, Johannes Georgius Dorſcheus, ſingulari libro quem inſcripſit *Tunicam CHRISTI inconſutilem, cum confutatione fabulæ de ejus aſſervatione apud Treviros*, Roſtochii anno CIϽIϽCLVIII. edito.

XLIX. Hactenus de primo membro diximus, nempe de Veſtimentis CHRISTI, nunc ſuccedit alterum, nempe factum militum circa Veſtimenta. Factum illud eſt geminum, tum diviſio, tum ſortitio. Illa ad veſtes reliquas, hæc ad tunicam attinet inconſutilem.

L. De diviſione veſtimentorum CHRISTI hæc affert S. Johannes: *Milites ergo cum crucifixiſſent JESUM, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* Joh. XIX. v. 23.

LI. Scilicet more Romano ſpeculatores, qui de damnatis ſupplicium ſumebant, veſtes eorum capiebant, & pannicularia: nec primum id permiſit Adrianus Imp. ſed reſcripto ſuo expreſſit, quid *Panniculariæ* appellatione contineretur. Sic enim Aquilio Braduæ reſcripſit: L. Divus VI. de bonis damnatorum. *Pannicularia cauſa quemadmodum intelligi debeat, ex ipſo nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probe dixerit: Nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus a-*

 liquis

liquis ſibi vindicare debebit: ſed veſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in promtu habuerit, aut leves anulos, id eſt, quæ rem non excedunt aureorum quinque. Alioquin ſi quis damnatus digito habuerit aut ſardonycha, aut aliam gemmam magni pretii, vel, ſi quod chirographum magnæ pecuniæ in ſinu habuerit: nullo jure illud in panniculariа ratione tenebitur. Vlpianus poſt hoc reſcriptum Adriani ſubjicit: *Pannicularia ſunt ea, qua in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia: quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit: ita neque ſpeculatores ultro ſibi vindicent.* Emundus Merillius *Obſervation. lib. III.* mendum eſſe putat unius literulæ, & legendum *ultra*: videlicet ut ſpeculatores nihil ultra ſibi vindicent præter pannicularia, & optiones ſeu commentarienſes alias res retineant.

LII. Neque hodie is mos plene deſiit: niſi aliter vel magiſtratus decernat, vel ipſi candidati ſupplicii cum carnificibus agant, quibus pro exuviis ſolent certam pecuniæ ſummam numerare.

LIII. Deſcribit autem S. Johannes veſtimentorum CHRISTI diviſionem per ποιεῖν μέρη, *partes facere*, quod Cyrillus & alii Patres intnrpretantur σχίζειν, *ſcindere veſtem*, quæ integra erat.

LIV. Scilicet unam veſtem CHRISTI exteriorem diviſere milites in partes quatuor. Erat enim pallium veſtis Hebræorum ampla, non multum diſſimile pallio Græcorum: quod in quatuor partes commode ſecari potuit: quia e quatuor pannis certo modo inter ſe junctis conſtabat. Vnde Numeror. XV. v. 38. & XXII. v. 12. jubetur, ut fimbrias aſſuant quaternis palliorum angulis.

Et

Et credibile eſt, quaternos fuiſſe milites, quorum opera crucifixus ſit CHRISTVS: ut ſic unicuique ſua foret portio.

LV. Quæritur autem hoc loco, an ſolius CHRISTI, an vero etiam latronum veſtes inter milites fuerint diviſæ. Et Chryſoſtomus quidem putat, ſolius CHRISTI veſtimenta milites ſibi vendicaſſe, non etiam aliorum, qui cum eo erant crucifixi, ut in eo ſolo impleretur prophetia. Sic enim habetur *homilia LXXXVIII. in Matthæum:* Adeo *magnus hic fuit contemtus, quia in abjectum quaſi atque omnium viliſſimum agebatur, ut in latrones nihil tale geſtum fuerit.* Idem ſentit Euthymius in *Matthæi cap. XXVII.* At Cyrillus *lib. XII. cap. XXXII.* indicat, omnium eſſe veſtimenta a militibus diſtributa. Et ſane hoc videtur probabilius eſſe, quamvis Evangeliſtæ non meminerint, utpote qui nonniſi in CHRISTI hiſtoria erant occupati. Recte igitur Moldonatus in Matthæum ſcribit: *Dubitare lector poterit, an latronum etiam veſtes a militibus diviſæ fuerint? Nihil enim de ea re Evangeliſtæ ſcriptum reliquerunt. Non dubito, quin conſvetudo eadem apud Judæos & Romanos fuerit, quam nunc apud omnes gentes eſſe videmus, ut eorum, qui capite puniuntur, veſtes carnifex tollat. Quare & latronum veſtes a militibus, qui carnificum munere fungebantur, diſtributas fuiſſe, credendum eſt. Sed nimirum Evangeliſtæ, quia non latronum, ſed hiſtoriam CHRISTI narrabant, & in veſtium latronum diſtributione nullum ſciebant fuiſſe myſterium, ſola enim conſvetudine fuiſſe diviſas, diviſionem autem veſtium CHRISTI non conſvetudine ſolum, ſed etiam myſterio factam fuiſſe, de veſtium latronum*

dem tunica prodidere nonnulli ſcriptores Pontificii, Landulphum *de Vita CHRISTI lib. II. cap. LXIII.* ſecuti, ac ſi eadem ſemper indetrita manſerit, & cum artubus ac annis CHRISTI creverit.

XXXIII. Ejusdem eſt farinæ, quod hæc Tunicæ ab Angelis confecta & cœlitus ſit miſſa: ut ex voce ἄνωθεν, *deſuper* nonnemo contendit apud Mendozam in *lib. I. Reg. cap. II. n. XIX.*

XXXIV. Denique ſunt, qui fimbriam hujus tunicæ a muliere hæmorrhouſa tactam & ſanatam velint Marci V. v. 29. Sed quia veſtis illa procul dubio fuit exterior, ceu §. VI. hujus capitis diximus, ad tunicam inconſutilem, quæ veſtis erat interior, mulier cula illa manum eo extendere commode non potuit.

XXXV. Ceterum vero non eſt abſimile, Dominum veſtem illam accepiſſe ab aliqua opulentiorum mulierum, quæ ipſam ex Galilæa ſecutæ ei de neceſſariis proſpicere volebant.

XXXVI. Si quæratur, an adhuc ſuperſit illa tunica, diverſi de diverſis locis id affirmant.

XXXVII. Et Galatæ quidem in baſilica quadam aſſervatam, jam exeunte ſeculo VI. tradidit Gregorius Turonenſis *de Gloria Martyrum lib. I. cap. VIII.* Adſcribam ipſa verba. *De hac immaculati agni tunica, quæ audivi a quibusdam, ſilere nequeo. Ferunt autem in civitate Galatea in baſilica quadam, quæ ad ſanctos Archangelos vocatur, retineri. Eſt enim hæc civitas ab urbe Conſtantinopolitana quaſi millibus centum quinquaginta, in qua baſilica eſt crypta antiquiſſima, ibique in arca lignea hoc veſtimentum habetur incluſum, quæ arca a devotis atque fidelibus cum ſumma diligentia adſervatur, non immerito digna,*

digna, quæ hoc veſtimentum retinet, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare.

XXXVIII. Alia tamen eſt traditio, in civitate Zaphad haud procul Hieroſolymis repertam, Hieroſolymam fuiſſe translatam. Fredegarius Scholaſticus in *Chronico cap. XI. Anno XXX. regni ſupraſcripti Principis* (Guntramni) *tunica Domini noſtri JESV CHRISTI, quæ eidem in paſſione ſublata eſt, & a militibus, qui eum cuſtodiebant, eſt ſortita, de qua David Propheta dixit; Et ſuper veſtimenta mea poſuerunt ſortem, inventa eſt, profitente Simone filio Jacobi. Qui per duas ebdomadas multis cruciatibus adfectus, tandem profitetur ipſam tunicam in civitate Zafad, procul a Hieruſolimis, in arca marmorea poſitam eſſe. Quam Gregorius Antiochenus & Thomas Hieruſolimorum, & Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus cum aliis multis Epiſcopis, triduanum facientes jejunium, exinde condigne cum arca marmorea (levi effecta, quaſi ex ligno fuiſſet) ordine pedeſtri Hieruſolimam cum devotione ſanctiſſima perduxerunt, & eam in loco, ubi crux Domini adoratur, cum triumpho poſuerunt.* Iisdem fere verbis utitur Aimoinus *de Geſtis Francorum lib. III. cap. LXXVIII.* Conſentiunt Sigebertus Gemblacenſis *ad ann. IↃXCIV.* Conradus Abbas Vrſpergenſis, Matthæus Weſtmonaſterienſis, & Johannes Nauclerus in *Chronographia Generat. XX.*

XXXIX. Sed Rupertus Abbas Montenſis, continuator Sigeberti in monaſterio Argentolio Pariſienſis diœceſios anno CIↃCLVII. repertam tradit hanc tunicam. *In pago,* inquit, *Pariſienſi cappa Salvatoris noſtri in monaſterio Argentolio revelatione divina reperta eſt inconſutilis & ſubrufi coloris, quam, ſicut literæ, quæ in eo repertæ,*

Digitized by Google

indicabant, glorioſa mater illius fecit, dum adhuc puer eſſet. Subſcribit Alphonſus Salmeron *Tom. X. Commentar. in N. T. tract. XXXVIII. Tunicam*, inquit, *CHRISTI inconſutilem dicunt quidam Treviris aſſervari; alii vero in oppido Argentolio non longe a Lutetia Pariſiorum diſſito, ubi magna veneratione peregrinis ſpectanda proponitur, nec ſine magnis interdum ſignis.*

XL. Et tantum de Tunica CHRISTI inconſutili ex veteris ævi ſcriptoribus. Recentiores varie de illa diſſerunt. Pomponius Vgonius lib. *de Stationibus Romæ* Italice ſcripto & a Dorſcheo laudato *Stat. V.* inter reliquias baſilicæ Lateranenſis hanc quoque tunicam recenſet. Onuphrius item Panvinius libro *de VII. Vrbis Eccleſiis* recitat antiqui ſcriptoris hos verſus:

Et ſacra ſanctarum ſi nomina relliquiarum
Lector, ſcire velis, docet hoc te charta fidelis.
Clauditur in ciſta chlamys inconſutilis iſta.

Et plura in hanc rem teſtimonia affert Dorſcheus *cap. II. §. XIX.*

XLI. Extra Romam etiam aliquot inconſutilis tunicæ particulæ demonſtrari olim ſunt ſolitæ, & in præſentem diem commonſtrantur. Sic Hallis Saxonum id quondam factum, teſtatur tractatus Germanicus ibidem anno CIↃIↃXX. excuſus, & Wittebergæ anno CIↃIↃCXVII. recuſus, cui titulus: Verzeichniß und Zeigung des Hochlobwirdigen Heiligthumbs der Heiligen St. Mauritz und St. Mariä Magdalenen zu Hall. Num. XX. legas: Ein gülden Tafel mit Steinen und Perlen von dem Stamm Jeſſe/ darinnen iſt vom Rock/ der mit Chriſto aufgewachſen. Et num. XXIII. In einem viereckicht güldenem Pacem mit Steinen und Perlen/ und einer güldenen Ketten iſt neben einem

nem Stück von der DornenKron Chriſti/ vom heiligen Creutz/ creutzweiſe 2. Partickeln/ auch vom Tuch mit Chriſti Blut beſprenget/ ein Stück vom ungenebeten Rock Chriſti.

XLIII. De Eccleſia S. Barbaræ cœnobiticæ virorum Carthuſianorum ſic ſcribit Erhardus Weinhemius Carthuſianus in *Sacrario Agrippinæ ſect. XXVII.* Oſtenduntur ibi *portio notabilis de ligno S. Crucis & duæ ſpinæ de Corona Domini, de fimbria tunicæ CHRISTI inconſutilis, quam mulier ſanguine fluens tetigit. Quam matronæ civitatis eadem infirmitate detentæ, vinum in Carthuſiam mittentes petunt, ut panniculus, quo particula fimbriæ attingi ſolet, in illud intingatur, de quo guſtantes incunctanter revaleſcunt.*

XLIV. *In provincia Tuſciæ* (ita Franciſcus Gonzaga Ord. Minorum Generalis *Hiſtoriæ Seraphicæ parte II. conventu XVIII.*) *in Conventu S. montis Alverni ſacrarium modernioris Eccleſiæ continet una cum particula Dominicæ crucis, inconſutilis Dominicæ veſtis partem.*

XLV. Inprimis vero gloriantur Trevirenſes, ac ſi ad ipſos pervenerit integra Tunica inconſutilis. Hanc enim volunt Agricium Epiſcopum ab Helena Conſtantini M. matre acceptam in novo templo cathedrali in altare chori poſterioris cum clavo & parte crucis Dominicæ recondidiſſe anno CCCXXX. per aliquot deinde ſecula intactam manſiſſe, donec Johannes I. Archiepiſcopus cathedrale templum anno CIƆXCVI. reſtauraturus, eam accurate cuſtoditam & obſignatam conſecutus ſingulari feſtivaque lætitia populo publice oſtenderit. Altera vice publice exhibita fuit anno CIƆIƆXII. ſub Richardo Electore & Archiepiſcopo ad inſtantiam Maximiliani Cæſaris, præſentibus Eccleſiaſticis & Politicis Electoribus & Principibus

cipibus S. Rom. Imperii. Tertia id factum vice anno CIƆIƆLXXXV. ſub Johanne VII. Archiepiſcopo, ac demum Anno CIƆIƆCLV. auſpiciis Caroli Caſparis Archiepiſcopi.

XLVI. Prodiit tum non modo Archiepiſcopale diploma, plenariam omnium peccatorum indulgentiam Tunicam iſtam rite venerantibus promittens, ſed & juſſu laudati Electoris & Archiepiſcopi concinnatum ſingulare ſcriptum de hac tunica, Treviris apud Huprichtum Reulandum excuſum, in quo anonymus auctor quinque tractat quæſtiones. I. Quando & quomodo S. Tunica Treviros allata, depoſita & manifeſtata ſit? II. Quæ ejus exterior forma & conſtitutio? III. Quæ interior in ea virtus & pretioſitas cogitanda? IV. Quomodo ab antiquis temporibus oſtenſa fuerit? V. Quis honor, quæque devotio circa eam perpetuo inſtituta fuerit?

XLVII. Forma & materia hujus Tunicæ in iſto libello ſic deſcribitur, quod ſit vera, longa, virilis, manicis amplioribus, non extimum, neque intimum veſtimentum, ſed medium, quotidianum: formam eſſe pro regionis more & ſtatus CHRISTI convenientia congruam & valde conſpicuam: materiam dignoſci haut facile poſſe, nec lanam eſſe, nec ſericum, ſed quantum diſcernere liceat, potius ſimilem tenuiſſimo lino, quale Jacobus frater Domini geſtarit: colorem pariter eſſe ineffabilem, ex fuſco, rubro, & cinereo cyaneo quaſi mixtum, lucentem ad candelam inſtar cinnabaris non præparati, mutantemque ſe in aere: artificium quod attinet, eſſe inconſutilem, deſuper contextam per totum, adeoque neque contextam, neque conſutam, ſed ex uno tenuiſſimo filo per totum concinnatam, & inſtar panni undulati contortam, juxta fimbriam ſive effigiatam, ſive floribus

bus contextam, & quaſi eſſent decolores literæ: omnino enim omnia in ea adeo mirabilia & ſingularia eſſe, ut etiam ante centum quadraginta & quod excurrit, annos rei veſtiariæ peritiſſimi artifices tunicæ huic proxime admoti haut ægre faſſi fuerint, ſua peritia ejus rationem ſatis comprehendi non poſſe.

XLVIII. At enim quis tam cæcus eſt, ut offucias in hac tunica Trevirenſi non deprehendat? quas etiam docte & graviter detexit magni nominis Theologus, Johannes Georgius Dorſcheus, ſingulari libro quem inſcripſit *Tunicam CHRISTI inconſutilem, cum confutatione fabulæ de ejus aſſervatione apud Treviros*, Roſtochii anno CIƆIƆCLVIII. edito.

XLIX. Hactenus de primo membro diximus, nempe de Veſtimentis CHRISTI, nunc ſuccedit alterum, nempe factum militum circa Veſtimenta. Factum illud eſt geminum, tum diviſio, tum ſortitio. Illa ad veſtes reliquas, hæc ad tunicam attinet inconſutilem.

L. De diviſione veſtimentorum CHRISTI hæc affert S. Johannes: *Milites ergo cum crucifixiſſent JESUM, acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.* *Joh. XIX. v. 23.*

LI. Scilicet more Romano ſpeculatores, qui de damnatis ſupplicium ſumebant, veſtes eorum capiebant, & pannicularia: nec primum id permiſit Adrianus Imp. ſed reſcripto ſuo expreſſit, quid *Pannicularia* appellatione contineretur. Sic enim Aquilio Braduæ reſcripſit: L. Divus VI. de bonis damnatorum. *Pannicularia cauſa quemadmodum intelligi debeat, ex ipſo nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probe dixerit: Nec ſi zonam circa ſe habuerit, protinus a-*

liquis ſibi vindicare debebit: ſed veſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in promtu habuerit, aut leves anulos, id eſt, quæ rem non excedunt aureorum quinque. Alioquin ſi quis damnatus digito habuerit aut ſardonycha, aut aliam gemmam magni pretii, vel, ſi quod chirographum magnæ pecuniæ in ſinu habuerit: nullo jure illud in pannicularia ratione tenebitur. Vlpianus poſt hoc reſcriptum Adriani ſubjicit: *Pannicularia ſunt ea, quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia: quibus indutus eſt, cum quis ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit: ita neque ſpeculatores ultro ſibi vindicent.* Emundus Merillius *Obſervation. lib. III.* mendum eſſe putat unius literulæ, & legendum *ultra*: videlicet ut ſpeculatores nihil ultra ſibi vindicent præter pannicularia, & optiones ſeu commentarienſes alias res retineant.

LII. Neque hodie is mos plene deſiit: niſi aliter vel magiſtratus decernat, vel ipſi candidati ſupplicii cum carnificibus agant, quibus pro exuviis ſolent certam pecuniæ ſummam numerare.

LIII. Deſcribit autem S. Johannes veſtimentorum CHRISTI diviſionem per ποιεῖν μέρη, *partes facere*, quod Cyrillus & alii Patres interpretantur σχίζειν, *ſcindere veſtem*, quæ integra erat.

LIV. Scilicet unam veſtem CHRISTI exteriorem diviſere milites in partes quatuor. Erat enim pallium veſtis Hebræorum ampla, non multum diſſimile pallio Græcorum: quod in quatuor partes commode ſecari potuit: quia e quatuor pannis certo modo inter ſe junctis conſtabat. Vnde Numeror. XV. v. 38. & XXII. v. 12. jubetur, ut fimbrias aſſuant quaternis palliorum angulis.

Et

Digitized by Google

Et credibile eſt, quaternos fuiſſe milites, quorum opera crucifixus ſit CHRISTVS: ut ſic unicuique ſua foret portio.

LV. Quæritur autem hoc loco, an ſolius CHRISTI, an vero etiam latronum veſtes inter milites fuerint diviſæ. Et Chryſoſtomus quidem putat, ſolius CHRISTI veſtimenta milites ſibi vendicaſſe, non etiam aliorum, qui cum eo erant crucifixi, ut in eo ſolo impleretur prophetia. Sic enim habetur *homilia LXXXVIII. in Matthæum:* Adeo *magnus hic fuit contemtus, quia in abjectum quaſi atque omnium viliſſimum agebatur, ut in latrones nihil tale geſtum fuerit.* Idem ſentit Euthymius in *Matthæi cap. XXVII.* At Cyrillus *lib. XII. cap. XXXII.* indicat, omnium eſſe veſtimenta a militibus diſtributa. Et ſane hoc videtur probabilius eſſe, quamvis Evangeliſtæ non meminerint, utpote qui nonniſi in CHRISTI hiſtoria erant occupati. Recte igitur Moldonatus in Matthæum ſcribit: *Dubitare lector poterit, an latronum etiam veſtes a militibus diviſæ fuerint? Nihil enim de ea re Evangeliſtæ ſcriptum reliquerunt. Non dubito, quin conſvetudo eadem apud Judæos & Romanos fuerit, quam nunc apud omnes gentes eſſe videmus, ut eorum, qui capite puniuntur, veſtes carnifex tollat. Quare & latronum veſtes a militibus, qui carnificum munere fungebantur, diſtributas fuiſſe, credendum eſt. Sed nimirum Evangeliſtæ, quia non latronum, ſed hiſtoriam CHRISTI narrabant, & in veſtium latronum diſtributione nullum ſciebant fuiſſe myſterium, ſola enim conſvetudine fuiſſe diviſas, diviſionem autem veſtium CHRISTI non conſvetudine ſolum, ſed etiam myſterio factam fuiſſe, de veſtium latronum*

diviſione mentionem non fecerunt, de diſtributione ſortitione que veſtium CHRISTI fecerunt.

LVI. Si quid myſterii in hac diſtributione, non negaverim, ſignificari unam Eccleſiam CHRISTI per quatuor mundi partes diffuſam. *Quadripartita,* inquit Auguſtinus *Tractat. CXIIX. in Johannem,* veſtis *Domini JESV CHRISTI quadripartitam ejus figuravit Eccleſiam, toto terrarum orbe, qui quatuor partibus conſtat, diffuſam, & omnibus ejusdem partibus concorditer diſtributam.*

LVII. Sic diſtributo pallio adjicitur tunica inconſutilis, & ſorti committitur eventus. Quandoquidem enim *tunica* illa erat *inconſutilis, dixerunt* milites *inter ſe invicem, Ne ſcindamus eam, ſed ſortiemur de illa, cujus ſit.*

LVIII. Factum & id quoque ex uſu militum, quo, ſicut prædas bellicas, ſic cujusvis generis ſpolia dividenda ſorti committebant. Plutarchus de militibus Tigranis: *Paucitatem exercitus Luculli contemnentes, & jam ſibi certam victoriam promittentes, ſuper Romana ſpolia, quaſi jam parta eſſent, miſerunt ſortem.*

LIX. Quærit Emundus Merillus, quomodo milites ſortem jecerint; an nominibus quatuor militum in urnam jactis, ut illius tunica eſſet, cujus nomen prius exiiſſet. Talem ſortitionem inter milites, ſed longo poſt tempore factam ex Vopiſci *Probo* comprobat: *In urnam militares juſſit nomen ſuum mittere, ut aliquis eam ſorte ductus acciperet.* Ita igitur milites tunicam CHRISTI ſortitos putat, nominibus ſeu ſorticulis in urnam ſive ſitellam jactis: aut ſi milites urnam non haberent paratam eo loco ubi CHRISTVM crucifixerunt, in galeam

ſeu

Digitized by Google

ſeu caſſidem, more militari ſortes jeciſſe. Quod confirmat his Virgilius lib. V. Æneid.

—— *dejectamque ærea ſortem*

Accepit galea.

Et iſtis Statii lib. VI. Thebaid.

—— *Sortitus Protheus verſarat ahena*

Caſſide.

Id quidem magis admittendum, quam milites ſortem jeciſſe teſſeris aleatoris: aliud enim ſortem, aliud aleam. Eadem mens eſt Gvidoni Pancirollo *parte I. Rerum memorabilium tit. XLIV.* hæc afferenti: *Lactantius Firmianus ſcribit, Tunicam inconſutilem, quæ adhuc Francofurti aſſervatur* (*Treviris* forte reſcribendum eſt) *integram remanſiſſe ei, cui ſorte obtigerat. Sorte, inquam, non vero talorum aut aleæ jactu, ut vulgus opinatur: cum alia ſit ſortitio, alius talorem vel aleæ luſus.*

LX. Majoris momenti quæſtio eſt, Num ſola CHRISTI tunica ſortitioni fuerit obnoxia, an etiam quod reliqvum fuit veſtimentorum?

LXI. Nonnus & Arabs ſorti non tunicam ſolum objiciunt, ſed & pallium: contra quos diſputat Caſaubonus. *Johannis* inquit, *narratio clara eſt; pallio in quatuor partes ſecto, cuique militi partem ceſſiſſe. Nullam hic ſortitionem factam Johannes commemorat: & vero opus non erat. Tunc enim ſorti res permittitur, cum non ita æquari partes potuerunt, ut non ſit una optabilior, quam alia in pallii inciſione facillimum fuit hoc incommodum vitare. Quare igitur ſortitio adhiberetur? De tunica alia res fuit: nam milites præoptarunt illam pervenire integram ad unum, quam laceratæ partes ad ſingulos. Hic igitur ſortitionem adhibitam narrat Evangeliſta: & ratio*

eſt

eſt manifeſtiſſima. Accedit, quod ſortitio de altera tantum veſte facienda fuerat prædicta, non de utraque. Nam dixit David: Diviſerunt ſibi veſtimenta mea; & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. *Neque aliter Auguſtinus hanc hiſtoriam accepit. Toletus, qui B. Auguſtinum & alios ejusdem ſententiæ reprehendit, ipſe potius reprehendendus eſt.*

Marci XV. v. 24. LXII. Quia tamen Marcus nulla tunicæ mentione facta, diſerte dicit, jeciſſe milites ſortem ἐπ' αὐτὰ, *ſuper ea*, ſcilicet veſtimenta; hinc multi non modo de tunica, ſed & de pallio ſortitos putant milites.

LXIII. Sed reſpondet Caſaubonus, eſſe figuram κοινότητος Rhetoribus dictam, quam multi Theologorum ſyllepſin nominent, ut B. Hieronymus in Matthæi cap. XXVI. & XXVII. cum pluribus id tribuatur vel compendio dicendi, vel aliam ob cauſam, quod ſit quorundam proprium. Sic Matthæi XXVII. 44. latrones CHRISTO dixiſſe convicia, id eſt, alterum latronum. Sic Matth. XXVI. 8. diſcipulos murmurare, id eſt, unum e diſcipulis, Judam. Johannis XII. 4. & ad Hebræos XI. 37. ἐπρίσθησαν, *ſerrati ſunt*, ut etiam Hieronymus vertit: qvum ſolus Eſaias dicatur ſerra fuiſſe diſſectus.

LXIV. At figuram iſtam locum hic nullum habere, quidam ex iis apparere credunt, quæ Marcus addit: τίς τί ἄρῃ, *Quis quid tolleret.* Vnde Ludovicus de Dieu in h. l. ſcribit: *Controverſia non erat, quis aliquid tolleret, ſed quid quisque. Non ergo de una tunica, ſed de pluribus veſtibus lis erat, quæ ſortitione dirimi debuit.*

LXV. Huic quoque ſententiæ accedit B. noſter Gerhardus, cujus aliqua afferemus. *Non eſt neceſſarium ad hanc ſermonis figuram confugere: nulla enim cum abſurditate*

ditate conjunctum, ſi τὸ ἄρῃ apud Marcum ſecuti dicamus etiam de pallii partibus diviſis ſortis judicium fuiſſe conſultum; vel quod raro tam æqualis partium fieri poſſit diviſio, quin una earum reliquis ſit præſtabilior, ſicque avaritia huic hominum generi peculiaris ad ſortium uſum eos impuliſſet; vel quod ludibrii cauſa etiam de his partibus ſortem experiri voluerint, ut tempus fallerent, quod cuſtodia CHRISTI in cruce pendentis tribuere cogebantur, ac CHRISTO & cognatis ejus ægrius facerent. Johannes non negat etiam reliquas veſtes fuiſſe ſorti ſubjectas, hoc eſt de partibus & fragmentis pallii ſorte fuiſſe inter milites actum. Sed de tunica id velut peculiare commemorat, quod integra & indiviſa ſorti ſobjecta fuerit, ad quem tota pertinere debeat.

LXVI. Cajetanus verba Johannis ſic exponit, quod tunicam inconſutilem in una illarum quatuor partium computarint, & hanc tunicam fuiſſe rationem ſortis: miſſam enim eſſe ſortem ſuper omnes veſtes CHRISTI propter tunicam, quæ uni illarum partium adjecta eam reliquis præſtabiliorem & optabiliorem reddiderit.

LXVII. Sed B. Gerhardo veriſimilius eſt, tunicam illam inconſutilem a quatuor partibus fuiſſe ſeparatam, ac ſeorſim de ea ſortitum: quamvis enim verbum ἔλαβον ad ἱμάτια & χιτῶνα æqualiter referatur, tamen in ſpecie exponi, quomodo acceperint iſthæc milites, ἱμάτιον ſcilicet in quatuor partes dividendo, χιτῶνα vero ſortis arbitrio communi conſenſu ſubmittendo.

LXVIII. Quare vero milites de veſtibus CHRISTI inter ſe dividendis tantopere ſunt ſolliciti?

LXIX. Arias Montanus exiſtimat, *veſtimenta illa fuiſſe munda, pretioſa, & nitidiſſimo cuique ad uſum ido-*

nea. Et Sopranius: *Forte etiam ob munditiem exquiſitam digna erant, quæ non negligerentur, tunica præſertim.*

LXX. Quam autem alienum fuerit a Domino pretioſis veſtibus amiciri, ſupra (§. XXVI.) monuimus.

LXXI. Rupertus exiſtimat, milites lucrum aliquod eximium ex CHRISTI veſtibus ſperaſſe. *Non enim,* inquit, *vilia exiſtimabantur, de quorum fimbriis contactu virtus exire conſueverat: neque utique tunc in illo ſpectaculo deerant, qui ad comparandum ea certatim ſe ingererent.* Quo ſpectant illa Sopranii: *Forte denique non ignorabant, aliis pretioſa futura, quibus erat CHRISTI nomen in pretio. Non defuturos ergo, qui certatim illa conquirerent: ob id ea tanto inter ſe ſtudio diviſerunt.*

LXXII. Sed quis credat jam illa tempeſtate de reliquiis veſtimentorum CHRISTI perquirendis ſollicitos fuiſſe maxime licet religioſos viros feminasque? præſertim quibus conſtaret virtutem illam ſanandi non ex veſtibus, ſed ipſo CHRISTO exiiſſe. Vid. Marci V. v. 29.

LXXIII. Itaque vero valde eſt ſimile, milites ex recepto more veſtimenta diviſiſſe; non, quod tanti fuerint pretii; aut quod ſperaverint magnum ſe ex illis lucrum reportaturos.

LXXIV. Nec abſurda eſt quorundam conjectura (quod etiam Euthymius notavit) milites ludibrii cauſa veſtes illas, ac ſi eſſent Regis, inter ſe diviſiſſe. De eo iterum Sopranes: *Cur de illis milites adeo ſolliciti? milites inquam, non infima fæx ſatellitum? Forte laſciviendo, ut hoc etiam illuſionis genere CHRISTVM traducerent.*

LXXV. Re vera enim hæc veſtimentorum CHRISTI diviſio ſpecies erat ignominiæ CHRISTO illatæ. Fru-

Fruſtra hoc auſus eſt negare Marcion: de quo Tertullianus *lib. IV. contra Marcionem cap. XLII.* Veſtitum *ejus plane a militibus diviſum, partim ſorte conceſſum, Marcion abſtulit. —— Aufer igitur & crucem ipſam. —— Quo jam teſtimonium veſtimentorum? Habe falſi tui prædam. Totus Pſalmus veſtimenta ſunt CHRISTI.* Epiphanius quoque *hæreſi XLII.* Marcioni objicit, quod textum de veſtimentis JESU injuriæ militum obnoxiis abjecerit.

LXXVI. Et ſane ſi nulla fuit in hac diviſione & ſortitione injuria, cur CHRISTUS de eadem tantopere quereretur? In Pſalmo enim XXII. v. 19. de facti hujus atrocitate ſic conqueritur Meſſias: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Et teſtatur S. Johannes, hoc vaticinium in CHRISTO fuiſſe impletum. *Joh. XIX. v. 24.*

LXXVII. Idem legas Matthæi cap. XXVII. Sed in vetuſtiſſimis Græcis exemplaribus non reperit Beza. Non legit Origenes. Nec habet Syriaca verſio Emanuelis Tremellii: neque editio Sixti Papæ V. quamvis additum reperias in ea, quam Clemens VIII. recognovit. Voſſius plane eo inclinat, ut ex Johanne ſit adjectum. Sixtinus tamen Amama *Antibarbari Biblici lib. I. cap. X. ſect. I.* putat, potius addidiſſe Clementem Matthæo, quam Sixtum Papam omiſiſſe. *Matth. XXVII. v. 35.*

LXXVIII. Hoc vaticinium ut penitus perluſtremus, ante omnia diſpiciendum, quis in hoc Pſalmo loquatur. Nam ſi is Meſſias non foret, parum in eo contra Judæos diſputantibus eſſet præſidii.

LXXIX. Andreas Rivetus *Commentar.* in hunc Pſalmum *Tomo II.* refert, Hebræos quosdam Pſalmum referre ad Eſther & populum Judaicum, tum temporis

captivum, quaſi Eſther fuerit ſtella matutina, cujus exortus ſalutaris fuerit populo.

LXXX. Nec adeo improbat hanc ſententiam Nicolaus Lyra. *Hebræi*, inquit, *hunc Pſalmum expoſuerunt de tribulatione contra Judæos per Aman excitata, in qua adverſarii eorum ad certam diem ſe præparabant ad occidendum eos & ſpoliandum, tractantes inter ſe de modo occidendi & affligendi per confixionem manuum & pedum in ligno, ſicut Aman præparaverat Mardocheo. Et veſtes & ſpolia eorum inter ſe dividebant. Litera hujus Pſalmi ſatis poſſet ad hanc ſententiam applicari. Dixerunt igitur, quod cum dicitur in titulo hujus Pſalmi, qui talis eſt in Hebræo,* Ad vincendum pro cerva matutina, *Cerva matutina dicitur Heſter regina, quæ de liberatione populi ſui valde fuit pervigil & ſollicita.*

LXXXI. Idem mox adducit teſtimonium Rabbinicum de populo Judaico in captivitate Babylonica exiſtente Pſalmum capiens. *R. Salomon dicit* (verba ſunt Lyrani:) *quod per cervam matutinam hoc loco intelligitur congregatio populi Iſraelitici, quæ cerva vocatur, ut dicitur puer. Videlicet cerva chariſſima & gratiſſimus hinnulus, quæ valde fuit afflicta per Nabuchodonoſorem ipſam ſpoliantem, & partim occidentem, partim captivantem, ſed per orationes Sanctorum hujus congregationis in orationibus vigilantium fuit liberata tempore Cyri.*

LXXXII. Sic hodie Rabbini communiter ſeqvuntur Rabbi David Kimchi, qui interpretatur Pſalmum de Eccleſia Iſraelitica in captivitate & triſti exilio poſita, & omnibus modis contrita, quæ olim ut ſtella matutina vel aurora ſplendebat, poſtea obſcura & tenebricoſa interque gentes diſperſa fuit. De his Rabbinorum commentis

mentis vide plura in elegantiſſima optimi clariſſimique Collegæ noſtri Friſchmuthii Diſſertatione *de Flebili Meſſiæ in Cruce pendentis gemitu* cap. I. §. I. ſeqq.

LXXXIII. In Judæis autem junioribus talia non mireris, quippe quibus tralatitium eſt luculenta de Meſſia teſtimonia alio torquere, & modis omnibus pervertere. Sed inter Chriſtianos reperiri, qui luculentum hoc de CHRISTO vaticinium, quodque de eo capiendum eſſe, per Evangeliſtas Matthæum & Johannem ipſe S. Spiritus monuit, ad Davidem referendum cenſeant, id eſt, quod merito dolemus, & tantum non acerbis deploramus lacrumis.

LXXXIV. Scilicet Calvinus multique alii Doctores Reformati exiſtimant Pſalmum hunc primario de Davide, ſecundario de CHRISTO, cujus typum David gerebat, agere.

LXXXV. Sic enim Calvinus: *David hoc Pſalmo in eas anguſtias ſe redactum conqueritur, ut ſimilis ſit homini deſperato. Poſtquam tamen mala, quæ ipſum miſere angebant, recenſuit, ex tentationum abyſſo emergens animum colligit ad bene ſperandum. Interim vero in ſua perſona typum CHRISTI proponit, quem prophetico ſpiritu ſciebat dejici oportere miris & inſolitis modis, antequam Pater illum extolleret.* Et Wolfgangus Muſculus ait, *Pſalmi principio, medio & fine conſideratis & inſpectis liquere, deſcribi ſub perſona Davidis primum crucem & afflictionem, humilitatemque & abjectionem CHRISTI, deinde illius exceptionem & exaltationem, & poſtremo regni illius ad extremos usque orbis terminos prorogationem.* Vnde & in explicatione tituli Pſalmi operoſus eſt in eo avertendo, ne quis putet, quæ in Pſalmo dicuntur, nul-

Digitized by Google

la ratione ad Davidem pertinere. Nec aliter Aretius Felinus, qui in argumento hujus Pſalmi ait: *David CHRISTI typum ſe aperte admodum in hoc Pſalmo exhibet. Primum ergo ſummam ejus dejectionem, inde & exaltationem, regnique ejus & ad orbis terminos propagationem & ad finem usque ſeculi deductionem in ſe adumbratam canit.* Rivetus quoque *Tom. II. Op.* Comentar. in hunc Pſalmum ad quæſtionem, quæ hic ab Interpretibus movetur, *Utrum hujus Pſalmi argumentum ſimplex ſit*, id eſt, *ſimplicem contineat narrationem propheticam, hiſtoriamque CHRISTI, an vero ſit compoſitum ex typo Davidis & hiſtoria CHRISTI per typum Davidis adumbrata?* reſpondet, *poſteriorem ſententiam, quæ multis placuit, Calvino inprimis & Bucero, nihil habere incommodi, & ut poſtremi verbis utar, ut nihil impium feceris, ſi in his perpenderis, ut David improbitate Saulis & aſſentatorum ejus exagitatus CHRISTUM adumbravit.* Et Hugo Grotius Commentar. in hunc Pſalmum aperte: *Ode hæc Davidis profugi calamitates deſcribit: neque tamen impedit, quominus in ſenſu ſublimiore ad Meſſiam reſpiciat.*

LXXXVI. Nec multum ab hac ſententia abeunt quidam ex Pontificiis. Sic Cornelius Janſenius *veriſimile* eſſe putat, *Davidem occaſione ſuarum tribulationum ad has querelas adactum, ſic tamen ut CHRISTI ſe typum agnoſcens, ad illum potius deflecteret animum, eumque ob oculos haberet.* Sequitur in iſta fluctuatione Simon de Muis, Pariſienſis Profeſſor Regius. *Etſi probabile eſt*, inquit, *quod aliqui Hebræorum volunt, Pſalmum hunc a Davide fuiſſe compoſitum, cum Saulem fugeret, idque in ingenti aliquo periculo & gravi aliqua clade, quæ tum ei forte ab hoſtibus fuiſſet objecta; nibilominus dubium non eſt,*

eſt, quin omnis ejus cogitatio a Spiritu Sancto longius fuerit abducta, ut cum ſuam ipſe calamitatem ac dolores conſideraret, ſimul etiam CHRISTI, cujus ſe typum gerere cognoſcebat, dolores, paſſionem ac duriſſimam mortem contemplaretur, ſic præſentium ærumnarum ſenſum leniret ac moderaretur.

LXXXVII. Speciatim quod ad hanc de diviſis veſtibus Meſſiæ querelam attinet, David Paræus in *Adverſariis* ſuis *Tom. II. Operum* affirmat, *de omnium bonorum ac regni ſpoliatione, de ejectione ſua in exilium & de triumphatione ſuper Davidem totaliter oppreſſum,* eam eſſe intelligendam, & per unam injuriarum ſpeciem totum genus intelligendum. Calvinus porro philoſophatur: *Quod de veſtibus ſequitur, translatitium eſt; perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, fortunas omnes ſuas in prædam eſſe expoſitas, ut ſolent victores vel ſpolia diripere, vel inter ſe ſortiri, quid cuique contingat. Sua enim ornamenta, opes ſuas, & quæcunque poſſederat, veſtibus comparans conqueritur, poſtquam illis ſpoliatus eſt, cum ludibrio inter hoſtes dividi, tanquam præmium victoriæ. Quo magis augetur indignitas, quia non ſecus ac de homine mortuo triumphum agebant. Quod autem liberaliter, ut ajunt, & abſque figura hunc locum citant Evangeliſtæ, in eo nihil eſt abſurdi. Nam quo certius ſciremus, in hoc Pſalmo CHRISTUM nobis prophetico ſpiritu deſcriptum eſſe, eorum, quæ adumbrata ſunt in Davide viſibile complementum cœleſtis Pater in perſona Filii ſui exſtare.* Imo ulterius progreſſus *Commentar. in Johannem* in hæc erumpere non dubitat: *Locus, quem Evangeliſtæ adducunt ex Pſalmo XXII. videtur intempeſtive ad præſentem cauſam trahi. Nam cum illic queratur David, ſe hoſtibus prædæ fuiſſe,* *meta-*

la ratione ad Davidem pertinere. Nec aliter Aretius Felinus, qui in argumento hujus Pſalmi ait: *David CHRISTI typum ſe aperte admodum in hoc Pſalmo exhibet. Primum ergo ſummam ejus dejectionem, inde & exaltationem, regnique ejus & ad orbis terminos propagationem & ad finem usque ſeculi deductionem in ſe adumbratam canit.* Rivetus quoque *Tom. II. Op.* Comentar. in hunc Pſalmum ad quæſtionem, quæ hic ab Interpretibus movetur, *Vtrum hujus Pſalmi argumentum ſimplex ſit*, id eſt, *ſimplicem contineat narrationem propheticam, hiſtoriamque CHRISTI, an vero ſit compoſitum ex typo Davidis & hiſtoria CHRISTI per typum Davidis adumbrata?* reſpondet, *poſteriorem ſententiam, quæ multis placuit, Calvino inprimis & Bucero, nihil habere incommodi, & ut poſtremi verbis utar, ut nihil impium feceris, ſi in his perpenderis, ut David improbitate Saulis & aſſentatorum ejus exagitatus CHRISTVM adumbravit.* Et Hugo Grotius Commentar. in hunc Pſalmum aperte: *Ode hæc Davidis profugi calamitates deſcribit: neque tamen impedit, quominus in ſenſu ſublimiore ad Meſſiam reſpiciat.*

LXXXVI. Nec multum ab hac ſententia abeunt quidam ex Pontificiis. Sic Cornelius Janſenius *veriſimile* eſſe putat, *Davidem occaſione ſuarum tribulationum ad has querelas adactum, ſic tamen ut CHRISTI ſe typum agnoſcens, ad illum potius deflecteret animum, eumque ob oculos haberet.* Sequitur in iſta fluctuatione Simon de Muis, Pariſienſis Profeſſor Regius. *Etſi probabile eſt,* inquit, *quod aliqui Hebræorum volunt, Pſalmum hunc a Davide fuiſſe compoſitum, cum Saulem fugeret, idque in ingenti aliquo periculo & gravi aliqua clade, quæ tum ei forte ab hoſtibus fuiſſet objecta; nihilominus dubium non*

eſt,

Digitized by Google

eſt, quin omnis ejus cogitatio a Spiritu Sancto longius fuerit abducta, ut cum ſuam ipſe calamitatem ac dolores conſideraret, ſimul etiam CHRISTI, cujus ſe typum gerere cognoſcebat, dolores, paſſionem ac duriſſimam mortem contemplaretur, ſic præſentium ærumnarum ſenſum leniret ac moderaretur.

LXXXVII. Speciatim quod ad hanc de diviſis veſtibus Meſſiæ querelam attinet, David Paræus in *Adverſariis* ſuis *Tom. II. Operum* affirmat, *de omnium bonorum ac regni ſpoliatione, de ejectione ſua in exilium & de triumphatione ſuper Davidem totaliter oppreſſum*, eam eſſe intelligendam, & per unam injuriarum ſpeciem totum genus intelligendum. Calvinus porro philoſophatur: *Quod de veſtibus ſequitur, translatitium eſt; perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, fortunas omnes ſuas in prædam eſſe expoſitas, ut ſolent victores vel ſpolia diripere, vel inter ſe ſortiri, quid cuique contingat. Sua enim ornamenta, opes ſuas, & quæcunque poſſederat, veſtibus comparans conqueritur, poſtquam illis ſpoliatus eſt, cum ludibrio inter hoſtes dividi, tanquam præmium victoriæ. Quo magis augetur indignitas, quia non ſecus ac de homine mortuo triumphum agebant. Quod autem liberaliter, ut ajunt, & absque figura hunc locum citant Evangeliſtæ, in eo nihil eſt abſurdi. Nam quo certius ſciremus, in hoc Pſalmo CHRISTVM nobis prophetico ſpiritu deſcriptum eſſe, eorum, quæ adumbrata ſunt in Davide, viſibile complementum cœleſtis Pater in perſona Filii ſui exſtare.* Imo ulterius progreſſus *Commentar. in Johannem* in hæc erumpere non dubitat: *Locus, quem Evangeliſtæ adducunt ex Pſalmo XXII. videtur intempeſtive ad præſentem cauſam trahi. Nam cum illic queratur David, ſe hoſtibus prædæ fuiſſe, meta-*

Digitized by Google

metaphorice ſub nomine veſtium ſua omnia deſignat: ac ſi uno verbo diceret, ſpoliatum ſe & nudatum ab improbis fuiſſe; quam figuram, dum negligunt Evangeliſtæ, a nativo ſenſu diſcedunt.

LXXXVIII. Quam Calvini audaciam cum perpenderet B. noſter Gerhardus, indignabundus in hæc erumpit verba: *Vere hoc eſt, os in cœlum ponere, firmitatem fidei Chriſtianæ ſubvertere, Judæis CHRISTI perduellibus arma ſubminiſtrare, luci oraculorum propheticorum nebulas affundere, & ſua ſomnia mendaciſſima cœleſti veritati præferre: cum ipſe verborum ſonus, Evangeliſtarum allegatio, vaticinii complementum & interpretum conſentiens auctoritas evidenter probent, non de Davide, ſed de CHRISTO hoc vaticinium agere.* Confer D. Ægidii Hunnii *Calvinum Judaizantem, & Anti-Paræum.*

LXXXIX. Valde quidem pro Calvino urget contra Hunnium Paræus, quæ de intempeſtiva allegatione & neglectu figuræ ab Evangeliſtis commiſſo dixerat Calvinus, per modum objectionis propoſuiſſe, quam ſolverit verbis ſequentibus, quæ integra proferemus: *Sed tenendum eſt primo loco, Pſalmum ad Davidem reſtringi non debere, quemadmodum ex plurimis ſententiis patet, præſertim vero ex clauſula, ubi habetur,* Celebrato nomen tuum in genribus, *quod de CHRISTO exponere neceſſe eſt. Jam vero non mirum, ſi obſcure in Davide adumbratum fuerit, quod in CHRISTO expreſſius cernitur: quanto ſcilicet ſuo typo veritas clarior eſſe debet.*

XC. Sed recte monet B. Dorſchæus *de Tunica inconſutili cap. II. §.1.* Calvinum non ſolvere objectionem. Nam relinqui adhuc, ſi locutio v. XIX. ſit metaphorica, cum de Davide accipitur, intempeſtive denuo ad literam

fieri

fieri regreſſum neglectu figuræ. Deinde ſi verba in iſta latitudine accipiantur, ut omnes fortunas, & non neceſſario veſtes contineant, male dicere Calvinum, in CHRISTO expreſſius cerni, quod in Davide obſcurius adumbratum fuit. Quod autem Calvinus dicat, *aliqua verba Pſalmi neceſſario ad CHRISTVM pertinere*, ex. gr. *Celebrabo nomen tuum in gentibus;* vix evinci poſſe contra Judæos, ſi ſemel admittatur illa interpretandi licentia, quam Calvinus circa plurimas Pſalmi ſententias admiſerit.

XCI. Fruſtra ergo contra D. Hunnium urget Paræus in *Calvino Orthodoxo lib. II. cap. XXX.* quod Calvinus inculcet, *in Davidis perſona hic typum CHRISTI proponi, vaticinium Eſaiæ LIII. de CHRISTI dejectione & exaltatione explicari, prophetiam eſſe de CHRISTO, prophetico ſpiritu de CHRISTO Pſalmum compoſitum eſſe, CHRISTVM nobis prophetico ſpiritu deſcribi, ſub Davidis typo CHRISTVM hic nobis adumbrari, Davidem promiſſum CHRISTVM deſcribere ſub typo, converſionem mundi hic promiſſam ſolide tandem in CHRISTO completam, imo non niſi CHRISTI ductu & auſpiciis factam eſſe.*

XCII. *Nam hæc poſtulata omnia*, reſpondet Dorſcheus, *nobis negabit Judæus, & accipiet promtiſſime, quod ad Davidis perſonam verba Pſalmi accommodari queant, atque adeo nobis relinquet laborem probandi in Pſalmo eſſe typum Meſſiæ per omnia ejus commata.*

XCIII. Pergit autem Paræus: *Niſi typus admittatur, non video, quomodo Pſalmum ad CHRISTVM pertinere adverſus Judæos obtineri poſſit. Nam Apoſtolicas allegationes fruſtra eis objicimus. Ex Pſalmo ipſo convincendi ſunt. Aliquid erit, ſi poſteriores verſiculos in Da-*

 videm

Digitized by Google

videm non poſſe competere oſtenderimus. Quærent, Ad quem igitur? Ad CHRISTVM, inquies. At unde tu hoc, ſi verum non eſt, Davidem loqui, ut typum CHRISTI & quicquid magnificum a typo, vel de typo dicitur, id totum ad CHRISTVM pertinere? Præcedentia etiam de CHRISTO dici potius, quam de Davide, unde oſtendes?

XCIV. At reſpondet Dorſcheus; eſſe id aliquid, quod Pareus dicit, ſi typus admitteretur a Judæis. Sed hoc ab ipſis nullo modo concedi. Sic igitur nihil certi de CHRISTO in Pſalmo fore: inprimis quia Calvinus ita poſteriores verſiculos conetur interpretari, ut in Davidem quadrent.

XCV. Ceterum ſi contra Judæos velimus oſtendere, hunc Pſalmum de ſolo agere Meſſia, neceſſum eſt ut demonſtremus, omnia & ſingula hujus Pſalmi prædicata nulli perſonæ nominatim ex omni temporum ſerie & ex cœtu hominum Deum Iſraelis agnoſcentium juxta literalem ſenſum tribui poſſe, niſi ſoli JESV Nazareno. In eum enim quadrat I. origo ex ſanctis majoribus Patriarchis, v.5. & 6. II. conjectio in graviſſimas tentationes de derelictione divina intime alias præſentis Dei. v. 2. 3. III. perpeſſio ſubſannationum & irriſionum ab hoſtibus, variis geſtibus, ut diductione labiorum, motitatione capitis, dicteriis acerbiſſimis palam factarum. v. 7. 8 9. IV. hoſtium ferociſſimorum circumvallatio. v. 13. 14. V. deliquium omnium virium vitalium. v. 15. 16. VI. contemplatio infamis ſepulturæ imminentis. v. 16. VII. perfoſſio & pertebratio manuum pedumque. v. 17. VIII. expanſio totius corporis, ut quaſi ſceleton ſub cute lacera contueri licuerit. v. 18. IX. veſtimentorum tum diviſorum, tum ſorti ſubjectorum ludibrium. v. 19. X. conſpectus hor-

horrendæ mortis, conjunctus cum clamore valido. v. 12. 21. 22. Et iſta quidem perſonæ afflictæ & jacenti acciderunt. Salvatæ autem & periculis eductæ tribuitur tum celebratio nominis divini in Eccleſia Iſraelitica. v. 23. --- 27. tum operatio converſionis gentium & omnium finium orbis terrarum. v. 28. ſeqq.

XCVI. Percurrantur jam ſecula omnia ante natum JESVM Nazarenum; percurrantur illa ſeptendecim, quæ a nato JESV prope jam effluxerunt; & nulla reperietur perſona, in quam nominatim & conjunctim omnia iſta quadrent. Certe non Davidi hæc conveniunt, qui illuminante Sancto Spiritu hunc Pſalmum pronunciavit. Quamvis enim Calvinus & alii auſi fuerint conjunctim omnia ad Davidem accommodare, non potuere tamen id facere, niſi proprietate ſenſus divini relicta, variisque confictis metaphoris. Multo minus hæc quadrabunt in Eſtheram, vel in aliam quamvis perſonam.

XCVII. Non eſt ergo alius, quam JESVS Nazarenus, de quo jam a ſedecim ſeculis ſcriptum eſt in codicibus Apoſtolicis, quod ſingula prædicata belle in eo convenerint. I. Originem ejus a Patriarchis arceſſunt Matthæus cap. I. & Lucas cap. III. II. Conjectionem in acerbiſſimam derelictionis tentationem profeſſus eſt ipſe in cruce Matth. XXVII. v. 46. Marci XV. v. 34. III. Perpeſſionem ſubſannationum & dicteriorum mordaciſſimorum teſtatur Matth. XXVII. v. 39. 43. IV. Circumvallationem taurorum & leonum docet deductio ad Hannam, Caiphan, Herodem, Pilatum, & traditio in manus militiæ Romanæ. V. Deliquium omnium virium vitalium docet agonia in horto. VI. Mortem & ſepulturam hiſtoria ſacra loquitur. VII. Perfoſſionem & VIII. expan-

expanſionem ipſa crucifixio loquitur. IX. Veſtimentorum ludibrium hiſtoria præſens memorat. X. Mortem Evangeliſtæ teſtantur cum clamore valido conjunctam. Confer Hebr. V. v. 7. Idem JESVS Nazarenus reſtitutus in vitam, quid aliud egit, quam ut Iſraelitis nomen divinum manifeſtaret, & operaretur converſionem gentium, & omnium finium orbis terrarum? ut S. Paulus aſſerat Coloſſ. I. 23. jam ſuo tempore Evangelium prædicatum eſſe ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν.

XCVIII. Quæ cum ita ſe habeant, probabile videtur Dorſcheo *cap. II. §. II.* tempore Evangeliſtarum in publicis ſynagogis Pſalmum XXII. de Meſſia expoſitum fuiſſe. Colligit hoc ex eo, quia ita nude, & ſine commemoratione circumſtantiarum ponderandarum, & ad probationem interpretationis neceſſariarum Pſalmi verba allegant. Hoc neque prudentiæ naturali conſentaneum eſſe facere, niſi conſtet in eo cœtu, cum quo potiſſimum agatur, & qui tum ſedentes in publica cathedra ſeu literarum interpretes habuit, receptam eſſe ejusmodi interpretationem, quam applicare ad ſcopum certum quis nitatur. Accedit quod Evangeliſtæ non hiſtorice tantum, ſed & apodictice Pſalmum illum allegarint, & quidem in conſpectu doctiſſimorum Hebraicæ gentis. Neque etiam defuiſſent Evangeliſtis media probandi, quod dixerunt, ſi id opus eſſe judicaſſent. Non ergo cauſam, quam orbi perſuadere aggreſſi ſunt maximam, adeo ſuis deſtituiſſent præſidiis, ſi quibus egere cenſuiſſent. Eguiſſet autem, ſi ille conſenſus in Eccleſia Iſraelitica non fuiſſet in promtu.

XCIX. Elegans itaque eſt obſervatio Franciſci Junii in *Parallelis* propoſita: *Priſca,* inquiens, *Judæorum Eccle-*

Digitized by Google

Eccleſia ante univerſum miniſterium ſacrum in domo Dei ſolebat hunc Pſalmum decantare, ut veritatem totius cultus legitimi in CHRISTO exhibendam eſſe, & ſe ad Eccleſiam tanquam legalem umbrarum corpus reſpicere ſingulis diebus Eccleſia profiteretur.

C. Præterea Reymundus Martini in *Pugione fidei part. III. diſtinct. III. cap. XVI. n. XX.* & Petrus Galatinus *de Arcanis Catholicæ veritatis lib. VIII. cap. XI.* illuſtrem afferunt locum ex Rabbi Moſis Hadarſan *Expoſitione libri Geneſeos,* ex quo haut obſcure colligitur, Judæos veteres effata Pſalmi XXII. de Meſſia intellexiſſe.

CI. Rectiſſime igitur omnes illi fecerunt, qui hunc Pſalmum citra ullam dubitationem in ſenſu literali de ſolo CHRISTO acceperunt. Quod utique & Lyram feciſſe crederemus, modo non dictis ſupra allegatis quadamtenus viſus fuiſſet fluctuare. Sed afferemus verba Lyræ pro ſenſu literali: *Quamvis poſſit ad hoc literam applicari, tamen iſtæ expoſitiones & conſimiles non poſſunt eſſe veræ ſi dicantur literales. I. quod CHRISTUS Matth. XXVII. protulit principium hujus Pſalmi tanquam dictum in perſona propria, dicens in cruce, Deus meus, Deus meus, ad quid dereliquiſti me. Et patet hic, quod ſecundum ſententiam Salvatoris principium hujus Pſalmi, & per conſequens totus Pſalmus ad literam de ipſo eſt intelligendus. Item Matth. XXVII. dicitur, quod illud, quod infra ſcribitur in hoc Pſalmo, diviſerunt ſibi veſtimenta mea, impletum fuit in CHRISTO. Et idem dicitur Johan. XIX. Item Paulus Apoſtolus, qui ſcivit legem per exercitium ſtudii, & poſtea plenius per inſpirationem Spiritus Sancti, allegat literam hujus Pſalmi de CHRISTO dictam Hebr. II. 12. ex Pſalmo v. 23. Propter quod merito quidam nomine Theodo-*

Digitized by Google

rus, qui expoſuit hunc Pſalmum ad literam de David poſito in perſecutione Saulis, a qua tamen divinitus liberatus eſt, propter hæc & quædam alia condemnatus fuit in Synodo Toletana. Igitur ſequendo CHRISTI, Matthæi, Johannis & Pauli ſententiam & determinationem Eccleſiæ, iſte Pſalmus exponendus eſt ad literam de paſſione CHRISTI, a qua divinitus fuit liberatus.

CII. Poſt Lyram Dionyſius a Ryckel Carthuſianus qui circa annum CHRISTI CIↃCCCCL. floruit, *Pſalmum hunc ad literam de CHRISTO tantum explicandum eſſe* monet. Et exclamat: *Pſalmus iſte pulcherrimus valde eſt, & omni devotione pleniſſimus, eſtque cum fideli ac pia compaſſione CHRISTI cantandus, & qui eum ſine effectu promit, neſcio ſi CHRISTO gratus eſt, eumve diligat. Non eſt enim aliquis Pſalmus, qui tam evidenter, determinate ac proprie CHRISTI paſſionem deſcribat, ſicut hic Pſalmus, ita ut potius hiſtoria videatur, quam prophetia.* Et poſt: *O quam clare vidit ſanctiſſimus David in ſpiritu acerbitatem, horrorem ac totum proceſſum Dominicæ paſſionis, & quod CHRISTO patienti compatiendum ſit, quando hunc Pſalmum conſcripſit & quomodo virtus cauſæ principalis hujus Pſalmi, videlicet virtus Spiritus Sancti reſultat, & continetur in hoc ſuo effectu, ſcilicet in Pſalmo præſenti.* Et Johannes Baptiſta Folengius: *Nulli dubium eſſe oportet, hunc Pſalmum totum de CHRISTO intelligi oportere.* Itemque Robertus Bellarminus: *Pſalmus hic de paſſione & reſurrectione Domini tam aperte loquitur, ut plane temerarium ſit, ad alium ſenſum eum velle detorquere.*

CIII. E Reformatis contra ſuos Piſcator. *Eſt,* inquit, *hæc figurata proſopopœia, qua loquens introducitur ipſe CHRISTVS, & quidem tanquam in cruce pendens.*

Nec

Digitized by Google

Nec aliter Immanuel Tremellius & Franciſcus Junius: *Pſaltes perpeſſiones infinitas CHRISTI explicat.*

CIV. Oſtendit autem hæc prædictio illam veſtimentorum diviſionem & ſortitionem maximum dolorem CHRISTO attuliſſe. Quandoquidem enim vel S. Scriptura teſte (Eccleſ. II. v.18.) inter vanitates & afflictiones hujus vitæ computatur, ſi quis neſciat, cui heredi bona ſua relicturus ſit; quid animi credimus fuiſſe CHRISTO, videnti veſtimenta ſua, quæ ſola adhuc habebat reliqua, inter profanos ac petulantes milites diſtribui?

CV. Quod reliqvum eſt, myſticas veterum Eccleſiæ Doctorum de indiviſa CHRISTI tunica meditationes afferemus. Et primo quidem applicatur ad humanæ naturæ cum divina Filii Dei unionem. Johannes Chryſoſtomus *homilia LXXXIV. in Johannis cap. XIX.* ſuppreſſo nomine ita interpretantium ſententiam recenſet, cum ait: *Alii verba, quibus tunica CHRISTI dicitur deſuper contexta, allegoriam ſignificare dicunt, quod non ſimpliciter homo eſſet crucifixus CHRISTVS, ſed deſuper habuerit divinitatem.* Latius explicat Theophylactus cum ait: *Sacramentum per hoc nobis inſinuatur. Nam corpus CHRISTI ſuperne quidem contextum eſt: Spiritus Sanctus enim venit ſuper virginem, & virtus altiſſimi obumbravit eam: licet enim hominis naturam ſuſceperit, quæ infra eſt & ceciderat, tamen ſuperne Spiritus Sancti gratia conſtitit & compacta eſt divina caro.* Ita & Antiochus ſeculo ſeptimo Abbas Lauræ Sabbæ ad Euſtathium Præpoſitum Atalinæum in Ancyra Galatiæ *Tom. XII. Biblioth. Patrum* ex translatione Gotfridi Tilemanni: *Vt tela ex multis conflata ſtaminum particulis, in unam & imparti-*

partilem arte textoria coaleſcit tunicam; ſic & univerſa Scripturæ divinitus inſpiratæ oracula in hunc finem conſpirarunt, plane ut dominicæ diſpenſationis inconſutilem tunicam præfigurarent, quam ex utero ſuſcepit glorioſæ ac ſanctæ Dei-paræ ſemper-virginis Mariæ, pro tempore quidem corruptivæ morti obnoxiam, quod ſimilem noſtræ eſſe voluit ad tolerandas corporis injurias: eadem rurſus nulli futura erat obnoxia corruptioni, ut nos miſerabili & corruptelæ exemptos in priſtinam revocaret libertatem, ac demum jugo emancipatos duræ ſervitutis ad incorruptionis gloriam transſcriberet. Euthymius Zigabenus: *Commode de tunica allegorice loquuntur, qui dicunt, ſolum id, quod a Dei matre ſumtum eſt corpus, deſuper fuiſſe contextum, hoc eſt, e cœlo habuiſſe ſibi cooptatam divinitatem.*

CVI. Hilarius *Commentar. in Matthæum can. XXXIII.* ad incorruptibilitatem corporis CHRISTI refert, cum ait: *Veſtis ejus ſorte potius diviſa, quam ſciſſa, manſuram incorruptionem corporis CHRISTI ſignificat.*

CVII. Porro applicatur ad corporis CHRISTI impartibilem ubique præſentiam. Ita Cyrillus Alexandrinus *lib. XII. in Johannem cap. XXXII.* In *quatuor partes veſtimenta CHRISTI diviſa ſunt, & tunica ſua indiviſa manſit, quod myſticæ cujusdam rei ſignum eſſe dixerim. Nam quatuor orbis partes ad ſalutem adductæ indumentum verbi, id eſt, carnem ejus impartibiliter inter ſe partitæ ſunt. In ſingulis enim partibiliter tranſiens unigenitus, & animam & corpus eorum per carnem ſuam ſanctificans, impartibiliter atque integre in omnibus eſt, cum unus ubique ſit, nullo modo diviſus.* Theophylactus d. l. *Sanctum corpus CHRISTI indiviſibile eſt, & dividitur & communicatur in quatuor partes orbis. Diſtributis enim*

ſingu-

Digitized by Google

ſingulis & uniuscujusque animum ſanctificans, cum corpore per ſuam carnem unigenitus & integer & indiviſus in omnibus eſt, exiſtens ubique. Nunquam enim diviſus eſt.

CVIII. Inprimis autem eo deſignari volunt Eccleſiæ Catholicæ unitatem. Cyprianus de Vnitate Eccleſiæ: *Hoc unitatis ſacramentum, hoc vinculum concordiæ inſeparabiliter cohærentis oſtenditur, quando in Evangelio tunica Domini JESV CHRISTI non dividitur omnino, nec ſcinditur, ſed ſortientibus de veſte CHRISTI, quis eam potius indueret, integra veſtis accipitur, & incorrupta atque individua tunica poſſidetur. Loquitur ac dicit Scriptura divina: De tunica autem, quia de ſuperiori parte non conſutilis, ſed per totum textilis, dixerunt ad invicem, Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de illa, cujus ſit. Vnitatem illa portabat de ſuperiori parte venientem, id eſt, de cœlo atque a Patre venientem, quæ ab accipiente & poſſidente ſcindi omnino non poteſt, ſed totam ſemel ac ſolidam firmitatem inſeparbiliter poſſidebat. Poſſidere non poteſt indumentum CHRISTI, qui ſcindit & dividit Eccleſiam CHRISTI.* Et poſt: *Quia CHRISTI populus non poteſt ſcindi, tunica ejus per totum textilis & cohærens diviſa a poſſidentibus non eſt, individua, copulata, connexa, oſtendit populi noſtri, qui CHRISTVM induimus, concordiam cohærentem, ſacramento veſtis & ſigno declaravit Eccleſiæ unitatem. Quis ergo ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus, ut aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei? veſtem Domini? Eccleſiam CHRISTI?* Auguſtinus *Tom. IX. in Johannem tractat. CXIX.* Tunica *illa ſortita omnium partium ſignificat unitatem, quæ charitatis vinculo continetur. De charitate autem locuturus Apoſtolus, Supere-*

 minen-

Digitized by Google

minentem, inquit, viam vobis demonſtro; & alio loco ait: cognoſcere etiam ſupereminentem ſcientiæ charitatem CHRISTI. Itemque alibi: Super omnia autem hac charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis. Si ergo charitas ſupereminentiorem habet viam, & ſupereminet ſcientia, & ſuper omnia præcepta eſt, merito veſtis, qua ſignificatur, deſuper contexta perhibetur. Inconſutilis autem, ne aliquando diſſuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut & in Apoſtolis, cum eſſet etiam ille numerus duodenarius, id eſt, quadripartitus in ternos, & omnes eſſent interrogati, ſolus Petrus reſpondit: Tu es CHRISTVS Filius Dei vivi: & ei dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum, tanquam ligandi & ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem; cum & illud unus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus tanquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit. Ideo unus pro omnibus, quia unitas eſt in omnibus. Vnde & hic cum dixiſſet, deſuper contexta, *addit,* per totum. *Quod referamus ad id, quod ſignificat, nemo ejus eſt expers, qui pertinere invenitur ad totum, a quo toto, ſicut Græca indicat lingua, Catholica vocatur Eccleſia.* Auctor Apologiæ pro Henrico IV. *Tunica Chriſti per totum textilis atque cohærens reſervatur nobis integra & inconcuſſa a carnificibus Pilati: utpote melioribus, quam qui dividat unitatem Eccleſiæ: quandoquidem ipſi interfectores Chriſti dicunt in Evangelio de integritate illius tunicæ:* Non ſcindamus illam, ſed ſortiamur de ea, cujus ſit. *Vnitatis enim ſacramentum & concordiæ vinculum illa Chriſti tunica prætendebat; quæ ab accipiente ac poſſidente ſcindi omnino non poterat: ſed totam ſimul, & ſolidam firmitatem inſeparabiliter obtinebat.*

CIX.

Digitized by Google

CIX. Præterea accommodant nonnulli ad Sacram Scripturã ab hæreſibus diſciſſam: quod non deberet fieri. Orig. in Matth.: *Diſputans aliquis, ne differentia eorum, qui veſtimenta Domini habent, inveniet ſine dubio, qui in dogmatibus ſuis etſi non habent ipſum, tunicam tamen deſurſum textilem per totum habent: alii autem nec ipſam, ſed aliquam particulam veſtimenti ejus.* Rupertus Abbas Tuitienſis de divinis officiis lib. I. cap. XXIII. *Milites ſcindere nolentes tunicam Domini, eo quod eſſet inconſutilis, ſignificare voluerunt, damnum fore maximum his, qui Chriſtianæ fidei ſcripturam hæreſibus ſcindere conantur.*

CX. Deniq; a recentioribus partitio veſtimentorum CHRISTI ludibunda, & ſuper inconſutilem ejus tunicam ſortitio ad iniquam bonornm Eccleſiaſticorum direptionem refertur. Alphonſus Salmeron *Tom. X Commentar. in N. T.* Pulchre *milites illi, qui CHRISTVM crucifigunt & veſtimenta ejus ſibi uſurpant, illos Pontifices ſeu Epiſcopos deſignant, qui verius milites, quam ſacerdotes ſunt. Omnibus namque ſacris codicibus, precandi & ſacrificandi ſtudio, & cultu animarum ſibi creditarum, quibus ex officio incumbere debebant, pro tuenda ſua opulentia & ſplendore, pauperum ſanguinem ſugunt, & litibus & proſcriptionibus bonorum CHRISTI veſtes uſurpant, & CHRISTVM crucifigunt in membris, Eccleſiis, & beneficia, quæ bonis ac doctis debentur miniſtris, inter ſe partiuntur, ut non jam unicuique militi cedat pars una, ſed interdum binæ, ternæ, ac denæ interdum Eccleſiæ Abbatiæve contingant. Deinde ſortiuntur, dum mutuo permutant, aut propinquis, aut ſervis diſtribuunt, aliaque portenta hujusmodi faciunt infinita, in ſubverſionem ſacrorum canonum & deſtructionem juſtitiæ Evangelicæ, CHRI-*

Digitized by Google

STO interim vidente & diſſimulante, quaſi non videret. Sed ſua die non tacebit, quando judex toti orbi conſpicuus a cunctis viris Eccleſiaſticis de veſtibus ſuis ac de bonis Eccleſiaſticis diſpenſatis ſeveram rationem repoſcet. Nec aliter Johannes Ferus in *cap. XXVII. Matthæi.* Milites *illi, qui ipſum quidem CHRISTVM contemnunt, veſtimenta autem ejus ſibi uſurpare pro viribus ſtudent, impios illos Pontifices adumbrant, qui vere milites, non Pontifices ſunt. Omiſſis enim ſacris libris ſcrutandis, interpretandis, exponendis, omiſſis orationibus & operibus pietatis, omiſſa cura animarum, nihil aliud ajunt, quam quod pro tuenda opulentia & ſuperfluiſſima poſſeſſione rerum belligerantur, fundunt ſanguinem, omnia cædibus belliſque miſcent, tum vero Eccleſias & beneficia, quæ verbi prædicatoribus debentur, inter ſe partiuntur, ut jam non unicuique pars una, ſed duo, tria decem &c. beneficia contingant, deinde ſortiuntur, hoc eſt, permutant, vendunt, propinquis diſponunt, aliaque infinita portenta faciunt, in ſubverſionem legum, juſtitiæ Evangelii & omnis honeſti. Sed* CHRIST*VS, qui diviſionem veſtimentorum in cruce vidit, hanc bonorum Eccleſiaſticorum rapinam adhuc videt, & ſuo tempore harpyas iſtas judicabit.*

CXI. Vt demum ad Hiſtoriam revertamur, Johan-
Joh. XIX. v. 24. nes poſt illam diviſionem veſtimentorum addit: Οἱ μὲν οὖν στρατιῶται ταῦτα ἐποίησαν: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Quo ipſo videtur oſtendere, non habuiſſe amplius, quo ipſorum crudelitas & protervia erumperet: ſed nunc demum quieti ſe dediſſe, & in ocio exſpectaſſe quando ani-
Matth. XXVII, 36. mam exhalaret. Addit Matthæus: καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ: *Et ſedentes ſervabant eum ibi.*

CXII.

CXII. Moris enim erat actis in crucem cuſtodes addere, ne vel ipſi ſe vel alii eos liberarent: quod proprie dicebatur *Servare & Aſſervare:* Petronius in Satyrico: *Miles, qui cruces ſervabat* (alii *aſſervabat*) *ne quis ad ſepulturam corpora detraheret.* Vide Lipſium *de Cruce lib. II. cap. XV.*

CXIII. Sed quia Pontifices poſtmodum a Pilato petunt etiam ſepulto cuſtodes adjungi, hinc ex eo colligit B. Gerhardus, quod Pontificum ordinatione vel rogatu ſolennior quædam cuſtodia CHRISTO in cruce pendenti fuerit addita. *Metuebant enim*, addit, *ne vel ipſe miraculoſe e cruce deſcenderet, vel diſcipuli eum adhuc vivum deponerent, vel populus ſeditione exorta ipſum liberaret.*

CXIV. Veruntamen ſublimius aliquod myſterium videtur latere in hac cuſtodia. Voluit enim Deus milites illos coram Pilato, imo coram toto mundo teſtes eſſe mortis CHRISTI & miraculorum, quæ poſt mortem contigerunt: ſicut Hieronymus dicit, *Sacerdotum ac militum diligentiam nobis prodeſſe, ut major & apertior reſurgentis virtus appareat.*

CAP. XV.

Quod varie CHRISTO crucifixo illuſerint Judæi, milites, & latronum unus. De alterius latronis fide, itemque de Hyſſopo & vera ejus vocis lectione apud Johannem disquiritur.

 I. Suc-

I.

SVccedit quartum genus ignominiæ, quod Judæi ac Gentiles irriſerint, & ſubſannarint CHRISTVM.

Matth. XXVII. 40. Marci XV. ℣. 29. 30. Luc. XXIII. ℣. 36.

II. Deriſores iſti fuere quadruplices. Ac primo dicuntur ſannis & convitiis excepiſſe prætereuntes, ut qui capita quaſſarint, dicentes. *Vah qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas! ſalva te ipſum, deſcendens de cruce. Si filius Dei es, deſcende de cruce.*

III. Capitis illa quaſſatio contemtus ſignum eſt: uti & II. Reg. XIX. v. 21. Jobi XVI. v. 4. Pſalm XXII. v. 8. Pſalm. XLIV. v. 15. Pſalm. CIX. v. 25. Eſai. XXXVII. v. 22. Jerem. XVIII. v. 16. Thren. II. v. 15.

IV. *Quod Hebræi in CHRISTVM caput moverint,* inquit Origenes, *quid aliud ſignificat, quam quod civitatem, regnum, legem & ſacerdotium, quæ capita illorum erant, perdiderint?*

V. Interjectio οὐὰ apud Marcum reſpondet Hebræo האח Pſalmo XXXV. v. 21. & Ezechel. XXXVI. 2. ubi LXX. reddiderunt εὖγε, ac ſignificationem habet inſultantis, exprobrantis & lætantis de alieno infortunio. Euthymius dicit, quod hoc loco ſit ſubſannantis & irridentis; ſed nihilominus eſſe deteſtantis, exprobrantis & exultantis. Exprobrant enim CHRISTO falſitatem ſuarum prædictionum, eidemque ptopter extremam ἀδυναμίαν ſuas implendi minas inſultant, cum ne ſibi ipſe quidem poſſet conſulere, & a morte ſe liberare.

VI. Occaſio hujus calumniæ nata ex prædictione Servatoris Johann. II. v. 19. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud:* quod de templo Hieroſoly-

mitano

mitano capiebant, cum tamen de templo corporis ſui CHRISTVS loqueretur.

VII. Quamvis vero ipſi Pontifices vanitatem hujus mendacii intelligerent, ut expreſſe monent Evangeliſtæ, Matth. XXVI. v. 61. Marci XIV. v. 59. tamen evulgarunt illud in plebem, ut odio & contemtui plebis, cui omnis ſpes in templo erat repoſita, CHRISTVM exponerent: unde eſt quod conficta illa mendacia magni criminis & probri loco a promiſcua plebe CHRISTO objiciantur.

VIII. *Salva teipſum,* dixere, hoc eſt, nunc experire vires tuas, ut a morte evadas. Longe minoris operæ eſt & potentiæ crucem deſtruere, quam templum, vaſtum illud & præclarum ædificium evertere. Oſtende igitur, quantum tibi ſit virium; vel ſi teipſum ſalvare non potes, agnoſce quam vanus fueris vates.

IX. *Si Filius Dei es, deſcende de cruce.* Publice profeſſus es, te eſſe Dei Filium. Id in tempore nunc comprobes miraculo, ut clavis e manibus & pedibus excuſſis ſalvus integroque corpore deſcendas e cruce. Quia vero clavis tam fortiter infixis cruci es affixus, ut eosdem refigere in tua poteſtate non ſit; ex eo nimis manifeſtum eſt, quod non ſis Dei Filius, ſed mendax impoſtor & blaſphemus. Quod autem id non poſſit, ex eo colligunt, quia id non faciat: quaſi vero Deus non poſſit plura, quam facit, atque iisdem limitibus potentia & actiones ejus terminentur.

X. Sic ergo tria grandia peccata in his prætereuntium dicteriis concurrunt: videlicet mendacii in pervertendis Domini verbis protervia; inanis in templo confi-

Digitized by Google

confidentia, & horrenda in divinam CHRISTI potentiam blaſphemia.

XI. Alterum irriſorum genus fuere Principes ſacerdotes cum ſcribis & ſenioribus: ut adeo non Eccleſiaſtici modo proceres, ſed & Politici in eadem fuerint navi. Auguſtinus *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. XV.* Lucas *quia Principes dixit, nec addidit Sacerdotum, magis nomine generali omnes Primates complexus eſt, ut ibi poſſint intelligi & Scribæ & Seniores.* Quorum talis ſermo: *Alios ſalvos fecit: ſeipſum non poteſt ſalvum facere.* Ἐξεμυκτήριζον ἢ ϗ οἱ ἄρχοντες.

XII. Μυκτηρίζειν & Ἐκμυκτηρίζειν eſt a μυκτὴρ *naſus* ut ſignificet, *naſo ſuſpendere, ſubſannare, corrugatis naribus indicem digitum crebra motione in aliquem dirigere.* Vtitur hoc verbo idem Evangeliſta *cap. XVI. v. 14.* de Phariſæis CHRISTVM contra avaritiam concionantem irridentibus. Ex quo de horum hominum conditionis ſuæ immemorum incredibili protervia ferre licet judicium. Non enim hi ſunt optimatum mores, ſed plane ex fæce & ſentina vulgi.

XIII. Recte autem his conviciis Procerum reſpondet Athanaſius. *Dominus vere Salvator non ſalvando ſeipſum, ſed creaturam liberando voluit cognoſci Salvator, ſicut Medicus non ex eo, quod ſibi ipſi medetur, Medicus cognoſcitur, niſi erga languidos artem ſuam probaret.*

XIV. Vt tertia die potuit a morte reſurgere, & hac ratione ſeſe a morte ſalvare; ita multo magis potuiſſet mortem a ſe depellere, niſi noſtræ redemtionis ac ſalvationis ratio exegiſſet, ut in cruce mortem pro nobis ſuſtineret.

XV.

Digitized by Google

XV. Addidere etiam: *Confidit in Deo: liberet nunc eum, ſi diligit eum: dixit enim, Filius Dei ſum.* Non ſolum apud populum, ſed etiam in publico judicio jactitavit ſe eſſe Dei Filium. Si autem vere res ita ſe haberet, liberaret ipſum Pater cœleſtis ex hoc malo. Id quia non fit, vana eſt ejus jactatio, falſa eſt ejus confidentia, quam in Deo ſe habere profeſſus eſt.

XVI. Impie autem profecto hæc effutiere, atque etiam ſtulte: cum non potuerint ignorare, Deum Prophetas & tot ſanctos homines, qui in divino Numine repoſuiſſent ſuam fiduciam, dilexiſſe, non tamen ſemper eos præſentibus eripuiſſe periculis. Graviter ergo exclamat Chryſoſtomus homil. LXXXIX. in Matthæum: *O inſani ſceleſtique homines! an Prophetæ non erant Prophetæ, & juſti quos occidiſtis, juſti non erant, quoniam eos Deus a periculis non eripuit? Imo vero erant, etiamſi a vobis injuria vexabantur. Quid igitur huic amentiæ veſtræ æquale excogitari poteſt? Nam ſi exiſtimatis, quod illorum apud vos propter pericula nomen non periit, ſed erant Prophetæ, quamvis torquerentur: multo magis non debebatis in hoc ſcandalizari, qui & rebus ſemper, & verbis falſam hanc repulit opinionem.*

XVII. Tertium genus irridentium fuere milites, qui fortean ſpectantes titulum, dicebant: *Si tu es Rex Judæorum, ſalvum te fac.* Scilicet exprobrabant ei, quod ſe venditaſſet Regem, qui Judæos e poteſtate Romanorum liberare voluerit, cum tamen ne quidem ſe ipſum a cruce poſſit liberare. *Luc. XXIII. v. 37.*

XVIII. Quartum genus eſt latronum, qui una erant crucifixi. Hi magni probri loco (hoc verbum ὀνειδίζειν ſignificat) CHRISTO objecerunt, quod ſe Dei Filium

Digitized by Google

lium ac Meſſiam fuerit profeſſus, nec tamen ſe a cruce liberare poſſit, & dixere: *Si tu es CHRISTVS, ſalvum fac te ipſum, & nos.*

XIX. Ex eo colligit Euthymius, quod gente fuerint Judæi, quibus ſolis doctrina de Meſſia fuerit nota. Sed illud eſt incertum: potuere enim in cruce a Proceribus Judaicis audire, quod ſe CHRISTVM ac Dei Filium fuerit profeſſus. Chryſoſtomus certe alterum a dextris pendentem habet pro homine gentili; quod tamen non probatur Voſſio.

Matth. XXVII. 44. Marci XV. v. 32. Luc. XXIII. v. 39.

XX. Quod Matthæus & Marcus dicunt in numero multitudinis, latrones ſimul cum CHRISTO crucifixos convicia ei feciſſe: hoc Lucas de uno ſolum latrone commemorat.

XXI. Hæc veteres ſic conciliant, ut prius ambo ſint conviciati. Hilarius *in Matthæum can. XXXIII.* Quod *latrones ambo conditionem paſſionis ei exprobrant; univerſis etiam fidelibus ſcandalum crucis ſignificat.* Ambroſius *in Luca cap. XXIII.* Fortaſſis *& iſte prius conviciatus eſt, ſed repente converſus.* Chryſoſtomus in *Matth. cap. XXVII.* Quomodo *ergo Lucas ait, alterum e latronibus blaſphemiantem ab altero fuiſſe increpitum, Matthæus vero utrumque fuiſſe conviciatum commemorat? Vtrumque profecto factum eſt. Prius quidem exprobrabant ambo, at poſtmodum nequaquam. Ne quis enim id ex compoſito factum ſuſpicaretur, nec fuiſſe latronem, qui latro fuerat, ex ipſa nobis contumelia etiam in cruce & latro is fuiſſe & inimicus, ſed repente converſus oſtenditur.* Confer eundem *homil. XXI. in Epiſt. ad Romanos,* item Origenem *tractat. XXXV. in Matthæum,* Athanaſium *ſermon. de Paſſione & Cruce Domini,* Hieronymum *in cap. XXVII.*

Digitized by Google

XXVII. Matthæi, Proſperum contra Caſſianum *cap. XIV.* Titum Boſtrenſem *in Luca cap. XXIII.* item Theophylactum & Euthymium. Fere convenit, quod Beza notat in Lucam: *Veriſimile eſt alterum ex latronibus ſaltem ſilentio ſuo aliquamdiu viſum alteri convitiatori conſentire, donec victus adverſariorum CHRISTI extrema improbitate, qui ſemimortuum, & non modo ad hæc omnia nihil reſponſantem, ſed etiam pro ipſis orantem, exagitare non deſinebant, in præclaram & ſempiterna memoria dignam confesſionem erumperet.*

XXII. Fortaſſe tamen ſimplicius dixeris, cum Evangeliſtæ in plurativo latrones ajunt, unum e latronibus intelligi. Epiphanius in hunc ſenſum *hæreſi LXVI.* Εἰώθαμεν γὰρ τὰ ἑνικὰ πληθυντικὰ λέγειν, καὶ τὰ πληθυντικὰ ἑνικά. Φάσκομεν γάρ, ὅτι διηγησάμεθα ὑμῖν, καὶ ἑωράκαμεν ὑμᾶς, καὶ ἥκομεν πρὸς ὑμᾶς. καὶ οὐ δύο οἱ λέγοντες, ἀλλὰ εἷς ὁ παρών. ὁ δὲ εἷς κατὰ τὴν συνήθειαν τῆς χρήσεως ἐκ προσώπου πολλῶν πληθυντικῶς διηγεῖται. οὕτω πληθυντικῶς περιείληφεν ἡ τοῦ Εὐαγγελίου ὑπόθεσις. Quæ ita vertit Petavius: *Solemus enim ſingularia nonnunquam numero multitudinis efferre, & contra pluralia ſingulari: velut cum dicimus; Narravimus vobis, & vidimus vos, & venimus ad vos, cum interim non plures ſint, ſed unus duntaxat qui loquitur, verum unus communi loquendi conſuetudine ex plurium perſona ſermonem inſtituit. Sic ab uno Evangeliſta pluralis uſurpatus eſt numerus.* Nec aliter Hugo Grotius, qui, *Quia nominari eos hoc loco nihil attinebat, ſatis erat,* inquit, πληθυντικῶς *rem afferri.* Hinc unum tantum latronem convitiantem agnoſcit Auguſtinus Tom. X. Serm. CXXX. de Tempore. *Prior omnium latro confeſſus eſt eum, & hoc alio exprobrante fecit.*

Digitized by Google

Improperat ei & ille alius latro. Audiſti latronem, & latronem, ambos in cruce, ambos ex converſatione latronum, ambos ex eadem malignitate venientes, ſed jam non ambo in eisdem mentibus & meritis ſunt conſtituti. Et mox: *In hoc loco latro & latro, ſed unus quidem improperabat, alius adorabat: alius blaſphemabat, alius laudabat, & blaſphemantem corripiebat.*

XXIII. Beza quoque *Notis ad Matthæum* eſſe vult dicendi genus e medio petitum & omnibus uſitatum, quo indefinite dicitur, quod ſingulis minime convenit; quemadmodum dicitur lapis anguli rejectus ab architectis, non tamen, ſine rejectione, ſingulis.

XXIV. Nec plane alienum eſt, quod notat Montacutius, pluralem hunc numerum non perſonas propriè indicare, ſed qualitatem perſonarum, ac ſi dicerent Matthæus & Marcus, a quovis hominum genere CHRISTVM fuiſſe illuſum, Sacerdotum, Scribarum, Seniorum populi; imo quod indigniſſimum erat, latronum eidem ſupplicio expoſitorum: nec indicare hoc, an multi, an pauci fuerint, ſed ſaltim quod fuerint.

Luc. XXIII. v. 40. XXV. Vtcumque hoc eſt, latronum ille, qui pendebat a dextra alterum increpuit: *Tune,* tu inquam, *qui in eadem es damnatione,* ac brevi Deo omnium rationem reddes, *nec dum Deum times?* Et *nos quidem juſtè* damnati *dignas ſubimus pœnas: hic vero nihil mali commiſit.* Ex quo pulchre colligit Ambroſius ſerm. XLV. quod *agnoverit CHRISTVM pro alienis peccatis has plagas ſuſcipere, atque illa in CHRISTI corpore vulnera, non CHRISTI, ſed peccatorum ſuorum eſſe vulnera.*

XXVI. Fuerat hactenus hic latro ſocius alterius in criminibus, factus etiam erat ejus ſocius in ſupplicio: ſed in

in blaſphemiis recuſat ſe illi ſocium præbere, quin potius de illis eum objurgat, & ad converſionem revocat.

XXVII. Duplici autem nomine ſocietas ſupplicii latronem a conviciis revocare debuiſſet, tum quia re ipſa ſentiebat crucifixorum ſortem miſeratione potius, quam inſectatione dignam eſſe, nec alteri objiciendum eſſe ſupplicium, cui ipſe quiſpiam hæret implicitus; tum vero maxime hoc nomine, quia ſupplicium brevi poſt vitæ finem erat impoſiturum, ac rapturum ad tribunal Dei, coram quo de omni vita, præſertim etiam de his conviciis ipſi reddenda ſit ratio. Eleganter Auguſtinus *Serm. CXXX. de Tempore.* Noli *attendere judicio huic quod deorſum eſt, alius judex inviſibilis eſt. Ne ergo conſideres, quia deorſum a judice mortali condemnatus eſt, non enim talia ſunt ſuperum judicia. Hic autem in terreno judicio & juſti condemnantur, & injuſti effugiunt, & rei dimittuntur, & innocentes puniuntur. Volentes namque & nolentes multum errant, qui judicant. Ignorantes enim juſtitiam ſeducuntur, vel certe ſcientes per avaritiam corrumpuntur, ut ſanguinem innocentem vendant. In ſupernis vero nihil tale. Judex enim juſtus eſt, & judicium ejus tanquam lumen prodiit, non habens tenebras, neque ignorantiam. Vt ergo non diceret, quoniam damnatus deorſum in terris, & adjudicatus eſt pœnæ, perduxit eum ad judicium ſupernum, commemoravit tribunal illud horribile, tantum non dicens ſibi: Reſpice te, & non portabis ſententiam damnationis æternæ, nec ſtabis in ſorte judicii corruptorum, reſpiciens ad ſalutem futurorum in ſupernis judicum.* Et poſt pauca: *Jam ex abundantia acceptæ juſtitiæ proximum illum vel ſocium quondam ſuum arguens, ut diceret ei. Non times, in-*

 quit,

quit, quoniam in ipſo judicio ſumus, id eſt, eadem condemnatione? Nonne, inquit, & tu in ipſa cruce es? Quamobrem in quo ſocium increpas pœna, teipſum pro illo reum ſtatues. Quemadmodum enim is, qui in peccatis eſt, ſi alios audet accuſare, ſeipſum ante illos accuſat: ita & is, qui in ærumna poſitus eſt, ſi aliis eam ſui oblitus exprobret, ſibi ante illos dicet opprobrium: quoniam inquit in ipſo judicio ſumus.

XXVIII. Quidam exiſtimant latronem agnoviſſe CHRISTVM duntaxat pro homine innocente, non autem pro Dei Filio: ut ſenſus ſit. Timor Dei docet condolere afflictis, qui injuſte ac præter meritum patiuntur, revocari igitur debebas timore Dei, ne in hunc innocentem convicia evomeres.

XXIX. Sed ſequentia oſtendunt, non pro mero homine, ſed pro Meſſia ac Dei Filio CHRISTVM ab hoc latrone fuiſſe agnitum. Nam quem ut maleficum, ac mox moriturum in cruce videbat pendentem, moriturus & ipſe *Dominum* vocat, atque addit: *Memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Quia regnum illi tribuit, Regem ipſum agnoſcit, & quidem non mundanum ac politicum Regem: quia cum gloria Regis mundani male convenit crucis ignominia; ſed cœleſtem & æternum Regem, qui honor ſoli Meſſiæ ac Filio Dei convenit.

XXX. Verum eſt, quod Pricæus annotat, hujusmodi blandis compellationibus ſolitos ſibi conciliare alios, qui ob venturas iis res proſperas viderentur prævidere ſibi. In ſacris habemus exempla Joſephi *Geneſ. XL. 14.* Abigailis *I. Samuel. XXV. 31.* Idem etiam confirmat ex Scriptoribus profanis.

XXXI.

XXXI. Cyrillus Hieroſolymitanus acutam hic comminiſcitur diſtinctionem, quando, *Memento* inquit, *orat latro, mei Domine, non dico, ut operum meorum memineris. Hæc enim metuo, ſed mei, qui homo ſum, creatura tua, tuumque delicium.*

XXXII. Adſcribemus de hac latronis oratione verba Voſſii *Harmoniæ lib. II. cap. VIII. §. XIX.* Non *videtur ulla oratio adeo brevis tam multa complecti, quam latronis pauca verba. Pœnitentiam videmus & contritionem. —— Nec corde ſolum dolet, ſed ore etiam peccata ſua confitetur, atque ita ſarcinam eorum a ſe abjicit. Confitetur autem ſponte ac libere, coram infinita multitudine eorum, qui tempore Paſchali congregari ſolent Hieroſolymis. Solent hi eſſe circiter quadragies centena & quinquaginta virorum millia: ut ex Flavio Joſepho lib. VII. Belli Judaici cap. XVII. computant Joannes Boudinius libro de CHRISTI claritate & gloria, & Theophilus Reinaudus de Metamorphoſi Latronis cap. IX. Præterea ex caritate ſocium blaſphemantem increpat. Idem non de præſenti ſupplicio, ſed vita futura ſollicitus, orat, non mundanam ſalutem, ut a Rege terreno: ſed cœleſtem. Atque orat, non ut Salome, pro liberis ſuis, præfiniendo quid fieri velit, nempe ut filiorum uni a dextris ſedere det, alteri a ſiniſtris, ſed modeſte ſolum poſcit, ut ſui meminiſſe velit; cetera CHRISTO committit. Addit,* Cum veneris in regnum tuum. *Pendentem videbat: & a morte verbo & ſpiritu ſuo regnaturum ſperabat. Quousque neque tum pertigerant Apoſtoli, cum temporale Meſſiæ regnum ſomniarent.*

XXXIII. Agnoſcendum eſt hoc loco mirabile Dei conſilium in aſſerenda CHRISTI innocentia. Judas magi-

magiſtrum ſuum prodiderat; Petrus abnegaverat; diſcipuli deſeruerant; Proceres Judaici, milites ethnici, ac plebs promiſcua certatim in eum convicia jaciebant. Deus igitur alium innocentiæ præconem excitat, & ex latrone efficit confeſſorem CHRISTI, ne calumniis adverſariorum ipſius innocentia opprimatur.

XXXIV. Ceterum magna & inſignis, imo ſine exemplo erat fides hujus latronis: quam penitius conſiderans, & cum aliis tam veteris quam novi Teſtamenti exemplis conferens B. noſter Gerhardus ſequentibus utitur verbis: *Credidit Abraham in Deum, cum familiariter illi loqueretur, ſicut amicus amico ſolet loqui, & multiplicationem ſeminis ipſi promitteret: Gen. XV. v. 6. Sed hic latro credit, antequam CHRISTUS ipſum alloquatur, & regni participationem prius petit, quam CHRISTUS eam promittat. Credidit Moſes, cum Deum ex rubo ardente ſecum colloqui audiret. Exodi III. v. 2. Sed hic latro credidit videns CHRISTUM ſpinarum ſentibus coronatum, & igne caritatis exuſtum. Credidit Eſaias, cum videret Deum in throno gloriæ ſedentem, ac multis Angelorum millibus ſtipatum, Eſai VI. v. 1. Sed hic latro credit videns CHRISTUM pendentem in cruce, & latronibus ſtipatum. Credit Petrus, videns JESUM ſuper undas maris ambulantem, Matth. XIV. v. 28. Sed hic latro credit, videns JESUM pedibus confixis cruci inhærentem & ſanguine ſuo a vertice ad plantas usque manantem. Credunt Apoſtoli videntes CHRISTUM coram ſe transformatum, & faciem ejus inſtar Solis ſplendentem, Matth. XVII. v. 2. Sed hic latro credit, videns CHRISTUM non transformatum, ſed miſerrime deformatum, & faciem ejus non coruſcantem, ſed ſputis, vibicibus ac ſanguine dedecoratam.*

Cre-

Digitized by Google

Credit Martha videns CHRISTVM demortuum Lazarum excitantem Johann. XI. v. 27. Sed hic latro credit, videns CHRISTVM in morte exſpirantem. Crediderunt alii videntes CHRISTVM divina miracula operantem, & ſolennibus acclamationibus a populo honoratum. Sed hic latro credit, videns CHRISTVM ab omnibus blaſphemari, vilipendi ac repudiari. Vide Chryſoſtomum homilia *de Cruce & latrone,* Auguſtinum *Tom. X. Serm. CXX. de Tempore,* item *Serm. CXXX. & CXLIV.* & Goffridum Abbatem Vindocinenſem Sermone *de latrone ſalvato in cruce,* ubi de fide hujus latronis prol... rhetoricantur.

XXXV. Quod ſi quæras, quid hunc latronem tam repente commoverit, ut omnem ſpem ac fiduciam in JESV CHRISTO eodemque crucifixo poneret; eo quidem aliquantulum inductum putamus per famam miraculorum, per CHRISTI manſvetudinem, fortitudinem atque innocentiam, quæ ex actibus CHRISTI in ipſa cruce relucebant.

XXXVI. Hieronymus in Matthæi cap. XXVII. latronem ad converſionem excitatum putat prodigiis illis, quæ in morte CHRISTI contigerunt. *Sole,* inquit *fugiente, terra commota, ſaxisque diſruptis & ingruentibus tenebris, unus latro credidit in CHRISTVM, & priorem negationem ſequenti confeſſione emendavit.*

XXXVII. Nec tamen hic ſiſtendum: cum primas hic obtineat gratia CHRISTI interior, quæ pectus hujus peccatoris afflavit, atque adeo fidem in eo accendit, ſuſcitavit & perfecit. Auguſtinus Tom. X. ſerm. CXX de Tempore. *Illuminarat, credo, naſcentem fidem lateri jam credentis in CHRISTVM propius corpore admota divinitas,*

nitas, quæ ſe largius ſub momento illo properagenda redemtione infuderat.

XXXVIII. Grandis igitur error eſt Caſſiani, cum collatione XIII. cap. XI. ait, *Zachæum & latronem deſiderio ſuo vim quandam regnis cœleſtibus inferentes ſpecialia vocationis monita prævenisſe.* Quem proin refellit Proſper adverſus Collatorem *cap. XIV.* item Concilium Arauſicanum II. quod definit his verbis: *Vnde manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis, quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini miſſus eſt, & Zachæi, qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.*

XXXIX. Sed multum incerta, imo falſa eſt converſionis cauſa, quod CHRISTI pendentis umbra in latronem inciderit. CHRISTVM enim ajunt pependiſſe vultu verſus occidentem verſo. Inde autem conſequitur, hora ſexta, ſive meridie, quando JESVS eſt crucifixus, ſolem habuiſſe a ſiniſtra, ac proinde umbram brachii CHRISTI incidiſſe in latronem, qui a dextra CHRISTI erat. At ſi Petri umbra ægrotis fuit ſalutaris; quanto, inquiunt, major vis fuerit umbræ CHRISTI, qui non corporibus modo, ſed animæ pariter mederi ſolet! Proinde ita colligunt, hujus umbræ vi converſum fuiſſe latronem a dextra CHRISTI pendentem, ſive ſeptentrionem verſus, ſicuti alter latro pendebat verſus Auſtrum, ut ille non potuerit a brachio CHRISTI inumbrari. Hanc cauſam commemorat, nec improbat, Vincentius Ferrerius Valentinus, monachus Ordinis Prædicatorum, qui anno exceſſit CIϽCCCCXVIII. atque a Calliſto III. in ſanctorum eſt numerum relatus. Videcum

Digitized by Google

cum *Concione in Paraſceven*, & in *Serm. IV. majoris hebdomadis.* Præivit vero toto ſeculo Jacobus de Voragine *Serm. III. de Innocentibus.*

XL. Merito autem ambigit, cui hanc obſervationem debemus, Gerhardus Johannes Voſſius, an ipſo meridie umbra CHRISTI potuerit attingere latronem non minus ſublimem. *Et quomodo*, pergit, *inumbrari potuerit corpus latronis, ſi ab hora ſexta usque ad nonam, tenebræ fuerint? ut eſt apud Johannem. Vellem ad iſta, quibus alia mens, magis attendiſſent.*

XLI. Plura de hoc latrone, ſed fere ἄλογα & incerta afferuntur. Nomen illi attribuit *Dimas* Goffridus Abbas Vindocinenſis *Serm. X.* idque Voſſius plane putat hauſtum ex apocryphis libris. In nonnullis etiam libris, ſed fere obſcuris ſcriptoribus, nuncupatur *Diſmas*, imo & *Giſma, Geſma, Geſta*, ſive id factum ſit errore librarii, ſive quod pro variis terris, varie id nomen corruperint. Sed in Collectaneis Bedæ *Matha* nomen ei fuiſſe dicitur.

XLII. Quis etiam credat Chryſoſtomo *Homilia LV. in Geneſin*, Eulogio *in Apologetico*, Coſmæ Hieroſolymitano *in Canone de Exaltatione Crucis. Od. VII.* quod ſolitus ſit nocte inſidias ſtruere, ac multis fuerit homicidiis infamis: quod item ab annis amplius triginta latrocinatus fuerit, imo JESVM interceperit in via cum Marja & Joſepho in Ægyptum profugum?

XLIII. Hiſce fabulis occaſionem præbuit, quod in Scripturis dicatur λῃςὴς: quaſi non ea vox habere locum poſſit, ſi zelo nimio in ſeditione commiſerit homicidium. Quo inclinat Innocentius III. *Serm. I. de Converſione S. Pauli*, & Idiota *Contemplatione de Conflictu Carnis &*

Cccccc a *animi*

Digitized by Google

animi cap. IV. num. II. a Voſſio laudati. Addit idem Voſſius: *Potuit igitur non modo prima ætate eſſe religione Judaica imbutus, ſed etiam in provecta diu bene vitam compoſuiſſe, ſed ob unum inſigne facinus addici cruci.*

XLIV. Fabula porro eſt de ſervata in monte Olympo inſulæ Cypri apud monachos cruce lignea parum excedente hominis juſtam magnitudinem, quam pii latronis dicunt eſſe crucem, a qua nomen monti inditum.

XLV. Ceterum quæ ſancto huic latroni e CHRISTO facta ſit promiſſio, ſequenti capite explicabitur. Nunc de aceto CHRISTO præbito diſpiciemus.

XLVI. Nempe CHRISTO clamante, ſe ſitire, unus accurrit, ſpongiamque aceto immerſam calamo circumvolvit, ut eo in ſublime elevato inde CHRISTVS liquorem exſugeret.

XLVII. Singularis illuſionis hoc fuiſſe ſpecimen a militibus Romanis profectum, patet ex Evangeliſta Luca, qui diſerte ait: Ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται προσερχόμενοι καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ: *Illudebant autem & ei milites accedentes, & acetum offerentes ei.* *Luc. XXIII. v. 36.*

XLVIII. Nimirum Auguſtinus aliique ſtatuunt, quod Lucas de militibus acetum CHRISTO offerentibus ſcripſit, idem cum eo eſſe, quod Matthæus & Marcus dicunt, ſpongiam aceto plenam CHRISTO ſitienti fuiſſe oblatam.

XLIX. E contrario nonnulli alii, & in his B. noſter Gerhardus diſtinctas putant actiones; & priorem quidem potum CHRISTO nondum ſitienti, alterum demum de ſiti conquerenti fuiſſe oblatum. In priori exhibendo dixiſſe milites, *Si tu es ille Rex Judæorum,*

ſalva

ſalva teipſum: in altero addidiſſe: *Sine, videamus, an veniat Elias, liberaturus eum.*

L. Quia tamen Lucas alterius oblati CHRISTO potus plane non meminit, cauſæ nihil putamus, cur non de uno eodemque potu ſingulos egiſſe liceat exiſtimare. Caſaubonus certe nobis ſuffragatur Exerc. XVI. num. LXXXVII. ſcribens: *Milites etſi per ſummum nefas Filio Dei illudunt, potionem malam ei præbendo; potionem tamen præbent.* Nec alia mens Gvilielmo Stuckio *Antiquitatum Convivalium lib. III. cap. XIII.*

LI. Salmaſius non a milite, ſed a quovis alio plebejorum, qui ſtudio viſendi, ut ſolet fieri in ſuppliciis, ibi adſtabant, hunc potum CHRISTO datum putat: eo quod Matthæus & Marcus militem non nominent; tum Matthæus diſerte dicat, fuiſſe unum τῶν ἐκεῖ ἑστώτων: tum vero ſi miles fuiſſet, non calamo, ſed haſta uſurum.

LII. Sed cur non & miles potuit unus eſſe ex adſtantibus, cumque arundo forte ad manus eſſet, cur haſta uteretur?

LIII. Non vero illuſorius his militibus fuiſſet animus, ſi acetum eo dediſſent, quia id hauſtum mortem acceleret vulneratis. Atque hæc mens eſt Janſonio in *Harmonia,* eoque inclinare credit Hieronymum, cum præbitum ait, ut eum *conſopiant.* Etiam hoc exinde poſſe colligi autumat, quod M. Antonio Triumviro, ut ex vulnere, quod ſibi inflixerat, citius moreretur, datum fuerit acetum: ut narrat Plutarchus in ejus vita.

LIV. Baronius acetum hoc porrectum tradit ad ſiſtendum ſanguinem ex vulneribus defluentem. Longa enim oratione probare conatur, ex hyſſopo, ſpongia &

 aceto

Digitized by Google

aceto medicamentum neſcio quod milites concinnaſſe, & CHRISTO præbuiſſe, quod ſiſtendi ſanguinis vim haberet.

LV. Sed ſi ſanguini ſiſtendo hæc a militibus adhibita, cur non manibus potius, aut pedibus, unde manabat ſanguis, admoverunt ſpongiam, quam ori? Nec enim ſanguinem Dominus rejiciebat ore. Graviter itaque Caſaubonus Exercit. XVI. num. LXXXVII. *Quis fando unquam audivit, acetum potu hauſtum poſſe ſanguinem ſiſtere, qui ex vulnere accepto fluat? Quis credat ſpongiam pro vehiculo liquoris uſurpatam, & ad ſugendum ori admotam, ſimile quid præſtandi vim habere?*

LVI. Aliud huic ſententiæ argumentum opponit Emundus Merillius a tempore deſumtum. Equidem inquit, *vas aceto plenum ad reſtringenda vulnera poſitum non fuiſſe, argumentum eſt; quia diu jam CHRISTVS & latrones crucifixi fuerant, multumque ſanguinis e vulneribus crucifixorum fluere potuerat; & vas ipſis reſtringendis exhauſtum eſſe, quod tamen erat plenum.*

LVII. Alii refocillandi gratia datum eſſe hoc acetum putant, quo vita prorogaretur, donec Elias adventaret. Sane aceto, ſi deficientibus præbeatur, vim eſſe refocillandi, & veteres medici prodidere, & uſus quotidianus oſtendit.

LVIII. Placet non modo hæc ſententia illuſtri Voſſio, ſed & adeo probatur B. Henrico Mullero, ut in *JESV Patiente* ſingulare caput de *Aceto refocillatorio* inſcripſerit, in quo & hæc habentur: *Non dubito morem fuiſſe, ut cruciariis ſub patibulo præſto eſſet vas aceti cum ſpongia & calamo aliquo, quo deficiens illorum ſpiritus ſub-*

inde

inde revocaretur, ne cita morte finirent ſupplicium, inter cætera vero ideo diriſſimum, quia tam lentum, ut mori ſe ſentirent. Et jam ante ſic de eo ſcripſerat Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce:* Cum *CHRISTVS in cruce penderet, unus ex adſtantibus accurrens dicitur apud Matthæum ſpongiam aceto impletam calamo circumpoſitam porrexiſſe ei ſugendam vel olfaciendam. Hoc ille faciebat ad recreandum illi ſpiritum, & ſuſtentandum, quo ſpatium daretur Eliæ veniendi, & eum de cruce deponendi. Cum enim clamaſſet Eli Eli, putaverunt nonnulli qui adſtabant, Eliam ab eo invocari. Tunc ille neſcio quis cruci adſiſtentium accurrit cum ſpongia aceto madida, & calamo circumpoſita, quam ad os ipſi tulit ſuctu vel odoratu percipiendam, ne ſcilicet citius deficeret, quam Elias poſſet venire ad auxilium ei ferendum.*

LIX. Quod igitur ſi ita ſeſe haberet, ad contumeliam incredibilis acceſſiſſet crudelitas. Vnde Caſaubonus *Exercitat. XVI. num. LXXXVIII. Iſtud acetum non ad bibendum fuit comparatum, ſed ad revocandum animum, ſi quis eſſet deliquium paſſus. Quod igitur milites eo potant CHRISTVM, non fuit hoc humanitatis officium; ſed barbaræ immanitatis ſpecimen, ut implerentur prophetiæ. Lucas XXIII. 36. verbo* ἐνέπαιζον *ſceleratam eorum mentem oſtendit.*

LX. At enim cum non legamus, in monte Calvariæ ullam fuiſſe habitationem; & modico ſaltem intervallo cum locum ab urbe ſejunctum fuiſſe conſtet; non abs re quæri ſolet, unde illud σκεῦος ὄξους μεστὸν, *Vas aceto plenum,* cujus S. Johannes meminit? *Joh. XIX. v. 29.*

LXI Nonnus videtur exiſtimaſſe, propinquas do-

mos

mos aliquas fuiſſe, ubi ſit vas illud repertum, vel in alios uſus paratum:

—— Καὶ ἑτοῖμον ἔην παρὰ γείτονι χώρῳ
Ὄξεος ἔμπλεον ἄγγος.

Et paratum erat apud vicinum locum aceto plenum vas.

LXII. Eſt qui ſuſpicatur, acetum in monte Calvariæ præſto fuiſſe, quo ſpectatores imbuerent nares ad odorem tetrum ex cadaveribus facinoroſorum exhalantem pellendum: ſicut apud nos aceto tempore peſtis uti ſolemus, hyſſopo etiam aceto intincto aerem fuiſſe reſperſum. Sed hæc conjectura vereor ne nimis ſit ingenioſa.

LXIII. Quia apud Maimonidem legitur, pleraque omnia ad ſupplicii apparatum neceſſaria ab hominibus piis ſolita fuiſſe parari privato ſumtu & ſtudio, in earum rerum cenſu Caſaubonus putat referendum & vas, & ſpongiam, & acetum, & arundinem, & hyſſopum. Acetum reficiendis miſeris, quos exanimaret pavor ſupplicii neceſſarium fuiſſe, milites tamen non eo fine CHRISTO præbuiſſe, ſed loco potus.

LXIV. Vix tamen eſt, ut milites Romani, qui CHRISTVM crucifixerunt, morem iſtum Judæorum obſervare voluerint, eoque animo acetum in vaſe, & ſpongiam, & hyſſopum, & arundinem ſecum tulerint.

LXV. Romanum porro morem fuiſſe, dare acetum in cruce morituris, credere ſe quidem ſcribit Voſſiſius: ſed dum nullis hoc probavit teſtimoniis, nobis, opinor, non vertet vitio, quod fidem hac in re eidem derogemus.

LXVI. Vas iſtud igitur fortaſſis poſitum fuit ad bibendum, idque milites ſecum attulere: non ut ex eo potum CHRISTO darent, ſed potius ut ſibi ex eo potum ſume-

Digitized by Google

ſumerent, nam quia opus habebant damnatos crucifigere, & poſt crucifixonem manere, donec crucifixi morerentur, incerti an diu manſuri, potum ſecum attulere. Acetum autem tenuioribus in potu fuit: id quod ex Theocrito, Plauto, Juvenale, Perſio fuſius probat Serarius *ad libri Rhut cap. II.* & Lipſius *lib. V. de Militia Romana dialogo XVI.* ſervis hunc potum ordinarium fuiſſe docet.

LXVII. Acetum quoque ſigillatim potus erat militum. Vulcatius Gallicanus in Avidio: *Præter laridum ac buccellatum, atque acetum, militem in expeditione quidquam portare probibuit.* Spartianus in Peſcennio: *Juſſit vinum in expeditione neminem bibere, ſed aceto univerſos eſſe contentos.* Quin duces ipſi, ut ſe gratioſiores militibus ſuis commilitones exhiberent, ſpreto ſæpiuscule vino, eodem aceti potu utebantur. Plutarchus de Catone Cenſorino: *Aquam in exercitu bibebat, præterquam ſi acri ſiti & vehementi calore æſtuans acetum poſceret.*

LXVIII. Nec exinde tamen conſequens eſt, quod eſſe vult Voſſius, acetum CHRISTO datum, non tam ad ignominiam, quam humanitate qualiquali. Quo etiam inclinat Ramirezius *Spicilegii Sacri Tract. I. cap. XLV.* nempe milites Romanos acetum hoc ſibi, ut potarent, detuliſſe, ſed obtuliſſe poſtea ſitienti Domino viliſſimum poculum, ne inhumanitatis arguerentur.

LXIX. Reſpondebit enim Cyrillus: *Illi adeo longe ab omni humanitate aberant, ut pro juvante potu atque jucundo, nocentem & acerbum obtulerint, & humanitatem, qua moveri videbantur, cum petenti potum darent, in impietatem converterint.*

Digitized by Google

LXX. De Spongia ſi quæras, quem illa in hoc ſupplicii loco uſum habuerit, paucis reſpondeo, a militibus, qui CHRISTVM ceteroſque latrones crucifigebant, adhibitam, ut ſanguinem ex manuum pedumque vulneribus profluentem detergerent, ne veſtes ſuæ eo conſpurcarentur. Exempla hanc in rem laudare ſuperſedeo, quia res in vulgus nota: quorum tamen aliqua attulit Heinſius in *Ariſtarcho Sacro cap. XXIX.*

LXXI. At Merillius Jureconſultus *Notis Philolog. in Paſſionem CHRISTI,* ſpongiam arundini non fuiſſe aptatam, ſed ſimul cum ſpongia inventam conjicit.

LXXII. Idem porro ex tomo I. Biblioth. Patrum Græcorum affert Cæſarii cujusdam ſingularem opinionem quod ſpongia ex coma arundinis conſtiterit. Verba Cæſarii hæc ſunt: ὁ δὲ κάλαμος καρποφορεῖ. τὴν μὲν κόμην εἰς σπόγγους, τὸ δὲ λοιπὸν εἰς γραφίδας: *Arundo fructum fert. Comam quidem ad ſpongiam, & reliqvum ad pennas.* Bene autem reſpondet Merillius: *Sed ſi talis arundo fuit, quæ in coma haberet ſpongiam, non debuit aptari circumponive arundini ſpongia, cui ipſa adhærebat.*

LXXIII. Non alienum ab hoc loco, nec ingratum lectori erit monuiſſe, ad mortem damnatis aliquando os fuiſſe obturatum ſpongia, ne vel in ſui defenſionem, vel aliorum invidiam liberius loquerentur. De Cajo Cæſare Seneca lib. III. de Ira cap. XIX. *Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inſerta ſpongia includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem. —— Cum ſpongiæ non invenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum, & in os farciri pannos imperavit.*

Digitized by Google

LXXIV. Ceterum non levis hic videtur inter Evangeliſtas eſſe diſſenſus. Apud Matthæum & Marcum leguntur hæc verba: Περιθεὶς καλάμῳ ἐπότιζεν αὐτόν. At pro eo Johannes: ὑσσώπῳ περιθέντες. Quæritur igitur, ſi ὑσσώπῳ fuerit ſpongia circumvoluta, quomodo fuerit circumligata calamo? vel ſi calamo, quomodo hyſſopo?

Matth. XXVII 48.
Marci XV. v. 36.

LXXV. Adeo difficilis ad explicandum hæc quæſtio viſa fuit Caſaubono, ut *ei videatur Elias exſpectandus, qui certi aliquid nos doceat.* Et *de hyſſopo*, ait, *non ſatis conſtare, in quem finem milites adhibuerint.*

LXXVI. Tam aperta autem hic nonnullis pugna fuit viſa, ut locum exiſtiment corruptum. Interea hi ipſi diverſimode corrigere laborant.

LXXVII. Sunt qui apud Johannem pro ὑσσώπῳ περιθέντες legendum putent ὑσσῷ προσπεριθέντες: ut ſententia ſit, ſpongiam fuiſſe circumvolutam haſtæ, vel pilo, Romanæ militiæ telo.

LXXVIII. Fuit hæc conjectura Joachimi Camerarii *in Annotat. ad Johannis cap. XIX.* cui hoc elogium tribuit Caſaubonus, quod fuerit *nominis Germanici decus ſingulare.* Ὑσσὸν is interpretatur *pilum*, quod jaculi genus, uti & haſta erat velitaris. Similiter ὑσσὸν exponunt Caſaubonus Polybii interpres, & ejus enarrator Lipſius libris *de Militia Romana.* At Salmaſius *Epiſtola de Cruce* ὑσσὸν eſſe docet Latinorum *haſtam; pilum* vero ab iis δόρυ nuncupari. Placet hæc conjectura Camerarii τῷ πάνυ Reineſio, in cujus mss. ſcedis hæc reperi: *Probo Camerarii conjecturam, etſi ea Caſaubono diſpliceat Exerc. XVI. cap. LXXXXVIII. Eſt enim maxime adminiculata. Simpliciſſimus ſenſus eſt: pilo* ὑσσῷ *vel* ὑσσώπῳ *(triſylla-*

bum enim requirit verſus in Tragœdia CHRISTVS Patiens: Ἄλλοι δ' ὑσσώπῳ σπόγγον ὄξους ἔπλεον) *impoſitam fuiſſe ſpongiam aceto prægnantem.* Magni quoque hanc conjecturam fecit Theodorus Beza, uti ejus *Nota in N.T.* oſtendunt. *Lucas vero Brugenſis* (verba hæc ſunt Caſauboni:) *ne laudare Camerarium cogeretur, virum omni laudatione majorem, illiberale facinus admittere non erubuit, conjecturam pridem occupatam, neſcio cui amico ſuo tribuens, tanquam recens ab eo excogitatam.* Placet eadem divinatio Eſtio, quem Hieronymus Bardi ſequitur in data ad Thomam Bartholinum Epiſtola, laudaturque ab Adolpho Vorſtio Lugdunenſium Botanico excellenti.

LXXIX. Caſaubonus vero illam emendationem uti adinventam laudat, veram tamen eſſe non putat. Nam pilum Romanum craſſius telum fuiſſe monet, quam ut uſum arundinis commode poſſit præbere: deinde qui pili deſcriptionem apud Polybium diligenter expenderit, intelligere, neutri extremitati ſine incommodo potuiſſe circumdari.

LXXX. Et ſane quia *pilum* & *haſta* Romanis ſemper fuerint e ligno, ferroque: *calami* autem vel arundinis vox, quando in telis numeratur, ſolum conveniant iis ex arundine factis, non utique probabile eſt, ſive pilum, ſive haſtam Romanorum militum arundineam materiem agnoviſſe. Præterea verbum περιθεῖναι, quo uſi ſunt Evangeliſtæ, hanc conjecturam refellit. Non enim affixam ſpongiam pili extremitati vel acumini id vocabulum declarat, ſed ſimpliciter circumpoſitam calamo vel circumligatam.

LXXXI.

LXXXI. Nicolaus Heinſius, &, ceu paulo ante vidimus, Thomas Reineſius pro *ὑσσώπῳ* legerunt *ὑσσῷ*, ut nempe ex litera *π* una ſolum lineola, ſeu vetuſtate, ſeu aliter perierit. Τῷ *ὑσσῷ* igitur impoſita fuiſſet ſpongia aceto prægnans, ſive quod acumine nativo perforatam ſpongiam in altum ſuſtulerit, ſive quod ferro præmunitum cannæ jaculum, eique fuerit ſpongia circumligata.

LXXXII. Obſervat tamen Voſſius, quod licet a *λόγχῃ*, *λογχοτὸς* apud Suidam legatur ex epigrammate, ab *ὑσσὸς* tamen nuſpiam inveniatur *ὑσσωτός*. Neque *ὑσσωτὸν*, addit, idem fuiſſe ac *ὑσσὸν*, uti nec *λογχωτὸν* idem quod *λόγχην*. *Nemo*, inquit, *ſic veterum locutus. Sed λογχωτὸς iis haſta habens e ferro cuſpidem, ut opponatur* haſtæ puræ.

LXXXIII. Ipſe igitur Heinſius (ceu ad Johannem notavit Ludovicus de Dieu) repudiata hac ſententia pro *ὑσσώπῳ* legere maluit *οἰσύπῳ*, quamvis ex Salmaſio *Epiſt. I. de Cruce* conſtet, alteram quam jam laudavimus, Heinſio poſt hanc, de qua nunc agimus, placuiſſe. Οἴσυπος autem, *οἴσυπον*, & *οἰσύπη*, &, quæ vox in Latio non infrequens *Oeſipus*, lana eſt ſuccida, que vellitur ex viva ove prope anum excrementis ovillis infecta. Heſychius: Οἴσυπος, *ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος*. Melius, Ὄϊος, *ovis*. Nam inde nomen. Docet hoc Ovidius *lib. III. de Arte Amandi*:

> *Oeſypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?*
> *Demtus ab immunda vellere ſuccus ovis.*

Et Plinius *lib. XXIX. cap. II.* Quin *ipſæ ſordes pecudum, ſudorque feminum & alarum adhærentes lanis (œſypum vocant) innumeros prope uſus habent.* Dioſcorides οἰσυ-

πον definit τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος, *ſuccidarum lanarum pinguem ſuccum.*

LXXXIV. Inprimis hæc lana olim medicis in uſu fuit ad cohibendum ſanguinem: nec hodie ejus uſus prorſus obſolevit: quamvis non adeo frequens ſit, nec lana tam impura.

LXXXV. Firmari eo hæc ſententia videtur, quod ſæpius apud auctores optimos librariorum culpa pro οἴσυπος legatur ὕσωπος vel ὕσκωπος. Nec id modo Græcos, ut Galenum, ſed etiam Celſum, imo & Plinium: de quo monuit Hermolaus Barbarus ad ejus *lib. XXIX. cap. VI.* Etiam Arabes Medici, quia apud Græcos ſcriptores crebro reperirent ὕσσωπος eſſe converſum in οἴσυπος, ſomniarunt duplicem eſſe hyſſopum, ſiccam & humidam: ac per ſiccam quidem intellexerunt veram hyſſopum; per humidam autem οἴσυπον. Quam in rem plura attulit Thomas Bartholinus *de Latere CHRISTI aperto cap. VIII.*

LXXXVI. Putat itaque Heinſius, milites ſpongiam & lanam ſuccidam ſumſiſſe, atque utramque cum in uſum alium appoſitæ in eo loco eſſent, militari petulantia aceto impleviſſe, ac jam morientis ori admoviſſe.

LXXXVII. Docta, fateor, hæc eſt ſententia, ac multum ingenioſa. Sed quis credat oeſypum ex more appoſitum, cujus rei nulla upud veteres exſtat memoria? Vulneribus quidem medebatur, iis impoſitus: ſed ſuccida lana illa, vel ejus ſordes, (nam pro ipſa lana nunquam veteres oeſypum accepiſſe, annotavit Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce:*) nihil ad ſitim reſtringvendam, vel ſpiritus revocandos poterant conferre. Imo ori admota potius

potius nauſeam creaſſent. Hinc aperte Voſſius, *vix aliud æque rationi adverſum eſſe* ſcribit.

LXXXVIII. Præterea & ὑσσὸν, vel ὑσσωπὸν vel οἰσῷ-ῳν corrigentibus valde obſtant omnes codices Græci, omnes item Interpretes, Latinus, Syrus, Arabs, Ægyptius, qui omnes *canna* habent, ſive *arundo.* Nec aliter reperias apud commentatores veteres omnium ætatum.

LXXXIX. Celeberrimus igitur Bochartus *in Hierozoico* conciliari facile omnia poſſe putat, ſi caſu ſolum mutato, pro ὑσσώπῳ legatur ὕσσωπον, ut ita habeat locus Johannis: *Illi autem, cum ſpongiam aceto implevissent,* καὶ ὕσσωπον περιθέντες *& hyſſopum circumdediſſent, ori illius admoverunt.* Sic ſpongia hyſſopum non circumdederit; ſed hyſſopus ſpongiam, ut aceti acore cum hyſſopi amaritudine mixto fieret potus ingratior. Reliqui duo Evangeliſtæ de aceti ſpongia egerant, & quomodo calamo alligata CHRISTI ori fuiſſet admota. At hoc unum præterierant, quod Johannes hic ſupplet, ſpongiam illam fuiſſe hyſſopo circumdatam, ut non ſolum acerbus, ſed & amarus eſſet CHRISTI potus.

XC. Elegans hæc iterum eſt magni viri conjectura, quæque ſimul oſtendit, quomodo hoc potu morituro Salvatori milites illuſerint: quia tamen receptam Johannis lectionem ſollicitat, noſtram haut temere fecerimus.

XCI. Quandoquidem itaque periculoſum eſt vel minimum in libris ſacris apicem mutare, ubi præſertim conſtat de vulgatæ lectionis vetuſtate; videamus, quomodo conciliari poſſint Evangeliſtæ, ſi nihil mutemus.

XCII. Et primo quidem nulla mutatione foret opus, ſi-

qui-

quidem ὕσσωπος utrumque, modo *œſypum*, modo *hyſſopum* notaret: id quod obſervatum illuſtri viro Thomæ Bartholino, hanc tamen diſtinctionem proponenti, ut ὕσσωπος βοτάνη diceretur *hyſſopus* herba, quod ex Ægineta liquet, ſordes vero ovinarum lanarum ſeu *œſypus* ὑγρὸς ὕσσωπος nuncuparentur. *Ita* apud Nicolaum Myrepſium *ſect. III. de Vnguentis cap. III.* in unguento e caſtorio ad differentiam hyſſopi ſicci ſeu plantæ hujus nominis, ὑσσώπου ὑγροῦ ſeu oſypi mentionem injici, quam lectionem optime tutetur auctoritate ſua Leonardus Fuchſius. Quia tanta inter hæc affinitas, ut quando œſypus ex lanis ſuccidis haberi non poſſit, alium ex herba hyſſopo, & ex alis ovium confici præcipiat Aetius *Tetrabibl. IV. ſerm. III. c. XXV.* Quo conſpiret in *Leviticis* ligno ſuſpenſa lana coccinea & hyſſopus, cum occiſa vacca combureretur. Cujus interiorem ſenſum cruci CHRISTI applicaturus Barnabas D. Pauli æqualis in *Epiſtola Catholica n. VI.* quærat, quare lana in ligno fuerit? quia regnum CHRISTI in ligno: propterea qui crediderint in illum vivent in perpetuum. Vlterius quare in unum τὸ ἔριον καὶ τὸν ὕσσωπον, lanam & hyſſopum compoſuerint, quærenti reſpondet; quia in in regno illius dies erunt nequiſſimi, & ſordidi, quibus nos ſalvabimur, quia καὶ ἀλγῶν τὴν σάρκα διὰ τοῦ ῥύπου τοῦ ὑσσώπου ἰᾶται. Quæ verba ſicco pede præterierit Interpres vetus, plane demonſtrantia, hyſſopum in cruce CHRISTI cum lana conjunctam οἰσυπὸν eſſe poſſe, cui ſordes propriæ ſint, quique doloribus lumborum inguinumque medeatur, teſte Marcello *cap. XXV. XXXV. aliisque.* Adhæc ἔριον ſeu lana profuiſſet vel in alliganda ſpongia, vel in inflammationis & vulnerum ſubſidium. Nam ἔριον ſeu lanam

nam aceto adſperſam in vulneribus laudare Simeonem Sethum Magiſtrum Antiochenum in Syntagmate *de Ciborum facultate.*

XCIII. Etſi vero hæc omnia in mentem venerint delicio noſtri ſeculi laudato Thomæ Bartholino, ipſe tamen fatetur, eo longiorem a textu ſacro fieri receſſum, nullamque huc neceſſitatem nos compellere.

XCIV. Nonnulli volunt, non ſemel, nec ab uno potum CHRISTO fuiſſe datum, cum plures fuerint ejusdem facinoris adminiſtri, ſed alios calamo, alios ligno hyſſopi uſos fuiſſe. Hoc Cyrillus voluit, quem ſecutus eſt Auctor Tragœdiæ, *CHRISTVS Patiens.* Nec diſplicet id Salmaſio, qui poſt longam hac de re diſputationem *Epiſt. I. de Cruce* tandem concludit: *Fortaſſean & utrumque a diverſis ei porrectum fuerit ad eundem finem.*

XCV. At enim cum non plurium, ſed unius ſaltem meminerint Evangeliſtæ, non eſt cur entia præter neceſſitatem multiplicemus.

XCVI. Alii ſpongiam hyſſopo, hyſſopum calamo circumvoluta volunt. Quod viſum Toleto *in Johannem,* & Michaeli de Palacio, Theologo Granatenſi. *Et profecto,* ait Voſſius, *ut non pugnant, ſi unus dicat, Titium adfuiſſe, alter Mævium, quia uterque potuit adfuiſſe: ita nec contradictio eſt, ſi hic dicat, ſpongiam fuiſſe circumligatam calamo, alter hyſſopo: quorum hyſſopus in ſummitate eſſet calami: imo vero calami pars manu teneretur.* Vnde etiam Nonnus Johan. XIX.

Ἰθυπόρου καλάμου περὶ νείατον ἄκρον ἐρείσας
Ὤρεγεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέθρου.

Recta procedentis arundinis ad extremam ſummitatem figens Porrexit hyſſopo mixtum acetum exitii. Eandem

dem ſententiam ſecutus eſt, inque *CHRISTO* ſuo *Patiente* egregie expreſſit Hugo Grotius:

—— Vaſe defuſus latex
Amarus avidos ſpongiæ laxat ſinus,
Premit fluentem purus hyſſopi viror,
Quem levat in altum dextera adſtantis viri
Protenta arundo.

Quæ igitur per partes na int Evangeliſtæ, junctim forent explicanda.

XCVII. Et hoc rmari etiam videtur more illo Judæorum, quo ad l ationem immundorum adſpergebant hyſſopo tres habente culmos ſive caules: ac ſi breviores hi forent, eos ligno cuipiam alligabant. Similiter nempe illi, qui CHRISTO dabant bibere, hyſſopum cum ſpongia calamo alligaſſent.

XCVIII. Imo hinc Adolphus Vorſtius colligit, vel idcirco Judæos, qui eo ad ſpectandum convenerant, de hyſſopo cogitaſſe, quod in illo κρανίῳ τόπῳ oſſium & immunditiei pleno ad luſtrationem adhibere voluerint.

XCIX. Sed quis credat Judæos idcirco de hyſſopo cogitaſſe? qui non convenerant ad tangendum corpus crucifixi, ſed ad ſpectandum ſupplicium: unde Salmaſius *Epiſt. III. de Cruce* non immerito contra Vorſtium diſputat.

C. Porro conciliatio locum haberet, ſive per *calamum* intellexeris arundinem vulgarem; ſive κατ' ἐξοχὴν malis, κάλαμον εὐώδη, ſeu *calamum aromaticum*: cujusmodi a Matthæo & Marco ſignari putabat Ludovicus de Dieu in *Notis ad Johannem cap. XIX.* quaſi is ad reficiendos miſeros cum hyſſopo a piis exportatus ludibrio militum flexili ſpongiæ fuiſſet circumligatus. Quo de

de calamo plura ſuperius a nobis dicta ſunt. Nec adeo improbanda hæc de calamo aromatico ſententia videtur illuſtri Salmaſio *Epiſt. I. de Cruce:* quam porro *Epiſt. II.* pluribus confirmat.

CI. Puto tamen ſatius eſſe τὸν κάλαμον explicare de *calamo* notiori, & vulgaris apud milites uſus, qui nec ἀρωματικὸς dicitur in Evangelio, nec μυρεψικὸς nec εὐώδης, nec aliud denique additur, quo a vulgato ſeparetur & diſtinguatur: ut taceam *aromatici calami*, utpote exilis, nullam fere fuiſſe utilitatem in porrigenda ſpongia, cum alterius inſtrumenti non injiciatur mentio, quam calami, quod ad os Salvatoris pertingeret.

CII. Si hyſſopi uſum quæras, in varias itum eſt ſententias.

CIII. Chryſoſtomus & Theophylactus arbitrantur, additam fuiſſe hyſſopum, δηλητηριῶδες, *tanquam letale aliquid, ac mortiferum.* Quod intellexiſſe etiam videtur Nonnus verſu paulo ante laudato.

CIV. Sed nullam facultatem letiferam hyſſopo ineſſe, vel id indicio eſt, quod Judæis in cibis fuerit uſurpata, & in luſtrationibus adhibita.

CV. Perperam itaque illi ſibi perſuaſerunt, ad nocendum CHRISTO crucifixo & animam pœne agenti porrectam acetatam illam ſpongiam cum hyſſopo, & hunc morem obtinuiſſe in omnibus condemnatis, ut acetum iis potandum propinaretur.

CVI. Auguſtinus putavit CHRISTO porrectam, eo quod pectus purget, adeoque ad eum circumveniendum, velut ludibrii cauſa. *Hyſſopum,* inquit in Johannem, *herba eſt humilis, & pectus purgat, quam circumdederunt, & ſe circumveniſſe putarunt.* Idem *lib. II. de*

 Doctri-

Digitized by Google

LXX. De Spongia ſi quæras, quem illa in hoc ſupplicii loco uſum habuerit, paucis reſpondeo, a militibus, qui CHRISTVM ceteroſque latrones crucifigebant, adhibitam, ut ſanguinem ex manuum pedumque vulneribus profluentem detergerent, ne veſtes ſuæ eo conſpurcarentur. Exempla hanc in rem laudare ſuperſedeo, quia res in vulgus nota: quorum tamen aliqua attulit Heinſius in *Ariſtarcho Sacro cap. XXIX.*

LXXI. At Merillius Jureconſultus *Notis Philolog. in Paſſionem CHRISTI*, ſpongiam arundini non fuiſſe aptatam, ſed ſimul cum ſpongia inventam conjicit.

LXXII. Idem porro ex tomo 1. Biblioth. Patrum Græcorum affert Cæſarii cujusdam ſingularem opinionem quod ſpongia ex coma arundinis conſtiterit. Verba Cæſarii hæc ſunt: ὁ δὲ κάλαμος καρποφορεῖ. τὴν μὲν κόμην εἰς σπόγγους, τὸ δὲ λοιπὸν εἰς γραφίδας: *Arundo fructum fert. Comam quidem ad ſpongiam, & reliquum ad pennas.* Bene autem reſpondet Merillius: *Sed ſi talis arundo fuit, quæ in coma haberet ſpongiam, non debuit aptari circumponive arundini ſpongia, cui ipſa adhærebat.*

LXXIII. Non alienum ab hoc loco, nec ingratum lectori erit monuiſſe, ad mortem damnatis aliquando os fuiſſe obturatum ſpongia, ne vel in ſui defenſionem, vel aliorum invidiam liberius loquerentur. De Cajo Cæſare Seneca lib. III. de Ira cap. XIX. *Nemo certe invenietur alius, qui imperaverit his, in quos animadverti jubebat, os inſerta ſpongia includi, ne vocis emittendæ haberent facultatem. —— Cum ſpongiæ non invenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum, & in os farciri pannos imperavit.*

Digitized by Google

LXXIV. Ceterum non levis hic videtur inter Evangeliſtas eſſe diſſenſus. Apud Matthæum & Marcum leguntur hæc verba: Περιθεὶς καλάμῳ ἐπότιζεν αὐτόν. At pro eo Johannes: ὑσσώπῳ περιθέντες. Quæritur igitur, ſi ὑσσώπῳ fuerit ſpongia circumvoluta, quomodo fuerit circumligata calamo? vel ſi calamo, quomodo hyſſopo?

Matth. XXVII 48. Marci XV. v. 36.

LXXV. Adeo difficilis ad explicandum hæc quæſtio viſa fuit Caſaubono, ut *ei videatur Elias exſpectandus, qui certi aliquid nos doceat.* Et *de hyſſopo,* ait, *non ſatis conſtare, in quem finem milites adhibuerint.*

LXXVI. Tam aperta autem hic nonnullis pugna fuit viſa, ut locum exiſtiment corruptum. Interea hi ipſi diverſimode corrigere laborant.

LXXVII. Sunt qui apud Johannem pro ὑσσώπῳ περιθέντες legendum putent ὑσσῷ προσπεριθέντες: ut ſententia ſit, ſpongiam fuiſſe circumvolutam haſtæ, vel pilo, Romanæ militiæ telo.

LXXVIII. Fuit hæc conjectura Joachimi Camerarii *in Annotat. ad Johannis cap. XIX.* cui hoc elogium tribuit Caſaubonus, quod fuerit *nominis Germanici decus ſingulare.* Ὑσσὸν is interpretatur *pilum,* quod jaculi genus, uti & haſta erat velitaris. Similiter ὑσσὸν exponunt Caſaubonus Polybii interpres, & ejus enarrator Lipſius libris *de Militia Romana.* At Salmaſius *Epiſtola de Cruce* ὑσσὸν eſſe docet Latinorum *haſtam; pilum* vero ab iis δόρυ nuncupari. Placet hæc conjectura Camerarii τῷ πάνυ Reineſio, in cujus mss. ſcedis hæc reperi: *Probo Camerarii conjecturam, etſi ea Caſaubono diſpliceat Exerc. XVI. cap. LXXXXVIII. Eſt enim maxime adminiculata. Simpliciſſimus ſenſus eſt: pilo* ὑσσῷ *vel* ὑσσωΐῳ *(triſſyllabum*

bum enim requirit verſus in Tragœdia CHRISTVS Patiens: Ἄλλοι δ' ὑσσώπῳ σπόγγον ὄξους ἔπλεον) *impoſitam fuiſſe ſpongiam aceto prægnantem.* Magni quoque hanc conjecturam fecit Theodorus Beza, uti ejus *Notæ in N.T.* oſtendunt. *Lucas vero Brugenſis* (verba hæc ſunt Caſauboni:) *ne laudare Camerarium cogeretur, virum omni laudatione majorem, illiberale facinus admittere non erubuit, conjecturam pridem occupatam, neſcio cui amico ſuo tribuens, tanquam recens ab eo excogitatam.* Placet eadem divinatio Eſtio, quem Hieronymus Bardi ſequitur in data ad Thomam Bartholinum Epiſtola, laudaturque ab Adolpho Vorſtio Lugdunenſium Botanico excellenti.

LXXIX. Caſaubonus vero illam emendationem uti adinventam laudat, veram tamen eſſe non putat. Nam pilum Romanum craſſius telum fuiſſe monet, quam ut uſum arundinis commode poſſit præbere: deinde qui pili deſcriptionem apud Polybium diligenter expenderit, intelligere, neutri extremitati ſine incommodo potuiſſe circumdari.

LXXX. Et ſane quia *pilum* & *haſta* Romanis ſemper fuerint e ligno, ferroque: *calami* autem vel arundinis vox, quando in telis numeratur, ſolum conveniant iis ex arundine factis, non utique probabile eſt, ſive pilum, ſive haſtam Romanorum militum arundineam materiem agnoviſſe. Præterea verbum περιθέντες, quo uſi ſunt Evangeliſtæ, hanc conjecturam refellit. Non enim affixam ſpongiam pili extremitati vel acumini id vocabulum declarat, ſed ſimpliciter circumpoſitam calamo vel circumligatam.

LXXXI.

LXXXI. Nicolaus Heinſius, &, ceu paulo ante vidimus, Thomas Reineſius pro ὑσσώπῳ legerunt ὑσσῷ, ut nempe ex litera π una ſolum lineola, ſeu vetuſtate, ſeu aliter perierit. Τῷ ὑσσῷ igitur impoſita fuiſſet ſpongia aceto prægnans, ſive quod acumine nativo perforatam ſpongiam in altum ſuſtulerit, ſive quod ferro præmunitum cannæ jaculum, eique fuerit ſpongia circumligata.

LXXXII. Obſervat tamen Voſſius, quod licet a λόγχη, λογχωτὸς apud Suidam legatur ex epigrammate, ab ὑσσὸς tamen nuſpiam inveniatur ὑσσωτός. Neque ὑσσωτὸν, addit, idem fuiſſe ac ὑσσὸν, uti nec λογχωτὸν idem quod λόγχην. *Nemo,* inquit, *ſic veterum locutus. Sed λογχωτὸς iis haſta habens e ferro cuſpidem, ut opponatur* haſtæ puræ.

LXXXIII. Ipſe igitur Heinſius (ceu ad Johannem notavit Ludovicus de Dieu) repudiata hac ſententia pro ὑσσώπῳ legere maluit οἰσύπῳ, quamvis ex Salmaſio *Epiſt. I. de Cruce* conſter, alteram quam jam laudavimus, Heinſio poſt hanc, de qua nunc agimus, placuiſſe. Οἴσυπος autem, οἴσυπον, & οἰσύπη, &, quæ vox in Latio non infrequens *Oeſipus*, lana eſt ſuccida, que vellitur ex viva ove prope anum excrementis ovillis infecta. Heſychius: Οἴσυπος, ὁ τῆς αἰγὸς ῥύπος. Melius, Οἶς, *ovis.* Nam inde nomen. Docet hoc Ovidius *lib. III. de Arte Amandi :*

> *Oeſypa quid redolent, quamvis mittantur Athenis?*
> *Demtus ab immunda vellere ſuccus ovis.*

Et Plinius *lib. XXIX. cap. II.* Quin *ipſæ ſordes pecudum, ſudorque feminum & alarum adhærentes lanis (œſypum vocant) innumeros prope uſus habent.* Dioſcorides οἰσυ-

πον definit τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος, *ſuccidarum lanarum pinguem ſuccum.*

LXXXIV. Inprimis hæc lana olim medicis in uſu fuit ad cohibendum ſanguinem: nec hodie ejus uſus prorſus obſolevit: quamvis non adeo frequens ſit, nec lana tam impura.

LXXXV. Firmari eo hæc ſententia videtur, quod ſæpius apud auctores optimos librariorum culpa pro οἴσυπος legatur ὕσωπος vel ὕσκωπος. Nec id modo Græcos, ut Galenum, ſed etiam Celſum, imo & Plinium: de quo monuit Hermolaus Barbarus ad ejus *lib. XXIX. cap. VI.* Etiam Arabes Medici, quia apud Græcos ſcriptores crebro reperirent ὕσωπος eſſe converſum in οἴσυπος, ſomniarunt duplicem eſſe hyſſopum, ſiccam & humidam: ac per ſiccam quidem intellexerunt veram hyſſopum; per humidam autem οἴσυπον. Quam in rem plura attulit Thomas Bartholinus *de Latere CHRISTI aperto cap. VIII.*

LXXXVI. Putat itaque Heinſius, milites ſpongiam & lanam ſuccidam ſumſiſſe, atque utramque cum in uſum alium appoſitæ in eo loco eſſent, militari petulantia aceto impleviſſe, ac jam morientis ori admoviſſe.

LXXXVII. Docta, fateor, hæc eſt ſententia, ac multum ingenioſa. Sed quis credat oeſypum ex more appoſitum, cujus rei nulla upud veteres exſtat memoria? Vulneribus quidem medebatur, iis impoſitus: ſed ſuccida lana illa, vel ejus ſordes, (nam pro ipſa lana nunquam veteres oeſypum accepiſſe, annotavit Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce:*) nihil ad ſitim reſtringvendam, vel ſpiritus revocandos poterant conferre. Imo ori admota potius

Digitized by Google

potius nauſeam creaſſent. Hinc aperte Voſſius, *vix aliud æque rationi adverſum eſſe* ſcribit.

LXXXVIII. Præterea & ὑσσὸν, vel ὑσσωπὸν vel ὄισυπον corrigentibus valde obſtant omnes codices Græci, omnes item Interpretes, Latinus, Syrus, Arabs, Ægyptius, qui omnes *canna* habent, ſive *arundo*. Nec aliter reperias apud commentatores veteres omnium ætatum.

LXXXIX. Celeberrimus igitur Bochartus *in Hierozoico* conciliari facile omnia poſſe putat, ſi caſu ſolum mutato, pro ὑσσώπῳ legatur ὕσσωπον, ut ita habeat locus Johannis: *Illi autem, cum ſpongiam aceto implevissent,* καὶ ὕσσωπον περιθέντες *& hyſſopum circumdediſſent, ori illius admoverunt.* Sic ſpongia hyſſopum non circumdederit; ſed hyſſopus ſpongiam, ut aceti acore cum hyſſopi amaritudine mixto fieret potus ingratior. Reliqui duo Evangeliſtæ de aceti ſpongia egerant, & quomodo calamo alligata CHRISTI ori fuiſſet admota. At hoc unum prætererant, quod Johannes hic ſupplet, ſpongiam illam fuiſſe hyſſopo circumdatam, ut non ſolum acerbus, ſed & amarus eſſet CHRISTI potus.

XC. Elegans hæc iterum eſt magni viri conjectura, quæque ſimul oſtendit, quomodo hoc potu morituro Salvatori milites illuſerint: quia tamen receptam Johannis lectionem ſollicitat, noſtram haut temere fecerimus.

XCI. Quandoquidem itaque periculoſum eſt vel minimum in libris ſacris apicem mutare, ubi præſertim conſtat de vulgatæ lectionis vetuſtate; videamus, quomodo conciliari poſſint Evangeliſtæ, ſi nihil mutemus.

XCII. Et primo quidem nulla mutatione foret opus, ſi-

quidem ὕσσωπος utrumque, modo *æſypum*, modo *hyſſopum* notaret: id quod obſervatum illuſtri viro Thomæ Bartholino, hanc tamen diſtinctionem proponenti, ut ὕσσωπος βοτάνη diceretur *hyſſopus* herba, quod ex Ægineta liquet, ſordes vero ovinarum lanarum ſeu *æſypus* ὑγρὸς ὕσσωπος nuncuparentur. *Ita* apud Nicolaum Myrepſium *ſect. III. de Vnguentis cap. III.* in unguento e caſtorio ad differentiam hyſſopi ſicci ſeu plantæ hujus nominis, ὑσσώπου ὑγροῦ ſeu oſypi mentionem injici, quam lectionem optime tutetur auctoritate ſua Leonardus Fuchſius. Quia tanta inter hæc affinitas, ut quando œſypus ex lanis ſuccidis haberi non poſſit, alium ex herba hyſſopo, & ex alis ovium confici præcipiat Aetius *Tetrabibl. IV. ſerm. III. c. XXV.* Quo conſpiret in *Leviticis* ligno ſuſpenſa lana coccinea & hyſſopus, cum occiſa vacca combureretur. Cujus interiorem ſenſum cruci CHRISTI applicaturus Barnabas D. Pauli æqualis in *Epiſtola Catholica n. VI.* quærat, quare lana in ligno fuerit? quia regnum CHRISTI in ligno: propterea qui crediderint in illum vivent in perpetuum. Vlterius quare in unum τὸ ἔριον καὶ τὴν ὕσσωπον, lanam & hyſſopum compoſuerint, quærenti reſpondet; quia in in regno illius dies erunt nequiſſimi, & ſordidi, quibus nos ſalvabimur, quia καὶ ἀλγῶν τὴν σάρκα διὰ τοῦ ῥύπου τοῦ ὑσσώπου ἰᾶται. Quæ verba ſicco pede præterierit Interpres vetus, plane demonſtrantia, hyſſopum in cruce CHRISTI cum lana conjunctam οἶσυπον eſſe poſſe, cui ſordes propriæ ſint, quique doloribus lumborum inguinumque medeatur, teſte Marcello *cap. XXV. XXXV. aliisque.* Adhæc ἔριον ſeu lana profuiſſet vel in alliganda ſpongia, vel in inflammationis & vulnerum ſubſidium. Nam ἔριον ſeu lanam

Digitized by Google

nam aceto adſperſam in vulneribus laudare Simeonem Sethum Magiſtrum Antiochenum in Syntagmate *de Ciborum facultate.*

XCIII. Etſi vero hæc omnia in mentem venerint delicio noſtri ſeculi laudato Thomæ Bartholino, ipſe tamen fatetur, eo longiorem a textu ſacro fieri receſſum, nullamque huc neceſſitatem nos compellere.

XCIV. Nonnulli volunt, non ſemel, nec ab uno potum CHRISTO fuiſſe datum, cum plures fuerint ejusdem facinoris adminiſtri, ſed alios calamo, alios ligno hyſſopi uſos fuiſſe. Hoc Cyrillus voluit, quem ſecutus eſt Auctor Tragœdiæ, *CHRISTVS Patiens.* Nec diſplicet id Salmaſio, qui poſt longam hac de re diſputationem *Epiſt. I. de Cruce* tandem concludit: *Fortaſſean & utrumque a diverſis ei porrectum fuerit ad eundem finem.*

XCV. At enim cum non plurium, ſed unius ſaltem meminerint Evangeliſtæ, non eſt cur entia præter neceſſitatem multiplicemus.

XCVI. Alii ſpongiam hyſſopo, hyſſopum calamo circumvoluta volunt. Quod viſum Toleto *in Johannem,* & Michaeli de Palacio, Theologo Granatenſi. *Et profecto,* ait Voſſius, *ut non pugnant, ſi unus dicat, Titium adfuiſſe, alter Mævium, quia uterque potuit adfuiſſe: ita nec contradictio eſt, ſi hic dicat, ſpongiam fuiſſe circumligatam calamo, alter hyſſopo: quorum hyſſopus in ſummitate eſſet calami: imo vero calami pars manu teneretur.* Vnde etiam Nonnus Johan. XIX.

Ἰθυπόρου καλάμου παρὰ νέατον ἄκρον ἐρείσας
Ὤρεγεν ὑσσώπῳ κεκερασμένον ὄξος ὀλέθρου.

Recta procedentis arundinis ad extremam ſummitatem figens Porrexit hyſſopo mixtum acetum exitii. Eandem

de calamo plura ſuperius a nobis dicta ſunt. Nec adeo improbanda hæc de calamo aromatico ſententia videtur illuſtri Salmaſio *Epiſt. I. de Cruce:* quam porro *Epiſt. II.* pluribus confirmat.

CI. Puto tamen ſatius eſſe τὸν κάλαμον explicare de *calamo* notiori, & vulgaris apud milites uſus, qui nec ἀρωματικὸς dicitur in Evangelio, nec μυρεψικὸς nec ὀδώδης, nec aliud denique additur, quo a vulgato ſeparetur & diſtinguatur: ut taceam *aromatici calami*, utpote exilis, nullam fere fuiſſe utilitatem in porrigenda ſpongia, cum alterius inſtrumenti non injiciatur mentio, quam calami, quod ad os Salvatoris pertingeret.

CII. Si hyſſopi uſum quæras, in varias itum eſt ſententias.

CIII. Chryſoſtomus & Theophylactus arbitrantur, additam fuiſſe hyſſopum, δηλητηριῶδες, *tanquam letale aliquid, ac mortiferum.* Quod intellexiſſe etiam videtur Nonnus verſu paulo ante laudato.

CIV. Sed nullam facultatem letiferam hyſſopo ineſſe, vel id indicio eſt, quod Judæis in cibis fuerit uſurpata, & in luſtrationibus adhibita.

CV. Perperam itaque illi ſibi perſuaſerunt, ad nocendum CHRISTO crucifixo & animam pœne agenti porrectam acetatam illam ſpongiam cum hyſſopo, & hunc morem obtinuiſſe in omnibus condemnatis, ut acetum iis potandum propinaretur.

CVI. Auguſtinus putavit CHRISTO porrectam, eo quod pectus purget, adeoque ad eum circumveniendum, velut ludibrii cauſa. *Hyſſopum,* inquit in Johannem, *herba eſt humilis, & pectus purgat, quam circumdederunt, & ſe circumveniſſe putarunt.* Idem *lib. II. de*

Digitized by Google

pitius *Rei culinariæ lib. I. cap. I.* ſvaviſſimos ſales ex hyſſopo conficit. A quibus non abit Trallianus, qui *lib. V. cap. IV.* victum ex hyſſopo, pulegio, thymi turionibus illis commendat, qui frigidis, viſcoſis, craſſisque humoribus ſcatent, & temperie corporis humidiore frigidioreq; præditi videntur. Commodiſſimam mulſam cum hyſſopo tradit Galenus *Methodi med. cap. XVIII.* & Ægineta *lib. II. c. XXXVII.* Gariopontus *lib. II. c. VI.* Caſſianus Baſſus in *opere Geoponico* Conſtantino adſcripto *lib. VII. cap. XIV.* de hyſſopite vino ad pectus. Sic hyſſopum cum aceto ſaleque mixta jucundiſſimum hauſtum efficere, auctor Galenus *Commentar. ad Hippocrat. l. I. de Victus Ratione:* qualia ſummo ſtudio collegit Thomas Bartholinus *de latere CHRISTI aperto cap. VIII.*

CXI. Vnde nec idem Hieronymo Bardo, doctiſſimo Napalli apud Inſubres Theologo accedere poteſt, qui amaram hanc potionem ad experiendum an morti eſſet vicinus, propinatum arbitratur. *Quippe*, inquit, *nec eo ſine popoſcerat Cruciarius, nec oblatum fuerat a militibus poculum, qui dulcedine potius vel vitam anxiam diutius differebant, vel ſpe majoris cruciatus miſero illudebant, ut aliam militum fuiſſe mentem facile exiſtimaverimus.*

CXII. Interim quia Judæi plures hyſſopi faciunt ſpecies, de quibus videantur Salmaſius *Epiſt. I. & III. de Cruce*, ac inter has quam vocant *Abratham*, quamque Johannes Mercerus Græcorum & Romanorum *abrotonum* exiſtimat, cui Plinius, Galenus aliique medici amaritudinem attribuunt abſinthii; ſi hæc fuiſſet adhibita, ſatis amarum CHRISTI potum reddidiſſent. Non adeo abſonum hoc videtur Caſaubono *Exercit. XVI. num. LXXXIX.* ſcribenti: *Fortaſſe igitur hanc hyſſopi ſpeciem*

Eee ee 3 *ſpongiæ*

ſpongiæ aceto plenæ adjunxerunt milites: ipſo etiam, ut videtur, ejus ſucco in ſpongiam expreſſo: idque eo conſilio, ut potionem Domino pararent penitus ingratam. Antea potatus fuerat aceto, cui erat fel permixtum; milites in eundem finem abratham, *ſive* abrotonum *miſcent. Quod igitur ait Johannes de ſpongia,* καὶ ὑσσώπῳ περιθέντες, *poſtquam illam hyſſopo circumdediſſent, ex Matthæo explicabimus, ut monet Auguſtinus, & ita accipiemus, quaſi dixiſſet Johannes, aptarunt ſpongiam hyſſopo, quod erat ſummæ arundini alligatum: itaque & ſpongiam & hyſſopum concinnarunt, ut poſtquam extremum arundinis ori CHRISTI eſſet admotum, quicquid ſugeret liquoris, abrotoni amaritudine magis magiſque inficeretur.* Breviter Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce:* Abrotonum *frutex eſt* δενδρώδης *Dioſcoridi, de quo ſumi virga potuit ad ſpongiam CHRISTO in cruce poſito porrigendam.*

CXIII. Alii hyſſopo propterea faciunt locum, ut odor ejus cum aceto CHRISTVM deficientem recrearet, ac ſpiritum fugientem tantiſper ſuſtineret, donec viderent, an Elias ad eum liberandum advolaret.

CXIV. Sane hyſſopus tanti odoris eſt, ut recreare ſpiritum in deliquio cordis poſſit: & certum eſt veteres ad animi deliquium uſos eſſe odoratis herbis & aromatis, ut pulegio & hyſſopo, quæ olfacienda admovebantur naribus animo delinquentium ad eos revocandos.

CXV. At ſi hyſſopo locus erat (uti revera fuit) quid faciemus de Matthæi & Marci *calamo?* Nam quod Johannes περιθέντες ὑσσώπῳ dixit, illi expreſſerunt περιθεὶς καλάμῳ. Ergo apud Johannem ſpongia alligata eſt & circumpoſita hyſſopo, apud alios calamo. Vnde certo certius

tius colligitur, hyſſopum Johannis vicem habuiſſe calami, cui ſpongia circumligata fuerit.

CXVI. Dicemus ergo per *Calamum* & *Hyſſopum* idem ſignificari, ut ſcilicet duo Evangeliſtarum genus, tertius ſpeciem expreſſerit, fruticem ſcilicet hyſſopi, qui calami vicem præſtiterit.

CXVII. Primus hujus ſententiæ auctor eſt Origenes, qui circa initium ſeculi III. vixit, & ſine dubio ita reperit in codicibus Apoſtolorum ævo conſcriptis, quorum eo tempore non magna aut alta vetuſtas videbatur. Hunc magno deinde numero recentiores ſunt ſecuti, inprimis Grotius, Salmaſius, B. Gerhardus, Beverovicius.

CXVIII. Certe Calamus tam Græcis quam Latinis *caulem* ſignificat. Heſychius *κάλαμον* exponit τὸν καυλὸν τοῦ σίτου, *culmum frumenti*, quem *calamum* paſſim vocat Virgilius. Plinius quoque lib. XXIV. cap. XIV. calamos vocat Idæi rubi caules. *Idæus, inquit, rubus dicitur, quoniam in Ida, non alias naſcitur. Eſt autem tenerior ac minor, rarioribus calamis innocentioribusque ſub arborum umbra naſcens.*

CXIX. Nec eſt, quod quis objiciat, calamos tantum de concava accipi arundine, non item de ſolido ligno, quale utique videtur fuiſſe id, cui circumligata ſpongia. Nam arundines quoque ſolidas deſcribunt Dioſcorides & Theophraſtus; & Caſſianus Baſſus in opere Geoponico ex Democrito μεστοκαλάμους agnovit, hoc eſt plenas arundines, ut interpretatur Janus Cornarius.

CXX. Adverſus hanc ſententiam facere videtur, quod hyſſopus ſit exiguus frutex, ut caulis non potuerit ad hoc juvare, quo facilius ſpongia ei impoſita ad os pertingeret. Certe Golius, teſte Adolpho Vorſtio in *Epiſt.*
ad

Digitized by Google

ad Bartholinum ſcripta in Syria, cum eſſet, non ſemel hyſſopi humilem plantam vidit, legitque per terram repentem cubitalibus ramis, foliis majoranæ ſimilibus. Hyſſopum porro inter plantas, quæ vix terra ſe attollunt, etiam in Judæa fuiſſe numeratam, declarat, quod legitur in ſcripturis, Salomonem de plantis diſſeruiſſe, a cedro ad hyſſopum parietariam, hoc eſt, a maxima ad minimam.

CXXI. Verum Salmaſius Golium non hyſſopum, ſed ſerpilli agreſtis genus vidiſſe & legiſſe putat, cum nulla ſit hyſſopus, quæ ſerpat humi.

CXXII. Deinde locus I. Reg. IV. v. 33. hyſſopum potius arboribus quam plantis computari oſtendit. Quomodo accepiſſe videtur Joſephus, qui de libris a Salomone ſcriptis loquens, hyſſopum appellatione arboris complectitur. Sic ille lib. VIII. cap. II. καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρου παραβολὴν εἶπεν ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου. *De quaque ſpecie arboris parabolam dixit, ab hyſſopo usque ad cedrum.* Non dixit de quaque ſpecie φυτοῦ, *planta*, ſed δένδρου, *arboris*. Tum vero in Hebraico eſt עץ quæ vox tam de arboribus, quam de omnibus fruticibus arboreſcentibus uſurpatur & lignoſis. Quamquam alii Regum ſapientiſſimum de cedro & hyſſopo diſſeruiſſe volunt, non tanquam de arborum maxima minimaque, ſed de plantis nobilibus juxta ac ignobilibus; nec hic vel in cedro magnitudo, vel in hyſſopo exilitas, ſed in illa præſtantia, in hac extrema vilitas ſpectanda ſint.

CXXIII. Dioſcoridi duplex eſt hyſſopus, montana & hortenſis. Montana, ut Arabes tradunt, frequens eſt in montibus Hieroſolymitanis. Et cenſet Salmaſius *Epiſt. I. de Cruce*, huic caulem fuiſſe & longiorem & firmiorem,

ſic

Digitized by Google

ſic ut ſpongiam non difficulter ſuſtineret, & longius exporrigeret. Et hyſſopum inter ligna computant Judæi, forte quod in montibus Hieroſolymitanis altius excreverit. Quomodo amaraci ſive majoranæ caulis, ubi anniculus, ligneus fit, atque ad altitudinem duorum pedum exſurgit: cum alioqui in hortis ſit caule & brevi & infirmo.

CXXIV. Neque ignotum eſt, plantas pro loci genio & anni temperie citius tardiusque adoleſcere atque altius exſurgere. *Tradunt authores,* inquit Plinius *lib. XIX. cap. IV.* in *Arabia malvas ſeptimo menſe arboreſcere, baculorum uſum præbere exemplo.* Idem non facta mentione Arabiæ, cultura fieri teſtatur Theophraſtus, *Itaque ſi malva, quæ herba flaccida eſt,* inquit Johannes Beverovicius in Epiſtola ad Thomam Bartholinum, *varietate ſoli, vel ſola cultura ad tantam magnitudinem ac firmitatem pervenire poteſt, ut baculi uſum præbeat, quanto magis ſolum orientis natura ſua aptum, quippe e cælo & ſolo præparatum id efficere queat in hyſſopo, herba per ſe fruticoſa.* Vide eundem in *Quæſtionibus Epiſtolicis,* ubi in horto ſuo habuiſſe virentem duorum pedum altitudine teſtatur.

CXXV. Ob eandem igitur cauſam forte Arabicus interpres neglecta vocis hyſſopi ſignificatione, quia judicabat idem Evangeliſtam hoc loco ſignificare eo nomine voluiſſe, quod Matthæus ſignificavit voce καλάμῳ, utramque dictionem unica Arabica expreſſit, quæ *arundinem cannamve* ſignificat, aut *baculum.*

CXXVI. Concludimus ergo hanc de Calamo & Hyſſopo diſquiſitionem verbis Caſauboni: *Omnino, ſi e tot generibus hyſſopi aliquod fuiſſe probari poſſet, paullo magis grandeſcens, & attollens ſe altius, ut ex eo virga aut*

 baculi

Digitized by Google

baculi potuerint fieri, quales videmus e feniculo, ſimilibusque plantis comparari, planior, facilior, & certior esſet explicatio. Imo vero quia in generibus hyſſopi aliquod fuit paulo grandius, caules erigens altiores, duros ac lignoſos, ex quibus calamos de facili efformare potuerunt ex præſenti neceſſitate milites cruci adſtantes, plana, facilis & certa nobis hæc videtur concordia.

CXXVII. Quem in finem autem calamus hyſſopi præ ceteris electus, cui circumligata ſpongia, in tanta opinionum diſcrepantia meum non eſt definire. Si adhuc thyrſo ſua fuiſſent folia, non negarem illud factum, ut odore cruciarium reficerent, donec, quem clamore advocare crediderant, Elias adventaret. *Hyſſopum cum ſit flagrantisſimi odoris,* inquit Salmaſius Ep. II. de Cruce; *quin ad hoc efficaciter valeat, minime eſt dubium.* Ac iterum Epiſt. III. *Si aliquid in hyſſopo porrecta quæſitum eſt ab eo qui porrexit, præter id, quo facilius os CHRISTI attingeret longitudine ejus adjutus, de ſolo odore cogitare posſumus. Odor hyſſopi naribus admotus recreare languentem potuit, acetum vero potu & olfactu.* Et poſtea eadem Epiſtola: *Aut hyſſopus ad hoc tantum adhibita fuit, ut vice baculi altitudinem conatui porrigentis adjiceret, aut ſolius odoris gratia, ut reficeret ſpiritum animo collabentis.*

CXXVIII. Non reſpuit hunc potum CHRISTVS, ut antea myrrhatum vinum, ſed deguſtavit primis, ut ita dicam, labris.

CXXIX. Fallitur igitur Chryſoſtomus, qui tam diverſa pocula in unum confundit: *homilia in Matthæum LXXXVIII.* ad illa verba: *Et dederunt ei acetum bibere:* Hoc *etiam ex contumelia,* inquit. *Ipſe autem nolebat bibere. Alius vero Evangeliſta dicit, quia cum guſtaſſet, dixit.*

xit. Conſummatum eſt. Quid eſt autem, Conſummatum eſt? Adimpleta jam eſt undique prophetia: Dederunt in eſcam meam fel, inquit, & in ſiti mea potaverunt me aceto. Nec tamen etiam ille eum bibiſſe oſtendit. Nihil enim intereſt inter guſtare ſimpliciter, & non bibere.

CAP. XVI.

De ſeptem verbis CHRISTI quæ in cruce pendens dixit.

I.

ACcedimus nunc ad ea, quæ CHRISTVS dixit in Cruce. Sunt ea ſeptuplicia. Prima oratio CHRISTI orantis pro inimicis: altera Paradiſum promittentis latroni: tertia matrem alloquentis, ac mox eam commendantis Johanni: quarta conquerentis, ſe a Deo deſertum: quinta de ſiti ſua teſtantis: ſexta de conſummatione omnium profitentis: ſeptima Deo commendantis ſpiritum ſuum.

II. Septem illa verba CHRISTI maxime ſemper in Eccleſia fuerunt æſtimata. Et tradunt quidem veteres eadem præfiguraſſe ſeptem lucernas ſuper candelabrum aureum poſitas Exodi XXV. v. 37. Zachar. IV. v. 2. ſeptem tubas quarum ſono deſtructa eſt Jericho. Joſuæ VI. v. 4. ſeptem columnas, quibus ſuffulta domus ſapientiæ. Proverb. IX. v. 1. ſeptem oculos in lapide Joſuæ Pontificis. Zachar. III. v. 1. Bernhardus de Paſſione Domini cap. VIII. appellat ea *ſeptem folia ſemper virentia, quæ vitis noſtra cum in crucem elevata fuit, emiſit.*

III. Quemadmodum ſummus Sacerdos V. Teſta-

menti ingreſſurus ſanctum ſanctorum coram Domino & ſacrificia oblaturus tintinnabulis in extrema tunicæ fimbria pendulis clariſſimum edebat ſonum; ſic CHRISTVS unicus Novi Teſtamenti ἀρχιερεὺς propitiatorium ſacrificium ſuum peragens, ſeque *victimam in odorem ſuavitatis Patri cœleſti offerens*, nequaquam pependit mutus in cruce, ſed *preces ac ſupplicationes ad eum, qui poſſit illum ſalvare a morte cum clamore valido & lacrumis obtulit*. Hebr. V. v. 7.

IV. Sicuti autem ſummi Pontificis erat officium προσφέρειν ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων, *offerre pro populi ignorantia*, Hebr. IX. v. 7. ita hoc quoq; facit CHRISTVS, orando pro inimicis. Sic enim apud Lucam precatur:
Luc. XXIII. v. 34. Πάτερ ἄφες αὐτοῖς, οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσι. *Pater remitte illis, quia neſciunt, quid faciant.*

V. Conſtitutus erat JESVS in abyſſo cruciatuum: nihilominus tamen Deum, cujus *manu ac conſilio* hæc omnia ſibi contingere noverat, *Patrem* appellat: exemplo ſuo nos docens, per denſam & atram calamitatum nubem ad Solem divinæ gratiæ & cor Dei paternum reſpicere.

VI. Verbum Græcum ἀφίημι, de condonatione debitorum ac peccatorum potiſſimum uſurpatur. Significat ergo CHRISTVS crucifigentes maximum omnino peccatum committere, ac Patri ſuo cœleſti graviſſime diſplicere hanc injuſtam & crudelem ſui tractationem, quin & paratum eſſe pro merito eos punire; a ſe vero tantum abeſſe, ut hanc vindictam expetat, ut potius & pro ſe ignoſcat, ac ut idem faciat Pater, tempus ad converſionem indulgeat, & pœnam vel auferat, vel mitiget, ſerio precetur.

VII.

Digitized by Google

VII. Juſtinus in *Quæſtion. & Reſponſ. ad Orthodoxos:* Illud *Pater remitte illis, quia neſciunt quid faciunt, hunc habet ſenſum, cum agnoverint, quod me per ignorantiam crucifixerunt, & peccati commiſſi gratiam & abſolutionem petierint, præſta hanc eis.*

VIII. Sic igitur impletum eſt, quod prædixerat Eſaias cap. LIII. v 12. *Pro prævaricatoribus rogavit.*

IX. Quosnam intelligat voce αὐτῶν, patet ex textus circumſtantiis: Poſtquam venerunt in locum Calvariæ, inquit Lucas, *Crucifixerunt eum,* ſcilicet milites, lictores. JESVS autem dicebat: *Pater dimitte illis.* Hinc per αὐτοὺς intelliguntur milites ipſum crucifigentes. Quia vero milites illi non crucifixiſſent JESVM, niſi a Pilato Præſide morti fuiſſet adjudicatus, ac porro Pilatus nunquam eum crucifigendum tradidiſſet, niſi Judæorum clamoribus ad id fuiſſet compulſus: ſic in genere orat pro gentilibus, quorum juſſu & manibus in crucem erat actus; ac pro Judæis, quorum impulſu & conſilio morti fuerat traditus.

X. Sed quomodo hoc eſt capiendum, quod CHRISTVS ex ignorantia illos peccare aſſerit?

XI. Notat Hugo Grotius, facere hic CHRISTVM, quod ſolent deprecatores, qui omiſſo, quod ſolet aggravare delictum, id afferunt, quod ad minuendam aliquomodo culpam pertinet.

XII. Erat quidem plerorumque, ac Judæorum inprimis ignorantia ſupina & craſſa, quadamtenus tamen excuſabilis, quia in eum peccabant, quem non pernoverant, nempe Dei Filium. Quod *ſi enim* id diſtincte *pernoviſſent,* nunquam *Dominum gloriæ crucifixiſſent.* I. Corinth. II. v. 8. *Crucifixerunt ergo,* inquit Theodoretus

Digitized by Google

Dialogo III. *naturam quam cognoverunt, non eam quam omnino ignorarunt. Si enim cognoviſſent, quam ignorarunt, non crucifixiſſent, quam noverunt. Sed quia divinam ignorabant, humanam cruci affixerant. At non audis ipſos dicentes* (Joh. X. v. 33.) *Propter nullum bonum opus lapidamus te, ſed propter blaſphemiam, & quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum: & his verbis ſignificantes, quod naturam incurrentem in oculos agnoverint; inviſibilem vero omnino ignorarint. Si vero hanc agnoviſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent.*

XIII. Bene igitur Quiſtorpius Senior in hunc locum: *Quamvis inſontem, quem crucifigebant, eſſe ſciebant, neſciebant tamen hoc ipſum ſubjectum Regem gloriæ eſſe. Actor. XIII. 27. & non ſatis perpendebant peccati hujus in Filium Dei commiſſi atrocitatem, nec pœnas illud inſecuturas: quare nec eos excuſat non a toto, ſed a tanto.*

XIV. Male Calvinus putat, *non oraſſe CHRISTVM promiſcue pro omnibus, ſed tantum pro miſera plebe, quam zelus inconſideratus, non autem deliberata impietas rapiebat.*

XV. Quanto rectius B. noſter Gerhardus diſtinguit hoc loco inter ignorantiam, quæ peccatum minuit, & eam quæ peccatum aggravat. Illam CHRISTVM ait intelligere, quando orat pro gentilibus, quibus doctrina de Meſſia erat ignota; & pro quibusdam ex rudi vulgo Judæorum, qui non noverant ſcripturas Joh. VIII. v. 49. Hanc vero affirmat CHRISTVM intelligere, quando orat pro ſacerdotibus & Principibus Judæorum, qui ex teſtimonio Scripturarum, ex genere doctrinæ, cumprimis vero ex operibus ſive miraculis ipſum agnoſcere & debuiſſent, & potuiſſent, niſi invidia & odio excœcati ad clariſſi-

riſſimam veritatis lucem oculos ſponte clauſiſſent. Hanc enim Sacerdotum ac Seniorum transgreſſionem fuiſſe ſpeciem aliquam ignorantiæ docet Petrus Actor. III. v. 17. *Nunc fratres, ſcio, quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri:* ad quem locum vide quæ de hac ignorantia attulit Johannes Tobias Major, Theologus quondam hujus Academiæ celeberrimus.

XVI. Certe inter perſonas diſtinguendum eſt, quorum alii magis, alii minus ex ignorantia in CHRISTUM peccavere: Tam craſſa & affectata profecto erat Procerum Judaicorum ignorantia, ut vix id nominis mereretur: cum contra minor eſſet militum vaticiniis de adventu Meſſiæ non imbutorum.

XVII. Ac porro quoque inter cognitionem diſtinctam & accuratam, ſcientiæ matrem, & inter notitiam confuſam, opinionis genitricem, diſtinguendum. Opinabantur quidem Primores Judæorum, JESUM eſſe promiſſum illum Meſſiam; ſed cum non invenirent externum illum, quem mente conceperant ſplendorem, nullumque Reipublicæ ſuæ ab eo afferri adjumentum viderent, opinio illa nullis fixa radicibus ſubito evanuit.

XVIII. Oſtendit autem JESUS hac ratione perfectiſſimum patientiæ & caritatis exemplum. Hinc Irenæus *lib. III. cap. XX.* Ex hoc *quod Dominus in cruce dixit, Pater dimitte eis, longanimitas & patientia, & miſericordia & bonitas CHRISTI oſtenditur, ut ipſe & pateretur & ipſe excuſaret eos, qui ſe male tractaſſent. Verbum enim Dei, quod nobis dixit* (Matth. V. v. 44.) *Diligite inimicos veſtros & orate pro eis, qui vos oderunt, ipſe hoc fecit in cruce, in tantum diligens genus humanum, ut etiam pro his, qui ſe interficerent, poſtularet.*

XIX.

Digitized by Google

XIX. Sed & nobis quoque hoc exemplo præluxit, ut pro inimicis oremus, ſecundum illud Luc. VI. v. 28. *Orate pro perſequentibus vos.* Gregorius Magnus in *Moralibus* inquit: *Mens piorum ſolet hoc habere proprium, quod cum injuſta patitur, non ad iram, ſed ad preces movetur, ſicut JESVS, qui tunc primum verbum protulit in cruce, dicens: Pater dimitte illis.*

XX. Exemplum Domini imitatus eſt Protomartyr Stephanus, qui cum lapidibus impeteretur, in genua provolutus dixit, *Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Actor. VII. v. 66. Jacobus etiam frater Domini præceps datus de pinna templi, cruribus fractis adhuc ſemivivus, manibus in cœlum protenſis, ajebat: *Domine, ignoſce illis. Quod enim faciunt, neſciunt.* Vide Hieronymum libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

XXI. CHRISTI autem preces fuiſſe exauditas, tum centurio, tum tria millia Judæorum Actor. II. v. 41. ac iterum quinque millia e promiſcuo populo ad CHRISTUM converſa Actor. IV. v. 4. demonſtrant. Quod cogitans Hieronymus ad Hedibiam ſcribit. *Impetravit CHRISTVS, quod petierat, multaque ſtatim de Judæis millia crediderunt, & usque ad XLII. annum datum eſt tempus pœnitentiæ.*

XXII. Altera CHRISTI oratio fuit ad latronem a dextris pendentem: a quo rogatus erat, ut ſui vellet meminiſſe, ubi in regnum perveniſſet. Huic CHRISTVS reſpondit: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Vbi quatuor in conſiderationem veniunt. Primum quid ſit *Amen.* Deinde quomodo cum verbo *hodie* conjungatur. Exinde, quod dicat *ſecum fore.* Denique quid per *Paradiſum* intelligatur.

Luc. XXIII. v. 43.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII. Ἀμὴν אָמֵן quod eſt a radice אָמַן *fidus* ac *fidelis fuit*, plurimum adverbii ſignificationem habet, ut ſit idem ac *ἀληθῶς, πεπιστευμένως, vere, certo.* Et ſic fere accipi ſolet in Novo Teſtamento. Hinc quod Matthæus XVI. v. 28. Marcus IX. 1. per ἀμὴν efferunt, id Lucas IX. 27. per ἀληθῶς reddit. Et ſic hoc loco ſumitur.

XXIV. Sunt qui jurandi particulam dicant. Sed parum eſt veriſimile, hoc ſi eſſet, toties ea fuiſſe uſurum CHRISTUM, qui crebris juramentis interdixit nobis. Mollius igitur Auguſtinus ait, eſſe quaſi juramentum. Nempe ea utitur Scriptura, ut vehementius affirmet. Ac interdum eſt ſimplex, interdum geminatum. Et geminatum quidē vicem ſuperlativi ſupplet ſecundum morem Hebræorum, ut ſit idem quod *vere, vere* (ut loquitur Hieronymus Eſai XXV. 1.) id eſt, *veriſſime.* Neque tamen hic myſterium quærendum, cum Johannes ſæpe geminet, ubi ſimplex eſt apud Evangeliſtarum alios.

XXV. Aliquando verbi optantis vim habet, & a LXX. exponitur *γένοιτο, fiat, ratum eſto, & fixum.* Ac ſic ſumitur I. Corinth. XIV. v. 16. ubi negat, idiotam, non intelligentem, quid dicatur, poſſe dicere *Amen:* qua voce in veteri Eccleſia populus obſignabat precationem ſacerdotis.

XXVI. Præterea *Amen* vim habet nominis: ut Apocalypſ. cap. III. 14. Τάδε λέγει ὁ Ἀμὴν, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, καὶ ἀληθινός. *Hæc dicit ille Amen, teſtis fidelis & verax.* Vbi ἀμὴν eſſe nomen, ex articulo addito recte collegere Ticonius, & Primaſius.

XXVII. *Hodie* nonnulli cum verbo *dico* cohærere volunt, hoc modo: *Amen dico tibi hodie.* Et ſic, Theophylacto teſte, viſum Græcis quibusdam; nempe ne co-

gerentur fateri, quemquam in paradiſum recipi ante univerſalem reſurrectionem.

XXVIII. Sed iſtiusmodi diſtinctionem, ut hæreticam, deteſtatur Moyſes Abbas apud Caſſianum *Collat. I. cap. XIV.* Et ſane cauſæ nihil eſt, cur dicat CHRISTVS, ſe eo die loqui. Sententia igitur CHRISTI eſt, non ſe diu velle differre id, quod popoſcerat latro, nempe ut ſui meminiſſe vellet, cum in regnum ſuum veniret: ſed eopſe die poſtulatum ejus impleturum.

XXIX. Duplici quoque ratione antiqvus interpres Syrus receptam diſtinctionem tuetur, tum aperta diſtinctionis nota, tum addito præfixo ד, quod inſertum legimus inter [illegible] *dico tibi*, & *hodie*, & neceſſario inchoat ſenſum. Ita vero habet אמין אומרנא לך : דיומנא עמי תהוא : *Amin omarno loch: dejaumono am tebve. Amen dico tibi, quia hodie mecum eris*, vel: quod hodie ſis futurus mecum.

XXX. Quamobrem vel ex hac pollicitatione Domini apparet, quam falſa ac erronea eorum ſit doctrina, qui animas ſanctorum non ſtatim ab exceſſu a corpore ad beatificam Dei viſionem pervenire tradiderunt.

XXXI. Magnam etiam vim habet, quod CHRISTVS ait: *Mecum eris:* juxta illud apud Johannem cap. XVII, v. 24. *Volo, ut ubi ego ſum, illic ſint, quos dediſti mihi.* Significat igitur, qui nunc particeps eſſet ſupplicii, fore deinceps participem gloriæ.

XXXII. Eleganter Bernhardus tractatu in illud: *Ego ſum vitis:* Mira *benignitas: Non dixit ſimpliciter, Eris in paradiſo, vel, cum angelis eris, ſed mecum eris. Satiaberis eo, quem deſideras: Videbis in majeſtate, quem* *con-*

Digitized by Google

confiteris poſitam in infirmitate. Nec differo, quod promitto, quia hodie mecum eris.

XXXIII. Hebræis פַּרְדֵּס *Pardes* a פרה *fructificare, &* רשא *herba,* vox eſt generalis, quæ *ſylvam, nemus,* itemque *hortum* ſignificat. Prior ſignificatio eſt apud Nehemiam cap. II. v. 8. ubi Aſaph quidam dicitur *cuſtos Pardes,* ſive *ſylvæ præfectus.* Vulgatus exponit *cuſtodem ſaltus.* Eſt autem *Saltus* veteribus *ſylva non facile pervia, in quo paſci & æſtivare pecudes ſolent, & ſi locus aerque patiatur, hyemare :* uti habet Perottus ad Martialem.

XXXIV. Poſterior eſt Eccleſiaſtici II. v. 5. ubi notat hortum amœniſſimum arboribus frugiferis conſitum. Quidam diſcrimen inter גַּן & פַּרְדֵּס inſtituunt. Illud, ajunt, deſignare hortum, qui varias arborum ſpecies continet, hoc vero noſtrum unicam tantum habere ſpeciem. Sic Aben Eſra ad hunc locum. Nullam tamen differentiam agnoſcit Rabbi Mardochai Nathan in *Concordia,* qui גַּן per פַּרְדֵּס & vice verſa exponit.

XXXV. Ab Hebræis videntur accepiſſe Perſæ. Nempe de illis ſcribit Xenophon *in Oeconomico:* Ἐπεὶ δὲ πρὸς τούτοις, ἔφη ὁ Σωκράτης, ἐν ὁπόσαισι χώραις ἐνοικεῖ, καὶ εἰς ὁπόσας ἐπιστρέφεται (ὁ Βασιλεὺς) ἐπιμελεῖται τούτων, ὅπως κῆποί τε ἔσονται, οἱ παράδεισοι καλούμενοι, πάντων καλῶν τε καὶ ἀγαθῶν μεστοί, ὁπόσα ἡ γῆ φύειν ἐθέλει. Pollux *Onomaſtici lib. I. cap. III.* Οἱ δὲ παράδεισοι, βαρβαρικὸν εἶναι δοκοῦν τοὔνομα, ἥκει καὶ κατὰ συνήθειαν εἰς χρῆσιν Ἑλληνικήν, ὡς καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν Περσικῶν.

XXXVI. A Perſis accepiſſe videntur Græci. Non enim audiendi ſunt Suidas, Auctor Etymologici Magni, & ſi qui ſunt alii, qui crediderunt origine Græcum eſſe. A.

Digitized by Google

Gellius quoque eam vocem Græcis videtur adſcribere *lib.II.cap.XX.Vivaria*, inquit, *quæ nunc vulgus dicit, ſunt quos παραδείσους Græci appellant*. Sed hæc tamen de illis tantum Græcis, qui ipſius ætate fuerunt, intelligi poſſunt.

XXXVII. Non raro quidem vocem παράδεισος apud Græcos ſcriptores reperias: vix tamen alibi, quam ubi de Perſicis hortis ac vivariis ſcribunt. Sic Diodorus Siculus *hortum penſilem*, quem prope arcem Babylonicam a quodam Syro Rege exſtructum lib. II. narrat παράδεισον vocat. Et *lib. XVI.* Sidonios, cum una cum ceteris Phœnicibus Perſarum Regi Artaxerxi bellum inferre meditarentur, vaſtaſſe memorat βασιλικὸν παράδεισον, ἐν ᾧ τὰς καταλύσεις οἱ περσῶν βασιλεῖς εἰώθεισαν ποιεῖσθαι: *Paradiſum regium, in quo Perſarum Reges diverſari conſueverint:* quam in rem plura docte contulerunt Barnabas Briſſonius *de Regio Perſarum principatu lib. I.* Johannes Vorſtius Diſſertat. ſingulari *de Paradiſo* §. *II. & ſeqq.*

XXXVIII. Nec eſt, quod quis objiciat, vocem illam habere Græcam πτῶσιν ac formam. Nam Græci, imo & Latini, ſic non raro faciunt, ut ſi peregrinæ linguæ vocem referant, ex ſua lingua ei πτῶσιν adjiciant.

XXXIX. Ceterum de hortis illis τοῖς καλουμένοις παραδείσοις Xenophon in ſuperioribus verbis prodidit, *eos fuiſſe repletos omnibus bonis, quæ terra producere ſoleat.* In eandem ſententiam mox in eodem *Oeconomico* addit, Reges Perſarum operam dediſſe, ut *optimis quibusque arboribus aliisque bonis omnibus, quæ terra ferat, inſtructa forent:* ὡς κάλλιστοι κατεσκευασμένοι δένδρεσι καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καλοῖς, ὅσα ἡ γῆ φέρει.

XL. Sed non tantum plantas & arbores habuerunt iſti Perſarum paradiſi, verum varia etiam animalia. In quar-

quarto ἑλληνικῶν idem Xenophon ſcribit, fuiſſe μεστὸς δένδρων καὶ θηρίων, *plenos arborum ac ferarum.* Et lib. I. παιδείας Cyri, Aſtyagem ad Cyrum ſic loquentem facit: Τά τι νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία δίδωμί σοι: *quæ nunc ſunt in paradiſo feras do tibi.* Sic Philoſtratus in *vita Apollonii Tyanæi* ſcribit, *barbaros in Paradiſis leones, urſos & pantheras includere ſolere.*

XLI. At enim poſt Xenophontis ætatem ſenſim vox iſta in Græcam linguam ſe inſinuaſſe videtur, ſic ut Græca civitate donaretur ea, & quosvis amœnos hortos, non Perſicos modo ſignificaret. Et tum quidem præcipue, cum jam Macedones Orientem, atque adeo ipſos quoque, qui Regum Perſarum fuerant, paradiſos tenerent. Græci interpretes Vet. Teſtamenti, qui tempore Ptolemæi Philadelphi vixerunt, plurimum utuntur voce παράδεισος, eaque ſubinde exprimunt Hebræam vocem גן quæ hortum ſignificat.

XLII. Hortum autem iſtum, in quo Protoplaſti initio agebant, quique in Hebræo גן vocatur, ipſi perpetuo παράδεισον vocant. Joſephus item *lib. I. Antiquitatum cap. II.* hortum Eden modo κῆπον, modo παράδεισον vocat. Et tantum hoc interfuiſſe videtur inter voces κῆπος & παράδεισος, ut illa quemvis hortum, non adeo amœnum quoque; hæc vero amœniſſimum quemque ſignificaret. Ex quo luculenta apparet ratio, qui *Paradiſi* vocabulum inprimis horto illi a Deo in Eden plantato, utpote omnium amœniſſimo adhæſerit. Non enim ita Græcis modo, ſed & Latinis fuit appellatus. Sulpitius Severus *lib. I. Hiſtor. Sacræ* ſcribit Adamum & Evam *conſtitutos fuiſſe in Paradiſo.* Quibus verbis voce *Paradiſus* hortus qui in Eden fuit, utrique deſignatur.

Digitized by Google

XLIII. Neque tamen Paradiſi nomine a CHRISTO heic loci intelligitur hortus ille a Deo in Eden plantatus: quippe quem diluvio illo univerſali abolitum fuiſſe pereſt veroſimile. Quandoquidem enim diluvium illud univerſam terram ita inundavit, ut nihil manſerit incolume; Paradiſus quoque priſtinam amœnitatis ſuæ faciem conſervare non potuit.

XLIV. Veterum quidem nonnulli, & inter eos jam jam laudatus Sulpitius crediderunt, Paradiſo extra hunc orbem certum quendam locum fuiſſe: ac ipſe Auguſtinus *lib. VIII. in Geneſin. cap. VII.* Paradiſi ſitum exiſtimavit a cognitione hominum eſſe remotiſſimum. Verum quia princeps Hiſtoricorum Moyſes ejus ſitum præcipue per fluvios etiam a diluvio ſuperſtites graphice deſcribit, facile apparet, ipſum certum quendam locum in hoc orbe, & hominibus præſertim illis, qui ipſius ætate vixerunt ſatis notum voluiſſe demonſtrare.

XLV. Plane itaque non audiendi ſunt ſcriptores illi ex Pontificiis, quos inter familiam ducunt Alphonſus Toſtatus *Commentar. in Geneſin* & Bellarminus *lib. de Gratia primi hominis*, Paradiſum Protoplaſtorum ſedem tam a diluvio intactum, quam adhuc ſuperſtitem eſſe aſſerentes: etſi ex quatuor rivis Euphratis a Moſe deſcriptis ac hodie reliquis loci ſaltem monſtrare veſtigia non ſit alienum: id quod fecere Junius, Becmannus, aliique.

XLVI. Paradiſi igitur vocabulo latronis noſtri æque ac totius mundi Servator, locum iſtum deſignat, in quem piorum animæ cum corporibus excedunt, transferuntur. Geminam ſignificationem legas II. ad Corinth. cap. XII. v. 4. & Apocol. II. v. 7. Quo pertinet illud Hieronymi

ronymi ad Dardan. *Paradiſus eſt terra viventium, divitiarum & bonorum Dei, quam primus Adam perdidit, & ſecundus invenit.*

XLVII. Nunc autem non immerito quæras, quo factum pacto, quod vox παράδεισος, quæ Græcis *hortum* jam ſignificat, ad denotandam beatarum animarum ſedem ſit uſurpata?

XLVIII. Primo quidem locutio eſt metaphorica, cum locus beatorum nominatur *hortus*. Deinde nomen commune καθ' ἀντονομασίαν ponitur pro nomine proprio; *hortus* pro *hoc horto*. At hujus denique appellationis occaſio ex eo eſſe videtur, quod veteres Hebræi beatorum locum פַּרְדֵּס *hortum* appellarunt.

XLIX. Quæ vero iſtius appellationis, quam ipſi Hebræi uſurparunt, occaſio fuit? Hæc nimirum, quod locum *divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum*, ut loquitur Tertullianus, ſoliti fuerunt comparare cum horto iſto, qui in Eden fuit, & in quem primi homines a Creatore immiſſi fuerunt. Frequens ſane eſt in ipſis quoque ſacris literis conditionem beatorum, qua poſt hanc vitam perfruuntur, deſcribi per amœna hujus vitæ. Cum igitur de horto quodam amœniſſimo, qui in omnium rerum primordio fuiſſet, Hebræis ex ſacris literis conſtaret, libuit illis locum beatorum פַּרְדֵּס *hortum* appellare.

L. Porro non tantum פרדס appellarunt Judæi locum beatorum, ſed & גן עדן *Hortum Eden*; illo ipſo ſcilicet nomine, quo Moyſes deſignavit hortum iſtum, quem in rerum primordio Deus plantavit. Diſtinguere enim ſolent Rabbini inter hortum Eden hujus, & futuri ſeculi.

LI.

LI. De Muhammede notum eſt, quod in peſtilentiſſimum ſuum librum, quem Coranum vocavit, plurima ex ſcriptis Talmudicis tranſtulerit: quod ipſum etiam peculiari quodam capite demonſtravit B. Theodoricus Hackſpanius in tractatu *de vario ſcriptorum Judaicorum uſu.* Sic igitur & hoc ex Talmude ſcriptisque Rabbinorum haurire potuit impoſtor, quod locum beatorum & ipſe *hortum* indigitet. Videantur quæ hanc in rem congeſſit Cl. Schickardus in brevi quadam de *Paradiſo Saraceno-Judaica* diſſertatione.

LII. Non abſurde autem ſtatuitur, CHRISTVM appellatione Paradiſi ideo fuiſſe uſum, ut oſtenderet ſe per crucem & mortem ſuam humano generi reparare illa bona, quæ per peccatum in Paradiſo a primis Parentibus ſunt amiſſa. Vt enim illi propter peccatum ex Paradiſo expulſi ſunt, collocatis ante eum Cherubim, verſatili ac flammeo gladio ab acceſſu illius hominem arcentibus; ſic cum CHRISTVS pro peccatis humani generis in cruce ſatisfaceret, latroni Paradiſum aperit, atque in eum ſecum introducit, ut æternum in eo maneat.

LIII. Obſignamus denique has de ſecundo CHRISTI in cruce verbo meditationes ſequenti dicto Origenis *Homil. XV. in Geneſin.* Quod *dixit ad latronem, hodie mecum eris in paradiſo, hoc non illi ſolum dictum, ſed omnibus ſanctis intellige, pro quibus in inferna deſcenderat.*

LIV. Poſteaquam CHRISTVS pro crucifigentibus oravit, & latroni pœnitenti cœleſtem Paradiſum promiſit, convertit ſe ad matrem, eidemque de curatore proſpicit, ut reapſe oſtendat, quod *cum dilexiſſet ſuos, qui in mundo erant, in finem eos diligat.* Joh. XIII. v. 1.

LV. Hæc igitur fuerit oratio CHRISTI tertia, cujus

jus prius occaſionem refert S. Johannes: nempe *quod juxta crucem ſtarent mater JESU, ejusque ſoror Maria Cleophæ, & Maria Magdalena.* Joh. XIX. v. 25.

LVI. Tres duntaxat hic religioſæ memorantur fœminæ quæ ſub cruce ſteterint; ſed Matthæus cap. XXVI. v. 56. & Marcus cap. XV. v. 40. illis etiam alias annumerant. Lucas cap. XXIII. v. 49. in genere dicit, *quod omnes noti ejus & mulieres a Galilæa ipſum ſecutæ* præſto ibidem fuerint.

LVII. Trium tamen peculiarem mentionem Johannes fecit, vel quod præ reliquis eſſent præcipuæ, vel quod cruci propius adſtiterint. Quod enim ſtetiſſe dicuntur παρὰ τῷ σταυρῷ, nequaquam pugnat cum eo, quod reliqui Evangeliſtæ dicunt, eas ſtetiſſe ἀπὸ μακρόθεν.

LVIII. Auguſtinus *Lib. III. de Conſenſu Evangeliſtar. cap. XXI.* duplicem conciliationem affert: *vel, quod tanto a cruce abfuerint intervallo, ut &* juxta *dici poſſent, quia in conſpectu ejus præſto aderant, &* a longe, *propter turbam propinquius circumſtantem cum Centurione & militibus; vel, quod prius quidem propius cum matre aſtiterint, poſtea vero e denſitate turbæ ſe ſubtraxerint, & e longinquo ſteterint.*

LIX. Quod ad *Mariam Cleophæ vel Clopæ* attinet, dubium eſt, an uxor hujus fuerit, an filia. Ex recentioribus priorem ſententiam B. Gerhardus, poſteriorem Voſſius amplexi ſunt. Et hic quidem porro diſtinguit inter *Cleopham* diſcipulorum alterum Emauntem euntium, & patrem Mariæ a Johanne hoc loco laudatum, quippe qui Κλῶπας vocetur, cum alter Κλεόπας dicatur.

LX. Rectius tamen, me judice, ſentiunt, quibus

Digitized by Google

noſter κλωπας & Lucæ κλεόπας unus eſt ac idem; ut adeo *Cleopa* nomen contractius extulerit S. Johannes.

LXI. Sicuti autem ſingularis amor CHRISTI has fœminas attraxit, ita Spiritus S. robur eas confirmavit, ut tam miſerabilis ſupplicii in tam dilecta perſona potuerint eſſe ſpectatrices.

LXII. Quantopere enim inprimis B. Virgo doluerit hoc ſpectaculo, haut facile aliquis cogitatione aſſequi, nedum oratione juſta valeat exprimere. Atque eam doloris magnitudinem prædixerat S. Simeon Luc. II. v. 35. *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.*

LXIII. Particeps igitur & mirum quidem in modum fuit tribulationis Filii; nequaquam tamen conſors acquirendi meriti, & ſocia in opere redemtionis: quæ eſt horribilis quorundam Pontificiorum blaſphemia in ſanctiſſimum CHRISTI meritum ac redemtionis noſtræ pretium; ad quod partem aliquam Mariam contuliſſe neutiquam ſtatui debet.

Joh. XIX. v. 26. LXIV. Ceterum CHRISTUS, conſpecta matre ac Johanne, prius matri dicit: *Mulier, ecce filius tuus:* puta Johannes, qui poſthac filii loco erit, perinde ac matrem te honorabit & curatoris officium affectu filiali fideliter implebit.

LXV. Aliqui JESUM propterea dulciſſima *matris* appellatione abſtinuiſſe volunt, ne eo ipſo dolorem augeret. Lyra ad h. l. *Nota quod loquens matri ſuæ de cruce, non dixit ei Mater, ſed Mulier vocans eam communi nomine: ne ex teneritudine nominis materni ſi exprimeretur, aggravaretur animus virginis videntis paſſionem Filii.* Xavierius in Hiſt. CHRISTI Perſica: *Non dixit Mater ne cor ejus ſanguis fieret.* Et Baptiſta Mantuanus de eo ſic cecinit:

Talibus admonuit matrem ſine nomine matris,
Ne materna pium cruciaret viſcera nomen.

LXVI. Sed quia CHRISTVS eadem appellatione uſus fuit in nuptiis Cananæis, ubi nulla talis ſuberat ratio; dicendum potius, id vel ideo factum, quod non terrenum, ſed Patris ſui negocium in terris ageret.

LXVII. Nec improbanda eſt illorum ſententia, qui volunt hac appellatione ei revocaſſe in memoriam promiſſionem primam de ſemine mulieris caput ſerpentis contrituro, ejusque morſus in calcibus ſenſuro.

LXVIII. Mox converſus ad Johannem ait: *Ecce hæc eſt mater tua.* Hæc erit in poſterum tibi loco matris; quam colas, verearis & adjuves, ejusque, ut matris, diligentem curam habeas. *Joh. XIX. v. 27.*

LXIX. Cur autem ad hoc pium officium præ ceteris Johannem delegerit, potiſſimum in cauſa eſſe videtur ſingularis & ſpecialis dilectio, qua CHRISTVS Johannem proſecutus: id quod ipſe inſinuat Evangeliſta, quando & hic ſe ſub diſcipuli perſona deſcribit, quem JESVS dilexerit: ut adeo neceſſum non ſit, cum Euthymio, Theophylacto aliisque veterum, quos magno numero ſeqvuntur Pontificii, ad *Virginitatem* Johannis confugere.

LXX. Valde hunc ſermonem CHRISTI ejusque conſignationem exaggerat Ambroſius lib. III. Epiſt. XXV. *Maria mater Domini,* inquit *ante crucem filii ſtabat. Nullus me hoc docuit, niſi S. Johannes Evangeliſta. Mundum alii concuſſum in paſſione Domini conſcripſerunt, cœlum tenebris obductum, refugiſſe Solem, in paradiſum latronem, ſed poſt piam confeſſionem, receptum. Johannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce poſitus matrem appellaverit, pluris putans, quod victor*

 ſup-

ſuppliciorum pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum cœleſte donabat. Nam ſi religioſum eſt, quod latroni donatur venia, multo uberius pietatis eſt, quod a filio mater tanto affectu honoratur. Ecce, inquit, filius tuus: Ecce mater tua. Teſtabatur de cruce CHRISTVS, & inter matrem atque diſcipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus teſtamentum, ſignabat Johannes, dignus tanto teſtatore teſtis. Bonum teſtamentum, non pecuniæ, ſed vitæ æternæ.

LXXI. Vltima hæc Ambroſii in verbis CHRISTI teſtamentum quoddam agnoſcunt. Recte tamen Hieronymus diſtinguit inter hoc *domeſticum Teſtamentum*, & quod in S. Euchariſtia condiderat *publicum*.

LXXII. Nec inelegans Paulini Epiſcopi Nolani ſuper hæc verba meditatio eſt, quam reperimus Epiſt. XLIII. Auguſtino inſcripta. Nam etſi in ea quoque & Mariæ & Johannis virginitatem commendat, habet tamen & alia cognitu & lectu non indigna: ut integrum proinde locum adſcribere non pigremur. *Quamvis eandem aſtantem cruci ſuæ Dominus non morientis infirmitate trepidans conſolatus ſit, ſed ipſam, qua obibat volens, in poteſtate habens mortem, plena virtute viventis & conſtantia reſurrecturi de cruce admonet; dicens de beato Apoſtolo Johanne:* Mulier ecce filius tuus. *Itemque illi ibidem conſiſtenti:* Ecce mater tua. *Jam ſcilicet ab humana fragilitate, qua erat natus ex femina, per crucis mortem demigrans in æternitatem Dei, ut eſſet in gloria Dei Patris, delegat homini jura pietatis humanæ; & ex diſcipulis adoleſcentiorem eligit, ut convenienter aſſignet virgini Apoſtolo virginem matrem: duo pariter in eadem ſententia docens, formam pietatis relinquens nobis, cum & de matre ſollicitus,*

tus, ut quam relinquebat corpore, non relinqueret cura: ſed nec corpore relicturus, quia quem videbat morientem, mox erat viſura redivivum. Et illud, quod ad fidem omnium pertineret, ſalutiferum pietatis ſuæ ſacramentum, arcana divini ratione conſilii ſub hac voce deſignans, ut & alii matrem delegaret pro matre habendam, & vice ſua conſolandum; atque illi viciſſim novum filium vice corporis ſui traderet, imo (ut ita dixerim) gigneret: quo oſtenderet, eam præter ſe, qui ex ea virgine natus eſſet, nec habuiſſe filium, nec habere: quia nec Salvator tantopere curam deſolationis habuiſſet ejus, ſi illi unicus non fuiſſet.

LXXIII. Ab illo tempore Johannes mandato Domini obſequium præſtans, Mariam recepit εἰς τὰ ἴδια, hoc eſt, *in domum ſuam:* de qua Nicephorus commemorat, quod fuerit ſita *ad radices montis Sionis.* Ac idem ille ſcribit, ſanctam virginem Deiparam per annos undecim in domo Johannis Hieroſolymitana ad mortem usque vixiſſe. Sed veroſimilius eſt, quod alii habent, eam una cum Johanne Epheſum profectam, ibidemque vitæ curriculum conſummaſſe.

LXXIV. Exinde videtur longo tempore fuiſſe ſilentium, idque non CHRISTI modo, ſed etiam prætereuntium & adſtantium. Cujus cauſam his fuiſſe putamus tenebras, quæ horrorem incuterent: de quibus proximo capite agendum. CHRISTVS vero procul omni dubio oravit pro nobis.

LXXV. *Hora* autem *nona,* ut Marcus loquitur, vel *circa horam nonam,* ut Matthæus habet, hoc eſt, vel paulo ante, vel poſt horam nonam, cum jam per trihorium in tenebris pependiſſet, JESVS, diſpulſis tenebris cum cruciatus augerentur, voce magna exclamavit Ἠλὶ, Ἠλὶ λαμὰ, *Matth. XXVII. 47.*

 ELI,

Digitized by Google

Marci XV. v. 34. ELI ELI LAMA, ſive, ut eadem mente eſt apud Marcum, Ἐλωῒ, Ἐλωῒ λαμμᾶ σαβαχθανί: ELOI, ELOI, LAMMA SABACHTANI: hoc eſt, ut ipſi interpretantur Evangeliſtæ: *Deus mi, Deus mi, cur me deſeruiſti?*

LXXVI. Verba hæc ſunt initialia Pſalmi XXII. quem male Judæorum alii de Eccleſia Judaica, alii de Regina Eſther, ac item alii de ipſo Davide explicant. Nec minus falluntur Johannes Calvinus & Hugo Grotius, qui argumentum Pſalmi ex typo Davidis & CHRISTI hiſtoria compoſitum arbitrantur.

LXXVII. Enimvero, quod ex ipſis Reformatis bene monuit Franciſcus Junius, *in eo Pſalmo quam plurima ſunt, quæ Davidi commode non poſſunt tribui; multa vero præterea non figurate aut typice, ſed ita proprie de CHRISTO prædicata ſunt, ut non niſi violentia quadam Davidi aptari poſſint.* Nec inelegans ejuſdem Junii in *Parallelis* obſervatio eſt, *quod priſca Judæorum Eccleſia ante univerſum miniſterium ſacrum in domo Dei ſolita ſit hunc Pſalmum decantare, ut veritatem totius cultus legitimi in CHRISTO exhibendam eſſe, & ſe ad CHRISTUM tanquam legalium umbrarum corpus reſpicere, ſingulis diebus Eccleſia profiteretur.*

LXXVIII. Quandoquidem igitur in hoc Pſalmo nihil occurrit, quod non in CHRISTUM populi peccata morboſque portantem conveniat, ejuſque etiam exordium in cruce pendens alta & ſonora voce pronuntiaverit; cauſæ nihil videmus, quamobrem Judæi recentiores dicam ſcribant Chriſtianis unice ad Meſſiam hunc Pſalmum referentibus.

LXXIX. Sunt qui putant, CHRISTUM quidem initium hujus Pſalmi clare pronunciaſſe, ſed eundem integram

Digitized by Google

grum una cum ſequentibus novem in ſilentio recitaſſe, ac denique poſtquam Pſalmi XXXI. verſum ſextum *In manus tuas commendo ſpiritum* clariſſime iterum extuliſſet, animam efflaviſſe.

LXXX. At majus piæ huic conjecturæ ineſſet robur, niſi ex hiſtoria Evangelica conſtaret geminatam hanc orationem aliis ſermonibus CHRISTI fuiſſe diſtinctam.

LXXXI. Quo idiomate Dominus verba Pſalmi protulerit, quæri ſolet ab eruditis. Eraſmus Annotat. ad Marcum *probabile eſſe* ait, *CHRISTVM verba Pſalmi pronuntiaſſe, ut ab ipſo Pſalmographo deſcripta ſunt.* Similiter Beza ad Matth. XXVII. cenſet, *Evangeliſtam Ebræa verba recitaſſe.* Et ſane quod ad priora Matthæi attinet, conveniunt cum Hebræo textu אלי אלי למה:

LXXXII. Quominus tamen hanc ſententiam probemus, facit τὸ σαβαχθανὶ, verbum ſane non Ebræum, ſed Chaldæo-Syriacum. Quod cum a Servatore uſurpatum eſſe uterque Evangeliſta teſtetur, formalia Pſalmi verba Ebræo idiomate ſcripti minime illum adhibuiſſe, eo ipſo clariſſime patet. Protulit igitur CHRISTVS verba Pſalmi ſermone Hieroſolymitano, Syriaco nempe, qui tum in vulgari uſu fuit.

LXXXIII. Quanta in his verbis emphaſis fuerit & vehementia, eluceſcit ex repetita voce אלי *Eli*, ad quam auctor libri Michlal Jophi ſic commentatur: *Geminatio facta eſt admodum clamantium & vociferantium: v.c. Exaudi Domine, exaudi,* (I. Reg. XVIII, 73.) *Abraham, Abraham* (Gen. XXII, 11.) *Moſe, Moſe,* (Exod. III, 4.) Et Aben Eſra recte: *Bis hac voce utitur, quia in anguſtiis erat.*

LXXXIV.

Digitized by Google

LXXXIV. Septuaginta Interpretes reddiderunt, ὁ θεός μου, ὁ θεός μου, πρόσχες μοι, ἵνα τί ἐγκατέλιπές με. Quos κατὰ πόδα Latinus, ut fere ſolet, ſecutus verbis: *Deus meus, Deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti?* Verba, illa πρόσχες μοι Genebrardus interpoſita arbitratur, ad perficiendum τέλος. Sed Cl. noſter Friſchmuthius ſingulari ac perdocta de *hoc flebili Meſſiæ in cruce pendentis gemitu* Diſſertatione *cap. II. §. 2.* veriſimiliorem conjecturam eſſe cenſet, eos non punctato codice uſos, ה אלי diverſimode legiſſe: prius nempe אֵלִי *Deus meus;* alterum אֵלַי *ad me.*

LXXXV. Dictum hoc CHRISTI de derelictione ſua conquerentis aliqui ſic interpretantur, quaſi ſint vel cum deſperatione luctantis, vel vere deſperantis. Qui priorem ſententiam ſeqvuntur, ajunt, a deſperatione tantum non abſorptum: eoque dixiſſe non meditata, ſed vi doloris extorta: at mox correcta: quomodo oculis caligine obductis non pariter omnia videmus. Qui poſteriorem amplectuntur, ſcribere non dubitant, revera CHRISTVM deſperaſſe, atque ideo fieri oportuiſſe, quia in ſe recepiſſet deſperationem noſtram.

LXXXVI. Verum uti prior ſententia magnas habet difficultates, & CHRISTVM θεάνθρωπον præ dolorum magnitudine incogitantiæ arguit; ita poſterior horribilis plane eſt & blaſphemia: ut mirum ſit Joh. Ferum Eccleſiaſten Moguntinum & Joh. Calvinum eandem amplexos. Et ſeculo quidem XIV. eadem in Bertholdo quodam de Rorbach fuit damnata: quo de ſic ſcribit Nauclerus Generat XLVI. ad ann. 1356. *Per hæc tempora judicabatur Spiræ Bertholdus de Rorbach. Hic antea in Herbipoli quosdam articulos reclamaverat, videlicet quod*

CHRI-

Digitized by Google

CHRISTVS in paſſione ſua ſic fuerit a Patre deſertus, quod pro nimio dolore dubitaverit ſalvarine anima ſua deberet. Et Caſpar Hedio in Paralipom. Abbatis Vrſpergenſis: *Bertholdus de Rorbach Beguardorum erroribus adjecit, CHRISTVM inter tormenta eo usque relictum fuiſſe, ut de ſalute ſua dubitarit.*

LXXXVII. Abſit ſcilicet, abſit ut ſtatuamus, Servatorem noſtrum non confidiſſe Deo. Quippe ſi fiducia carebat, cur confugit ad Deum? ut oſtendunt illa verba, *Deus mi, Deus mi.* Maximos quidem angores & dolores vere infernales, ſed & ſimul innocentiam CHRISTI verba illa arguunt.

LXXXVIII. Nempe poſtquam tot ſannis exceptus, tot flagris coopertus, cruci tandem affixus eſſet, inter exquiſitiſſimos animi maxime ſub infinito pondere peccatorum totius generis humani fatiſcentis cruciatus, ex infirmitate quadam, quam ut individuum comitem eſſentiæ humanæ, excepto peccato, ſuſceperat, tam flebilem vocem emiſit.

LXXIXX. Hinc autem agnoſcamus, quanta ſit peccati gravitas & atrocitas coram Dei judicio; quippe quæ lamentabile illud dictum CHRISTO expreſſit, ut ſe a Deo derelictum quereretur. Recte proinde Auctor Gloſſæ ordinariæ ad hunc locum: *Quorum ſuſcepit naturam, eorundem plorat miſeriam, in quo oſtendit, quantum ipſi flere debeant, qui peccant.*

XC. Tandem ſubjiciunt Evangeliſtæ, quod quidam adſtantium audientes CHRISTVM exclamare ELI, ELI, dixerint, *Ecce Eliam vocat iſte.* *Matth. XXVII. 46. Marci XV. v. 35.*

XCI. Hieronymus ſtatuit, hos fuiſſe milites Romanos, qui, cum verba CHRISTI non intelligerent, utpote

Syriacæ linguæ ignari, putarint Eliam celebrem illum Judæorum Prophetam ab ipſo invocari.

XCII. Alii tamen veroſimilius eſſe cenſent, Judæos per meram illuſionem verba CHRISTI probe intellecta in peregrinum ſenſum detorſiſſe, ac novo hoc convitio CHRISTVM deformaſſe, ac ſi abjecta in Deum fiducia ad ſanctos ſe converteret, ac proinde reus ſit maledictionis Jerem. XVII. v. 5. *Maledictus qui confidit in homine, & a Deo recedit cor ejus.*

XCIII. Typum præferunt hi irriſores omnium illorum, qui vel ſacras literas, vel etiam alia bene recteque dicta per calumniam pervertunt: qui piis hominibus in calamitatibus inſultant, dicentes: *Vbi eſt Deus tuus?* Pſalm. XLII. v. 11. Quam fortunam ſi & nos habuerimus ſubire, cogitemus eandem nobis cnm CHRISTO capite noſtro eſſe communem.

Joh. XIX. v. 28. XCIV. Succedit quintum CHRISTI dictum, *Sitio.* De quo ita Johannes: *Poſtea ſciens JESVS, quod omnia jam conſummata eſſent, ut conſummaretur Scriptura, dicit, Sitio.*

XCV. Noverat ſcilicet Dominus, reliqua omnia, quæ Pater divino conſilio decreverat, & ſcripturæ prius prædixerant, ipſi ante mortem agenda & toleranda, jam eſſe completa, præter illud, quod de aceti potu in acerbiſſima ſiti ſua Pſalmo LXIX. v. 22. prædictum erat. Ideo ut & hoc impleretur, hanc ſitim publice profeſſus eſt.

XCVI. Sitim ſpiritualem hic intelligit Bernhardus *de Paſſione Domini cap. XIII.* ſic ſcribens: *Non ſatis credibile eſt, Dominum de ſiti corporali dixiſſe, ut potum peteret carnalem, qui in inſtanti ſe ſciebat carnaliter moriturum,*

Digitized by Google

rum, ſed potius deſiderium ardentiſſimum ſalutis noſtræ ipſum ſitiviſſe credimus.

XCVII. Licet vero non excludenda ſpiritualis ejusmodi ſitis, de corporali tamen & naturali potiſſimum hic queri Servatorem, vel ipſum illud vaticinium Davidicum docet.

XCVIII. Nempe exhauſtus erat vigiliis nocturnis, diuturnis fatigationibus, crebro fluxu ſanguinis, & exquiſitis animi anguſtiis: quæ quia innatum colorem augent, ac humidum radicale conſumunt, mirum nemini videri debet, *virtutem ejus inſtar teſtæ exaruiſſe, & linguam faucibus* præ ſiti *adhæſiſſe:* ut eſt in Pſalmo XXII. v. 16. Lyranus ad Johannem; *Tantum laboraverat, & de ſanguine emiſerat, quod corpus ejus erat deſiccatum & aduſtum; & propter hoc ſitiebat ſupra modum, & talis ſitis eſt maximum tormentum.*

XCIX. Diſſimulare non modo hanc ſitim, ſed plane etiam depellere poterat, ſicut per quadraginta dies ac noctes in deſerto ſine cibo ac potu ſeſe ſuſtentaverat, Matth. IV. v. 2. ſed paſſus eſt carnem naturales operationes exſerere, ut redemtionis noſtræ opus plene exequi poſſet.

C. At quomodo ſitienti CHRISTO oblatum fuerit acetum, proximo capite prolixe fuit expoſitum.

CI. Poſtquam autem porrectum guſtaſſet acetum, dixit JESVS: *Conſummatum eſt:* id eſt, quicquid a Prophetis de paſſione mea prædictum, quicquid etiam ad redimendum genus humanum præſtari opus fuit, id omne jam implevi. Rotunde Auguſtinus tract. CXIX. in Johannem: *Conſummatum eſt, quia nihil remanſerat, quod antequam moreretur, fieri adhuc oporteret.* Neque enim ſimpliciter conſummata erant omnia; ſed ſepultura, *Joh. XIX. v. 30.*

Iiiiii 2 deſcen-

deſcenſus ad inferos, reſurrectio, adſcenſio in cœlum, miſſio Spiritus S. in Apoſtolos, ſimiliter prædicta adhuc reſtabant.

CII. Sed dixeris: necdum Salvator mortuus erat, ac mors tanquam malorum omnium extremum e paſſionum numero non potuit excludi. Verum quis ignorat, ſæpe ea quæ in proximo ſubeunda ſunt, cum iis quæ jam facta erant computari, & id quod jam in eo eſt, ut pene effectum ſit, factum dici?

CIII. Nimirum viventibus adhuc latronibus duobus, celerius ipſe, quam vulgo crucifixi ſolerent, poſuit animam ſuam, eandem iterum ſumpturus: id quod paulo ante paſſionem prædixerat apud Johannem cap. X. v. 17. 18.

Matth. XXVII. 50. Marc. XV. v. 37. CIV. Emiſit vero ſpiritum ſuum clamans voce magna, quod Matthæus & Marcus atteſtantur.

CV. Solet alias moribundos vox deficere, præſertim ſi magnis ac diuturnis cruciatibus corporis ac animi vires fuerint exhauſtæ. Vnde nonnulli colligunt, clamorem iſtum miraculoſum ac præternaturalem fuiſſe.

CVI. Pulcherrime de hoc clamore Theophylactus in hunc locum: *CHRISTVS non amittit vocem morte accedente, ſed ut domitor mortis mortem non audentem accedere, eo quod ſe non victricem, ſed victam ex hoc congreſſu abituram ſciret, ultro intenſaque voce inclamat.* Nec ineleganter Athanaſius Quæſtion. LXXVII. ad Antioch. *Clamat Dominus jamjam moriturus, quemadmodum victor clamat Dux, cum victos inſequitur hoſtes, & veluti leo de tribu Juda rugit prædam tartaro erepturus.*

CVII. Neque tamen inconditus ille clamor fuit; ſed vox articulata, a Luca conſignata, quæ ita latine habet:

bet: *Pater in manus tuas commendo*, (ſive ut futurum παραθήσομαι exprimamus, *commendabo) ſpiritum meum.* *Luc. XXIII. v. 46.*

CVIII. Verba illa deſumta ſunt ex Pſalmo XXXI. v. 6. Ex quo, ceu paulo ante dixi, nonnulli ſuſpicantur, CHRISTVM non ſolum præcedentia illius Pſalmi ſubmiſſe in cruce recitaſſe, ſed & a Pſalmo XXII. ſequentes ad hunc omnes.

CIX. Qui vocem παραθήσομαι per *deponam* vertunt, nequaquam errant, me judice. Dum enim ad *Depoſitum* reſpiciunt, quod cuſtodiendum alicui datur, eo ipſo rectiſſime Deum habent pro depoſitario optimo ac fideliſſimo, qui quæ ei concredita ſunt ſuo tempore reddit. Nam licet verbum παραθεῖναι in genere ſignificet, patrocinio, curæ ac tautelæ alterius aliquid commendare, ſpeciatim tamen deſignat aliquid alterius cuſtodiæ committere, quod & *deponere* dicimus.

CX. Indicat hoc verbo Dominus, ultro ſe, nulla vi adactum, mortem ſubire, ſpe reſurrectionis mox ſecuturæ. Enimvero *deponere* ejus eſt proprie, qui dominium rei habet: CHRISTVS autem ἐξουσίαν ἔχει θεῖναι τὴν ψυχὴν καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν, ut ipſe apud Johannem loquitur. Ac porro *deponimus* ea, quæ ſervari, non deperdi volumus, ut verbo deponendi *inſinuet ſe Spiritum illum repetiturum. Depoſitum enim iterum aſſumitur*, inquit Theophylactus.

CXI. Nec male tamen Vulgatus, qui verbo *Commendandi* hoc loco uſus. Id enim extremo vitæ tempore uſitatum, ſequentia teſtimonia arguunt. Ciceronis l. III. de Officiis: *Et is qui morti addictus eſſet, paucos ſibi dies commendandorum ſuorum cauſa poſtulaviſſet.* Idem lib. I. de Oratore: *Filios ſuos parvos tutelæ populi Romani*

Digitized by Google

commendaret. Et lib. II. de Finibus, ubi de Teſtamento Epicuri, quo Metrodori liberos commendaverat: *Nam iſta commendatio puerorum memoria & charitas patriæ.* Idem pro Roſcio Amerino: *Cui fama mortui, fortunæ vivi commendatæ ſunt atque concreditæ.* Hirtius de Bello Afric. *Ipſe omnibus rebus diligentiſſime conſtitutis, liberis ſuis L. Cæſari commendatis, ferrum in cubiculum tulit, atque ita ſe trajecit.*

CXII. Per *manum* Patris, divinam hoc loco potentiam, providentiam, benignitatem, tutelam ac protectionem intelligi, notius eſt, quam ut longa interpretatione indigeat.

CXIII. Quod quidam putant CHRISTVM ideo maluiſſe nomine *Spiritus,* quam *animæ* uti, quia animæ nomen referri ſoleat ad corpus, ſpiritus vero ſit rei per ſe ſubſiſtentis, ſubtilius videtur, quam verius. Nam & ſpiritus ex corpore egreſſi dicuntur animæ, & animæ in corporis domicilio adhuc commorantes dicuntur ſpiritus: uti exempla Scripturæ teſtantur. Hinc recte Auguſtinus lib. *de Spiritu & Anima cap. XXXIV.* Quid *eſt aliud emittere Spiritum, niſi quod animam ponere? Sed anima dicta eſt pro eo, quod vivit, Spiritus autem vel pro ſpirituali natura, vel pro eo, quod ſpirat in corpore.*

CXIV. Sicut autem CHRISTVS pro omnibus in ſe credentibus rogavit (Johan. XVII. v. 20.) ac pro omnibus ſacrificium in cruce obtulit, ſic Patri commendans animam ſuam, omnes ſimul piorum animas ſpirituali vinculo ſibi intime conjunctas eidem commendavit. Eleganter Victor Antiochenus in Marcum: *Hæc quoque CHRISTI commendatio in animarum commodum cedebat, quippe quas ille a corpore, quod inhabitaverant, ſolutas qua-*

ſi

ſi quoddam depoſitum in Dei viventis manus ea oratione tradebat.

CXV. Sed & ipſe ſuo nos exemplo docuit, ut in limine mortis conſtituti, in cœleſtis Patris manus animas noſtras commendemus & reſignemus. Quam pulchre igitur Bernhardus lib. *de Paſſione Dnmini:* Quid *eſt, quod ille coæternus & ſubſtantialis Patri Filius animam ſuam ita manifeſte in manus Patris commendabat, cui non minus commendata eſſet, etiamſi hoc non dixiſſet? Ut erudiret nos, qui terra ſumus & cinis, ut ſpiritum noſtrum diſceremus Patris æterni manibus commendare, ne ab hujus mundi Principe, cum a corpore egreſſus fuerit, comprehendatur, qui in nobis heu non pauca, quæ ad ipſum pertineant, inveniet.*

CXVI. Fac igitur, o dulciſſime JESU, Redemtor animæ meæ optime maxime, ut & ultimum tuum verbum in cruce, ſit etiam ultimum meum verbum in hac luce! Amen!

CXVII. Nunc denique deventum ad ipſam mortem Servatoris, quam deſcripturus Johannes, inquit: καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν παρέδωκε τὸ πνεῦμα: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* *Joh. XIX. v. 30.*

CXVIII. Hactenus ſcilicet cum Patre ſuo cœleſti in precibus & oblatione victimæ agens habuerat erectum, nunc moriturus omnibus rite conſummatis caput molliter inclinans efflat animam.

CXIX. Ac primo quidem hac ipſa inclinatione ſpontaneam ac voluntariam mortem teſtabatur. Non enim emiſſo demum ſpiritu caput ſuo pondere deorſum flectebatur; ſed velut dormituriens in lecto crucis reclinabat caput, ut manifeſtum faceret, ſe ſponte animam pone-

Digitized by Google

ponere, ac quando libitum ſit. Theophylactus in Johannem: *Nos prius exſpiramus, deinde caput inclinamus; ille vero prius inclinat, poſtea exſpirat: quod ipſe eſt mortis Dominus, & pro arbitrio ſuo facit omnia.*

CXX. Athanaſius, ſive quis alius auctor, *Quæſtione XL. in Scripturam,* vult quaſi trepidaſſe mortem ad conſpectum Servatoris, & ſubſtitiſſe tanquam accedere veritam; inclinatione vero ac ſi nutu quodam a Domino invitatam acceſſiſſe, feciſſeque quod facere erat juſſa.

CXXI. Placidam deinde ac vere tranquillam mortem inclinatio illa arguit. Quemadmodum enim de Jacobo Patriarcha dicitur Geneſ. XLIX. v. 33 quod expletis ad filios mandatis *collegerit pedes ſuos ſuper lectum & obierit;* ita CHRISTUS conſummatis in cruce omnibus ac finitis precibus & ſermonibus inclinato capite ſignificat, ſe æquo ac compoſito animo mortem ſubire.

CXXII. Neque porro dubium eſt, quin hoc extremum ante animæ ſuæ exceſſum documentum ſit amoris erga humanum genus, pro quo tantos hactenus dolores & cruciatus ſuſtinuerat.

CXXIII. Sunt qui putant, JESUM ad latus illud inclinaſſe caput, quod converſus latro cingebat; ut eo ipſo ſingularem adverſus hunc affectum comprobaret. Cumque antiqua ſit traditio, a dextris Domini illum pependiſſe mirum non eſt pictores ac alios artifices habitum CHRISTI in cruce ita efformare, ut caput dextrorſum flectatur. Ac ferunt ſtatuarium Luneburgenſem, qui cetera omnia ad amuſſim & prope ad miraculum aliquando confecerat, cum in hoc ſolo cespitaſſe argueretur, quod caput pectori recta incumbens affixiſſet, non multo poſt præ animi mœrore diem obiiſſe. Ipſe tamen B. Gerhardus

dus veriſimilius cenſet, CHRISTVM ad pectus, quam ad alterutrum latus caput inclinaſſe.

CXXIV. Veram hanc, non (quod Manichæorum erat delirium) ſimulatam, ac putativam CHRISTI fuiſſe mortem, præter laudatum Johannis teſtimonium, ceterorum quoque Evangeliſtarum conſenſus evincit. Nam & Marcus & Lucas *exſpiraſſe* (ἐξέπνευσε) ſcribunt JESVM, & Matthæus ait, *emiſiſſe Spiritum.* (ἀφῆκε τὸ πνεῦμα) Vbi *Spiritus* nomine non tam anhelitus corporeus animæ in corpore commorantis effectus, quam ipſa anima, ſpiritualis illa & incorporea eſſentia intelligitur, ut ex addito articulo quadamtenus eſt conſpicuum: unde Syrus emphatice addit: *emiſit ſuum Spiritum,* hoc eſt, animam e corpore egredi permiſit, imo juſſit. *Marc. XV. 37. Luc. XXIII. v. 46. Matth. XXVII. v. 50.*

CXXV. *Quis ita dormit*, inquit Auguſtinus tractat. CIX. in Johannem, *quando voluerit, ſicut JESVS mortuus eſt, quando voluit? Quis ita veſtem deponit, quando voluerit, ſicut ſe carne exuit, quando voluit? Quis ita, cum voluerit, abit, quomodo cum voluit, obit? quanta timenda eſt poteſtas indicantis, ſi tanta apparuit morientis.* Et lib. IV. de Trinit. cap. XIII. *Spiritus Mediatoris carnem non deſeruit invitus, ſed quia voluit, quando voluit, quippe Dei verbo ad unitatem commixtus eſt homo.*

CXXVI. Scilicet ſoluta fuit per hanc mortem unio corporis & animæ naturalis, nequaquam tamen unio Λόγου perſonalis cum anima & corpore. Damaſcenus *lib. III. de orthodoxa fide cap. VII.* Etſi *mortuus eſt, ut homo, & ſancta ejus anima ab incontaminato diviſa eſt corpore, Deitas tamen a neutro, hoc eſt, nec ab anima, nec a corpore quoquo modo ſejuncta eſt, neque propterea una perſona in duas perſonas diviſa eſt, ſiquidem & corpus & ani-*

 ma

ma ſecundum idem ab initio in Verbi perſona eodem momento extiterunt, ac licet in morte divulſa fuerint, utrumque tamen eorum unam Verbi hypoſtaſin perpetuo habuit.

CXXVII. Atque hæc in ipſa morte CHRISTI & poſt mortem indivulſa manens perſonalis unio fecit, quo minus tam ſanctum corpus ulli corruptioni, vel etiam principio putrefactionis fuerit obnoxium: ſecundum Pſalmi XVI. vaticinium, a S. Petro Actor. II. repetitum & illuſtratum, *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Ac recte diſputant Scholaſtici, ſi vel maxime plures dies dilata fuiſſet reſurrectio, tamen putrefactioni in corpore CHRISTI non fuiſſe locum futurum.

CAP. XVII.
De obſcuratione Solis CHRISTO in cruce patiente facta.

I.

JAm altera hujus tractationis pars cum ipſa morte Servatoris finita videretur, modo non reſtaret memorabilis illa Solis obſcuratio, cujus conſiderationi præſens caput dedicare conſtituimus, dicturi primum de Tempore, poſt de Loco, tum de Modo, porro de Cauſa efficiente, ac denique de Fine.

Matth. XXVII. 45. Marc. XV. 33. Luc. XXIII. 44. II. Tempus diei exprimunt Matthæus & Marcus *horam ſextam.* Lucas autem indicat fuiſſe *horam quaſi ſextam:* hoc eſt, præterlapſum aliquod temporis poſt horam ſextam. A ſexta igitur hora, ſive paulo poſt ſextam horam, hoc eſt, a meridie cœperunt fieri tenebræ; eo ipſo ſcilicet tempore, quo Sol conſuevit maxime lucere

ac

ac fervere, quo tempore etiam dies clariſſimus eſſe ſolet. Præterea hæc Evangeliſtarum triga in hac conſentit temporis circumſtantia, quod *usque ad horam nonam* tenebræ duraverint, hoc eſt, ad noſtram pomeridianam tertiam.

III. De tempore ſatis. Locum Marcus & Lucas deſignant *terram univerſam*, ἐφ' ὅλην τὴν γῆν: Matthæus *omnem terram*, ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν. Vbi an Judaica ſolum terra, an orbis univerſus debeat intelligi, in quæſtionem venit.

IV. Jam olim autem Origenes priorem amplexus eſt ſententiam: quem ex junioribus ſecutus Lyranus ſatis audacter ſcribit ad Matthæum: *Super univerſam terram. Hic accipitur pars pro toto. Eclypſis enim Solis non poteſt eſſe univerſalis: & propter hoc quando dicitur ſuper univerſam terram, id intelligendum eſt de terrra Judææ.* Idem quoque placet Eraſmo Roterodamo & Theodoro Bezæ. Et hujus quidem verba ita habent ad Matthæum: *Familiare eſt ſacris ſcriptoribus* Terræ *appellatione, etiamſi nihil adjiciatur, intelligere terram Chanaan, & γῆν pro χώραν reperimus alibi, ut* Matth. IX. 26. & Luc. IV. 25. *Confert autem hoc ad prodigii novitatem, ſi intellexerimus non modo in plenilunio accidiſſe hanc Solis eclipſin, ſed etiam reliquum orbem illuſtrante Sole, atque adeo ipſo meridie, hunc unum orbis terrarum angulum, in quo tantum facinus patrabatur, in denſiſſimis tenebris delituiſſe: Videtur autem hoc opponi miraculo prorſus contrario, cum tenebris Ægyptios obtegentibus, Iſraelitis ſolis in terra Goſen Sol luceret, tum videlicet Æpyptiis quidem imminens exitium, ſuis vero partam libertatem, Deo ſignificante: nunc vero contra Judæis quidem miſerrimam illam cæcitatem, qua nunc quoque puniuntur, cæteris vero populis mox exorituram Evangelii*

Digitized by Google

lucem cœlitus denuntiante. Nec aliter Clemens Timplerus lib. II. Phyſicæ cap. VII. *Credibile eſt*, ait, *illam Eclipſin Solis ſeu tenebras tantum Judææ fuiſſe offuſas, perinde ac quondam ſoli Ægypto, non vero aliis terræ partibus.* Eidem quoque ſententiæ ſubſcribit Voſſius Harmoniæ lib. II. cap. X. §. 11. his verbis: *Putamus per univerſam teram, ſolam ſignari Judæam.*

V. Verum utut magnum fuiſſet miraculum, ſi ſolam Judæam affeciſſent tenebræ (quamquam abſurdum ſit, majus ſic fuiſſe, ac ſi totus terrarum orbis eas ſenſiſſet) nulla tamen ratio ſufficiens poteſt afferri, cur a diſertis & perſpicuis Evangeliſtarum verbis opus habeamus recedere: ut adeo eclipſin illam fuiſſe univerſalem, & tenebras in toto orbe, ſive in omnibus terræ plagis, quas alias Sol lumine ſuo irradiare & colluſtrare ſolet, cauſaſſe putemus.

VI. Sed opponit Beza: *Si fuiſſet univerſale hoc prodigium, eſſet procul dubio omnium Aſtrologorum monumentis celebratum.* Et Timplerus: *In hiſtoriis Ethnicis ea ætate conditis nulla omnino fit mentio illius miraculoſæ eclipſis: quod certe factum non eſſet, ſi eadem quoque in Ægypto, Græcia & Italia animadverſa fuiſſet.*

VII. At enim ſi vel maxime hoc tacuiſſent Aſtrologi, non tamen id ſilentium præjudicaret veritati. Nam ut recte inquit Thomas part. III. Quæſt. XLIV. art. II. *potuit hoc contingere, quia Aſtrologi non ſolicitabantur de obſervanda eclipſi, quia tunc eclipſeos tempus non erat, ſed illam obſcuritatẽ ex aliqua paſſione aeris accidere putarunt.*

VIII. Pauci deinde Hiſtoricorum illius temporis res geſtas ſcribentium ſuperſunt: & qui hos ſunt ſecuti, conpendio perſtringunt ejusmodi geſta, in rebus civilibus,

Digitized by Google

bus, ac potiſſimum ſceleribus regnantium eorumque miniſtrorum occupati.

IX. Neque tamen omnino Ethnicorum teſtimoniis deſtituimur. Nam primo multi provocare ſolent ad Dionyſium Areopagitam, ac ſi hic ætate illa Heliopoli in Ægypto ſtudiorum gratia commoratus, cum Apollophane Philoſopho præceptore ſuo eam obſervarit. Et ſane ejus mentio fit in Epiſtolis illis, quæ ſub nomine Dionyſii circumferuntur. Septima enim ad Polycarpum, Epiſcopum Smyrnæum, Johannis Evangeliſtæ diſcipulum conſcripta, & qua in Apollophanem, divinis operibus adverſus divina nefarie utentem graviter invehitur auctor, leguntur ſequentia ex Græcis latine converſa: *Age itaque, Polycarpe, illum* (Apollophanem) *rurſus aggredere: Quid de illo, qui tempore crucis dominicæ factus eſt, Solis defectu dicturus es? Eramus tunc ambo apud Heliopolim, amboque ſimul incidentem mirabiliter Soli Lunæ globum notabamus (non enim ejusce conjunctionis tunc aderat tempus) ipſamque rurſus ab hora nona ad veſperam ad Solis diametrum ſupra naturæ vires reſtitutam. In memoriam autem illius revoca & aliud quiddam. Nempe enim, ut ipſe non ignorat, eam Lunæ incidentiam ab oriente cœpiſſe, & usque ad ſolaris corporis finem perveniſſe, ac tum demum reſiliisſe notavimus. Neque vero eadem ex parte, ut aſſolet, & incidentia illa & repurgatio facta eſt, ſed ex adverſo diametri.* Et paulo poſt: *Iſta illi, ſi licuerit, dicito. Ea, ſi potes, Apollophanes, argue. Nempe enim præſens una tecum adfui, unaque adſpexi, ac dijudicavi omnia, dignaque ſum admiratione proſequutus. Denique tum neſcio quo adflatus ſpiritu ad divinationem quoque prorupit Apollophanes, atque ad me converſus: Hæ, inquit, o præclare Dionyſi, divi-*

narum ſunt viciſſitudines rerum. Duodecima vero ad ipſum Apollophanem (ut titulus præfert) miſſa, & qua huic de abdicatione paganiſmi, converſioneque ad verum Deum gratulatur Auctor, eadem paulo prolixius, additis circumſtantiis quibusdam aliis, memorantur. Placet illa quoque adſcribere, *Cæterum ut ſuperna lux paternæ gloriæ ſuum ſplendorem in tuæ mentis tenebras infulgere ſua voluntate diſpoſuit, protinus cordis mei penetralibus infudit, ut piiſſimam recordationem & geſtæ rei monumentum tuis oculis ſubjicerem, ut videlicet in Heliopoli, tu quidem pene mihi coævus, & ego quinque & viginti fere annorum tempus evolvens, una morantes conſtiteramus, cum feria quadam ſexta, & hora etiam pene ſexta, Sol horribilibus ſubito eſt obſitus tenebris, Luna ipſum intercurrente: quia non Deus, ſed creatura Dei ipſius vere lucis occubitu lucere non potuit. Quærebam enim tum apud te, qui mihi ſane ſapientisſimus videbaris, ut, quid ipſe inde ſentires, agnoſcerem. Tu vero mirabili prudentia ſubintuliſti, quod usque adeo penetralibus mentis meæ alte inhæſit, ut nulla oblivione deleri, nullaque unquam valeat mortis imagine deteri. Offuſi enim tenebris ipſi eramus: orbem Solis undiquaque & ex æquo occupante caligine. Et poſteaquam repurgatio reſtitutioque facta eſt, Luna ad Solis diametrum converſa aufugit. Et tunc quoque regulam Philippi Aridei adſumſimus, cumque reperiſſemus (quod & erat notisſimum) eo tempore Solem eclipſis moleſtias laboresque minime perpeti debuiſſe, ac nihilominus Lunam ab oriente Solarem ſplendorem pullis nigrantibusque velis obduxiſſe, cum ſoleat ex occidua parte Solem ingredi, tunc autem opifices lucis theſauros, caliginibus (quas ipſe genuerat) ad occiduos usque Solis fines pervagata (ut ipſi putavimus) occultavit;*
cum

cum tamen & Lunæ id tempus deeſſet, neque coitus tempus vicinum agnoſceretur. Ajo ad te: neque enim adhuc myſterii tantæ rei conſcius eram: ingentis prudentiæ promtuarium, quid, inquam, o doctrinæ ſpeculum Apollophanes, his ſecretis adſcribis? Ad quæ neſcio quo pacto divino quodam afflatu, & non humani ſenſus ſermone ſubintuliſti: Hæ, o bone Dionyſi, divinarum viciſſitudines ſunt rerum. Suidas verbotenus fere hæc omnia repetens addit, Dionyſium regeſſiſſe: Ἢ τὸ θεῖον πάσχει, ἢ τῷ πάσχοντι συμπάσχει. *Aut divinum patitur, aut patienti compatitur.*

X. Attamen non deſunt alii, quibus ſuſpecta ſunt tum tota hæc de Dionyſio Areopagita narratio, tum & ſpripta, quæ ſub ejus nomine vulgo circumferuntur: quippe quæ nec Euſebio, nec Hieronymo, neque antiquiorum ſcriptorum alii nota, ſed quinto demum ſeculo Chriſtiano videantur nata: id quod Rivetus *Critici Sacri lib. I.c.IX.* Robertus Cocus *Cenſura ſcriptorum ſacrorum.* Joh. Dallæus *de Scriptis, quæ ſub Dionyſii Areopagitæ & Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur:* aliique demonſtrarunt. Breviter Voſſius in Harmonia l.I. *Decepit eos* (Melchiorem Canum & Roſvveidum, qui Eraſmum, quod per *univerſam terram* intellexerit Judæam, caſtigarunt) *quod non viderent illa de Dionyſio & Apollophane eſſe commentitia. Omnino enim epiſtolæ illæ ſunt* ὑποβολιμαῖαι.

XI. Suſpicionem de commentitia Dionyſii narratione non parum auget, quod varie a variis memorari reſponſum Dionyſianum legamus. Nam aliter ac Suidas id refert Petrus Comeſtor, his nimirum verbis: *Aut Deus Naturæ patitur, aut tota mundi machina diſſolvetur.* Simeon Metaphraſtes ait, illum dixiſſe: *Hæ tenebræ lucem afferent univerſo mundo.* Michaele Singelo *in vita Diony-*

ſii

Digitized by Google

ſit auctore hoc fuit: Ἄγνωςος σαρκὶ πάσχει θεὸς· δι' ὃν τὸ πᾶν ἐζόφωται καὶ σεσάλευται. *Ignotus carni Deus patitur, propter quem hoc univerſum tenebris eſt obſcuratum & tremefactum.* Quod tamen effatum non Dionyſio, ſed Ignatio tribuit jamjam laudatus Suidas: pariter vero fide incerta, cum mors hujus vulgo ab Hiſtoricis in annum X. aut XII. ſeculi a nato CHRISTO ſecundi referatur; eoque probabile minime ſit, ipſum illo tempore in vivis & CHRISTO σύγχρονον fuiſſe. Et ſi fuiſſet maxime, quis crederet eo jam ætatis pertigiſſe, ut ex ſcientia Aſtronomica de hoc miraculo potuerit judicare?

XII. Quid? quod tradant alii, Dionyſium eo tempore non Heliopoli, ſed Athenis fuiſſe, & obſervato tanto miraculo, ſtatim communicaſſe cum Philoſophis Athenienſibus conſilia, ædemque extruxiſſe cum hac inſcriptione: Ἀγνώςῳ θεῷ. IGNOTO DEO: & hanc illam ipſam eſſe, cujus fiat mentio in Actis Apoſtolicis cap. XVII. v. 23. Verum horum omnium cum altum ſit ſilentium, & in Epiſtolis, quas vulgo tribuunt Dionyſio, & in omni incorrupta hiſtoria, quis ei fidem adhibuerit?

XIII. Quæ cum ita ſe habeant, videamus an non alium ex paganis teſtem in medium poſſimus adducere. Et poſſumus equidem Phlegontem Trallianum Hadriani libertum. Sic enim ille lib. XIII. Chronicorum apud Euſebium in *Chronico Canone* in hiſtoria Tiberii: Τῷ δ' ἔτει τῆς σβ' ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον. καὶ νὺξ ὥρᾳ ς' τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. Quæ ſic convertit B. Hieronymus: *Quarto anno Olympiadis CCII. magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora ſexta in tenebroſam noctem verſus, ut ſtella*

ſtellæ in cœlo viſæ ſint. Quod quidem teſtimonium tanto magis æſtimandum, quanto major ſcriptoris fuit auctoritas, quem *egregium Olympiadarum ſupputatorem* vocat Hieronymus.

XIV. Eſſe autem hanc a Phlegonte deſcriptam Eclipſin, ipſam illam, de qua nunc loquimur, oſtendit Euſebius, dum paulo ante dixit: Ἰησοῦς ὁ χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν, κατὰ τὰς περὶ αὐτοῦ προφητείας ἐπὶ τὸ πάθος προῄει ἔτους ιθ τῆς Τιβερίου βασιλείας, καθ' ὃν καιρὸν καὶ ἐν ἄλλοις μὲν Ἑλληνικοῖς ὑπομνήμασιν εὕρομεν ἱστορούμενα κατὰ λέξιν ταῦτα: Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν. *JESVS CHRISTVS ſecundum Prophetias, quæ de eo fuerant prolocutæ, ad paſſionem venit anno Tiberii XVIII. quo tempore etiam in aliis Ethnicorum commentariis hæc ad verbum ſcripta reperimus: Solis facta defectio.* Ac porro Phlegontis a ſe laudatis verbis illa ſubjicit: Τεκμήριον δ' ἂν γένοιτο τοῦ κατὰ τόδε τὸ ἔτος πεπονθέναι Σωτῆρα ἡ τοῦ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγελίου μαρτυρία, ἥτις μετὰ τὸ ιε ἔτος Τιβερίου τριετῆ χρόνον τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ διαγίνεσθαι μαρτυρεῖ. *Argumentum autem hujus rei, quod Salvator iſto anno paſſus ſit, Evangelium præbet Johannis, in quo ſcribitur, poſt XV. annum Tiberii tribus annis Dominum prædicaſſe.*

XV. Huc accedit, quod veteris Eccleſiæ doctores ubi hujus rei mentio incidit, ad proprios Gentilium provocarint annales: id quod facit Lucianus martyr, Presbyter Antiochenus apud Euſebium *lib. IX. Hiſt. Eccleſ. cap. VI. Requirite,* inquit, *in annalibus veſtris, invenietis temporibus Pilati CHRISTO patiente, fugato Sole, interruptum tenebris diem.* Et Oroſius *lib. VII. Hiſtor.*

cap. III. aliquantos Græcorum libros Ecclipſin hanc atteſtari memorat. Tertullianus quoque hoc Solis deliquium Romanos in *archivis ſuis* relatum habere aſſerit. *Eodem momento* (verba hæc ſunt Tertulliani *Apologet. cap. XXI.*) *dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper CHRISTO prædicatum neſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.* Vbi dum in numero multitudinis *putaverunt* dixit, auguratur Joſephus Scaliger, intellexiſſe eum Phlegontem & Thallum Chronographum: quorum prioris verba jam ex Euſebio audivimus, hujus vero judicium refert Africanus, ei licet non aſſentiens, quando ſcribit: Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. *Has tenebras Thallus libro III. Hiſtoriarum Eclipſin Solis vocat, ut mihi videtur, absque ratione.* Nihil igitur cauſæ erat, cur Voſſius contra ſententiam noſtram de hujus miraculi extra Judæam conſpectu diſputans in hæc verba erumperet: *Quod ſi tam miraculoſa Eclipſis in variis conſpecta terris foret, non ſolus ejus Phlegon meminiſſet.*

XVI. Quod ad Modum attinet, nihil amplius ex ſacra hiſtoria diſcimus, quam quod factæ fuerint tenebræ, & Sol fuerit obſcuratus. Καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος,
Luc. XXIII. v. 45. inquit Lucas. Sed de ipſis illis tenebris ac obſcuratione Solis quæritur, utrum a cauſa aliqua naturali, an potius ſupernaturalibus atque miraculoſis ortum traxerint.

XVII. Jam omnes ferme eruditi in eo conſentiunt, miraculoſas has fuiſſe tenebras: idque non modo quia tam diuturnæ fuerunt, ac per integrum trihorium

Digitized by Google

rium durarunt; ſed quod etiam acciderint non in Novilunio, ſed tempore Plenilunii, Luna non inter Solem terramque interjecta, ſed ex adverſo Solis ſtante. Et hoc quidem argumentum non immerito urget Auguſtinus *lib. III. de Civitate Dei cap. XV.* ſequentibus verbis: *Quam Solis obſcurationem non ex canonico ſyderum curſu acciðiſſe, ſatis oſtendit, quod tunc erat Paſcha Judæorum: nam plena Luna ſolenniter agitur. Regularis autem Solis defectio non niſi Lunæ fine contigit.*

XVIII. Nec eſt, quod quis objiciat, ſimiles, quin majores aliis temporibus tenebras fuiſſe obſervatas. Nam etſi Plinius *lib. II. cap. XIII.* memoret, *ſuo ævo, Imperatoribus Veſpaſianis, patre tertium, filio iterum Conſulibus accidiſſe, ut in duodecim diebus utrumque ſydus* (Sol & Luna) *quærerentur*: & Theophanes Iſauricus auctor ſit, *ſub Leone IV. Imp. Solem adeo nusquam fuiſſe viſum, adeoque radios amiſiſſe, ut mari navigantes navigandi viam amiſerint, errarintque*: & illa tamen exempla nonnullos ex claſſe naturalium eximendo pro ſupernaturalibus habere certum eſt. Quamquam Marcus Fridericus Wendelinus *Contemplation. Phyſicar. ſect. III. cap. XXI.* ſuſpicetur, *diuturna & pertinaci denſarum atrarumque nubium caligine cœlum fuiſſe obductum, ut diurnum Solis lumen penetrare nusquam valuerit, ſideribus interim conſueta ſua curricula conſtituentibus.* Quale quid ſcilicet, teſte Cicerone *lib. II. de Nat. Deor.* (ut idem Wendelinus annotat) quondam evenit, *eruptione Æthnæorum ignium, adeo finitimas regiones obſcurantium, ut per biduum nemo hominem homo agnoſceret.*

XIX. Sed cujus generis iſta fuerint, præſenti mira-

culo nihil detrahent. Interea tamen quia ad ipſa miracula ſæpius concurrere ſolent cauſæ ſecundæ ſingulari quantumvis modo ad producendum effectum a Deo diſpoſitæ; occaſio data fuit eruditis in cauſam efficientem harum tenebrarum inquirere.

XX. Et nonnulli quidem eas per poſitionem Lunæ inter Solem & terram factas volunt. Cum enim in plenilunio Luna ſit exadverſo Solis, eam e loco ſuo accurriſſe ad Solem, ſeque inter Solem ac terram conſtituiſſe, atque ita eclipſin proprie dictam & œcumenicam effeciſſe opinantur. Atque hoc fere omnibus illis placet, qui Dionyſianam narrationem æſtimant: quod & Thomas de Aquino facit *part III. Quæſt. XLIV. artic II.* & Lyranus in *Commentariis ad Matthæum*, cujus dicta afferam: *In hoc magis credendum eſt Dionyſio, qui dicit in Epiſtola ad Polycarpum, hoc fuiſſe per interpoſitionem Lunæ inter terram & Solem, ſicut fit in eclipſi Solis: & ibidem dicit, quod ipſe hoc vidit tunc exſtans in Ægypto, ubi eſt aeris puritas: quod rariſſime fiunt ibi nubes & pluviæ, propter quod talia potuit tunc magis perpendere. Vidit ergo & dicit Lunam ab oriente aſcendentem verſus meridiem & ſupponentem ſe Soli.* Ac paulo poſt ad illa Matthæi, Vsque ad horam nonam. *Ex quo patet, quod Luna fuit immobilis ſub Sole per tres horas: & in hoc fuit quartum miraculum illius eclipſis: quod in naturali eclipſi Luna continue movetur ſub Sole.*

XXI. Verum quia ſuperius oſtenſum, quid de Epiſtolis illis Dionyſii ſentiendum, easque pro ſpuriis & ſuppoſititiis haberi; nequaquam huic ſententiæ calculum noſtrum adjicere ſuſtinemus.

XXII.

Digitized by Google

XXII. Alii denſiſſimam nubem corpori ſolari obductam putant. Ita jam olim ſenſit Origenes, quem eo quoque nomine laudat Lyranus. In eandem ſententiam cecinit Sedulius: —— *Sol nube coruſcos*

Abſcondens radios tetro velatus amictu
Delituit, triſtemque infecit luctibus orbem,

XXIII. Sed hanc cauſam non ſufficere ad univerſalem eclipſin orbi inducendam, recte monet B. noſter Gerhardus in *Harmonia Evangelica.*

XXIV. Nimis quoque ingenioſa eſt Gerhardi Johannis Voſſii conjectura, *potuiſſe & cauſam eſſe a maculis ſolaribus, qui in diſco Solis medio appareant viſentibus per teleſcopium, ſive tubum Batavum. Nam minus longe illuxiſſet Sol, maculoſiore ſolis parte Judæa obverſa.* Nec eſt probabile, quod Keplerus opinatur *Epitom. Aſtron.* lib. VI. *a copia cinerum ex ardentium montium crateribus erumpentium* coortas eſſe tenebras.

XXV. Tutiſſime omnium creditur, obſcurationem eam contigiſſe ex retractione radiorum ſolarium. Obſcuratum enim fuiſſe Solem, Lucas expreſſe teſtatur, ſi non in ſe per amiſſionem lucis; tamen reſpectu terræ, cui lumen ſuum ſubtraxit.

XXVI. Confirmat nos in hac ſententia Patrum Græcorum Latinorumque auctoritas. Sic enim Athanaſius in Epiſtola ad Epictetum apud Theodoretum *Dialogo III.* Διὰ τοῦτο γοῦν ὁ μὲν ἥλιος ὁρῶν τὸν δημιουργὸν αὐτοῦ ἐν τῷ ὑβριζομένῳ σώματι ἀνεχόμενον, τὰς ἀκτῖνας συνέστειλε, καὶ ἐσκότισε τὴν γῆν. *Hanc ob cauſam etiam Sol videns fabricatorem ſuum in corpore contumeliis affecto pati, radios contraxit, & terram obſcuravit.* Chryſoſtomus *Sermone*

de Paſſione CHRISTI, ut citatur a Thoma in Catena: *Non poterat ferre creatura injuriam Creatoris, unde Sol retraxit radios ſuos, ne videret impiorum facinora.* Cyprianus Sermone *de Bono Patientiæ:* Cum *ad crucem Domini confundantur ſidera, elementa turbentur, contremiſcat terra, nox diem claudat, Sol ne Judæorum facinus aſpicere cogatur & radios & oculos ſuos ſubtrahat.* Auctor Sermonis de Reſurrectione CHRISTI in Opere *de Cardinalibus* CHRISTI *operibus* Cypriano vulgo tributo: *Quem non fragor ille mundi terreret, quando terra tremuit, Sol expalluit, & radios lucis ſuæ Sol contenebratus abſcondit. Ipſa monumenta lapides ſibi ſuppoſitos projecerunt, & indignata ſuperior & inferior plaga tenebris & motibus & ſciſſuris, compaſſionis ſuæ & vehementis anguſtiæ indicaverunt affectum, nec ſuſtinuit intueri mundus perfidiæ Judaicæ ſcelus, & viſa ſunt inſenſata elementa ſenſu uti abundantiore, quam homines, quibus ſecundum naturam ratio inerat, & crudeliores extitere feris abutentes intellectu.* Hieronymus *in cap. XXVII. Matthæi:* Videtur *mihi luminare majus retraxiſſe radios ſuos.* Idem *lib. III. Commentar. in Amos cap. VIII.* Sol *hora ſexta retraxit radios ſuos, & pendentem in cruce Dominum ſuum ſpectare non auſus eſt.*

XXVII. Denique ex his Eccleſiæ Doctorum teſtimoniis ſimul elucet Finis. Nimirum credibile eſt, voluiſſe Deum obſcuratione hac oſtendere, quantopere averſaretur Judæorum ſcelus, quod nec creatura irrationalis intueri velit aut queat. In eandem ſententiam perorat Maximus Taurinenſis Epiſcopus *Homilia II. de Solennitate in Feſto Paſchali:* Neceſſe *eſt, ut Sol in ejus gaudeat reſurrectione,*

ctione, in cujus condoluit paſſione: & cujus mortem lugubri quadam caligine proſequutus eſt, ejusdem vitam nitidioris ſplendore lucis ſuſcipiat: & tanquam bonus miniſter, ſicut tunc obſcuratus eſt ad exequias ſepulturæ, modo coruſcet in reſurrectionis obſequium. In paſſione enim CHRISTI caliginum ſe morte circumdedit, & Judæorum facinus mundo teſte congemuit. Et digna notatu ſunt Auguſtini lib. III. cap. XV. de C. D. *Quaſi vero, ſi luctus ille Solis fuiſſet* (ante Romuli exceſſum) *non magis Deo credi deberet occiſus, ipſumque ſcelus averſione etiam diurni luminis indicatum: ſicut revera factum eſt, cum Dominus crucifixus eſt crudelitate atq; impietate Judæorum.*

XXVIII. Huc quoque ſpectant memorabilia Theophylacti Enarrat. in Matth. cap. XXVII. quibus hoc caput obſignamus: *Erant tenebræ in toto mundo, non in parte mundi, ut in Ægypto: ut monſtretur, quod lugeat in paſſione Creatoris creatura, & quod a Judæa lux receſſerit, Judæi quoque petentes ſignum e cœlis, non videant Solem obtenebrari.*

FINIS PARTIS SECVNDÆ.

Digitized by Google

CASPARIS SAGITTARII

SS. THEOL. D. HISTOR. PROF. P.

HARMONIÆ EVANGELICÆ

HISTORIÆ PASSIONIS JESV CHRISTI

PARS TERTIA.

JENÆ

TYPIS NISIANIS CIƆ IƆC LXXXIII.

Digitized by Google

IN NOMINE CHRISTI
AMORIS MEI CRVCIFIXI.
HARMONIÆ EVANGELICÆ
HISTORIÆ PASSIONIS
DOMINI NOSTRI
JESV CHRISTI
PARS TERTIA.
CAP. I.
De quatuor miraculis, quæ CHRISTO in cruce pendente contigerunt, ut & Centurionis converſione.

I. De Velo Templi ſciſſo. De Velis Tabernaculi Moſaici & Templi Hieroſolymitani. Quid ſignificarit Veli ruptura. II. De Terræ motu, ejusque ſignificatione. III. De ruptura petrarum. IV. De monumentis Sanctorum apertis. An Sancti reſurgentes iterum mortui. Quis fuerit converſus Centurio, & an factus martyr. De ejus confeſſione. Spectatores mortis CHRISTI pectus percuſſerunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN NOMINE CHRISTI
AMORIS MEI CRUCIFIXI.
HARMONIÆ EVANGELICÆ
HISTORIÆ PASSIONIS
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI
PARS TERTIA.

CAP. I.

De quatuor miraculis, quæ CHRISTO in cruce pendente contigerunt, ut & Centurionis converſione.

I. De Velo Templi ſciſſo. De Velis Tabernaculi Moſaici & Templi Hieroſolymitani. Quid ſignificarit Veli ruptura. II. De Terræ motu, ejusque ſignificatione. III. De ruptura petrarum. IV. De monumentis Sanctorum apertis. An Sancti reſurgentes iterum mortui. Quis fuerit converſus Centurio, & an factus martyr. De ejus confeſſione. Spectatores mortis CHRISTI pectus percuſſerunt.

Digitized by Google

I.

SIc itaque per divinam gratiam defuncti ſumus illa opera, quam ipſius ſacroſanctæ Paſſionis ejusque circumſtantiarum meditationi impendimus. Reſtat ut exponamus denique, quæ Paſſionem Domini conſecuta ſunt.

II. Horum aliqua contigerunt mortuo CHRISTO, nec dum tamen de cruce depoſito. Huc primum ſpectant quatuor prodigia, nempe Velum templi ſciſſum, Terræ motus, Ruptura petrarum, Aperitio monumentorum. Deinde huc pertinet Centurionis converſio, aliorumque ob occiſum CHRISTVM mœror & indignatio. Poſtea eo referendum latronum duorum crurifragium. Vltimum vero eſt transfixio lateris CHRISTI, unde aqua & ſanguis profluxerunt.

III. Noſtrum igitur erit, primum in quadrigam illam prodigiorum inquirere. De primo ita Matthæus: καὶ ἰδοὺ τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο ἀπὸ ἄνωθεν ἕως κάτω. *Et ecce velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo usque ad imum.* Nec aliter Marcus, omiſſa modo ἰδοὺ particula. Brevius paulo Lucas: καὶ ἐσχίσθη τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ μέσον. *Et velum templi ſciſſum eſt medium.* Nec dubium eſt, poſt CHRISTI obitum hoc contigiſſe, ceu recte ex Matthæo probat Auguſtinus.

Matth. XXVII. 51. *Marci XV. v. 38.* *Luc. XXIII. v. 45.*

IV. Sicuti templi Judaici tres fuere partes; Atrium, in quo populus; Sanctum, in quo ſacerdotes verſabantur; Sanctum ſanctorum, quod ſolus ingredi poterat Sacerdos ſummus; ita quoque Moſis temporibus tria in tabernaculo fuerunt præcipua aulæa: extimum τῆς αὐλῆς,

Digitized by Google

Exodi XXVII. v. 16. medium τȣ̃ ἁγίȣ, Exodi XXVI. v. 36. intimum τȣ̃ ἁγίȣ τῶν ἁγίων, Exod. XXVI. v. 31.

V. De prioribus velis Joſephus agit *Antiquitatum Judaic. lib. III. cap. V.* cujus verba, prout e Græco ſunt Latine verſa, afferam. Et de priori quidem hæc habet: *Ad januam pendebat velum viginti cubita longum, & quinque altum, ex purpura byſſoque & hyacintho contextum, varie picturatum, exceptis animantium formis.* De altero ita: *Alterum velum magnitudine, colore, textura priori par, circa ingreſſum ſitas quinque columnas tegebat: quod a ſummo ad dimidium columnarum pendens ibi annulis ſuſtinebatur, & acceſſum ſacerdotibus ſubintrantibus præbebat.* Illi tamen incumbens facit aliud, ſed linteum: *Huic pene contiguum erat,* inquit, *aliud velum magnitudine par, ſed e lino contextum, annulis, funiculo per tranſverſum pendens: quod aliquando adducebatur, aliquando feſtis præcipue diebus reductum populi proſpectum admittebat, reliquis diebus & maxime parum ſerenis objectu ſuo picturatum illud velum a tempeſtatibus protegebat.* Ad tertium ſpectant ſequentia: *Poſt hæc vela ſunt per tabernaculum expanſa e byſſo contexta, & purpureo, hyacinthino, puniceo coloribus diſtincta. Horum primum cubitas decem quaquaverſum patebat: quod per columnas eſt diſtentum, quæ adytum a reliquo ſpatio diſparabant, & a conſpectu hominum excludebant, totumque hoc fanum vocabatur ſanctum, adytum vero ultra quatuor columnas ſitum dicebatur ſanctum ſanctorum, fuitque hoc linteum omnis generis floribus quæ terra fert, aliisque ornamentis picturatum, exceptis tantum animantium figuris.*

VI. De tertio hoc interiori velo ſcribit Rivetus ad Exodi cap. XXVI. v. 31. e vetuſtiorum Hebræorum ſen-

Digitized by Google

tentia, *quatuor digitis ſpiſſum fuiſſe : certe,* ait, *diaphanum non fuiſſe, quia debuerit ita tegere ſanctum ſanctorum, ut a nemine videri poſſet, niſi a ſummo ſacerdote ingrediente.*

VI. Licet autem tabernaculum Moſis tria majora habuerit vela; in templo tamen Salomonis, & quod poſtea huic ſurrogatum, altero, vice extimi aulæi fuit porta, Philoni προπύλαιον dicta. Hinc duorum tantum velorum mentio fit apud Joſephum de Bello Judaico lib. VI. *Interior porta,* inquit, *tota inaurata erat* —— *& fores habebat aureas, quinquaginta & quinque cubitis altas, ſexdecim vero latas. Ad hæc aulæum longitudine pari : hoc eſt, velum Babylonium, hyacintho, & byſſo, & cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum, neque contemplationis expers colorum permixtione, ſed velut omnium rerum imaginem præferens. Cocco enim videbatur ignem imitari, & byſſo terram, & hyacintho aerem, ac mare purpura, partim quidem coloribus, byſſo autem ac purpura origine : quoniam byſſum quidem terra, mare autem purpuram gignit, eratque in eo perſcripta omnis cœli ratio, præter ſigna.* Et de eodem dixerat loco ſupra laudato : *Vnde mos manſit etiam poſt templum exædificatum, ut velum huic ſimile in aditu prætenderetur.* At de Velo Sancti ſanctorum mox hæc ſeqvuntur in de B.I. *Intima vero templi pars XX. cubitorum erat. Diſcernebatur autem ſimiliter velo ab exteriore, nihilque prorſus in eo erat poſitum : inacceſſa vero & inviolata, & inviſibilis omnibus habebatur, Sanctique Sanctum vocabatur.* Et hoc aulæum adyto oppanſum δεύτερον καταπέτασμα propterea vocat Epiſtola ad Hebræos *cap. IX. v. 3.*

VII. Jam utrum velum fuerit diſruptum, quæritur. Hieronymus de exteriori id accepit. Sic enim ſcribit ad Hedi-

Hedibiam: *Quærendum, quod velum templi ſciſſum ſit, exterius, an interius? Mihi videtur in paſſione Domini illud velum eſſe conſciſſum, quod in tabernaculo & in templo foris poſitum erat, & appellabatur exterius.* Atque ita quoque Origenes aliique veterum; quos ſequitur Baronius *ad ann. CHRISTI XXXIV. num. CXXVII.* Fortaſſe quia id omnibus ſtuporem incutere potuerit. Interius non niſi ſacerdotibus: ut hanc auctorum rationem allegat Adamus Contzen *in Matth. cap. XXVII.*

VIII. Contra Cyrillus *lib. XII. in Johannem* & alii de interiore, quod medium inter Sanctum & Sanctum ſanctorum pependit, explicant. Et *hoc communius dicere doctores* ad Matthæum Lyra annotavit.

IX. Caſaubonus *Exercitat. XVI. ad Baron. num. XC.* utrum e duobus Matthæus & Marcus intellexerint, ſtatui hodie pro certo non poſſe, exiſtimat.

X. Probabilior nobis tamen videtur poſterior ſententia, quia Evangeliſtis velum abſolute & ſine addito nominatur, quod de nobiliori & principaliori κατ' ἐξοχὴν ſic dicto accipere convenit. Certe velum, quod adyto erat oppanſum, proprie ac peculiaris diſcriminis cauſa καταπέτασμα nomen nude poſitum obtinuerat. Apud Philonem de vita Moſis diſtincte aulæum quo penetrale defendebatur, καταπέτασμα vocatur, alterum oppanſum templo ſacerdotali κάλυμμα.

XI. Atque hoc etiam reſpondere velim Voſſio pro unico templi velo pugnanti *lib. II. Harmon. cap. IX. §. 3. Omnino,* inquit, *unum erat templi velum. Et aliter ſi fuiſſet, non dicerent Evangeliſtæ templi velum: ſed, utrum illud templi velum foret, addidiſſent.*

XII. Alii pro unitate veli urgent articulum a Matthæo

thæo & Marco poſitum, cum dicatur, τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη. Sed recte Caſaubonus monet, in exponendis Scripturis tunc demum urgeri poſſe articulos, cum neque rationes Theologicæ, neque hiſtoria repugnet. Igitur apud Matthæum & Marcum aut articuli rationem habendam non eſſe; aut, ſi illum urgere velimus, dicendum: certum quidem velum denotari, propter articulum, nempe quod ſciſſum eſt: (ſic enim verba Evangeliſtarum accipienda, quaſi dicerent: Velum quod ſciſſum eſt in templo, tunc fuiſſe ſciſſum:) ſed non id ſignificari, unicum tantum in templo velum fuiſſe.

XIII. Ceterum in hac aulæi ſciſſura & miraculum & myſterium agnoſcimus. Ingens ſane miraculum fuiſſe conſtat, quia denſiſſimum erat, & firmioris materiæ, & figuras habebat intertextas, nec ullo modo translucebat. Præterea libere pendens nulla vi, ne vento quidem agitatum rumpebatur.

XIV. Myſterii hoc inerat, quod indicabatur, finem imponi typis legalibus, ſciſſo miraculoſe velo, quod inter typos eos illuſtrem obtinebat locum: Ἐσήμανε, ait Theophylactus, τὸ καταπέτασμα σχιζόμενον τὴν τοῦ γράμματος νομικοῦ περιαίρεσιν. *Diſruptum velum ſignificavit literæ legalis ſublationem.* Auguſtinus *Serm. CXXIV. de Tempore:* Velum *templi ſcinditur, quia Synagoga honore nudatur, obſervatio antiqua diſſolvitur.*

XV. E contrario notabat omnibus in CHRISTVM credentibus liberum patere ad Deum aditum, ac ſpiritualem typorum ac cerimoniarum ſignificationem Eccleſiæ N.T. nunc undique eſſe obviam. Ambroſius in *Lucæ cap. XXIII.* Scinditur *velum vetus, ut Eccleſia nova fidei ſuæ vela ſuſpendat. Synagogæ velamen aufertur, ut reli-*

religionis interna myſteria revelato mentis cernamus obtutu. Hieronymus *in Eſaiæ cap. LII.* Velum *templi a ſummo usque deorſum ſciſſum eſt in duas partes, ut omnes Judæorum cerimoniæ panderentur & eo tempore impleretur, quod in hoc eodem Propheta dicit: Ex Sion egredietur lux, & verbum Dei de Hieruſalem.* Auguſtinus *lib. XII. contra Fauſtum cap. XI.* Velum *templi conſciſſum eſt, ut per CHRISTI paſſionem revelarentur ſecreta Sacramentorum fidelibus ad bibendum ejus ſanguinem latere aperto in confeſſione transeuntibus.* Cyrillus *in Johannem:* Quia *omni cognitione ac ſapientia locupletandi jam erant fideles ſine aliqua veli obumbratione totum intelligentes myſterium, idcirco templi velum totaliter ſcinditur.*

XVI. Præterea ſignificatum fuit, recluſum eſſe per mortem CHRISTI cœlum, adeo ut nunc cuilibet illud pateat. Certe τὰ ἅγια τῶν ἁγίων deſignare ſummum illud cœlum, quod majeſtatis divinæ propria velut eſt ſedes, apud Judæos erat in confeſſo: ut ex Joſepho *lib. III. Antiq. Jud. cap. V.* & Philone *de Vita Moſis* conſtat.

XVII. Neque dubium eſt, hoc miraculo Deum voluiſſe iram ſuam adverſus Judæorum ſcelus, ac ipſum divini cultus locum brevi per Romanos pandendum, teſtari. Euthymius ad Matthæum: *Sciſſo velo oſtendit Deus, quod a templo divina avolaſſet gratia, quodque interiora, id eſt, ſancta ſanctorum omnibus pervia atque conſpicua conſtituenda eſſent, quod etiam poſtmodum ingredientibus Romanis eſt factum.* Theophylactus ad eundem: *Velum ſcinditur, demonſtrante Deo, quod templum inacceſſum & nunquam viſum, cujus intima velamen ſecludebat, ſolvatur & prophanetur, ita ut omnibus ſit ſpectabile.*

Digitized by Google

Eleganter Paulinus in Panegyrico de Obitu Celſi pueri ad Pneumatium & Fidelem parentes:

Tunc & diſcuſſo nudata altaria velo
Amiſere ſacri relligionem adyti;
Vt monſtraretur vacuandum Numine templum,
Et fore ab hoſtili ſancta profana manu.
Quod duce Romano docuit poſt exitus ingens
Everſis templo, civibus, urbe, ſacris.
Fas etenim, ut Judæa, cui ſuus hoſtia CHRISTVS
Non erat, & per quam victima CHRISTVS erat,
Sede locoque ſimul veterum viduata ſacrorum,
Inficiata fidem, perderet omne ſacrum.

XVIII. Sane Judæi, qui in luctu, & indignatione rumpere veſtem ſolent, ratione erant præditi. At nunc ſcinditur creatura ἄλογος, ad teſtandum facinoris indignitatem. Atque hanc quoque rationem adducit Theophylactus, inquiens: *Sicut mos erat Judæis in blaſphemiis contra Deum ſcindere veſtes; ita nunc quoque divinum templum quaſi ægre ferens CHRISTI mortem diſrupit veſtem.*

XIX. At quod Hieronymus ad Hedibiam ſcribit, *Velum templi ſciſſum eſſe in duas partes, ut compleretur illud, quod refert Joſephus præſides templi dixiſſe virtutes: Tranſeamus ex his ſedibus;* id neſcio an cum hiſtoria ſatis conveniat. Nam licet Joſephus rem ita geſtam narret *de Bello Judaico lib. VII. cap. XII.* quia tamen inter prodigia excidium Hieroſolymitanum antegreſſa refert, diu poſt paſſionem ac mortem CHRISTI hoc accidiſſe, admodum eſt probabile: ut taceam, diſerte teſtari Joſephum, hoc feſto Pentecoſtes accidiſſe. Quamquam enim non ſum neſcius Euſebium *lib. VIII. Demonſtrat. Evangelica*

hoc

hoc Paſchali tempori tribuiſſe; ſcio tamen ipſum Hieronymum in *Chronico Euſebiano* ad Olymp. CCII. diſſentire, ac Joſephum ſequi. Nam cum de Paſſionis Dominicæ anno locutus foret, ſubjungit: *Joſephus etiam, vernaculus Judæorum ſcriptor, circa hæc tempora die Pentecoſtes Sacerdotes primum commotiones locorum, & quosdam ſonitus ſenſiſſe, teſtatur: deinde ex adyto templi repentinam ſubito erupiſſe vocem, dicentium, Tranſeamus ex his ſedibus.* Non igitur erat, cur Joſephum bonæ fidei ac notæ diligentiæ Scriptorem accuſet Baronius: merito ob id a Caſaubono caſtigatus *Exercitat. XVI. num. XCIII.*

XX. Joh. Buxtorffius ex Talmude obſervat, inter alia ſigna infauſta, quæ templi deſtructionem portendebant, hoc etiam commemorari, quod Templi fores ſponte ſe ſua aperuerint, idque annis quadraginta ante excidium, atque hanc narrationem Rabbinicam omnino pertinere ad veli ſciſſuram Evangeliſtis memoratam autumat. Quam obſervationem mire quoque deprædicat Caſaubonus *Exercitat. in Baronium l. l.*

XXI. Verum ex Joſepho, qui ſpontaneam hanc portæ Templi aperturam graphice deſcribit, liquere arbitror, longe diverſa hæc fuiſſe miracula. Id ut pateat clarius, Joſephi narrationem, prout ex Græco Latine facta, ſubjicio: *Orientalis porta interioris templi, cum eſſet ænea atque graviſſima, & ſub veſperam vix a XX. viris clauderetur, ſerisque ferro vinctis obſeraretur, peſſulosque altos haberet in ſaxeum limen demiſſos, uno perpetuo lapide fabricatum, viſa eſt noctis hora ſexta ſponte pateſcere. His autem curriculo per cuſtodes templi magiſtratui nunciatis, aſcendit ille, vixq; eam potuit claudere.*

XXII. Antiqua eſt traditio, ſuperliminare quoque

Digitized by Google

Templi cum velum rumperetur, corruiſſe. Sic enim ſcribit Hieronymus ad Damaſum: *Superliminare ſublatum illo tempore prædicant, quando velum templi ſciſſum eſt.* Idem tamen ad Hedibiam ſcribens ex Evangelio Hebraico refert, non ruptum velum, ſed fractum ſuperliminare. *In Evangelio,* inquit, *quod Hebraicis literis ſcriptum eſt, legimus, Non velum templi ſciſſum, ſed ſuperliminare templi miræ magnitudinis corruiſſe.* At quia hoc θεοπνεύστοις ſcriptoribus e diametro adverſatur, quis fidem ei adhibuerit?

XXIII. Nec facile quis admiſerit, quod Chryſoſtomus *Sermone III. de Aſcenſione Domini* ſcribit, *Angelum e templo conſciſſo velo domus exiluiſſe.* Et forte eo reſpexit Hilarius *in Matthæum,* quando ait: *Et deinceps velum templi ſcinditur: quia exinde populus eſt diviſus in partes, & veli honor cum cuſtodia Angeli protegentis aufertur.* Quid quod Ephræm *Sermone de Paſſione Domini* referat, *quod Spiritus ipſe Sanctus conſpiciens Filium Patris in cruce pendentem, rupto mundiſſimo illo templi velo, quod e ſurſum erat usque deorſum, in ſpecie columbæ continuo de templo exiviſſe?*

XXIV. Finem primi hujus prodigii conſiderationi imponimus Paulini monito *Epiſt. XI.* ad Severum: *Reputemus & velum templi eodem crucis myſterio ſciſſum; & intelligamus, illius veli ſciſſuram eo fuiſſe prætentam, ut audientes vocem Domini, & myſterium pietatis immenſæ, non obduremus corda noſtra; ſed a carnalibus dividamur, & ſcindamus infidelitatis velamen; ut revelata cordis facie, ſalutarium Dei munerum ſacramenta videamus.*

Matth. XXVII. 51. XXV. Alterum erat prodigium Terræ motus: de quo breviter Matthæus: Καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη: *Et terra movebatur.*

XXVI.

Digitized by Google

XXVI. Quamvis autem ſpeciatim eo non deſignet ſanctus Scriptor, quænam fuerit terra illa; dubium tamen non eſt, quin primo montem Golgatha, ac Hieroſolymitanam urbem, ac porro circumjacentem terram Judaicam intelligat.

XXVII. An vero & aliæ extra Judæam terræ huic motui fuerint obnoxiæ, in quæſtionem venit: id quod nos nulli dubitamus affirmare. Nam & Phlegon ille, quem in hiſtoria obſcurati Solis laudavimus, eodem loco memorat in Bithynia magnum terræ motum contigiſſe. En verba ejus Græca! Σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεςρέψατο: quæ ſic latine habent: *Terræ motus quoque magnus in Bithynia factus Niceæ urbis partem magnam ſolo æquavit.* Porro ſcribit & auctor libri *de Mirabilibus Scripturæ* Auguſtino vulgo tributi, *concuſſione ea etiam aliquot oppida Thraciæ eſſe everſa.*

XXVIII. Addi his ſolet Nicephorus, qui *lib. I. Hiſtor. Eccleſ. cap. XVII.* conſignavit, ſub Tiberii imperio *quatuordecim urbes minoris Aſiæ terræ motu concidiſſe: Ephesum* ſcilicet, *Magneſiam, Sardin, Moſthenas, Hierocæſaream, Philadelphiam, Molum, Timum, Myrinam, Cymen, Apolloniam, Hyrcaniam, Diam & Cybaram.* Idem nimirum creditur terræ motus cum eo, quem deſcribit Tacitus *Annal. II. cap. XLVII.* his verbis: *Eodem anno duodecim celebres Aſiæ urbes conlapſæ, nocturno motu terræ. quo improviſior graviorque peſtis fuit. neque ſolitum in tali caſu effugium ſubveniebat in aperta prorumpendi; quia diductis terris hauriebantur. Sediſſe immenſos montes, viſa in arduo quæ plana fuerint, effulſiſſe inter ruinam ignes memorant. Aſperrima in Sardianos lues, plurimum in eosdem miſericordiæ traxit. nam centies ſeſtertium pol-*

licitus Cæſar: & quantum ærario, aut fiſco pendebant, in quinquennium remiſit. Magnetes a Sipylo, proximi damno ac remedio habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægeatas, Apollonienſes, quique Moſceni aut Macedones Hyrcani vocantur, & Hierocæſaream, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, mittique ex ſenatu placuit, qui præſentia ſpectaret refoveretque. Et cujus meminit Plinius *lib. II. cap. LXXXIV.* Maximus *terræ memoria mortalium extitit motus, Tiberii Cæſaris principatu, XII. urbibus Aſiæ una nocte proſtratis.* De quo item legendus Strabo *lib. XII.*

XXIX. At longe eos fugit ratio, qui hunc tremorem terræ ad tempus referunt mortui Servatoris. Neque enim numerus urbium convenit; & ſi vel conveniet maxime, annorum tamen computus non parum invicem diſtaret. Sive enim cum Euſebio hunc caſum retuleris in annum Tiberii V. ſive cum aliis in annum tertium; quandoquidem CHRISTVS, Luca teſte *cap III. v. 1.* anno XV. Tiberii ſit baptizatus, ac a baptiſmo per triennium abfuerit ejusdem paſſio, minimum annis XIII. terræ motus a Tacito, Plinio & Strabone deſcriptus eundem qui Domini mortem excepit, fuit antegreſſus.

XXX. Interim nihil prohibet, quo minus afferamus, latius excurriſſe illum motum, & plures feriiſſe regiones. Nam ſi Bithyniam Aſiæ minoris regionem corripuit (id quod ex Phlegonte apparet) cur non alias pariter terras afflixiſſe credamus?

XXXI. Ex naturalibus cauſis plerumque moveri terram, res eſt per Phyſicorum ſcholas decantata, notumque eſt ſpiritus ſubterraneos vel ab ignibus terræ viſceribus qui concluduntur, vel calore Solis (nam & hunc in inferio-

Digitized by Google

inferiora agere, atque halitus elicere & reſolvere, experientia docet) vel denique ex retrocedentibus ventis terræque meatibus ſeſe quaſi infundentibus oriri.

XXXII. Vtrum autem talismodi fuerit motus, qui moriente CHRISTO accidit, merito ambigimus. Etſi enim non tolleretur miraculi natura, ſi cauſarum ſecundarum vel unius vel plurium concurſu ad producendum hunc effectum modo extraordinario Deus fuiſſet uſus; cum tamen de eo nobis nihil conſtet, malim in illorum ſecedere ſententiam, qui hunc motum habent pro plane ſupernaturali, cujus nulla ex natura rerum reddi queat ratio. Quam in rem vide quæ pie non minus quam erudite disquirit clariſſimus conjunctiſſimusque collega noſter Caſpar Poſnerus in Diſp. Phyſica *de ſingularibus ac mirandis quibusdam, quæ morte CHRISTI in Natura acciderunt, utrum a Natura fuerint*, §. *XXIV. & ſeqq.*

XXXIII. Deſignabat autem gravis ille motus terræ tum divinam iram Judæis ob patratum ſcelus peſſima quævis minantem: tum majeſtatem CHRISTI, ad quam contremiſcat terra. Hinc Hilarius *lib. III. de Trinitate:* Terra *ad onus Domini in ligno pendentis intremuit, eum qui moriturus erat intra ſe conteſtata non capere.* Et Hieronymus ad Hedibiam: *Terra mota eſt pendentem Dominum terra non ſuſtinens.*

XXXIV. Fortaſſis etiam hoc terræ motu indicatum, prædicatione verbi crucis totum orbem terrarum commotum iri, ut prædixerat Haggæus *cap. II. v. 7.*

XXXV. Tertium prodigium erat Ruptura Petrarum quam itidem breviter perſtringit Matthæus, dicens: *Matth.*
Καὶ πέτραι ἐσχίσθησαν: *Et petræ ſciſſæ ſunt.* Quamvis enim terræ motus cauſam huic ſciſſuræ petrarum dediſſe *XXVII. v. 51.*
vide-

videatur, tamen cum non omnis terræ motus duriſſimas petras diſſilire faciat, ideo pro peculiari prodigio merito habendum.

XXXVI. Lucianus Martyr apud Euſebium *lib. IX. Hiſtor. Eccleſ. cap. VI.* teſtatur, rupem Golgathæam præcipue hanc ſciſſuram fuiſſe expertam. Qui Hieroſolymis fuerunt, ac coram petras haſce intuiti ſunt, teſtantur ſciſſionem illam adhuc hodie nimis quam conſpicuam, adeoque terribilem eſſe, ut horrorem intuentibus incutiat. Quæ Adrichomius hac de re habet, affero: *In Calvariæ monte conſpici etiam nunc poteſt illa, quæ ſub lævâ manu CHRISTI ad crucem obſtinati latronis facta eſt ſciſſura, in qua Dominici ſanguinis colorem adhuc deprehendere licet. Profunditas vero tanta, ut eam hujus rei curioſi bolide ſubmiſſa neutiquam potuerint inveſtigare.*

XXXVII. Per hanc a læva crucis CHRISTI petræ rupturam nonnulli latronem impium a Domino diviſum eſſe, ſignificatum tradiderunt. Sed recte addit Gerhardus: *Hæc & ſimilia cum deſtituantur Canonicæ Scripturæ autoritate in credendi libertate ſunt relicta.*

XXXVIII. Ceterum & hæc fiſſura petrarum divinæ iræ fuit ſignum, ac pariter duritiem & obſtinationem Judæorum accuſabat. *O duriora ſaxis Judæorum pectora,* exclamat Ambroſius *lib. X. in Lucam:* finduntur *petræ, ſed horum corda durantur; horum immobilis duritia manet orbe concuſſo.* Hieronymus ad Hedibiam: *Petræ ſciſſæ ſunt, ut indicarent duritiam Judæorum, qui præſentem Dei Filium intelligere noluerunt.*

XXXIX. Nec minus argumentum fuit innocentiæ & majeſtatis CHRISTI. Iſidorus Peluſiota *lib. I. Epiſt. CCLIII.* Quod *petræ in paſſione Dominica perruptæ ſunt* &

& monumenta ad corporum migrationem tremuerunt, hinc illud ſignificabatur, eum qui clavis configebatur, & terrenorum & ſubterraneorum eſſe Dominum.

XL. Nos vero, monente Paulino *Epiſt. XI.* ad Severum, *recordemur, & petras fiſſas ad hujus aſpectum crucis; & ſaltem ſaxorum æmulatione præcordia noſtra findamus timore divino.*

XLI. Quartum miraculum eſt, quod aperta fuerint monumenta. De eo iterum Matthæus: Καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν. *Et monumenta aperta ſunt.* *Matth. XXVII. v. 52.*

XLII. Quando terra movetur, & petræ finduntur, aperiri monumenta, nemini non compertum eſt, ſiquidem tunc disjiciuntur, vel etiam ſcinduntur marmora aliaque ſaxa monumentis impoſita. At quia peculiariter illorũ ſanctorum monumenta ſunt aperta, qui poſt CHRISTI reſurrectionem ex illis prodierunt vivi, merito hoc pro inſigni miraculo habendum. Sic namque pergit Matthæus: *Et multa corpora Sanctorum, qui dormierant ſurrexerunt.*

XLIII. Quidam hoc miraculum in duo membra dividunt, in apertionem ſcilicet tumulorum, & reſurrectionem mortuorum. Sed hæc reſurrectio Sanctorum non ſtatim contigit in illa ſepulchrorum apertura, ſed poſt CHRISTI demum reſurrectionem, ſicut ipſe Evangeliſta exponit ſequenti verſu: *Et egreſſi e monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam civitatem, & apparuerunt multis:* ubi verba illa μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ referenda ſunt non ſolum ad egreſſum, ſed etiam reſuſcitationem illorum Sanctorum. *Quod ſi enim ſtatim,* (ſic inter alia ſcribit B. Gerhardus) *a CHRISTI morte fuiſſent redivivi facti, quid per triduum in ſepulchris egiſſent?* *Matth. XXVII. 53.*

XLIV. Heinſius quidem *Exercitationum Sacrarum in Matthæum cap. II.* eodem momento revixiſſe ſimul & reſurrexiſſe ſanctos cenſet; ſed non niſi poſt reſurrectionem Domini urbem ſanctam ingreſſos. Sic igitur diſtinguit textum: *καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων, μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰσῆλθον* &c. hoc ſenſu: Et qui ſuſcitati erant, atque e monumentis mortis ejus vi tum egreſſi ſunt, poſt reſurrectionem ejus etiam in ſanctam venerunt urbem. Sed nova eſt hæc Heinſii diſtinctio, nec codicum antiquorum auctoritate nititur. Jam olim tamen Auguſtini ævo nonnulli eo inclinarunt: unde Epiſt. XCIX. ad Evodium hæc legas: *Scio, quibusdam videri, morte Domini CHRISTI jam talem reſurrectionem præſtitam juſtis, qualis nobis in fine promittitur: quoniam ſcriptum eſt, illo terræ motu, quo in ejus paſſione petræ ſciſſæ & monumenta aperta ſunt, multa corpora reſurrexiſſe juſtorum, & viſa cum illo, quando reſurrexit, in civitate ſancta.* Mox tamen addit, *reſponderi, hoc dictum eſſe per anticipationem, ut monumenta quidem illo terræ motu aperta intelligantur, cum CHRISTVS in cruce penderet; reſurrexiſſe autem juſtorum corpora, non tunc, ſed cum ille prior reſurrexiſſet.*

XLV. Scilicet ideo Evangeliſta ſepulchris apertis reſuſcitationem jungit mortuorum, quia illa hujus præſagium quoddam fuit & præludium: inprimis vero quia reſuſcitatio illorum ſanctorum fuit effectus & fructus mortis CHRISTI, per quam mors noſtra devicta & proſtrata eſt.

XLVI. Ingenioſa de apertis monumentis cogitatio eſt Ruperti *lib. I. in Deuteron. cap. VI.* Poſtquam enim quæſierat; *Cur moriente Domino, & terra tremente, monumen-*

Digitized by Google

numenta Sanctorum aperta ſunt? mox ſubjicit: *Videlicet, aut nihil idoneum, aut hoc reſpondebitur ſolum, quia corporibus mortuorum hoc expediebat, ut conjungeretur cum eis in ſepulchris corpus hujus mortui, quod afferebat reſurrectionem mortuorum, & idcirco ad ſuſcipiendum illud certatim, & avide ſeſe dilataverunt.*

XLVII. Quinam fuerint hi Sancti cum CHRISTO reſurgente reſuſcitati, id hominum hodie arbitramur ſcire neminem.

XLVIII. Sunt qui in horum numero fuiſſe putant Protoplaſtos, & Patriarchas aliosque Sanctos Veteris Teſtamenti, qui voluerint in terra illa promiſſionis ſepeliri, quod præviderint in ſpiritu, ſe eo loci reſurrectionis CHRISTI conſortes futuros.

XLIX. Alii contra exiſtimant, fuiſſe potius eos, qui CHRISTUM in carne conſpexerant, ac non ita pridem mortui erant ac ſepulti: utpote Simeon, Hanna, Zacharias, Johannes Baptiſta, aliique diſcipulis CHRISTI ceteriſque fidelibus noti. Et addunt hanc rationem, quod niſi recenter mortui, non agniti fuiſſent ab illis, quibus apparuerunt, nec cognitum fuiſſet eos a morte redivivos. Credibile enim eſſe ajunt, ſanctos hoſce, ſicut ipſum CHRISTUM, non niſi bene notis apparuiſſe.

L. Sane non omnibus promiſcue apparuiſſe, ſed *multis*, ipſe Evangeliſta tradit; quibus procul dubio de reſurrectione CHRISTI teſtari debuerunt. Hieronymus ad Matth. cap. XXVII. *Quando dicitur, apparuerunt multis, oſtenditur non generalis fuiſſe reſurrectio, quæ omnibus appareret, ſed ſpecialis ad plurimos, ut hi viderent, qui cernere merebantur.* Et horum quidem oculos

Digitized by Google

ita Deus potuit illuminare, ut ſpiritualia reſuſcitatorum corpora integrum fuerit intueri.

LI. Per *ſanctam civitatem* hoc loco intelligitur Hieroſolyma. Licet enim in ea tam atrox ſcelus adverſus Filium Dei eſſet patratum, nihilominus tamen ob cultum divinum illic inſtitutum, *ſancta* vocabatur. Hieronymus ad Matthæum: *Sanctam civitatem, in qua viſi ſunt reſurgentes, aut Hieroſolymam cœleſtem intelligamus: aut hanc terrenam, quæ ante ſancta fuerat, ſicut & Matthæus vocatur publicanus, non quod & Apoſtolus adhuc permaneat publicanus, ſed quod priſtinum vocabulum teneat. Sancta appellatur civitas Hieruſalem, propter templum, & Sancta ſanctorum, & ob diſtinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur.* Idem ad Hedibiam: *Sanctam civitatem Hieroſolymam debemus accipere ad diſtinctionem omnium civitatum, quæ tunc idolis ſerviebant. In hac enim ſola fuit templum, & unius Dei cultus, & vera religio.* Et paucis interjectis: *Porro ſecundum literam nulli violentum eſſe videatur, mortuo Salvatore Hieruſalem ſanctam appellari civitatem, cum uſque ad deſtructionem ejus ſemper Apoſtoli templum ingreſſi ſint, & ob ſcandalum eorum, qui de Judæis crediderant, legis exercuerint cerimonias.* Idem ad Eſaiæ cap. LII. *Appellatur civitas ſanctuarii: hoc enim ſonat propter templum, quod in ea conditum fuit: ſive ſancti, propter noticiam Dei: vel ſancta, quod ſola in orbe terrarum acceperat legem. Unde & poſt reſurrectionem Salvatoris apparuerunt corpora mortuorum in civitate ſancta. Quæ utique propter blaſphemiam & miſſas in Dominum manus, Sancta eſſe non poterat.*

LII. Quid vero de Sanctis illis reſuſcitatis tandem factum,

factum, & num iſti iterum mortui, an cum CHRISTO ad vitam immortalem reſurrexerint, quæritur.

LIII. Priori ſententiæ parum abeſt, quin ſubſcripſerit Auguſtinus, quando Epiſt. XCIX. ſic ſcribit: *Qui utique ſi non iterum repoſitis corporibus dormierunt, videndum eſt, quemadmodum intelligatur CHRISTUS primogenitus a mortuis, ſi eum in illa reſurrectione tot praceſſerunt?* Verum quia hæc Auguſtini ea nituntur hypotheſi, ac ſi hi Sancti ſtatim a morte CHRISTI reſurrexerint, at demum poſt ejuſdem reſurrectionem ſeſe conſpiciendos dederint Hieroſolymis; ea vero (uti paulo ante dictum) nobis non probetur, non eſt, cur illa nos morari vel poſſint vel debeant: præſertim cum Auguſtinus ſive ex ſua, ſive ex aliorum mente mox fateatur, *anticipando* hoc *fuiſſe adjunctum* (de Sanctis reſurgentibus) *ut & CHRISTUS primogenitus a mortuis ſine ambiguitate credatur, & illic juſtis continuo conceſſum, ut ipſo praeunte in æternam incorruptionem atque immortalitatem reſurgerent.*

LIV. Minimum igitur in hoc ſententiarum divortio fluctuat Auguſtinus. Sed plane pleneque primam hanc amplectitur Bernhardus, quod ad vitam mortalem reſurrexerint. Sic enim habet *Sermon. I. de Reſurrectione Domini:* Ceteri *quidem reſurrexerant mortui iterum morituri, CHRISTUS reſurgens ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Illi mortui denuo opus habent iterum reſuſcitari. CHRISTUS qui mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel.* Ex recentioribus idem placuit Voſſio *Harmoniæ Evangelicæ lib. III. cap. I.* qui eandem ſententiam aliquot rationibus fulcire laborat. Et primo quidem non magni momenti eidem videtur, quod

juniores dicant, alioqui non fore certos reſurrectionis teſtes: quia quid deinceps de iis fieret, conſtaret nemini: eoque ſatis eſſet, ſi reſurrexiſſe eos innoteſceret. Nec ſic deinde iis, qui viderint illuſum: quod abunde ita & animæ immortalitas, & potentia Dei in reſuſcitandis corporibus, imo & veritas reſuſcitati CHRISTI oſtenderetur. Denique nihil eſſe, quod objiciatur, ſi iterum fuiſſet moriendum, non beneficium iis fuiſſe, ſed tormentum: quia jucundiſſimum his animis fuit CHRISTVM conſpicere, & cum eo ſine dolore ullo, (quod facile fuerit Deo præſtare) corpus deſerentes aſcendere in locum animis beatis deſtinatum, ubi æternum forent cum CHRISTO ante Dei thronum.

LV. Jam mihi non eſt animus, longa diſputatione Voſſium refellere; inprimis cum in ſacris literis non ſit conſignatum, quid poſt reſurrectionem Sanctis illis contigerit; longe tamen veriſimiliorem eorum cenſemus ſententiam, qui exiſtimant, quod reſurrexerint ad vitam immortalem & cum CHRISTO poſtea in glorioſa aſcenſione cœlos ſint ingreſſi. Id quod etiam B. Lutherus (ut alios taceam) cenſuit.

LVI. Quod in Sanctis his impletum eſt, id ſuo in nobis ſperare debemus implendum tempore. Vnde Sanctos hos Theodoretus *Commentar. in I. Cor. XV.* eleganter vocat *noſtræ reſurrectionis obſides.* Quod pluribus declarat Gregorius Magnus *lib. XIV. Moral. cap. XXVIII.* Ne *quis cogitatione tacita forſitan dicat, quod idcirco CHRISTVS reſurrexit a mortuis, quia unus idemque Deus & Homo mortem, quam ex humanitate pertulit, ex Deitate ſuperavit; nos vero qui puri homines ſumus, a mortis ſurgere damnatione non poſſemus, recte in reſurrectione ejus tempo-*

tempore etiam multorum Sanctorum corpora reſurrexerunt, ut & in ſe nobis exemplum oſtenderet, & de aliorum, qui nobis per puram humanitatem ſimiles fuerunt, nos reſurrectione roboraret, quatenus cum ſe homo deſperaret percipere, quod in ſe oſtenderat Deus Homo, hoc in ſe fieri poſſe præſumeret, quod in ipſis factum cognoſceret, quos puros fuiſſe homines non dubitaret.

LVII. Atque hæc de quatuor prodigiis in Hiſtoria ſacra memoratis. Quanta vero horum vis ac efficacia fuerit, vel ex eo cognoſcere licet, quod Centurio Deum prædicaret, & in hanc confeſſionem erumperet: *Vere homo hic juſtus erat:* ut ait Lucas: imo amplius, ut eſt apud Marcum: *Vere homo hic Filius erat Dei:* quod Matthæus ſic expreſſit: *Vere Filius Dei erat iſte.* *Luc. XXIII. v. 47. Marc. XV. 39. Matth. XXVII. 54.*

LVIII. Centurio ille procul dubio Romanus fuit; ſiquidem cohors, cui præfectus erat, conſtabat ex militibus Romanis præcavendæ inter Judæos ſeditionis ergo in præſidium collocatis: uti alias in hoc opere fuit monitum. An vero Hiſpanus origine, Romanus tamen civis fuerit (id quod ex Flavii Dextri Chronico nonnulli avent comprobare) in medio relinquimus.

LIX. Qui nomen illi tribuunt *Longini*, eundem cum milite, qui latus CHRISTI lancea confodit, videntur confundere: quo de dicemus plura capite ſequenti.

LX. Quod Chryſoſtomus ex aliorum ſententia refert, hunc Centurionem *poſtea in fide adeo roboratum fuiſſe, ut etiam martyrio ſit coronatus;* non eſt improbabile. Quod vero Hiſpanis & Mediolanenſibus prædicarit Evangelium, ac horum quoque Epiſcopus a S. Barnaba fuerit creatus, talis eſt traditio, quæ infirmo nititur tibicine.

LXI.

Marci XV. v. 39. LXI. Marcus de eo ſingulariter notat, quod ἐξ ἐναντίας, *ex adverſo* CHRISTI crucifixi *ſteterit*, ut adeo omnia exacte potuerit obſervare, & audire ea quæ CHRISTVS in cruce prolocutus.

LXII. Atque idem quoque annotavit, ex eo ſpeciatim permotum, quod vidiſſet CHRISTVM mox a clamore valido exſpiraſſe. Quandoquidem enim id eſſet contra morem eorum, qui lenta morte in cruce conficiuntur, quos ad extremum ipſa vox, nedum clamor deſtituit; recte argumentabatur centurio, divinam in hoc cruciario virtutem humana majorem agnoſendam eſſe.

Luc. XXIII. v. 47. LXIII. Lucas in genere dicit, quod hic centurio viderit τὸ γενόμενον, id quod *factum fuerat*, ſive ea quæ contigerant: quibus verbis includit omnia, quæ CHRISTO in cruce pendente ante ac poſt mortem ejus acciderant: quomodo ſcilicet pro crucifigentibus oraverit, latroni Paradiſum promiſerit, Spiritum in manus Patris reſignaverit, ac magno clamore exſpiraverit; quomodo item Sol fuerit obſcuratus, terra mota, rupes ſciſſæ ac monumenta reſerata. Hæc enim omnia permoviſſe Centurionem, ut tam honorificam ac glorioſam de CHRISTO confeſſionem ederet, colligitur porro ex eo, quod Matthæus dicit: *Centurio autem, & qui cum eo erant, cuſtodientes JESVM*, ἰδόντες τὸν σεισμὸν καὶ τὰ γενόμενα, *viſo terræ motu, & his quæ facta fuerant.*

Matth. XXVII. v. 54.

LXIV. Duo autem fecit Centurio. Primo *glorificavit Deum:* deinde *confeſſus eſt.* Quod ad primum, optime cenſet B. noſter Gerhardus, quod hæc glorificatio non ſolum de confeſſione veritatis accipienda, (ſicut alias *glorificare Deum*, eſt confiteri veritatem Joſ. VII. 19. Joh. IX. 24.) ſed etiam de vera agnitione Dei in CHRISTO

STO

Digitized by Google

STO quod ſcilicet hic Centurio vera fide CHRISTVM amplexus ſit, & Filium Dei ipſum eſſe agnoſcens hac ratione Deum glorificaverit. Quamobrem ſimul improbat, quod Calvinus *in Harmonia* ſtatuit, *hunc Centurionem non reſipuiſſe penitus, ſed fuiſſe tantummodo ſubitum & evanidum impetum, ut ſæpe contingit homines vanos ac mundanos percelli timore Dei, dum formidabilem ſuam potentiam exerit: ſed quia non ſubeſt viva radix, protinus ſecuritatem obducere, quæ ſenſum illum extinguat.*

LXV. Quod ad confeſſionem attinet, CHRISTVM & *hominem juſtum,* hoc eſt innocentem, atque adeo immerito ad mortem damnatum, & eundem *Dei* quoque *Luc. XXIII. v. 47.* *Filium* profeſſus eſt: quæ invicem neutiquam pugnant, *Matth.* quia utrumq; dixit Centurio, & unum ex altero collegit. *XXVII. 54.*

LXVI. At enim licet Centurio nondum intellexe- *Marc. XV 39.* rit myſterium de æterna Filii Dei ex Patre ante ſecula generatione, vera tamen fuit confeſſio, & illuſtre Divinitatis CHRISTI teſtimonium: quo Arium etiam in ruborem dare voluit Hieronymus ad Matthæum ſcribens: *Et hoc conſiderandum, quod Centurio ante crucem in ipſo ſcandalo paſſionis vere Dei Filium confiteatur, & Arius in Eccleſia prædicet creaturam.*

LXVII. Aliquorum conjectura eſt, confeſſionem illam ex mente Judæorum profectam, qui Meſſiam non natura, ſed adoptione & deputatione Filium Dei exiſtimaverint.

LXVIII. Sed ſi vel maxime probari poſſet, jam ætate CHRISTI hanc de Meſſia opinionem inter Judæos invaluiſſe; nondum tamen ex eo ſequeretur, quod hoc Centurioni, homini militari, rerumque Judaicarum incurioſo fuerit perſpectum.

Digitized by Google

LXIX. Multo autem minus eſt probabile, Centurionem exiſtimaſſe, quod JESVS ſit Filius alicujus Dei gentilis: id quod de Baccho, Hercule, Æſculapio Romani crediderint: & his maxime reſpexerit ad famoſam de Romulo narrationem; ad cujus mortem tenebræ, grandes pluviæ, ventique inſolentes cum magno fragore contigerint. Hac enim confeſſione ſua nequaquam Deum glorificaſſet: quod tamen diſertis verbis Lucas teſtatur. *Luc. XXIII. 47.*

LXX. Centurionis exemplum ſecuti ſunt milites reliqui JESVM in cruce pendentem cuſtodientes. Namque & illi *videntes terræ motum, & quæ facta fuerant, timuerunt valde,* quod ſe miniſtros ſupplicii in innocentem exhibuerint, ac proinde pœnitentia factorum ducti eandem cum Centurione de CHRISTO ediderunt confeſſionem, dicentes: *Vere hic homo Filius Dei erat.* *Matth. XXVII. 54.*

LXXI. Porro hæc prodigia vim ſuam exſeruere in promiſcua turba Judaica, quæ, ut in ſpectaculis ſuppliciorum fieri ſolet, ſpectandi cauſa in montem Golgotha fuerat egreſſa. Hi enim, Luca teſte, *cum viderent ea, quæ facta fuerant, percutientes pectora ſua* in urbem *revertebantur.* *Luc. XXIII. v. 48.*

LXXII. Pectoris percuſſio geſtus quondam erat lugentium, pœnitentium, orantium, indignantium: id quod exemplorum farragine declarant Martinus Geierus *de Luctu Ebræorum cap. VI.* Deſiderius Heraldus *ad Martialem lib. II. Epig. XI.* Joachimus Hildebrandus *in Rituali Orantium cap. IX. §. X. XI.* Johannes Kirchmannus *de Funeribus Romanorum lib. II. cap. XI.* Joh. Stephanus Menochius *de Republ. Ebræorum cap. VI. Quæſt. IX.* Petrus Ravanellus *Bibliothecæ Sacræ tom. II.* in vocibus *Pectus*

Digitized by Google

Pectus & *Percutere,* Gerhardus Johannes Voſſius *Inſtitutionum Oratoriarum lib. VI. cap. XI. §. IV.*

LXXIII. Procul dubio igitur hi ſpectatores externo hoc geſtu teſtabantur, quod anxio corde ſub pectore latitante lugeant acerbiſſimam CHRISTI innocentis mortem. Et quoniam inter ſpectatores illos non defuere, qui vel incondito clamore ad crucem CHRISTUM popoſcerunt, vel alias pendenti in cruce illuſere, admodum eſt veroſimile, aliquos pœnitentia facinorum ductos, cum propter primores in pertinacia obfirmatos loqui non auderent, quod in pectore latebat peccatum, confeſſos quaſi caſtigaſſe. Nec minus eſt probabile, ex toto corde precatos, ne vindicta divina in prodigioſis illis oſtentis radians ulterius progrederetur. Denique etiam par eſt credere, aliquos vehementer indignatos, quod is, qui modis infinitis de populo Judaico meritus, indigniſſime ab iisdem tractatus, manibus ethnicorum traditus, flagellatus, verberatus, conſputus, ſpinis coronatus, manus pedesque perforatus ac extremo crucis ſupplicio fuerit affectus.

LXXIX. Noſtrum vero eſt exemplo turbæ juxta crucem ſtantis pectus noſtrum percutere, eoque, ut Auguſtinus ait in Pſalmum CXLVI. *ſignificare nos nequitiam egiſſe, idque diſplicere nobis, & ideo, antequam Deus feriat, & ultio extremi judicii nos corripiat, nosmet ipſos ferire.*

Digitized by Google

CAP. II.

De petitione Judæorum coram Pilato, ut crucifixis crura frangerentur, ac deinde ad ſepulturam de cruce tollerentur.

Quid moverit Judæos ad hæc petenda. Lex Devteron. XXI. v. 22. 23. explicatur, & cum II. Samuel. XXI. v. 10. conciliatur. De crurifragio facinoroſorum. Cur CHRISTI crura non fuerint fracta.

I.

IN illis, quæ CHRISTO mortuo, attamen in cruce adhuc pendente, contigerunt, hoc etiam eſt, quod Judæi acceſſerint Pilatum, rogantes eum, ut crura frangerentur; ac deinde tollerentur ad ſepulturam. Nimirum S. Johannes duo refert Judæorum poſtulata: quarum unum erat Crurifragium: alterum verò corporum de cruce depoſitio ad ſepulturam. *Joh. XIX. v. 31.*

II. De Crurifragio poſtea dicemus. In depoſitione videndum, quid poſtulatum ſit ex more Judaico, quid item Romano.

III. More Romano, & aliarum gentium, damnatorum corpora relinquebantur inſepulta. Nam interdum pluſcŭlos non dies modo, ſed & menſes & annos pependerunt: ſcilicet donec in infelici ligno Sole exuſti, imbribus rigati tabefierent, & membratim diffluerent: ac ne quis ex propinquis vel amicis corpora detraheret de cruce, cuſtodes apponebantur.

IV. Natali tamen Imperatoris, ut aliquis ad damnatos

tos etiam ex publico gaudio fructus rediret, ſolitos ad ſepulturam deponi, indicat Philo Judæus *in Flaccum*.

V. Alias non temere id fiebat: nunquam ſaltem, niſi venia a Præſide vel magiſtratibus obtenta. Quod & Vlpianus docet *L. Corpora D. de Cadaveribus punitorum*.

VI. Ex his liquet, cur Judæi acceſſerint Pilatum, cum vellent deponi corpora de cruce. Quemadmodum & poſtea Joſephus Arimathæenſis, cum vellet CHRISTI corpus tradere ſepulturæ, neceſſe habuit illud petere a Pilato.

VII. Sed non ſufficit ſcire, neceſſario iis compellandum fuiſſe Pilatum, ſi deponi vellent. Scito etiam opus, quid eosdem moverit, ut vellent deponi.

VIII. Nulla igitur commiſeratio fuit, qua ducti Pilatum de depoſitione compellarunt: ſed lex Moſaica: non quidem, quod Judæi iſti usque adeo forent obſervantes legis: ſed ne viderentur ejus non obſervantes. Quam in rem eleganter Cyrillus Alexandrinus lib XII. in Johannem: *Non hæc ait beatus Evangeliſta, quaſi pietaten ullam efferatis ac crudelibus Judæis tribuat: ſed ut oſtendat, ſtulte eos & imperite excolare culicem, & camelum deglutire, ſicut a CHRISTO dictum eſt.* Revera enim Judæi non eſſe pii voluerunt, ſed videri: ſicut arguit, quod iidem Paraſceves die noluerint ingredi prætorium Pilati: nec tamen eo tempore verebantur (quod multo magis legi repugnabat) CHRISTVM innocentem morti acerbiſſimæ addicere.

IX. Lex vero, quam Judæi reſpexerunt, legitur Deuteronomii cap. XXI. v. 22. 23. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno:*

Digitized by Google

ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus a Deo, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus tibi dat in ſortem. Quæ Philo libro *de ſpecialibus legibus*, ubi contra homicidas diſputat, ſic interpretatur: *Neceſſe fuit eos in communem mortuorum locum deferri, terraque recondi, ne ea quæ ſuper terram eſſent, inquinarent.* Vbi videmus, per *terram* ipſum intelligere, *quæ ſuper terram*, hoc eſt, homines ipſos, atque aera etiam, cujus ſerenitas fœdo maledicti illius ſpectaculo velut nube obducitur, turbaturque.

X. Nec eſt, quod dicas, ſi ſuſpenſi polluant terram, magis ab illis pollutum iri patrium ſepulchrum. *Tales enim* (reſponſionem Voſſii ex *Harmonia* offero:) *non inferebantur communibus ſepulchris, ſed ſeorſum a cæteris. Quod legas in compendio Thalmudico dicto Alpheſi, & apud Rabbinos Jacob Jurim, ac Moſem Maimonidem.*

XI. At cum more illo Judæorum a divina lege profecto pugnare videtur, quod Gabaonitæ filios Saulis in patibulo ſuſpenſos per multos dies usque ad putrefactionem reliquerint. II. Samuel. XXI. v. 10.

XII, Verum recte reſpondet B. Gerhardus, Gibeonitas non fuiſſe ex Judæis, ſed ex gentibus: jam vero gentes, etiamſi ad verum Deum Iſraelis converterentur, ac religionem Judaicam amplecterentur, tamen non obligabantur legibus forenſibus populo Jſraelitico ſolum latis, inter quas conſtitutio de tollendis e patibulo corporibus ſuſpenſorum eſt referenda.

XIII. Quod ſi autem ante veſperam ſemper corpora mandari terræ opus erat: quanto magis id fieri neceſſe fuit inſtante Sabbato magno. Eo quoque motos fuiſſe Judæos, docent nos verba S. Johannis: *Judæi ergo quoniam*

Joh. XIX. v. 31.

Digitized by Google

am Paraſceve erat, ut non manerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus ille dies Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura & tollerentur.

XIV. Conjiciunt aliqui, etiam metu ſeditionis Primores Judæorum depoſitionem a Pilato petiiſſe: ne quo diutius in cruce CHRISTVS penderet, eo plura horridioraque portenta fierent, quibus populus, quem antea CHRISTVS faventem habuiſſet, tanquam quæ innocentiam ejus abunde teſtarentur, commotus ſeditionem concitaret.

XV. Quod legem divinam coram Pilato diſerte non allegaverint Judæi, quidam divina diſpoſitione factum putant: eo ſignificari dicentes, legem illam non pertinuiſſe ad CHRISTVM, quippe qui nihil morte dignum commiſerit, ſed tantum propter peccata mundi libens maledictum ſupplicium ſubierit, ut nos a maledictione legis redimeret.

XVI. Et hæc de poſtulato Judæorum. Sequitur videamus de facto militum. Hi utriusque latronis, quia ſuperſtites forent, crura fregerunt: in CHRISTO, quia jam mortuus eſſet, non item: ſed miles ei lancea latus tranſfixit, unde profluxit ſanguis & aqua.

XVII. Primum itaque de Crurifragio latronum, poſtea ſingulari capite de Latere CHRISTI aperto diſpiciemus.

XVIII. Crurifragium in utroq; latrone peractum ſic deſcribit Johannes: *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.* *Joh. XIX. v. 32.*

XIX. De præſenti Crurifragio primum quæritur, an ex Romano more fuerit uſurpatum, an Judaico.

XX. Et ſane jam olim Romanos facinoroſis fregiſſe

ſe crura negari nequit. Nam in Aſinaria Plauti II. IV. v. 68. legas: —— *Crura hercle diffringentur*
Ni iſtum impudicum percies.

Et in Pœnulo IV. II. 64.

Si herus meus me eſſe locutum cuiquam mortali ſciat
Continuo is me ex Syncerafto crurifragum fecerit.

Cicero pro Roſcio Amerino: *Opinor iis crura ſuffringantur.* Svetonius in Auguſto cap. LXVII. *Thallo a manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.* Idem in Tiberio cap. XLIV. *Vtrique mox* (miniſtro cuipiam & tibicini) *quod mutuo flagitium exprobraſſent, crura fregiſſe.* Seneca de Ira lib. III. cap. XXXII. *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſervulum infelicem in ergaſtulum miſerimus. Quid properamus verberare ſtatim, crura protinus frangere?* Ex quibus ſimul patet, inprimis id in ſervis locum habuiſſe.

XXI. Neque tamen liberi ab eo plane fuerunt immunes, ſive in crimine, ſive potius per ſævitiam vindicantis. Ita Cornelius Sulla M. Mariō Gratidiano *perfringi crura, erui oculos, amputari manus juſſit; & quaſi totiens occideret, quotiens vulnerabat, paullatim & per ſingulos artus laceravit,* ut iterum eſt apud Senecam *de Ira lib. III. cap. XVIII.* Ex Paganis porro Crurifragium tangit Apulejus Metamorphos. lib. IX. *Tunc uxor egregia, diras devotiones in eum* (maritum) *deprecata, & crurum ei fragium obominata.* Ex Chriſtianis Hilarius contra Conſtantiam Auguſtam: *Nec crucem, & fragmenta crurum meorum vitaſſem, poſtquam in paradiſum translatum latronem recordarer.*

XXII. Hac pœna ſævitum quoque fuit in Martyres. Euſe-

Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. VIII. cap. XII. *Martyres partim ſecuribus cæſi, ut in Arabia contigit: partim ſuffractis cruribus interierunt, quemadmodum accidit in Cappadocia.* Euſebium ſeqvuntur Nicephorus & recentiores alii. Videatur etiam Martyrologium Romanum X. Kl. Junii. Sic Beda & Martyrologium Romanum IV. Non. Martii memorant, *Nicomediæ Hadrianum martyrem cum aliis viginti tribus, omnes ſub Diocletiano Imp. martyrium crurifragio conſummaſſe:* quæ repetuntur VI. Idus Septembr. in Martyrologio Romano. Ac aliud exemplum reperire licet in Martyrologiis IX. Kl. Maji: quemadmodum eadem re dixi libro *de Martyrum cruciatibus cap. XVI. §. LXXI.*

XXIII. Ex more igitur Romano duobus iſtis latronibus crucifixis crura fuiſſe fracta putant Emundus Merillus & Hugo Grotius ad Joh. cap. XIX. auctoritate potiſſimum Lactantii, qui *Divinarum Inſtitutionum lib. IV. cap. XXVI.* ſcribit: *Suffixus itaque CHRISTVS, cum ſpiritum depoſuiſſet, neceſſarium carnifices non putaverunt oſſa ejus ſuffringere, ſicut eorum mos ferebat.* Laudatur etiam in hanc ſententiam Auguſtinus in Pſalmũ XXXIII. *Crura latronibus in cruce fregerunt, ut per ipſum dolorem compendio mortis ab ipſo cruciatu liberarentur, quomodo ſolebat crucifixis fieri.*

XXIV. Verum illum ipſum Lactantii locum de Judæis accepit Lipſius *lib. II. de Cruce cap. XIV.* ad quem hæc annotat: *Ait caute,* eorum mos: *nempe Judæorum. Et cur hoc Judæi? ne fraus legi fieret, quæ juſſerat ad Solem occaſum ſuſpendioſos deponi. At deponi niſi mortui non debebant: diutius autem plerique vivebant: ergo hac, aut alia via mors feſtinanda. Alia etiam dico via: nec crediderim fuiſſe hanc ſolam.*

Digitized by Google

XXV. Et huic ſententiæ vel id favere videtur, quod crurifragium apud Romanos peculiare ſupplicii genus & a cruce plerumque diſtinctum fuerit: ſecus ac in hac hiſtoria ſacra deprehendimus, ubi tum demum cruciariis franguntur crura, poſtquam aliquamdiu in cruce pependiſſent.

XXVI. Caſaubonus tamen, cum Baronius ſcripſiſſet ad annum CHRISTI XXXIV. num. CXXVI. *fuiſſe moris, ut cruciarii fractura oſſium ante Solis occaſum ad veſperum necarentur,* ſi id de militibus Romanis intelligendum, non modo falſum, ſed ſi de Hebræis ſenſiſſet, *magis etiam falſum & fefelliſſe* putat. *Nam neque Crucis ſupplicium,* addit, *apud Judæos fuit in uſu, ut ante probavimus: neque crurifragium inter uſitatas illis pœnas unquam legitur.*

XXVII. Quid igitur dicemus, ſi neque id Romani nec moris fuerit Judaici? An ergo ex arena conſilium capientes, cum deponendi utique ob feſtum, ante autem id quam fieret, enecandi eſſent cruciarii, præ efferato in Dominum odio tale genus cædis elegerunt, quo crudelius atque exquiſitius vix aliud occurreret? Et tamen alia exempla olim ſuppetiiſſe crediderim: quia absque iis ſi fuiſſet, non tam ſpeciatim de Crurifragio, quam in genere de occidendis iis Pilatum ſollicitaſſent.

XXVIII. Eum autem in finem crurifragio potius, quam ſtrangulatione aut confoſſione corporis confectos & occiſos mortis candidatos ſtatuunt nonnulli; quod citius hoc cruciatu extrema immineant: tum quia oblongo illo cruris ore vel leviter ſauciato, ob nervorum ſenſitivorum concurſum intenſiſſimus dolor excitetur, qui quod pœnæ longitudini decederet, acerbitate compenſa-

ret;

ret; tum quia quandam vitalitatem genibus ineſſe Plinius teſtetur lib. XI. Hiſt. Natur. cap. XLV. *Hominis,* inquit, *genibus quædam & religio ineſt, obſervatione gentium. Hæc ſupplices attingunt: ad hæc manus tendunt: hæc, ut aras, adorant, fortaſſis, quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſa genu utriusque commiſſura, dextra lævaque a priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt: qua perfoſſa, ceu jugulo, ſpiritus fugit.*

XXIX. Franciſcus Nanſius in *Notis ad Nonnum* notat ſe legiſſe, medicorum παῖδας aſſerere, liquorem quendam vitalem genuum operculis incluſum contineri, qui ſi emittatur, continuo hominem mori.

XXX. Rectius dixeris, cauſam Crurifragii fuiſſe hanc, quod confracta oſſa pungant continuo nervos, adeoque inevitabiliter conſulſiones lethales inducant. Et refert Johannes Maldonatus *in Matthæi cap. XXVII.* apud Gallos ſimile quiddam fieri his, qui confringuntur in rota, quorum nonnullis beneficii loco ut citius moriantur, & a cruciatibus liberentur; ferrea virga pectus obtunditur, ut ſtatim exanimentur.

XXXI. Quod ad modum Crurifragii attinet, Lipſius eum ſic deſcribit lib. II. de Cruce cap. XIV. *ut incus cum malleo, vel vecte ferreo inferretur, ac tibias incudi imponerent, validis ictibus ſic frangendas.* Sed hæc de Crurifragio ut a cruce diſtincto ex Actis Martyrum colligit: quibus non ſemper tuto habenda fides, præſertim a Surio vulgatis; ad quæ tamen provocat Lipſius. Et memini Adonem in *Martyrologio* nobis ſiſtere crurifragium baculis factum V. Idus Martii. Facile tamen crediderim Voſſio, ſi crucifixis crura confringerentur, pro incude ſtipitem fuiſſe arrectarium.

Digitized by Google

XXXII. Paraphraſtes Nonnus hic mire inconſtans eſt, dum primo ad verſum XXXI. inſtrumentum hujus crurifragii vocat πολυοδόντα σίδηρον, hoc eſt ferrum *multos dentes habens*, quod uno nomine *Serram* dixeris: deinde ad v. XXXII. idem crurifragium enſe ſive ἄορι factum eſſe canit: quam inconſtantiam merito reprehendit Daniel Heinſius *Ariſtarchi cap. XXIX.*

XXXIII. Ac magis etiam ceſpitaſſet Nonnus, ſi amputata crura putaſſet, quod fere verba τάμνειν & κόπτειν, quibus ille uſus, inſinuant. Neque enim hæc reſpondent verbo κατάγνυμι, quod Evangeliſta uſurpavit: unde κατάγὴν & καταγὴν ὀςῦν, *os fractum* apud Galenum, ὀςῶν κάταγμα *fractura oſſium* apud Dioſcoridem.

XXXIV. Ceterum uti mortis accleranda cauſa crurifragium adhibitum fuit, ita latrones ad latera CHRISTI ſuſpenſos illud ſubiiſſe verbis ſequentibus teſtatur
Joh. XIX. v. 32. S. Johannes: *Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo.*

XXXV: Per *primum* Nonnus intellexit latronem pœnitentem, quaſi ab illo cœperint ferale officium, ac deinceps ad alterum tranſierint.

XXXVI. Verum recte monet Heinſius, non admodum de iſta methodo ſollicitam fuiſſe fæcem iſtam Romuli, neque oculos ad pœnitentiam, ſtupendam quidem iſtam atque incomparabilem flexiſſe: multo minus aliquid momenti poſuiſſe in eo, ut qui pœnitentiam egiſſet, prior crurifragium ſubiret; cum præſertim nihil de his ſacer codex.

XXXVII. Ex eo, quod poſt amborum latronum crurifragium ad CHRISTVM demum veniſſe dicuntur milites, cum tamen in medio eorum pependerit; ſcru-

pulum

Digitized by Google

pulum movit Lyranus: quem ita tolli poſſe autumat, ſi reſpondeamus, quod non niſi duo milites alter a dextris, alter a ſiniſtro pendentis latronis crura fregerint, & ſic demum ambo ad JESVM convenerint.

XXXVIII. Verum id quoque fieri potuiſſet, ſi duo vel tres in ſingulis latronibus ſeparatim fuiſſent occupati: ut taceam ſuas habuiſſe cauſas, cur ad CHRISTVM ultimo acceſſerint. Nam quia Dominus jam exſpiraverat, idque aliqui militum, minimum Centurio obſervaverat, reliquis autem id nondum perſpectum eſſet ſatis, forte ex priorum ſvaſu omnes & ſinguli tamdiu diſtulerunt CHRISTVM aggredi, donec cum latronibus res eſſet confecta.

XXXIX. Ac tum denique *ad JESVM cum veniſſent* (hæc verba ſunt Johannis) *ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* *Joh. XIX. v. 33.*

XL. Ex quo apparet quidem, quid milites moverit, ne crura CHRISTO, perinde ac latronibus, confregerint. Sed quia ſingularis in eo agnoſcenda erat divina providentia, Evangeliſta in ſequentibus monet, *hæc eſſe facta, ut ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo:* id quod in typo agni Paſchalis prædictum erat Exodi XII. v. 46. & Numeror. IX. v. 12. *v. 36.*

XLI. Nimirum uti ipſe agnus Paſchalis figura fuit immaculati illius agni Dei, peccata mundi portantis, & propterea in cruce mactati; ita quoque modus mactandi ac manducandi iſtius agni reſpectum habuit ad CHRISTVM. Proinde ut agnus Paſchalis juxta perſpicuum Dei præceptum eo modo mactandus fuit, ut non frangeretur os aliquod illius, ſic Deus CHRISTI crura in cruce confringi noluit.

Digitized by Google

XLII. Non igitur ſufficit, quod ſcripſerat Lactantius lib. IV. c. XXVI. hoc idcirco factum, *ne læſum ac diminutum corpus ad reſurgendum inhabile redderetur*. Quam facile enim fuiſſet CHRISTO, qui divina ſua virtute tot claudos ac mancos ſanaverat, confracta crura ſibi ipſi in integrum reſtituere.

XLIII. Aliqui veterum monent, ideo quoque crurifragium in CHRISTO fuiſſe omiſſum, ut ſignificaretur, nihil ſolidi in eo fuiſſe fractum, hoc eſt, inter dolores, cruciatus & paſſiones divinitatem ſemper manſiſſe inviolatam, mentem Deo integre adhærentem, ac voluntatem divinæ voluntati perpetuo conformem. Imo quemadmodum oſſa CHRISTI, in quibus robur corporis conſiſtit, non fuerunt fracta aut diminuta, ſic interiorem ejus potentiam per mortem non exſtinctam, dum moriens etiam mortem ac Diabolum conculcaverit.

XLIV. Sed quæritur, quomodo illud de oſſibus CHRISTI non confractis cum eo poſſit convenire, quod pedes clavis fuerint transmiſſi: ſiquidem ex ſceletis apparet, pedis oſſa arcte adeo conjungi, ut nequeat clavus, niſi oſſe fracto, transadigi.

XLV. Nobis cum Voſſio eorum placet ſententia, qui ajunt clavum, ubi ſolidiora cohærent oſſa, eſſe immisſum, oſſibus iis ſeparatis, medium tranſiiſſe. Quomodo oſſa non ſint fracta, ſed diducta duntaxat & colliſa.

CAP. III.
De Latere CHRISTI aperto.

I. De

Digitized by Google

De milite percuſſore lateris, qui non fuit eques, ſed pedes. Pedites apud Romanos haſtati. Quodnam huic militi nomen. An Longini? An cæcus a ſtillante CHRISTI in oculos ſanguine viſum receperit? De Lancea, qua perfoſſum latus. De ipſo vulnere lancea facto. Latus percuſſum. De Pleuritide. Dextrumne, an ſiniſtrum, an utrumque latus percuſſum. De quantitate & loco hujus vulneris. Quo animo miles latus CHRISTI percusſerit. De fluxu ſanguinis & aquæ ex latere aperto. Vtrum mixtim fluxerint liquores, an ſeparatim? Quis liquor primo effluxerit? An naturalis fuerit fluxus, an miraculoſus? De aqua pericardii, & pleuræ. De myſtica hujus fluxus ſignificatione. De reliquiis hujus ſanguinis. Zachariæ XII. v. 10. illuſtratur.

I.

CRurifragium in latronibus peractum, in CHRISTO omiſſum hactenus conſideravimus: nunc ordo rerum poſtulat, ut de aperto CHRISTI latere agamus.

II. Commemorat hoc factum S. Johannes his verbis: Ἑις τῶν στρατιωτῶν λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. Quæ ita reddit Vulgatus; *Vnus militum lancea latus ejus aperuit*. Bene autem, an ſecus ſic verterit, inferius apparebit.

III. Tria in his proponit ſanctus ſcriptor. Primo militem percuſſorem lateris, deinde inſtrumentum, ac denique factum ipſum. De ſingulis ordine agemus.

IV. Ἑις τῶν στρατιωτῶν, *Vnus ex militibus*, hoc eſt, ex peditum cohorte erat, qui lanceam in CHRISTI latus adegit. Pedes, inquam, erat miles ille, non ex equitibus. Nam στρατιώτης abſolute non dicitur, niſi de pedite: cum equites ſemper Græcis ἱππεῖς vocarentur: tum vero reorum

rum cuſtodia non committebatur equitibus: & cruciarii quoque non accipiebant equites cuſtodes, ſed pedites.

V. Non igitur fides eſt habenda Hieronymo Xaverio Jeſuitæ, qui in *Hiſtoria CHRISTI Perſica* hunc militem equo inſidentem ſiſtit: quod & viſum iis, qui S. Biblia Bohemice interpretati: atque ita quoque fingunt promiſcuum pictorum vulgus ex perperam credita monſtroſa crucis altitudine.

VI. In Xaverium eo nomine graviter invehitur Salmaſius Epiſtola altera *de Cruce* ad Bartholinum ſcribens: *Tu vis non peditem fuiſſe, ſed equitem, militem illum, quem Scriptura dicit veniſſe, ut latronibus & CHRISTO crucifixis crura frangeret? Quo iſtud argumento? Equitem ſane fuiſſe qui latus CHRISTI lancea aperuit, hiſtoriam CHRISTI Perſicam a Xaverio conſcriptam tradere ais: ſed bene addis: Xaxerium divinaſſe. Ego vero dico, pro ceteris ſuis dictis & hanc impoſturam eſſe Lojolitæ ſummam. Miſeros illos populos, quos tales Evangeliſtæ doctrina CHRISTI imbuendos ſuſcepere. Evangelium illud Perſicum mendaciis refertiſſimum etiam hic nobis imponit, dum pro pedite equitem ſupponit.*

VII. Vt nullus dubitationi relinquatur locus, age de peditibus demonſtrabimus, apud Romanos haſtis (λόγχην *haſtam*, perinde ac *lanceam* ſignificare certum: & nos poſtea comprobabimus:) fuiſſe inſtructos.

VIII. Scilicet in ſingulis legionibus certus numerus, qui haſtis depugnabant, qui & ob id *Haſtati* vocabantur. Varro lib. IV. de Lingua Latina: *Haſtati dicti, qui primi haſtis pugnabant*. Signanter: *qui primi pugnabant*. Nempe Haſtati plerumque omnium primi pugnam inibant. Livius lib. VIII. ubi de inſtructione aciei contra

Lati-

Digitized by Google

Latinos: *Prima acies haſtati erant manipuli quindecim diſtantes inter ſe modicum ſpatium. Manipulus leves vicenos milites, aliam turmam ſcutatorum habebat. Leves autem, qui haſtam tantum geſaque gererent, vocabantur. Hæc prima frons in acie florem juvenum pubeſcentium ad militiam habebat.* Et poſt pauca: *Vbi his ordinibus exercitus inſtructus eſſet, haſtati omnium primi pugnam inibant. Si Haſtati profligare hoſtem non poſſent, pede preſſo eos retrocedentes in intervalla ordinum principes recipiebant, tum principum pugna erat. Haſtati ſequebantur.* Idem lib. XXXVII. *Haſtatorum prima ſigna; deinde principum erant: triarii poſtremos claudebant.*

IX. Erant & ſuæ dignitates & munia in Haſtatis, æque ut in ceteris militibus legionariis. Nam idem Livius de Scipione cum Annibale pugnaturo lib. XXX. *Inſtruit deinde primos haſtatos, poſt eos principes.* Et de ipſo prælio: *Qui primi erant haſtati per cumulos corporum armorumque & labem ſanguinis, qua quisque poterat, ſequentes hoſtem, & ſigna & ordines confuderunt.* Mox etiam *mediæ haſtatorum aciei* meminit. Et lib. XLII. Spurius Liguſtinus *virtutis cauſa T. Quintium Flaminium decimum ordinem haſtatum ſibi aſſignaſſe,* perorat. Idem paulo poſt: *Hic me Imperator* (M. Portius Coſ.) *dignum judicavit, cui primum haſtatum prioris centuriæ aſſignaret.*

X. Non incommodum fuerit hic Turnebum audire, qui Livium haut perfunctorie illuſtrat Adverſarior. lib. XXX. cap. XXXII. *Haſtatorum in legione Romana numerus erat ad mille ducentos, interdum etiam major. Decimus igitur ordo eſt decimi centurionis haſtatorum. Sic* primus haſtatus *dicebatur primi haſtati centurio, qui ducenarius erat, duasque centurias ducebat, ut Vegetius lib.*

Digitized by Google

II. cap. VIII. ait. Quamquam exiſtimo duos centuriones primi haſtati fuiſſe; unum prioris centuriæ: alterum poſterioris. Secundus haſtatus *ſecundi haſtati centurio, qui centuriam ſemis ducebat. Livius mox ſcribit:* Hic me Imperator dignum judicavit, cui primum haſtatum prioris centuriæ aſſignaret. *In primo haſtato duæ erant centuriæ, ut diximus, quæ ſuum quemque primum haſtatum vel centurionem primi haſtati habebant. Earum centuriarum altera prior, altera poſterior dicebatur. Honeſtior autem ordo erat prioris centuriæ.*

XI. Adhæc qui in prælio ſtrenue pugnaſſet, & præclarum aliquod facinus edidiſſet, *haſta pura,* hoc eſt, ſine ferro donabatur. Auctore M. Varrone id probat Servius ad illud Virgilii VI. Æneid.

Ille (vides?) pura juvenis qui nititur haſta.

Pura, inquit Grammaticus, *id eſt, ſine ferro. Nam hoc fuit præmium apud majores ejus, qui tunc primum viciſſet in prælio; ſicut ait Varro in libris de gente populi Romani.* Quamquam alii Poëtam hoc loco *ἀναίμακτον λόγχην, incruentam haſtam* intelligere putant: ut in iſto Propertii lib. IV. Eleg. III.

Pura triumphantes haſta ſequatur equos.

XII. Verum quicquid ſit de loco Virgilii, de ritu ipſo certi ſumus, eidemque adhuc ſub Cæſaribus locum fuiſſe novimus. Svetonius Claudio cap. XXXVIII. *Libertorum præcipue ſuſpexit Poſidem ſpadonem: quem etiam Britannico triumpho inter militares viros haſta pura donavit.* Sic Flavius Vopiſcus in *vita Aureliani* ſermonem Valeriani recitat, quo Aureliano *haſtas puras decem* decrevit. Idem Vopiſcus in vita Probi teſtis eſt, *Ipſum bello Sarmatico jam tribunum, quod tranſmiſſo Danubio multa fortiter*

Digitized by Google

titer feciſſet, publice in concione donatum eſſe haſtis puris quatuor. Simpliciter de donativo haſtarum Feſtus: *Romani fortes viros ſæpe haſta donarunt.* M. Cato oratione ad Equites apud Feſtum: *Majores ſeorſum ac diverſum precium paravere bonis atque ſtrenuis, Decurionatus, Optionatus, Haſtas donaticas, aliosque honores.* Et Plinius de L. Siccio Tribuno plebis lib. VII. Hiſt. Nat. cap. XXVIII. *Donatus haſtis duodeviginti.* Quia autem Joſephus *lib. VII. de Bello Jud.* in donis militaribus numerat δόρατα μακρὰ χρυσᾶ, colligere inde licet, donaticas ejusmodi haſtas quandoque deauratas fuiſſe.

XIII. Vti autem militibus bene meritis in præmium cedebant haſtæ, ita ignavis, & qui alias deliquiſſent, haſta in pœnam adimebatur. Colligimus id ex Feſti libro de verbis veteribus: *Cenſio haſtaria dicebatur, dum militi mulctæ nomine ob delictum militare indicebatur, quod haſtas daret.* Contra Equitibus eqvum ademtum novimus.

XIV. Quemadmodum igitur dubio caret nullo, certos milites Romanos haſta vel lancea inſtructos; ita facili negotio colligere eſt, ex illo ordine unum fuiſſe, qui ſua lancea exanime CHRISTI corpus crudeliter aggreſſus eſt.

XV. Quodnam huic militi nomen fuerit, equidem exiſtimo, neminem certo poſſe definire. Apud Bedam tamen in Collectaneis, quæ in calce Tomi III. apparent, LEGORRIVS nuncupatur. *Dic mihi,* inquit, *nomen illius militis, qui punxit latus Domini JESV CHRISTI. Dico dibi: Legorrius dictus eſt.* Quæ lectio ſi vera, non dubium, quin Beda, ſive quis alius Eclogarum auctor, antiquiorem exſcripſerit.

XVI. Sed plurium eſt ſententia, *Longini* nomen

habuiſſe. In Xavierii *Hiſtoria CHRISTI Perſica* ſic habetur in verſione Ludovici de Dieu: quamquam in Notis marginalibus monet idem editor, in avtographo eſſe aliud, quod corruptum putet pro voce, quæ ſignificet *Longus, qui vulgo Longinus: niſi forte aliud ei dare nomen Auctor voluerit, nempe Inatius, ſeu Ignatius.* Et in Animadverſionibus ita ſcribit; *Scripturam Perſicam intuenti apparebit, nomen militis in Ms. optime legi Inaſius, id eſt, Ignatius. Fortaſſe opportunum maxime videbatur, præclarum hunc militem tanto miraculo decoratum* (de eo mox dicemus) *ipſius JESV ſanguine a cæcitate liberatum, & e milite præcipuum fidei antiſtitem factum, Jeſuiticæ ſectæ auctori ac patrono Ignatio Lojolæ, olim etiam militi, cognominem facere, ut vel inde ſectæ Ignatianæ decor aliquis ac ſplendor accederet.*

XVII. At reformet Xavierius hunc militem in Ignatium, nemo certe noſtrum abſque veterum ſuffragio eidem erit credulus. Videat ille, quomodo Deo rationes expoſcenti reddiderit, quod tam ſanctam JESV CHRISTI hiſtoriam frivolis fabulis incruſtare non fuerit veritus. Nos de Longini nomine erimus ſolliciti, quod apud antiquos ſcriptores quosdam reperire eſt.

XVIII. Primus forſan id in medium attulit Auctor illius *Manualis*, quod in Appendice Tomi IX. operum Auguſtini editionis Antverp. anni CIↃIↃLXXVII. comparet, & ex libellis aliquot Auguſtini collectum eſt. In hoc Manuali cap. XXIII. ſequentia leguntur: *Longinus aperuit mihi latus CHRISTI lancea, & ego intravi.* Hunc ſeqvuntur *in libello Meditationum* Bonaventura, cujus verba inferius adducemus, & varia Martyrologia Romanum quod vocatur, iſta habet Idibus Martii: *Cæſareæ in*

Cappa-

Cappadociæ paſſio S. Longini militis, qui latus Domini lanceâ perforaſſe perhibetur. Idem eodem die præfert Martyrologium Vſuardi, cujus hæc ſunt verba: *In Cæſarea Cappadociæ paſſio S. Longini, qui latus Domini lancea perforavit: ut in geſtis ejus invenitur.* Gemina fere ſcribit Petrus de Natalibus Epiſcopus Equilinus *Catalogi ſanctorum lib. III. cap. CCI.*

XIX. Verum Ado Epiſcopus Viennenſis ejus paſſionem refert in Kalendas Septembres: quo die ſequentia affert: *Apud Cæſaream Cappadociæ* (Natalis) *beati Longini, militis & martyris: quem tradunt illum eſſe, qui lancea latus Domini JESV CHRISTI pendentis in cruce aperuit. Hic poſtmodum baptizatus eſt ab Apoſtolis, cum apud Cappadociam ſanctitate præcipuus degeret: tandem ab Octavio Præſide comprehenſus poſt confeſſionem fidei, lingua abſciſſa & dentibus excuſſis, capite truncatus eſt.* At Græci in Menologio martyrium ejus recenſent XVII. Kl. Novembris: quo etiam Longini centurionis acta deſcripſit Metaphraſtes: ex quo Aloyſius Lipomannus *Tomo VI. Sanctorum,* & Laurentius Surius *Tomo II. Sanctorum* ſua hauſerunt.

XX. Huc etiam ſpectat Epitaphium, quod prope Lugdunum ad confluentem Araris & Rhodani in fano S. Mariæ inſulæ Barbarorum (ut appellant) conſpicitur.

QVI SALVATORIS LATVS IN
CRVCE CVSPIDE FIXIT
LONGINVS HIC JACET.

Placuit quoque hoc nomen M. Hieronymo Vidæ, non ignobili ſuperioris ſeculi Cremona oriundo Poetæ *lib. VI. Chriſtiados v. 60.*

Hic auſus ſolus, lato cui lancea ferro
Longinus ſanctos violare ignobilis artus.

XXI. Nomen Longini ex Romanis eſt. Noti ſunt Velius Longinus, Grammaticus, cujus de Orthographia libellus ſupereſt: Caſſius Longinus, Jureconſultus: Dionyſius Longinus Rhetor, cui elegantem περὶ ὕψους (*de ſublimi charactere dicendi*) commentationem debemus. Et uti a Juſtus Juſtinus, ab Auguſtus Auguſtinus, a Marcello Marcellinus, a Macer Macrinus, ſic a Longus deſcendit Longinus. Ejusdem nominis plures in Martyrologiis prædicantur martyres, quorum unus ſub Cæſare Maximiano miles cum commilitonibus privatus militari zona fuit.

XXII. Noſtro militi hoc nomen ipſam peperiſſe lanceam, facile mihi perſvaderi patior. Adſcribam ea de re verba Johannis Talentonii, qui ineunte præſenti ſeculo in Parmenſi Gymnaſio Philoſophiam & medicinam docuit, ex *Theſauro rerum reconditarum lib. II. cap. IX.* Baronii *& Codri ſententiam ſi quis ſequi maluerit, opinionem eam ex eo forte manaſſe poterit dicere, quod lanceam Græci λόγχην vocant, ut ait Feſtus Pompejus, & quod γ apud Græcos ante χ, κ, ξ, & aliud γ profertur ut ν, & quando eſt ante κ non ſolum profertur ut ν, ſed etiam ipſum κ profertur ut g: eaque propter πίφαγκα exprimentes, dicimus Pephanga. Quare cum dictione λόγχη, id eſt, lancea, uſus ſit Evangeliſta, in qua γ eſt ante χ, credens quiſpiam, literis Græcis mediocriter tinctus, id convenire literæ χ poſſe, quod ipſi literæ κ tribui ſolere dictum eſt, dictionem illam pronuntiavit Latine Longi. Imperiti autem poſtea forte punctum illud, quod literæ ſuperponitur, notam eſſe putantes, quæ literæ ι alibi quandoque vim habere*

habere ſolet, Longin debere legi putarunt, eaque voce eum intelligi, qui Domini noſtri latus aperire eſt auſus. Potuit etiam forte error a lingua Græca imperito oriri, qui accentum acutum literæ o ſuperpoſitum putarit eſſe notam literæ N *apud Græcos, ut eſt apud Latinos & illorum γ eſſe g, ut reapſe eſt: χ vero librariorum incuria eſſe factum, quod debuiſſet eſſe Latinorum ypſilon, &* H *litera* N.

XXIII. Hæc Talentonius, & quidem adeo aperte ac prolixe, ac ſi cum ſeptuennibus pueris ageret: ut in his talibus tam ambitioſum titulum vix mereatur liber. Longe ſane elegantius ea de re differit, ad quem ipſe provocat, Codrus Vrceus *ſermone X.* ubi oſtendit, quod usque ad ridicula in Etymologia verborum perventum ſit. *Volo,* inquit, *unum & alterum joci cauſa vobis enarrare.* Poſtquam igitur de ridiculo *diaboli* etymo a *duobus bolis,* quibus hominem devoret, ſumto quædam attuliſſet, ita pergit: *Audite aliud magis ridiculum. In Johannis Evangelio* legitur: Ἀλλ' εἷς τῶν στρατιωτῶν αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε. *Noſtri Theologi, ſive ſono vocabuli Græci decepti, uti apud Græcos λόγχη, id eſt, lancea, ſcriptum eſt, crediderunt percuſſorem illum Longinum eſſe appellatum: & ita in illum hoc nomine exclamantes invehuntur noſtri Theologi, ſive divini verbi ſeminatores, Longinum proprio nomine militem illum appellant: non miror, ſi nos ridemus: quoniam & diabolum ipſum, & illum, quem iſti dicunt Longinum, puto, ſi talia audiunt, maximos riſus excitare.*

XXIV. Quod ad ſummam rei attinet, conſentiunt in conjectura etymi Longiniani B. noſter Gerhardus in *Harmonia Evangelica cap. XVIII.* & Voſſius *Harmoniæ lib. II. cap. XI.* Hujus nonnulla vel propterea adſcribam, ut appareat, aliquos centurionem divinitatis CHRISTI teſtem

teſtem cum lanceario milite noſtro confudiſſe. *Etiam illud in quaſtione eſt, utrum hic miles fuerit idem ac centurio ille, qui eum terra motum, aliaque miranda, qua fierent, CHRISTO in cruce pendente, conſpiceret, confeſſus eſt, eum vere eſſe filium Dei: ut legere eſt Matthai XXVII. 54. ſed diverſos cenſeo cum Luca Brugenſe in Johan. XIX. 34. Nec enim perſvadere mihi poſſum, centurioni, CHRISTUM confitenti, animum fuiſſe ejusmodi, ut adigere lanceam per latus CHRISTI ſuſtineret. Sed omnino, qui praclare adeo de CHRISTO ſentiret, atrox facinus judicaſſet, ſic ſacrum corpus violare, ſeu vivi, ſeu mortui.* Et poſt pauca: *Sed multum metuo, ne primo miles, cujus nomen neſciretur, a lancea, qua aperuit CHRISTI latus, Longini nomine ſit donatus: poſteaque ita etiam centurio dici cœperit, idque occaſione ea, quod miles idem ac centurio ille crederetur.*

XXV. Baronius Cardinalis nequaquam ferre poteſt, militi noſtro Longini nomen tribui: quod pro dictatoria auctoritate ſua ſoli centurioni, de quo ex Voſſio jam audivimus, vindicat *Tomo I. Annal.* ad ann. CHRISTI XXXIV. *Prædictum vero centurionem* (hæc Baronii verba ſunt) *Longinum nomine appellatum fuiſſe, CHRISTIq; fidem ſecutum, abdicaſſe ſe a militia, ac denique ad martyrii palmam advolaſſe, qui ejus res geſtas ſcripſerunt* (exſtant apud Metaphraſtem die XVI. Octobr.) *teſtantur. Ex quibus redarguuntur, qui ex Apocryphis quibusdam ſcriptis tradiderunt Longinum nomine eundemque cæcum fuiſſe militem illum, qui lancea latus Domini aperuit.* Ex iisdem actis deinde quædam recitat inferius ad eundem annum.

XXVI. Sed profecto eadem veriſimilitudinis ratione

ne aſſeritur Longinum dictum fuiſſe centurionem illum, qua alii id nominis haſtato noſtro tribuunt: hoc eſt, nulla, vel exigua: miror que non immeritò, qui Baronius ſui oblitus, a Martyrologiorum auctoritate, quam tanti alias ſæpiſſime facit, decedens, eadem inter Apocrypha numerare non dubitet. Mea certe hæc eſt ſententia, non minus Longini nomen in centurione, quam in noſtro milite confictum eſſe.

XXVII. Neque tamen contenti fuerunt nomen commentitium militi imponere; addiderunt inſuper miraculum non vulgare: nempe Longinum hunc erumpente ex latere CHRISTI ſanguine & in oculos ſtillante viſum recepiſſe. Nam cæcum fuiſſe tradunt.

XXVIII. Sequi illos ſuperiori ſeculo non dubitavit magni ſpiritus Poeta Baptiſta Mantuanus in Faſtis ſuis ſic canens:

Tu cœcus non mente minus, quam corpore, ſanctum
Lancea & admoto pectus mucrone petiſti,
Inde cruor confuſus aquis haſtilia circum
In digitos lapſus tetigit cum lumina, morbum
Suſtulit.

Idem commentum ſuo quoque calculo firmavit Xaverius, cujus integram narrationem, prout a Ludovico de Dieu verſa, ſubjicio: *Vnus ex militibus, Longinus nomine, experiendi gratia haſtam in latus dextrum Domini JESV verberavit, & ex latere benedicto ejus aqua & ſanguis fluxerunt, & per haſtam in manus ejus venerunt: adeo ut ſanguis ille ſanctus a manu ejus, non mediante manu in oculum ejus venerit, atque ille qui ob defectum viſus quaſi cæcus erat, e veſtigio viſum receperit. Statim ab equo de-*

ſcendit, & nobilitate fidei nobilitatus fuit, ipſumque pro Deo adoravit, & ex præcipuis Religionis factus eſt.

XXIX. At vere cæcutiunt, quibus hæ probantur næniæ. Dic enim, quæſo, qui homini oculis capto lanceam in latus CHRISTI contorquere datum fuerit? Igitur ut incruſtent fabulam Petrus Comeſtor & Petrus de Natalibus caligantes Longino tribuunt oculos, qui, cum ſanguis CHRISTI forte fortuna fuerit admotus, videndi acumen receperint. Porrò Iſidorus in Gerhardi Harmonia laudatus teſtatur, quod altero oculo captus affluxu ſanguinis dominici viſum receperit.

XXX. Non immerito autem quæras, quid anſam dederit hominibus tam licenter talia fingendi? B. Gerhardi conjectura eſt: id primum velut in dramate quodam confictum fuiſſe ad ſignificandam ſpiritualem ſanguinis CHRISTI efficaciam, & paulatim myſticum hunc ſenſum in literalem vertiſſe.

XXXI. Ludovici de Dieu cenſura rigidior quidem eſt, ſed forte vera nimis. Sic enim Animadverſionibus in Excerpta ex Xaverii Hiſtoria Perſica: *Ipſum miraculum neque priſcis Patribus memoratum, & per ſe adeo futile eſt & putidum, ut non magis Evangelicis rebus quadret, quam ſtercora aromatibus.*

XXXII. Ejusdem eſt farinæ, quod Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Hiſtoriali lib. VII. cap. XLVII.* Longinum noſtrum martyrem Octonio Præſidi, Judici ſuo & excæcato, ſed ad cadaver ipſius pœnitentiam agenti viſum reſtituiſſe, neſcio cujus fide, commemorat.

XXXIII. Nec minus inter figmenta monaſtica reputandum, quod Pindarus in *Speculo Paſſionali* tradidit, Longinum ab Apoſtolis plenius inſtructum abdicata militia

Digitized by Google

litia Cæſareæ Cappadociæ triginta annis monaſticam vitam duxiſſe.

XXXIV. Quid igitur reſtat, quam ut Longino ſcribamus ſequens epitaphium?

HAVE. LECTOR
HIC. SITVS. EST. LONGINVS
QVI. NVNQVAM. CHRISTI. LATVS. CVSPIDE. FIXIT
ABI. IN. REM. TVAM
ET. QVI. HVNC. COECVM. FVISSE. PVTAS
OCVLIS. TVIS. COLLYRIVM. PARA.

XXXV. Poſtquam ſatis, & forte plus quam ſatis de milite lateris CHRISTI percuſſore diximus, nunc ad Inſtrumentum, quo inflixit vulnus, nos convertimus. Hoc ab Evangeliſta vocatur Λόγχη.

XXXVI. Λόγχη & Ionibus λόγχα *ſortitionem, portionem*, &, ut nonnulli volunt, *quietem* quoque denotat. Hinc apud Heſychium legas: Λόγχαι, ἀπολαύσεις, *fruitiones*. Et ſic origines vocabuli procul dubio a λαγχάνω, *ſortior, adipiſcor, obtineo*, arceſſere voluerunt.

XXXVII. Sed hæc ſignificatio rarior eſt. Vulgatior ea, qua quodlibet ferrum acutum, quo omnium miſſilium extremitas cuſpidatur, denotat. Julius Pollux lib. V. cap. III. tam venabulis, quam jaculis λόγχας tribuit. De jaculis, quæ ἀκόντια ſunt: Αἱ δὲ λόγχαι αὐτῶν ὑποπλατεῖς. *Cuſpides eorum latæ ſunt.* Mox de venabulis, quæ προβόλια nuncupat: Αἱ δὲ λόγχαι αὐτῶν ἔστωσαν σιδήρου τομώταται. *Cuſpides eorum e ferro ſunt maxime penetrabiles.*

XXXVIII. Frequentiſſime autem pro haſtæ militaris cuſpide ſumitur. Heſychius Λόγχη, ὁ τοῦ δόρατος

σίδηρ☉. Sic Pollux lib. X. cap. XXX. δοράτων, quæ *pila* ſunt, cuſpidem ita vocari notat: καὶ τὸ πρῦχον σιδήρεον λόγχη, αἰχμή, ἐπιδορατίς. *Pili ferrum prominens,* λόγχη *cuſpis (acies) dicitur.* Hoc ſenſu Hierodotus lib. I. Τὸ ξυςὸν τῇσι λόγχῃσι ἐὸν ὁμοίως χρύσεον. *Haſtile cum ſuis cuſpidibus ſimiliter aureum.* Idem lib. V. Τὰς λόγχας κάτω εἰς τὴν γῆν ςρέψαντες. *Haſtarum cuſpidibus in terram defixis.*

XXXIX. Per notiſſimam denique Synecdochen λόγχη pro ipſa haſta acuminata ſumitur.

XL. Quod ſi vero quæras, qua notione vocem λόγχης S. Johannem putemus uſurpaſſe; non minus quadrare textui credimus, ſi dixerimus tam ipſam intelligi haſtam, quam acuminatam haſtæ cuſpidem. Quamvis enim proprie vulnus cuſpide inflictum ſancto corpori; per communem tamen loquendi modum id toti inſtrumento ſolet tribui, quod parte ejus geritur. Solam cuſpidem commemorat Sedulius Poeta Chriſtianus & non vilis in Eccleſia exiſtimationis lib. V. Carminum:

—— Jam ſpiritus artus
Liquerat ad tempus, patulo jam frigida ligno
Viſcera pendebant, & adhuc furor arma miniſtrans
Cuſpide perfoſſum latus.

XLI. Atque hoc cuſpidatum λόγχης ferrum intellexiſſe videtur Nonnus, quando *Paraphraſi in Johannem* μαχαίρῃ latus CHRISTI perfoſſum canit:

Ἀλλὰ θορὼν ἀνίχνῃλ☉ ἀνὴρ ἀνεμώδεϊ λόγχῃ
πλευρὴν πᾶσι μέλουσαν ἀφειδέϊ νύξε μαχαίρῃ.

Quæ ſic vertit Daniel Heinſius: *Sed currens incomprehenſibilis vir levi lancea latus carum non parcenti vulneravit gladio.* Sed hæc verſio clare oſtendit, mentem au-

ctoris

ctoris nequaquam cepiſſe Heinſium. Quod adhuc luculentius apparet ex iis quæ in *Ariſtarcho*, ſeu *Exercitationibus Sacris* ad hunc locum ſcribit cap. XXIX. *Quæro quo pacto miles impius id τῇ μαχαίρῃ feciſſe a Noſtro dicatur. Quod non capio, ut alia non pauca. Sane μάχαιρα Polybio & aliis Hiſpanienſis in militia Romana enſis dicitur: breve telum, ideoque & velitibus plerumque aſſignatum. Velim autem ſcire, quomodo pertingere eo potuerit ἡ μάχαιρα, quomodo qui ea uſus eſt, tam alte penetravit, ut pericardion, quod vulgo creditum, trajiceret. Sed, ut cetera omittam, an oblitus fuit λόγχην ab Evangeliſta poni? Omitto Evangeliſtam. An obliviſci potuit, λόγχης mentionem etiam a ſe ſuperiori verſu factam? imo ἀνεμώδη hanc dixiſſe? quo miſſilia notari a Poëtis ſolent. Quanquam tale nihil in Evangeliſta extet, qui adactam manu haſtam penetraſſe innuit. Sane nunquam ſatis admirari lector poterit, quomodo quod λόγχῃ factum eſt, idem machæra ſit factum. Et tamen ita locus habet.*

XLII. Veruntamen ſine cauſa tam rigidum hic agit Ariſtarchum Heinſius, qui cogitare debuiſſet μάχαιραν non denotare enſem illum Romanum, ſed *ferrum lanceæ*: ut proinde non immerito Heinſius cum cenſura ſua vapulet celeberrimo Salmaſio *Epiſtola I. de Cruce* ad Thomam Bartholinum perſcripta, & hujus Diſſertationi *de Latere CHRISTI aperto* conjuncta.

XLIII. Ab hac græca voce λόγχη Tertullianus verborum novator format *Lunchus*. Ita enim libro de Corona Militis: *Requieſcens ſuper luncho, quo perfoſſum eſt latus CHRISTI:* quamvis alii malint *lonchum* legere, quod græco magis convenit.

XLIV. Quam Græci λόγχην, Latini nuncuparunt

Digitized by Google

Lanceam: unde & natales Latinæ vocis ex Græcia nonnulli repetunt. Diſerte Feſtus: *Lancea a Græco dicta, quam illi λέγχην vocant.* Idem placet Philoxeno Gloſſarum auctori. Iſidorus tamen *Originum lib. XVIII. cap. VII.* a Latinis arceſſit. *Lancea,* inquiens, *eſt haſta, amentum habens in medio. Dicta autem Lancea, quia æqua lance, id eſt, æquali amento ponderata vibratur.* Iſidorum ſequuntur Lipſius *lib. IV. Poliorcet. Dialog. IV.*

XLV. Attamen alii Lanceam ex Gallia arceſſunt. Diodorus Siculus lib. V. Προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἐκεῖνοι λαγκίας καλοῦσι, πηχυαίας τῷ μήκει τοῦ σιδήρου, καὶ ἔτι μείζω. Quæ Poggius Florentinus ita vertit: *Jaculis inſuper bellant, quæ illi Lanceas vocant, ferro cubiti, aut amplius, longitudinis.*

XLVI. Veteres tamen Franci Ἄγγους vocarunt, ſi Euſtathio credimus ſcribenti: Ἄγγος εἶδος δόρατος Φραγγικοῦ, οὐκ ἄγαν μακροῦ, οὗ τὸ πλεῖστον σιδήρῳ περιέχεται: Ἄγγος *ſpecies haſtilis Francici non valde longi, cujus potior pars ferro circumdata.* De iisdem Agathias, cujus ex græco latine verſa damus. *Sunt Angones haſtæ quædam, neque admodum magnæ: ſed & ad jactu feriendum, ſicubi opus fuerit; & ubi cominus collato pede confligendum, accommodatæ. Hæ pleraque ſui parte ferro ſunt obductæ, ita ut parum ligni laminis ferreis nudum conſpiciatur, atque vix imæ haſtæ cuſpis tota. Supra vero ad extremitatem ſpiculi adunci quidam mucrones utrinque prominent, ex ipſo ſpiculo inſtar hamulorum inflexi & deorſum vergentes.* An hic deſcribat Agathias genus illud haſtæ, quod Galli *Halebarde,* Germani Hellebarten vocant, aliis cogitandum relinquo. Interim credibile eſt, ex *Lancea* Francorum, quibus in hodiernum diem id nominis manet, non intel-

intellecta Euſtathium & Agathiam ἄγχος ſuum fabricaſſe.

XLVII. Alii Lanceæ origines Gallis adimentes ad Hiſpanos retulerunt. *Varro cum de petorrito dixiſſet* (verba hæc ſunt Gellii *Noct. Attic. lib. XV. cap. XXX.*) *eſſe id verbum Gallicum, lanceam quoque dixit non Latinum, ſed Hiſpanicum verbum eſſe.* Et ſane pro Hiſpanis eſt, quod non uni in Hiſpania oppido hinc nomen. Florus lib. IV. cap. XII. *Reliquias fuſi exercitus validiſſima civitas Lancia excepit.* Maxima Aſturiæ urbs Dioni prædicatur *lib. LIII.* Oroſius quoque meminit *lib. VI. cap. XXI.* λαγκιάτες itidem in Aſturia ſtatuit Ptolemæus: inque veteri Inſcriptione nominantur *Lancienſes oppidani* & *Lancienſes Tranſcudani.* Denique vel hodie Hiſpani haſtam vocant *Lanza.*

XLVIII. Voſſius *lib. I. de Vitiis Sermonis cap. III.* hæc ſic conciliat: quod origo *Lanceæ* Hiſpanis debeatur, inde traducta ad Gallos: de quibus ſciverit Diodorus, homo Græcus, ut propioribus, & magis cognitis: ſed Romanis quia per bella Hiſpani notiores, quam Græcis, idcirco in illis primum obſervaſſe lanceas.

XLIX. Verum quid vetat, quo minus ab antiquiſſimis Germanis, qui migrationibus ſuis magnam Europæ partem impleverunt, & rem & nomen deduxerimus? Certe de Cimbris Florus lib. III. cap. III. *Nec minor cum uxoribus eorum pugna, quam cum ipſis fuit: quum objectis undique plauſtris atque carpentis altæ deſuper quaſi e turribus lanceis contisque pugnarent.* Svevos lanceis armat Siſenna lib. III. apud Nonium: *Galli materibus, Svevi lanceis configunt.* Et videtur antiquiſſima eſſe vox Germanica eine Lantze/ unde pedites Lantzen-Knechte ſoliti ſunt

ſunt vocati: quod poſtea in Landes-Knechte flecti cœpit. Sic Angli, quorum ſermonem ex Saxonico fonte maximam partem profluxiſſe notum eſt, hoc armorum genus *Launce* nominant. Præterea *ingentes* illæ *ad vulnera facienda haſtæ,* quibus Cheruſcos in prælio contra Cæcinam uſos tradit Tacitus *Annal. I. cap. LXIV.* quasque *enormes* nuncupat Germanicus Cæſar, pila & gladios ſuorùm illis præferens; forſan non ſunt aliæ, quam de quibus agimus, Germanorum lanceæ. Sidonius quoque Apollinaris in apparatu nuptiali Sigimeris Gothi *lanceas uncatas* quoque Domnitio ſuo enumerat *lib. IV. Epiſt. XX.*

L. Tandem & Lanceis uſi ſunt Græci ac Romani. De Horata Macedone Curtius lib. IX. *Igitur Macedo, haut dubius eminus interfici poſſe, lanceam emiſit.* At Græci poſteriores non λόγχας vel λαγκίας, ſed μέναυλα dixerunt. Quomodo Julius Africanus de *Apparatu bellico* & Conſtantinus in *Tacticis* uſi. Explicat id Leo Imperator in Tacticis cap. VI. §. XXXII. Οἱ μὲν εἶχον κοντάρια, εἰ γοῦν τὰ λεγόμενα μέναυλα, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι λόγχας ἐκάλουν. *Habebant contaria, id eſt, haſtas, quas nunc menaυla vocant: quæ olim antiqui lonchas nominabant.*

LI. Romanos lanceis uſos patet ex Svetonii Claudio cap. XXXV. *Neque conviυia inire auſus eſt, niſi ut ſpeculatores eum cum lanceis circumſtarent.* Et ita Veſpaſianus habuit λογχοφόρους apud Joſephum lib. III. de Bello Jud. cap. VIII. *lanceam ferentes, ſeu Lancearios.*

LII. Neque tamen tam rigidi ſumus in exponendo Johanne, ut Lanceam intelligamus bifurcatam, quæ Bipennis dicitur, quamque Germanis, Gallis & Hiſpanis uſitatam diximus. Suffecerit ſi communem haſtam militarem per λόγχην deſignari ſtatuerimus: ſiquidem & Taci-

Digitized by Google

Tacitus haſtis lancearum nomen tribuit, & Pelagius Epiſcopus Cæſareæ Palæſtinæ in concione de Epiphania apud Theodoretum Dialogo III. cap. XXVIII. vocat σπάθην, *ſpatham*: ἐ͂λκε σπάθης ἐδέξατο. *Veſtigium lanceæ retinuit.*

LIII. Denique hic ſubjungere poſſemus longam diſputationem, quorſum Lancea illa pervenerit, & an adhuc, ſive inter clinodia Germanici Imperii in inclyta Vrbe Norimberga aſſervari ſolita, ſive alibi apud Pontificios ſuperſtes ſit. Verum quia animus eſt brevi hanc quæſtionem ſingulari diſſertatione pertractare, nunc quidem eam mittimus, & ad rem ipſam, nempe quid lancea peregerit miles, progredimur.

LIV. Nimirum vulnus eadem inflixit CHRISTI lateri. Græca Johannis hæc ſunt: αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε: Vulgatus, uti ineunte hoc capite dicebamus, vertit: *Latus ejus aperuit.* Videtur igitur legiſſe ἤνοιξε, quaſi ſit ab ἀνοίγω, *aperio.* Sed in omnibus codicibus hodie eſt ἔνυξε, *pupugit, vulneravit.* Eſt enim a νύττω vel νύσσω *pungo.* Jam olim tamen Auguſtinum quoque ἤνοιξε legiſſe, ſequentia ejus verba *Tractat. CXX. in Johannem* arguunt: *Vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret: Latus ejus percusſit, aut vulneravit; aut quid aliud:* ſed aperuit. *Vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt.*

LV. Interea tamen quia per puncturam ſeu vulnerationem illam vere apertum fuit latus, non eſt cur multum improbemus vulgatam verſionem, etiamſi nec ἤνοιξε in exemplari Græco reperiſſet.

LVI. Sunt qui ex verbo νύσσειν grave fuiſſe vulnus probari poſſe autumant, quod apud Homerum de magnis vulneribus uſurpatum reperiatur. At ſi alia non

ſubeſſet ratio, id tam liquido non pateret. Νύττειν enim & νύσσειν de quavis, etiam levi vulneratione, perforatione & punctatione invenias. Hinc ϛιγμὴ *punctum quod lineam incipit*, ut ϛιγμὴ quod eam terminat: & νύξις eſt, quæ acuto quovis telo, ſagitta, ſubula, acu perficitur.

LVII. Gravitas igitur vulneris non e verbo, quod ſolam *punctationem, perforationem, trajectionem* denotat, ſed e telo colligitur, quod fuit lancea, & conſequente ſanguinis & aquæ profluxu copioſo æſtimari debet. At de magnitudine vulneris poſtea videbimus: nunc locum vulnerati corporis inſpiciemus.

LIIX. Hunc Evangeliſta vocavit πλευρὰν. πλευρὰ & πλευρὸν Latinis *Latus* dicitur, a *latendo*, quod *lateat condaturque ſub axillis*: ut bene ſcribit Iſidorus Originum lib. XI. cap. I. Eſt enim *Latus illud totum, quod ſub ala eſt*: quæ verba ſunt Rufi Epheſii libello *de Appellatione partium corporis humani lib. I. cap. XI.* a Junio Paulo Craſſo Medico Patavino latine verſo. Anatomici paulo accuratius ſic deſcribunt *Latera*, quod ſint *regiones illæ corporis, quæ utrinque ab hypochondriis ad claviculas & axillas usque pertingunt, conſtituunturq. inter alia coſtis & muſculis intercoſtalibus.*

LIX. Quia in his partibus corporis ſingularis morbus jam ab antiquo fuit deprehenſus, hinc appellari cœpit πλευρῖτις, hoc eſt ἄλγημα τῶν πλευρῶν, ut eſt apud Hippocratem in *Prognoſticis*, & ὀδύνη πλευροῦ apud eundem paſſim. Et πλευριτικοὶ inde ſunt dicti, qui huic morbo eſſent obnoxii. Cælius Aurelianus lib. II. cap. XIII. *Pleuritis a parte corporis, quæ magis patitur, nomen ſumſit. Latus enim ipſa paſſione vexatur, quod Græci pleuron vocaverunt.* Actuarius de methodo medendi lib. IV. cap.

Digitized by Google

cap. IV. *Si dolor in latere obſirmatur, id a loco patiente πλευρῖτις Græcis nominatur.* Scribonius Largus Compoſit. medic. XCIV. *Qui lateris dolorem cum febri ſentiunt, Græci πλευριτικοὺς vocant.* Morbum hunc *acutum lateris* (ita nuncupat Q. Serenus Sammonicus in Præceptis de Medicina, ſive *lateralem dolorem,* ut appellat Plinius) latius deſcribunt Alexander Trallianus *de arte medica lib. VII. cap. I.* Paulus Ægineta *de re medica lib. III. cap. XXXIII.* Aetius *Tetrabibli II. Serm. IV. cap. LXVIII.*

LX. Inprimis autem morbus ille afficit coſtalem tunicam, quæ intrinſecus thoracis cavitatem ſuccingit, & coſtis omnibus membranas impertitur. Aretæus Cappadox de cauſis & ſignis acutorum morborum lib. I. cap. X. *Sub coſtis dorſo & internis pectoris ad jugula usque tenuis membrana robuſtaque oſſibus inhærens, ſubſtrata eſt, cui nomen ſuccingens* (χιτὼν ὑπεζωκὼς, ut eſt apud Galenum:) *inditum eſt. In hac quum phlegmone ſuborta fuerit, ignis adeſt cum tuſſi & ſputis variis. πλευρῖτις morbus iſte appellatur.*

LXI. Atque hæc ipſa tunica ἡ πλευρὰ ſolet appellari: ut adeo quidam diſcrimen ſtatuant inter τὴν πλευρὰν & τὸ πλευρὸν: quorum hoc tantum *Latus* ſignificare volunt. Imo τὴν πλευρὰν notionem ſuam extendere ad oſſa, eamque partem corporis, quæ coſtarum ſepimento munitiſſima eſt; quin ipſum pectus lateris nomine interdum venire Medicis, nonnulli monuerunt.

LXII. At enim quia πλευρὰ in Evangeliſtæ, quem præ manibus habemus, loco, non tam internas corporis partes, quam externum vulneris inflicti locum deſignat, hic πλευρὰν non pro intercoſtali tunica, ſed pro ipſo la-

tere habebimus: a quo cum pectus ſit diſtinctum, non eſt cur rariorem quoque illam acceptionem vocis nunc attendamus.

LXIII. Sic itaque cum de Latere certi ſimus, reſtat tamen adhuc dubium, utrum latus fuerit percuſſum, dextrumne, an ſiniſtrum.

LXIV. Pro ſiniſtro militat Lucas Brugenſis in Johannis cap. XIX. *Non pectus aperuit miles,* inquit, *ut quidam pingunt, ſed latus, idque ſiniſtrum; quanquam pictores dexterum notent.* Et fere huc inclinat B. noſter Gerhardus.

LXV. Addunt aliqui argumentum myſticum. Nempe Adamum primum eſſe typum ſecundi Adami: eoque uti ex primi latere ſiniſtro formata eſt Eva, ſponſa ejus; ita ex latere ſecundi profluxiſſe aquam & ſanguinem, quibus formatur Eccleſia, ſponſa CHRISTI. Evam autem ex ſiniſtro latere factam colligunt, quia uti non debuit ſumi ex capite, ne ſe efferret ſupra maritum, nec ex pedibus, ne marito contemtui foret, ita ex latere ſiniſtro potius, quod ignobilius, ſumtam, quam ex dextro, ne parem ſe marito crederet.

LXVI. Ingenioſa ſunt hæc, fateor, ac elegantia; non tamen quod ad ſiniſtrum Adami latus ſatis certa. Nec enim ſi vel maxime ex dextro latere efformata Eva, marito undiquaque par fuiſſet reddita.

LXVII. Quamobrem quoque veterum non pauci, qui in latere Adami agnoſcunt typum, ulterius tamen non progrediuntur, nec ſiniſtrum latus exprimunt. Ecce Ruffinum in Expoſitione Symboli Apoſtolici! *Videtur mihi in latere per coſtam mulier indicari, quia fons peccati & mortis de muliere prima, quæ fuit primi Adam coſta, produ-*

Digitized by Google

producitur. Sic Ambroſius lib. V. de Sacramentis cap. I. *Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam, gratia vero per Dominum noſtrum JESVM CHRISTVM.* Cyrillus Hieroſolymitanus in XIII. Catecheſi: *Eſt & alia lateris hujus cauſa. Mulier fuit prima ductrix peccati, quæ de latere creata eſt. Sed JESVS, qui venit, ut viris ſimul ac mulieribus conferret reconciliationem, aperuit latus pro mulieribus, ut ſolveret peccatum.*

LXVIII. Quamobrem aliis aliud videtur. Nam pro dextro latere faciunt ſequentia teſtimonia. Beda, ſive quis alius Auctor ad finem tomi III. in *Collectaneis & Floribus:* In *dextro latere lancea perfoſſus eſt.* Innocentius III. *lib. II. de Sacramento altaris cap. LIV.* Calix *ponitur ad dextrum latus, quaſi ſanguinem ſuſcepturus, qui ex latere CHRISTI dextro creditur vel cernitur profluxiſſe.* Ivo Carnutenſis *Epiſt. CCXXXV.* Hoſtia, *quæ juxta calicem conſignatur, ſic debet eſſe poſita, ut ſua & calicis poſitione dextrum CHRISTI latus repræſentet.* Athanaſius, non vetuſtus ille, ſed multo recentior, libello de Paſſione Imaginis CHRISTI, qualiter crucifixa eſt in Beryto Syriæ civitate, huc reſpiciens, ait: *Hebræos patrum ſuorum veſtigia ſecutos, valido ictu lanceæ latus dextrum iconis percuſſiſſe.* Bernhardus *Sermone VII. in Pſalmum XV.* Et *quidem Dominus meus JESVS poſt cetera inæſtimabilis ſuæ erga me beneficia pietatis etiam dextrum ſibi propter me paſſus eſt latus fodi; quod videlicet non niſi de dextera mihi propinare vellet: non niſi in dextera locum parare refugii. Vtinam ego talis merear eſſe columba, quæ in foramine petræ habitet, & in foramine lateris dextri.* Goffridus Abbas Vindocinenſis S. Priſcæ Cardinalis *Sermone V. de Reſurrectione Domini.* In illa *ſancta cruce de ejus latere*

dextro exivit ſanguis & aqua. Et paucis interjectis: *De latere CHRISTI dextro ſanguis & aqua potius exiſſe dicitur, non de ſiniſtro. Nam quod per ſiniſtram illius manum, hoc ipſum per latus ejus ſiniſtrum accipimus; humanæ videlicet carnis ſuſceptionem: per dextrum vero latus ejus, quod per illius dexteram intelligimus, divinam ſcilicet majeſtatem.* Bonaventura *libello Meditationum* jam ſupra laudato: *Longinus ——— lanceam de longe eorum preces & rogamina contemnens, latus Domini dextrum vulnere grandi aperuit.* Quin & S. Brigitta vidit lanceam dextro infixam lateri. Ita enim legimus *lib. VII. Revelationum cap. XV.* Sic *ſtantibus turbis in circuitu, venit unus accurrens cum furia maxima, & infixit lanceam in ejus latere dextro tam vehementer & valide, quod quaſi per aliam partem corporis voluit tranſire.* Etiam de dextro latere transverberato legas in Hiſtoria CHRISTI Perſica Xaverii. Favet quoque huic opinioni Arabicæ verſionis auctor, teſte Petro Kirſtenio Medico Arabicæ literaturæ apprime gnaro, cujus hæc ſunt in Præfatione Grammaticæ Arabicæ: *Circumſtantiæ ſacrarum literarum utiliſſimæ, quæ in nullius alterius linguæ textibus reperiuntur, in Arabicis literis explicantur. Ut v. g. Joh XIX. 34. latus illud Servatoris noſtri JESU CHRISTI in cruce pendentis, quod militum unus lancea aperuit, dextrum fuiſſe, omnes textus Arabici, tum typis excuſi, tum calamo exarati ſumma conſtantia docent.* Et addit clariſſimus Anatomicus Johannes Riolanus, *textum Arabicum ideo latus dextrum deſignaſſe, ut miraculi magnitudinem deſignaret.* Johannes Jacobus Chifletius idem quoque demonſtrare conatus eſt ex ſindone Taurinenſi libro *de Linteis ſepulcralibus CHRISTI cap. XXXI.* Non ignobiles itaque ſecutus

eſt

Digitized by Google

eſt auctores nobilis Poeta Caſpar Barlæus, quando CHRISTVM in cruce pendentem ſic affatur:

Dextra tibi perfoſſa riget: mea ſola ſceleſta eſt,
Nec ſentit pœnam noxia dextra ſuam.
Innocuum qui mucro latus transfixit, aberrat:
Debentur lateri vulnus & haſta meo.

LXIX. Etiam hanc in rem typos e V. Teſtamento afferunt. Et primo quidem ex Levitici I. v. 11. ubi divinitus præcipitur, offerre agnum maſculum immaculatum immolandum ad latus altaris, quod aquilonem reſpicit: quod dextrum eſt, ſi ab oriente, quo directum erat templum, quis ad ſeptemtrionem ſe verteret. Quare cum ſacrificia ſint typica, & CHRISTVS agnus ille ſine macula, agnus Dei peccata mundi ſufferens, non incongrue per dextrum latus, ad quod ſanguis agni fundebatur, perfoſſum CHRISTI latus dextrum prænotatum volunt.

LXX. Deinde ex Ezechielis cap. XLVII. v. 1. & 2. ubi Propheta deducitur ad portam templi, ſub cujus limine profluebant aquæ in latus templi dextrum ad meridiem. Jam vero quemadmodum per templum N. Teſtamenti ipſum corpus CHRISTI myſtice intelligitur, ſic ex ejus dextro latere manaſſe dicunt aquam ſalutarem ad ipſum altare crucis deſcendentem, in quo CHRISTVS immolatus.

LXXI. Sed longius hæc petita eſſe quis non videt? Quamobrem etſi pro dextro latere plures pugnent, quam pro ſiniſtro, & ſic quoque vulneris veſtigium plerique exprimant pictores; nec ſic tamen id eſt ſatis certum, nec confidenter licet aſſerere, utrumvis ſit percuſſum. Hinc & πολυμαθέστατος Voſſius hic ἐπέχει, & *in hoc præſtantium virorum diſſenſu,* inquit, *non excutiam, quid veriſimilius*

videa-

Digitized by Google

videatur: ſolum dicam, de neutro latere ſatis conſtare: eandem in ſententiam porro laudans Gretſerum *lib. I. de Cruce cap. XXXIV*. Et clariſſimus Collega noſter Caſpar Poſnerus diſputatione Phiſica *de mirandis quæ morte CHRISTI in Natura acciderunt* §. XXXII. recte ſcribit: *Dubium & incertum utrumque eſt, meliusque facit, qui ſuſpendit ſuum judicium, & dicit non liquere, quam qui ſine probatione alteri parti credit.*

LXXII. Verum quid illis facies, qui utrumque latus perfoſſum autumant? Sane Euſtathius Antiochiæ Epiſcopus & Confeſſor apud Theodoretum Epiſcopum Cyri Dialogo I. τὰς πτερυγίας πλευράς, *perforata latera* memorat: et Leo Magnus *Epiſt. XCVIII. cap. III.* vocat *vulnera lateris.*

LXXIII. Reſpondemus ſynecdochen eſſe numeri, cujus plurima tum in ſacris, tum in externis ſcriptoribus exempla reperiuntur.

LXXIV. Prudentius tamen Amœnus, quem diverſum nonnulli ſtatuunt ab Aurelio Prudentio, revera utrumq; latus trajectum cecinit. Sic enim in Epigrammate, cui titulus *Paſſio* Servatoris:

Trajectus per utrumq; latus, laticem atq; cruorem
CHRISTVS agit.

Nec aliter ſenſiſſe videtur, ſi eſt alius, Aurelius Prudentius Periſtephan. *hymno XIII.*

Ipſe loci eſt Dominus, laterum cui vulnere utroque
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.

Ne de eo dicam, quod in *Apotheoſi* v. 288. *coſtarum vulnera* memoret.

LXXV. Quicquid autem ſit de hac Prudentii ſententia, nos merito eandem rejicimus, veritatem Evangelicam

licam ſecuti, quæ πλάγεαν in numero unitatis memorans, non niſi unicum latus a milite vulneratum oſtendit.

LXXVI. Porro Brigittæ Viſionibus, quæ tam valide lanceam in latus CHRISTI affixam tradunt, ut pœne per aliud latus tranſiverit, ceu *Revelation. lib. I. cap. X.* habetur, an fides ſit habenda, in illo S. Scripturæ ſilentio non immerito dubitamus.

LXXVII. Curioſi, fateor, in dimetienda vulneris magnitudine fuerunt veteres, dederuntque junioribus quærendi anſam, utrum non latus ſolum, ſed etiam pericardium, hoc eſt, *membrana illa nervoſa ac tenuis, quæ veluti ſepimento quodam cor vallatur,* uti definit Rufus Epheſius lib. II. cap. XIII. & ipſum porro cor fuerit perforatum.

LXXVIII. Crediderunt hoc Chriſtiani veteres, quando ſacris Eccleſiæ cantilenis hians CHRISTI vulnus conſpectui quaſi dederunt. Occurrunt in iisdem & hi verſiculi:

Dulcis haſta latus Dei
Te replevit ſanguine,
Dulcis mucro per cor Dei
Volvitur in flumine.

Itemq; iſti: *Si cor habes maculatum,*
Inſpice vulnus tam latum
Cordis ejus, illinc fluit
Vnda, quæ ſordes abluit.

Sic Auctor Sermonis *de duplici martyrio* Cypriano tributi: *Erat & illud præter naturæ curſum, quod ex latere animali corporis & ſanguis & aqua profluit: ut abſolveretur triplex teſtimonium, totum effudit ſpiritum, ut nos reſpiraremus: quicquid erat humoris aquei reliquum, expreſ-*

Digitized by Google

ſit, ut nos ablueremur: quicquit reſederat in corde ſanguinis, emiſit, ut nos confirmaremur. In Brigittæ *Viſionibus lib. I. cap. X.* Maria virgo ait: *Tunc mihi videbatur, quaſi cor meum aperiretur, cum vidiſſem cor filii mei chariſſimi perforatum.* Atque iterum *lib. II. cap. XXI.* In *corde punctus erat tam amare & immiſericorditer, quod pungens non deſtitit, donec lancea attigit coſtam, & ambæ partes cordis eſſent in lancea.* Et denuo *lib. IV. cap. LXX.* Modico *autem tempore poſt aperto latere, & extracta lancea, ſanguis in cuſpide quaſi brunei coloris apparuit: ut ex hoc intelligeretur cor transfixum: quæ punctura cor meum penetravit. Et mirum fuit, quod & ipſum non crepuit.*

LXXIX. Amplexus quoque hanc ſententiam Marcus Vigerius Epiſcopus Præneſtinus & Cardinalis Seno-Gallienſis in Controverſia, quam juſſu æqualium ſuorum de præſtantia & dignitate lanceæ Longini, Romano Pontifici a Bajazethe Turcarum Imperatore miſſæ, præ Tunica inconſutili, quam Bajazethes ſibi reſervarat, olim ipſe conſcripſit, poſt a Simone Begnio Modruſienſi Epiſcopo typis divulgata. Tractatu enim quarto primas lanceæ defert, quia *non extrema ſolum, ut tunica, ſed ſanctiſſimi corporis medium attigit, & nobiliſſima, vel forte loca cordis, & ipſum attigit cor: ad quæ in morte CHRISTI omnis vigor vitalis humoris in exhauſto corpore reliqui, ut ad arcem muniendam, & ad proprium domicilium ſe contulerat: qua forte de cauſa ſanguis defluxit, & aqua per lanceam.* Et poſt pauca: *Ferrum autem aqua perfuſum eſt, quam de fonte intimi cordis eduxit, & de micanti mucrone rubens & ſanguinolentum ſpiculum regio ſacerdotalique ſanguine cruentatum exſtitit.* Præſenti ſeculo huic ſententiæ ſubſcripſit Franciſcus Collius Theologus Mediolanenſis, qui

qui ſpiſſo *de Sanguine CHRISTI* volumine ex corde ſanguinem prodiiſſe pro indubia propoſitione recepit. Neque aliter ſentiunt haut pauci ex noſtratibus Theologis.

LXXX. Atque hæc opinio eo redditur probabilior, quod ſicuti ex corde ſanguis, ita ex pericardio aqua derivari poſſit, cujus fluxum tam ſollicite deſcripſit S. Johannes Evangeliſta.

LXXXI. Quid hac de re ſit ſentiendum, poſtea dicemus, cum de fluxu ſanguinis & aquæ ex CHRISTI latere erit diſſerendum. Interim quo minus lancea militis ad cordis penetraſſet regiam, vi vocis πλευρᾶς evincere laborant, qui in alia abeunt. Enimvero cordis partes per latus ajunt exprimi nusquam, & longiorem flexum fuiſſe per latera ad cor vibrare haſtam.

LXXXII. Addunt porro ad augendam increduli Thomæ fidem multum contuliſſe aperti cordis oculatam demonſtrationem. Neque enim Servatorem redivivum peccatoris converſioni tanta cum ſollicitudine incumbentem cordis ſui penetrale recludere prætermiſiſſe, ſi eam tyrannidem & vulneris hiatum fuiſſet expertus.

LXXXIII. Aliqui putant ferrum lanceæ inter pectus & femur adactum, indeque lanceam cor verſus aſcendiſſe. Atque hoc inde exſculpunt, quia CHRISTVS in alto pependerit, miles terræ inſtiterit, ut ſi cor peteretur, ex inferiori corporis parte ad ſuperiora fuerit deveniendum. Fuit in hac ſententia Vincentius Bellovacenſis & Alexander ab Ales.

LXXXIV. At ſicuti nec hic proprie locum haberet vulnus laterale, ita non moti eo eſſent argumento, ſi noviſſent cogitaſſentve, crucifixos non multum elevatos a terra, fruſtraneumque omnem illorum eſſe conatum, qui

Digitized by Google

pro altitudine crucis CHRISTI tanquam pro aris & focis dimicant.

LXXXV. Denique Caſpar Bartholinus, celebris Medicus Danus, ac poſt votum in acuto morbo factum, Theologus inſignis, itemque Patris in profeſſione medica ſucceſſor Thomas Bartholinus, Vir θαυμάσιος, ſolam plevram ſine pericardii cordisque læſione perforatam contendunt: ut ſcilicet ex capacitate thoracis liquorem aqueum derivent, qui una cum ſanguine ex CHRISTI latere defluxerit: uti poſtea pluribus oſtendemus.

LXXXVI. Longius a janua vulneris aberrant, qui in abdomine illud collocare auſi ſunt. Eſt in his Vincentius Ferrerius Valentinianus, a Calliſto III. in ſanctos relatus, ſermone unico Paſchali *de CHRISTI Paſſione*. Neque enim τῆς πλευρᾶς denominatio eo extendi debet. Et licet Hippocrates lateris dolorem usque eo retulerit, hoc tamen propter partium conſenſum factum, jam pridem obſervarunt Medicorum filii.

LXXXVII. Impenſe quoque falluntur pictores, qui vulnus hoc ſub mammilla expreſſerunt; quos fruſtra tuetur Daniel Mallonius Commentar. in Alphonſi Palæoti Archiepiſcopi Bononienſis Hiſtoriam *de CHRISTI Stigmatibus lib. II. cap. II.*

LXXXVIII. Vnum adhuc in facto militis, quod excutiamus, reſtat; nempe quo animo haſtile in CHRISTI latus torſerit.

LXXXIX. Etſi Evangeliſta teſtatur, *hoc eſſe factum* *Joh. XIX. v. 36.* *ut Scriptura impleretur*, non tamen illud ἵνα ita capiendum, quaſi miles hoc animo CHRISTI latus transfoderit, ne crurifragium pateretur. Non ea Scripturæ notitia alienigenæ, nec ea pietas. Sed ἵνα ſumitur hoc loco *conſequen-*

Digitized by Google

ſequenter, uti in ſcholis loqvuntur: hoc eſt, non militis indicatur propoſitum, ſed ſolum rei eventus. Nempe *factum, ut impleretur:* ſive: *Sic impletum eſt, quod prædictum fuit.*

XC. Nonnulli eo id feciſſe putant animo, ut expiſcaretur, an, ſicuti apparebat, vere anima a corpore ſeparata mortem induxiſſet ei, in quem omnium oculi animique erant converſi. Perſvaſum id fuit Eraſmo, cujus hæc ſunt ad Johannis cap. XIX. *Quod miles pupugit latus JESV, non erat crudelitatis, ſed explorantis, an certa mors eſſet: quemadmodum in hoſtium ſtrage ſi dubitatur, an qui jacet exanimi ſimilis adhuc ſpiret, pugione percutiunt pedem aut tibiam; ad eum ictum commovet ſeſe, qui nondum plane eſt mortuus.* Item Lipſio *lib. II. de Cruce cap. XII.* ſcribenti: *CHRISTO miles mortuo lancea latus aperuit, ſcilicet periculum facturus, an bona fide obiiſſet.* Sed jam ante idem ſenſerat Marcus Vigerius libello de *Controverſia Excellentiæ Inſtrumentorum Dominicæ Paſſionis*, cujus verba ſubjicio: *Et nihil erit efficacius ad oſtendendum ſalutem noſtram fuiſſe perfectam, hoc vulnere lateris CHRISTI: quod certiſſime nos certos reddidit CHRISTVM in violenta crucis paſſione fuiſſe exanimatum. Neque enim temere, vel fortuito, ut inter Apocrypha legitur, Longinus cæcus incerto vulnere CHRISTVM percuſſit: ſed ut experiretur, an vere mortuus eſt, partem maxime ſentientem pungere cœpiſſe expertum militem ac cautum exiſtimo. Cumque nullum ex punctura ſignum ſentiendi apparuiſſet, ferrum infixit & profundavit in latus, ut vel ſic certior fieret, & omnes aperte cognoſcerent, CHRISTVM non eſſe ſopitum, ſed exanime corpus in cruce pendere.* Idem placet Grotio ad Johannem annotanti. *Percuſſit, vertit*

Syrus, id eſt, perfodit, nimirum dubitans, an vere eſſet mortuus, & experiri volens, an ſenſu ictus ſeſe eſſet commoturus. Nec diſſentit Voſſius in *Harmonia:* Nam *mihi non diſplicet,* inquit, *profectum eſſe ab hæſitatione, quo & ſibi, & aliis de morte certius conſtaret.*

XCI. Attamen is vulnerati lateris ſcopus Evangelicam Johannis hiſtoriam penitius intuentibus vix probabitur. Nam ſi ante latronum crurifragium adhuc nonnulli dubitarunt, an vere eſſet mortuus, poſt illa de eo cur ambigerent, non amplius habuerunt: atque id propter etiam in CHRISTO omiſiſſe crura frangere, clare teſtatur Evangeliſta.

XCII. Quamobrem militis nequiſſimi hoc factum credimus petulantia, quæ cum odio in CHRISTUM conjuncta eſſe potuit. Et forte rabidorum quorundam ex proceribus Judæorum inſtigatio præceſſit, ne quid intentati relinquerent, quo ſanctiſſimo corpori CHRISTI ejusque ſectatoribus ægre fieret. A qua conjectura non abit Chryſoſtomus, qui *homilia LXXXIV. in Johannem* defuncto CHRISTO ad Judæorum conciliandam gratiam inſultaſſe ſceleſtas militum manus conqueritur. Chryſoſtomum more ſuo ſequitur Theophylactus.

XCIII. Extrema militis protervia ex eo quoque elucefcit, quod non cohibitus auctoritate centurionis ſui, qui publicum innocentiæ teſtimonium CHRISTO perhibuerat, nec deterritus horribilibus prodigiis, quæ in oculos, aures, omnesque ſenſus incurrerunt, in exanime Domini corpus adeo ſævierit.

XCIV. Sic itaque & factum militis expendimus. Nunc porro videamus, quid ex eo conſecutum. Nimirum

rum ex aperto latere confeſtim ſanguis & aqua exiit. Καὶ εὐθὺς ἐξῆλθεν αἷμα καὶ ὕδωρ, ſcribit S. Johannes. *Joh. XIX. v. 34.*

XCV. Fluxus ille ſanguinis & aquæ graves aliquot quæſtiones peperit. Et primo quidem quæri ſolet, utrum mixtim ſanguis & aqua fluxerint, an ſeparatim.

XCVI. Vir ſummus Thomas Bartholinus priorem amplexus eſt ſententiam cap. XII. & XIV. libri *de Latere CHRISTI aperto.* Et priori quidem loco ſic ſcribit: *Aquam mixtam fluxiſſe, neutiquam elementarem ſolam, omnino contra Cyrillum, & quotquot ejus agmen ſeqvuntur, ſtatuimus.* Et poſteriori; *confuſo, non diſtincto ordine, aut fluxu utrumque liquorem exiliiſſe* (quæ ipſa verba ſunt Auctoris) non obſcure primum putat liquere ex ipſius ſacri hiſtorici auctoritate, qui τὸ εὐθὺς pari jure & temporis intervallo tam ad τὸ αἷμα, quam ad τὸ ὕδωρ reſtringat per καὶ conſuetam verborum & ſententiarum copulam. Neque enim alia orationis forma rem ſimul fluentem nexu quodam indiſcreto exprimi, quam illa connexione, qua utrumque de celeritate participet. Deinde urget veterum æque ac recentiorum dicta, quæ *ſimul* humores illos de latere CHRISTI fluxiſſe affirment. Orientalem porro Eccleſiam tacito hoc conſenſu credidiſſe monet, quæ, ut myſterium ſacramenti exprimeret, vinum aqua ſemper temperet in Euchariſtia, ut indicet confuſum aquæ ſanguinem fluxiſſe.

XCVII. Contrariam tamen ſententiam *ſine dubio veram eſſe* cenſet Caſaubonus *Exercit. XVI. ad Baronium num. XCVI. deque eo non dubitandum arbitratur:* cumque vulgo apud Auctorem Tragœdiæ *CHRISTUS Patiens,* αἵματι καὶ πεφυρμένον ποτὸν, ac iterum νᾶμα αἵματι πεφυρμένον, *aquam ſanguini permixtam,* legamus, per errorem librario-

brariorum inſignem & manifeſtum id fieri, ac verſiculos ſic emendandos demonſtrat, ut prior *αἷμα καὶ οὐ πεφυρμένον ποτὸν*, poſterior *αἷμα τ' οὐ πεφυρμένον*, *ſanguinem aqua non permixtam*, præferat. Et probat hanc emendationem Heinſius *Exercitat. Sacrar. in Nonnum cap. XXIX.* Ipſe autem Nonnus diſtinctum hunc fluxum ſiſtit his verſibus:

Καὶ διδύμαις λιβάδεσσιν ἀπὸ πλευροῖο τυπέντος
Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα δὲ θέσκελον ὕδωρ.

Et geminis liquoribus ex latere percuſſo, primum quidem ſanguis effuſus eſt, deinde vero divina aqua.

XCVIII. Et vero niſi diſtinctim fluxiſſent ſanguis atque aqua, quomodo adſtantes, ac inprimis S. Johannes utrumque liquorem tam accurrate diſtinguere potuiſſent? Accurate inquam. Nam etſi confuſa quoque ſenſum viſus non minus quam diſtincta afficiunt, quia tamen id ſub confuſa, non diſtincta fit ratione; Johannes autem tam ſollicite deſcripſit illum fluxum, & per ſanctam aſſeverationem, non aliud ex eo videtur colligendum, quam ſanguinem atque aquam ſeorſim promanaſſe.

XCIX. Non igitur ſerum fuerit ſanguineum, nec aquoſus humor alius, ſed ſanguis verus, limpida ac pura aqua, quæ ex aperto CHRISTI latere profluxerit. Recte igitur Innocentius III. in Epiſt. ad Ferrar. Epiſcopum l. III. Decret. Gregor. tit. IV. de celebr. Miſſ. c. VIII. *Si non fuiſſet aqua, ſed phlegma, quod de latere Salvatoris exivit, ille qui vidit, & veritati teſtimonium perbibuit, profecto non aquam, ſed phlegma dixiſſet.*

C. Continuum porro credimus impermixtum fuiſſe illum fluxum; ſic tamen ut primo ſanguis, mox aqua ſimul cum ſanguine ſe dederint adſtantium conſpectui.

CI.

CI. Poſterius tamen negare videtur Goffridus Abbas Vindocinenſis *Sermone de Reſurrectione Domini*: De latere *CHRISTI ſanguis quidem exivit & aqua; ſed exiſſe ſimul utrumque, non dicit Evangeliſta. Quod ſi aqua ſimul cum ſanguine exiſſet, aqua in ſanguine dinoſci ab homine minime potuiſſet. Sanguis itaque prius exivit, quam aqua: & merito; quia ſanguinis effuſionem, id eſt, fidem dominicæ paſſionis Baptiſmus ſequitur & peccatorum remiſſio.*

CII. Nonnulli quidem veterum hunc ordinem intervertunt, ob myſterium Baptiſmi per aquam ſignificatum: at licet ordini ab Evangeliſta expreſſo inſtiterimus, nihil huic myſterio deceſſerit. Neque enim in his tam ordo Sacramentorum, quam res ipſa ſpectanda eſt.

CIII. Paulo copioſiorem hunc fuiſſe fluxum neceſſe eſt, ut eo ſollicitius is potuerit obſervari. Quanta vero fuerit vel aquæ vel ſanguinis copia, in illo Evangeliſtæ ſilentio nemo definiverit: ut adeo Simon de Caſſia liquoris copiam ſoli Deo cognitam, non male pronunciaverit.

CIV. Proximum eſt, ut diſpiciamus, an naturalis ille fluxus fuerit, an miraculoſus.

CV. Pro naturali habet Iohannes Calvinus Commentar. in h. l. *Hallucinati ſunt*, inquit, *quidam miraculum hic fingentes. Naturale enim eſt, dum coagulatur ſanguis, amiſſo rubore fieri aquæ ſimilem: notum etiam eſt in membrana præcordiis vicina aquam contineri.* Cui calculum adjicit Theodorus Beza *Homilia XXXV.* & in *Annotationibus majoribus ad h. l.* Quæ ſententia etiam arridet Hugoni Grotio, & Voſſio in *Harmonia*, ac inprimis Thomæ Bartholino.

CVI. Alii vero in alia omnia abeunt, inducti potiſ-

 ſimum

Digitized by Google

Joh. XIX. v. 35. ſimum graviſſima illa Evangeliſtæ aſſeveratione, quæ latine ita habet: *Et qui vidit, teſtimonium perbibuit, & verum eſt teſtimonium ejus. Et ille ſcit, quod vera dicit, ut & vos credatis.*

CVII. Nimirum verbis ſuis eo majorem fidem adhibendam cenſet S. Johannes, cum ipſe ſcriptum non relinquat, quaſi hoc ex promiſcuo rumore vulgi hauſerit, ſed cujus rei ipſe fuerit αὐτόπτης.

CVIII. Conſtructionem hic quodammodo permutatam eſſe, ac dicendum potius; *qui hæc teſtatur, vidit*, Flacius, Beza, Grotius & alii admonuerunt: ac non diſſimilem hypallagen cap. VIII. v. 47. Beza annotavit: ſicut & in verbo *perhibuit*, enallage temporis præteriti pro præſenti obſervare eſt.

CIX. Pronomen relativum ἐκεῖνος aliqui ad CHRISTVM referunt, quaſi per formam quandam juramenti ipſius CHRISTI fidem Evangeliſta teſtetur, ſe ea ſcribere, quæ revera geſta ſint; quam fere formam S. Paulus Rom. IX. v. 1. adhibuit. Et Eraſmus Roterodamus notat, ſenſum etiam Græcis ancipitem eſſe, utrum CHRISTVS ſciat, quod Evangeliſta vera narret, an ipſe Johannes ſibi conſcius ſit, quod vera loquatur.

CX. At mos eſt S. Johanni de ſe in tertia perſona loqui, docente loco parallelo cap. XXI. v. 24. qui *ſe ideo*, teſtante Cyrillo, *aperte nominare noluit, ut vanæ gloriæ exiſtimationem, ceu rem quandam minus ſanctam, & ſummum morbum a ſe depelleret.*

CXI. Hanc aſſeverationem Johannis aliqui generalem eſſe volunt, ut ad totam hiſtoriam Evangelicam referatur. Verum quando illam in calcem Evangelii dictumque locum cap. XXI. diſtulit, ſatius eſt credere, non

niſi

Digitized by Google

niſi de miraculoſo illo fluxu ſanguinis & aquæ hic unice agere.

CXII. Rurſus alii exiſtimant, hoc tantum ad confirmationem mortis CHRISTI pertinere. In his eſt Flacius Illyricus, qui in Gloſſa N. T. ad hunc locum ſcribit: *Hoc plerique, ut miraculoſum narrari ab Evangeliſta intelligunt, cum tantam adjungat aſſeverationem, tanquam rei alias parum per ſe credibilis: ſed probabilius eſt, id ab eo fieri teſtandæ mortis cauſa: nam effuſio illius aquæ circa cor, mortifera prorſus eſt.*

CXIII. Ceterum quia de morte CHRISTI jam teſtatus fuerat Johannes verſu XXX. vix probabile eſt, novo eoque tanta aſſeveratione firmato teſtimonio denuo uſurum.

CXIV. Denique Calvinus opinatur Evangeliſtam ſuam narrationem voluiſſe accommodare ad prædictiones, quæ mox ſeqvuntur, Propheticas. *Nec ideo,* inquit, *tam ſedulo inculcat Evangeliſta aquam fluxiſſe cum ſanguine, ac ſi aliquid inſolitum, & præter naturæ ordinem referret; ſed aliud ei fuit conſilium, nempe ut narrationem ſuam aptaret Scripturæ teſtimoniis, quæ mox ſubjicit.*

CXV. Verum fac aptare Evangeliſtam dicta ſua teſtimoniis Scripturæ, adhuc tamen id reſtaret dubii, cur ſingulari prorſus & memorabili obteſtatione de veritate dictorum ſuorum id voluiſſet facere, niſi rem miram, ſtupendam, & alioqui incredibilem præmiſiſſet.

CXVI. Huc accedit conſenſus veterum Eccleſiæ doctorum, quorum fere nemo eſt, qui non miraculoſum illum fluxum agnoverit, æſtimaverit, prædicaverit.

CXVII. Ex his Ambroſius id præcipue notat in *Lucæ cap. XXIII.* quod in corporibus noſtris poſt mortem

Digitized by Google

congelaſcat ſanguis, ſed in CHRISTO adhuc fluidus ſit. Quamvis enim Hugo Grotius *corpus nondum refrixiſſe* putet, *ita ut fluxum facile ferret*; neſcio tamen an id ſatis habuerit ponderis, præcipue ſi cogitemus, non parum temporis exegiſſe crurifragium latronum, ac porro CHRISTVM in cruce nudum pependiſſe.

CXVIII. Neque tamen hoc argumentum adeo urſerim, quandoquidem toties laudatus Bartholinus teſtetur, quod etiam in demortuis corporibus fluidi conditionem ſervet ſanguis, idque ſeri beneficio; quod nunquam in corpore concreſcat.

CXIX. Quamobrem Theophylactus potiſſimam miraculi vim in aquæ fluxu ſpectandam recte aſſeruit. Nam cum dixiſſet, *admirabile eſſe, ſanguinem ex mortuo corpore prodiiſſe*, mox ſubjicit: *Veruntamen poſſit quis ſycophantarum dicere, quod veriſimile ſit, vitalem quandam virtutem adhuc in corpore fuiſſe: aqua autem egreſſa omnem controverſiam miraculo tollit.* Atque idem Theophylactus uti ſanguinem humanitatis ſymbolum agnoſcit, ita ex aqua Deitatem patere monet.

CXX. Sed nondum ſublata eſt omnis controverſia. Quod ſi enim miraculum admiſeris, quæritur, an id in ſolo fluxu, an ſimul in ipſis humoribus, ac aqua potiſſimum ſubſtiterit.

CXXI. Si veteres intuemur, poſterius fere amplectuntur: atque ex noſtratibus Theologis non pauci eo inclinant, ſic ut B. noſter Gerhardus in *Harmonia* non dubitet ſcribere; *divino miraculo in CHRISTI corpore hanc aquam fuiſſe creatam;* & Heinricus Müllerus in *JESV Patiente* aperte fateatur, *ſe ſtatuere miraculum*

hic

Digitized by Google

bic fuiſſe non ſaltem in modo effluxus, ſed quoad ipſam aquæ & ſanguinis ſubſtantiam.

CXXII. Alii contra non ſuſtinent aſſerere, ipſam humorum ſubſtantiam miraculoſe à Deo fuiſſe creatam, putantque ſine errore dici poſſe, fluxiſſe ſanguinem vel ex corde, vel ex venis, hisque ſi non majoribus, ſaltim minoribus, in cutim & muſculos qui abeant; aquam autem, ſi non fuerit ipſe liquor pericardii, fuiſſe tamen ex hoc depurato eductam.

CXXIII. Qui cor ſenſerunt perforatum, ſuperius cum in locum vulneris inquireremus, ſunt producti: nunc & aquam illam pericardii contemplabimur, & aliquos qui ex latere CHRISTI eam derivarint, afferemus.

CXXIV. Hippocrates, aut ſi is non eſt, antiquiſſimus tamen ſcriptor librum *de Corde* ſic orditur: Καρδίη, σχῆμα μὲν ὀικοίη πυραμὶς, χροιὴν δὲ καταχορὴς φοινικέα. καὶ περιβέβλεαται χιτῶνα λεῖον. καὶ ἔστιν ἐν αὐτῷ ὑγρὸν σμικρὸν ἐοικὸς οὔρῳ. ὥστε δόξεις ἐν κύστει τὴν καρδίαν ἀναστρέφεσθαι. γεγένηται δὲ τούτου ἕνεκα, ὅκως θάλληται ῥωσκομένως ἐν φυλακῇ. ἔχει δὲ ὑγρασμα, ὁκόσον μάλιστα καὶ πυρουμένῃ ἄκος. *Cor figura quidem metæ ſimilis, colore autem admodum puniceo, tunica levi circumtegitur, in qua humor modicus, qualis urina, ineſt, ut cor in veſica converſari exiſtimes. Ea vero de cauſa exſtitit, ut validum in cuſtodia vigeat. Humiditatem autem tantam habet, quanta maxime ad æſtuantis medelam ſatis ſit.* Sic Galenus lib. V. de locis affectis cap. II. ſcribit καρδίαν ἐν ὑγρῷ κινεῖσθαι, *cor in humore moveri:* ac mox ſubdit: Καὶ θαυμαστὸν, οὐδὲν ἀθροίζεσθαί ποτε πλῆθος ὑγροῦ τοσοῦτον ἐν τῷ περιέχοντι χιτῶνι τὴν καρδίαν, ὡς ἐμποδίζειν αὐτῇ διαστελλομένῃ. Καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν ἀνατεμνομένων ζώων, ἐθεασάμεθα πολλάκις ὑγρὸν οὔρῳ παρα-

πλήσιον, ἐν τῷ περικαρδίῳ διαψιλές. *Neque enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem tumulari interdum in tunica, cor ambiente, ut ipſum, ne attollatur, impedire poſſit. Quippe in animalibus diſſectis videmus plerumque plurimum humoris urinæ ſpeciem referentis, in eo, qui ipſum involvit, panniculo contineri.*

CXXV. Itaque pro aqua pericardii hoc in loco pugnant ex medicis Georgius Bertinus lib. V. *Medicinæ methodice comprehenſæ* cap. IX. *Pericardium*, inquiens, *continet aquoſum humorem, ut cor calidiſſimum viſcus eo velut rore madeat & facilius palpitet. In vulnere cordis cum hic humor aquoſus effluit, ſtatim mors conſequitur. Unde Evangeliſtæ* (Evangeliſta dicere debuit) *ad ſignificandam CHRISTI mortem ex corde, vulnere accepto in latere, aquam exiſſe, vere ac ſapienter ſcriptum reliquerunt.* Andreas Laurentius, qui lib. IX. *Hiſtoriæ Anatomicæ*, ubi de organis vitalibus, ut in pericardio aquam reperiri confirmaret, hoc experimentum adducit: *In ſacris ſcripturis dum Salvatoris CHRISTI latus miles aperuit, illico exiviſſe ſanguinem & aquam.* Ac porro in hanc ſententiam laudantur Nicolaus Nancelius in *Analogia Macrocoſmi & Microcoſmi*, Adrianus Spigelius lib. IX. *de fabrica humani corporis* cap. V. Petrus Laurembergius *Collegii Anatomici* Exercitat. X.

CXXVI. E Theologis vero aliisque Scripturæ interpretibus huic aquæ pericardii favent Benedictus Arias Montanus *Elucidation. in Johannis cap. XIX.* Johannes Poza Theologus Complutenſis in *Elucidario Deiparæ tract. I. lib. III. cap. IV.* Jacobus Tirinus *in Johannem*, Hieronymus Bardus in *Epiſtola ad Thomam Bartholinum.*

Ad-

Digitized by Google

Adhæc Johannes Calvinus, Theodorus Beza, Immanuel Tremellius & Hugo Grotius.

CXXVII. Contra qui impugnant aquam pericardii, non candidam illam, vel cœruleam, ſed flavam colorem, ſapore amaram atque adeo bilioſam tradunt. Præterea illius tanta non eſt copia, ut inſigniter ſit notabilis. Vix enim cochlearis menſuram excedit: quamvis in putreſcentibus & diu mortuis major eſſe ſoleat. Profecto, inquit B. Dilherrus *de Cruce*, hoc *experientiæ reclamat. Vix enim aliquot guttulas ibi inveniri, tot demonſtrationes anatomicæ nos docuerunt; quæ cum ſanguine promanantes nullatenus poſſunt animadverti.* Præterea, ſi corporis erecti crucive affixi perforetur pericardium, aqua iſta ſpiritu jam deſtituta pondereque ſuo gravis in ipſam potius thoracis cavitatem confeſtim deflueret, quam ex vulnere inflicto egrederetur.

CXXVIII. Quæ cum ita ſe habeant, clariſſimi Viri Caſpar & Thomas Bartholini, ille *Inſtitutionum Anatomicarum lib. II. cap. V.* hic *Anatomiæ reformatæ lib. II. cap. V.* & *de Latere CHRISTI aperto cap. XI.* exiſtimant, nihil opus eſſe recurrere ad pericardium perforatum; quia utcunque non fuerit pertuſum cor, vel pericardium, ex ſola pleura perforata hoc potuerit contingere: imo hoc veriſimilius videri, quia de ſolo latere aperto legere ſit in Evangelio. Statuunt vero in capacitate thoracis nunc minus eſſe aquei liquoris, nunc plus, pro cujusque temperamento: inque CHRISTO ob dolorum magnitudinem hunc humorem fuiſſe adauctum.

CXXIX. Verum in illo ſententiarum divortio perinde forſan fuerit, unde ſanguinis & aquæ fluxum derivemus, modo miraculi magnitudinem a S. Johanne tantopere commendatam ſuſpexerimus.

CXXX.

Digitized by Google

CXXX. Quantumvis autem nullum hic miraculum agnoſcat Thomas Bartholinus, tantum tamen abeſt, ut rei ſanctitatem elevet, ut potius cap. XV. ſic ſcribat. *Non ideo exiſtimandum divinæ potentiæ & gloriæ ulla parte nos ire detractum, quando ad ſecundas cauſas reſtringimus ea, quæ ſenſu noſtro capiuntur & ratione. Imo pari religione & devotionis cultu, ut decet, ſummum illud Numen veneramur, quod tanquam cauſa ſuperior & prima per ſubjectas vi divinitatis æternæ operatur.*

CXXXI. Myſticam mirabilis hujus fluxus ſignificationem ſi perpendimus, conſtans veterum eſt opinio, per illum duo Novi Teſtamenti Sacramenta, Baptiſmum & Euchariſtiam denotari. In hunc ſenſum Cyrillus Alexandrinus lib. XII. in Johannem: *Lancea latus ejus perfodiunt, unde cruor aqua miſtus ſcaturiit, quod Eulogiæ myſticæ & ſancti Baptiſmatis imago quædam erat atque primitiæ. CHRISTI enim eſt vere, & a CHRISTO ſanctum baptiſma, & myſticæ Eulogiæ vis ex ſancta nobis carne prodiit.* Auctor Sermonis de *Paſſione CHRISTI* in opere *de Cardinalibus CHRISTI operibus* Cypriano attributo: *De Latere tuo fons egreditur in vitam æternam proſiliens, & de eadem conſubſtantialique origine diviſis limitibus aqua & ſanguis emanat, ad complementum perfectionemque totius juſtitiæ Sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius ubertas perenni lapſu univerſam Eccleſiam irrigat & fœcundat.* Auguſtinus *Tractat. XV. in Johannem:* De Latere *in cruce pendentis lancea percuſſo Sacramenta Eccleſiæ fluxerunt.* Idem *lib. II. de Symbolo ad Catechumenos cap. VI.* Percuſſum *eſt ejus latus, ut Evangelium loquitur, & ſtatim manavit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta: Aqua, in qua eſt*

ſponſa

Digitized by Google

ſponſa pacificata: Sanguis, ex quo invenitur eſſe dotata. Idem *de Civ. Dei lib. XV. cap. XXVI.* Quod *oſtium in latere accepit* (arca Noachi) *profectò illud eſt vulnus, quando latus crucifixi lancea perforatum eſt. Hac quippe ad illum venientes ingrediuntur: quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Confer eundem *Tractat. IX. XVI. & CXX. in Johannem, Enarrat. in Pſalm. XLIV. & lib. de Cataclyſmo cap. IV.* Ambroſium *lib. X. in Lucam,* Chryſoſtomum *in Johannem homil. LXXXV. & homil. ad Neophytos.* Gregorium Nyſſenum *lib. de S. Trinitate adverſus Judæos.* Johannem Damaſcenum *lib. IV. de Orthodoxa Fide cap. X.* Leonem Magnum *Epiſt. X. c. V. & Epiſt. XXIII.* Iſidorum Hiſpalenſem *in Geneſ. cap. III.* Bernhardum *Sermon. I. in octava Paſchæ,* Euthymium Zigabenum *in Johannis cap. XIX.* Zachariam Chryſopolitanum Epiſcopum *lib. IV. Commentariorum in Evangelicam Concordiam,* Dionyſium Carthuſianum *in lib. IV. Sententiar. diſtinct. VIII. Quæſt. I.*

CXXXII. Quin imo videtur ipſe S. Johannes hanc myſticam explicationem nobis ſubminiſtrare, CHRISTUM veniſſe ſcribens I. Epiſt. V. v. 6. *per aquam & ſanguinem,* & v. 8. *tres eſſe, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritum, & aquam, & ſanguinem, & hos tres unum eſſe:* cum profluxus ille aquæ ac ſanguinis, auctore Spiritu S. per ipſum tanquam teſtem αὐτόπτην annotatus ſit, ut ea ratione tres ſint perpetui divinitatis CHRISTI in terris teſtes, videlicet Spiritus, Aqua & Sanguis: qui non ſemel duntaxat de CHRISTO teſtati ſunt, cum ſanguis & aqua e latere profluerent, ſed adhuc etiam teſtantur, & durante regno gratiæ teſtaturi ſunt. Teſtantur enim S.

Spiritus per verbum Evangelii, teſtantur item Aqua & Sanguis in Baptiſmo & Cœna Domini.

CXXXIII. Nec eſt quod quis objiciat, hæc duo Sacramenta per lateralem CHRISTI fluxum non deſignari, quia primum ſanguis, ac poſt aqua effluxerint; Baptiſmus autem Euchariſtia per ſanguinem declarata quod ad CHRISTI inſtitutionem prior ſit.

CXXXIV. Verum jam ſupra paucis monuimus, ipſi Sacramentorum ordini propterea nihil decedere, quod prius ſanguis quam aqua ex latere Chriſti manaverit. Nam S. Johannes non ordinem Sacramentorum, ſed miraculorum gradum reſpiciens, admirandi hujus ſpectaculi magnitudinem adaugere voluit, dum præter inſolitum ſanguinis e corpore mortuo fluxum, aquam inſuper diſtincte promanaſſe ſcripſit.

CXXXV. Quando autem Pontificii ad ſuam *ὀινοκρασίας* Euchariſticam duplicem hunc fluxum e ſancto Chriſti latere referunt, non habent juſtum ejus rei vel in Scriptura, vel in ſincera antiquitate fundamentum. Neque enim ex corpore CHRISTI vinum & aqua, ſed ſanguis & aqua fluxerunt; & ſi dixeris, ſanguinem vel ex noſtra quoque hypotheſi ſanguinem CHRISTI in S. Cœna denotare; nulla tamen elementorum in S. Cœna mixtio ex laterali fluxu deducta locum obtinebit, ſi (quod antea demonſtravimus) ſeorſim ex aperto latere & diſtinctim, non confuſim & permixte ſanguis & aqua fluxerunt. Taceo rationem transſubſtantiationis vix admittere, quod aqua ſit in calice, ad quam tamen præfigurandam aquam lateris CHRISTI repetunt.

CXXXVI. Bigam Sacramentorum N. T. per Sanguinem & Aquam myſtice demonſtratam veterum Eccle-

ſiæ

ſiæ Doctorum teſtimoniis confirmavimus. Horum tamen aliqui per fluxum ſanguinis etiam martyrum ſanguinem prænotatum eſſe ſcripſerunt. Hieronymus ad Oceanum: *Latus CHRISTI percutitur lancea, & Baptiſmi pariter atq; martyrii ſacramenta funduntur.* Idem in Eſaiæ cap. XLVIII. *Cujus latus lancea vulneratum, aquis fluxit & ſanguine, Baptiſmum nobis & martyrium dedicans.* Ruffinus in *Expoſitione Symboli Apoſtolici:* Poteſt *etiam intelligi, quod duplicem gratiam Baptiſmi figuraverit, unam, quæ datur per aqua baptiſmum; aliam, quæ per martyrium profuſione ſanguinis quæritur.* Sed hæc, ut plura alia, ex nimio martyrii æſtimio profluxiſſe, alibi pluribus docebitur.

CXXXVII. Alioqui non repugnaverim, quod petra a Moſe percuſſa Exodi XVII. 6. & Numeror. XX. v. 11. aliquem percuſſi lateris CHRISTI typum præferat. Quo Cyprianus, ut & ad Eſaiæ XLVIII. v. 21. reſpexit lib. II. Epiſt. III. *Si ſitierint, & Dominum quæſierint, per deſerta adducet illis aquam, de petra producet illis. Findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. Quod in Evangelio adimpletur, quando CHRISTUS, qui eſt petra, findetur ictu lanceæ in paſſione.*

CXXXVIII. Theodoretus *Dialogo I. cap. VII.* huc accommodat vaticinium Jacobi Patriarchæ Geneſ. XLIX. v. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Nam cum Orthodoxus quæſiviſſet: *Cum latus Salvatoris ſauciaſſent milites lancea, quid inde manaſſe dicunt Evangeliorum ſcriptores?* & Eraniſtes repoſuiſſet, *Sanguinem & Aquam;* Orthodoxus ſubjicit: *Sanguinem igitur uvæ Salvatoris appellavit ſanguinem. Si enim vitis appellatur Dominus, & vitis fructus vinum no-*

Spiritus per verbum Evangelii, teſtantur item Aqua & Sanguis in Baptiſmo & Cœna Domini.

CXXXIII. Nec eſt quod quis objiciat, hæc duo Sacramenta per lateralem CHRISTI fluxum non deſignari, quia primum ſanguis, ac poſt aqua effluxerint; Baptiſmus autem Euchariſtia per ſanguinem declarata quod ad CHRISTI inſtitutionem prior ſit.

CXXXIV. Verum jam ſupra paucis monuimus, ipſi Sacramentorum ordini propterea nihil decedere, quod prius ſanguis quam aqua ex latere Chriſti manaverit. Nam S. Johannes non ordinem Sacramentorum, ſed miraculorum gradum reſpiciens, admirandi hujus ſpectaculi magnitudinem adaugere voluit, dum præter inſolitum ſanguinis e corpore mortuo fluxum, aquam inſuper diſtincte promanaſſe ſcripſit.

CXXXV. Quando autem Pontificii ad ſuam ὀινοκρασίαν Euchariſticam duplicem hunc fluxum e ſancto Chriſti latere referunt, non habent juſtum ejus rei vel in Scriptura, vel in ſincera antiquitate fundamentum. Neque enim ex corpore CHRISTI vinum & aqua, ſed ſanguis & aqua fluxerunt; & ſi dixeris, ſanguinem vel ex noſtra quoque hypotheſi ſanguinem CHRISTI in S. Cœna denotare; nulla tamen elementorum in S. Cœna mixtio ex laterali fluxu deducta locum obtinebit, ſi (quod antea demonſtravimus) ſeorſim ex aperto latere & diſtinctim, non confuſim & permixte ſanguis & aqua fluxerunt. Taceo rationem transſubſtantiationis vix admittere, quod aqua ſit in calice, ad quam tamen præfigurandam aquam lateris CHRISTI repetunt.

CXXXVI. Bigam Sacramentorum N. T. per Sanguinem & Aquam myſtice demonſtratam veterum Eccle-

ſiæ

ſiæ Doctorum teſtimoniis confirmavimus. Horum tamen aliqui per fluxum ſanguinis etiam martyrum ſanguinem prænotatum eſſe ſcripſerunt. Hieronymus ad Oceanum: *Latus CHRISTI percutitur lancea, & Baptiſmi pariter atq; martyrii ſacramenta funduntur*. Idem in Eſaiæ cap. XLVIII. *Cujus latus lancea vulneratum, aquis fluxit & ſanguine, Baptiſmum nobis & martyrium dedicans.* Ruffinus in *Expoſitione Symboli Apoſtolici*: Poteſt *etiam intelligi, quod duplicem gratiam Baptiſmi figuraverit, unam, quæ datur per aqua baptiſmum; aliam, quæ per martyrium profuſione ſanguinis quæritur*. Sed hæc, ut plura alia, ex nimio martyrii æſtimio profluxiſſe, alibi pluribus docebitur.

CXXXVII. Alioqui non repugnaverim, quod petra a Moſe percuſſa Exodi XVII. 6. & Numeror. XX. v. 11. aliquem percuſſi lateris CHRISTI typum præferat. Quo Cyprianus, ut & ad Eſaiæ XLVIII. v. 21. reſpexit lib. II. Epiſt. III. *Si ſitierint, & Dominum quæſierint, per deſerta adducet illis aquam, de petra producet illis. Findetur petra, & fluet aqua, & bibet plebs mea. Quod in Evangelio adimpletur, quando CHRISTVS, qui eſt petra, findetur ictu lanceæ in paſſione.*

CXXXVIII. Theodoretus *Dialogo I. cap. VII.* huc accommodat vaticinium Jacobi Patriarchæ Geneſ. XLIX. v. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum.* Nam cum Orthodoxus quæſiviſſet: *Cum latus Salvatoris ſauciaſſent milites lancea, quid inde manaſſe dicunt Evangeliorum ſcriptores?* & Eraniſtes repoſuiſſet, *Sanguinem & Aquam;* Orthodoxus ſubjicit: *Sanguinem igitur uvæ Salvatoris appellavit ſanguinem. Si enim vitis appellatur Dominus, & vitis fructus vinum nomina-*

minatur, ſanguinis vero & aquæ rivi ex Domini latere aperto & patefacto per reliquum corpus deorſum manarunt, concinne & apte vaticinatus eſt Patriarcha, Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Quemadmodum enim nos myſticum vitis fructum poſt ſanctificationem, ſanguinem Dominicum appellamus, ſic veræ vitis ſanguinem uvæ appellavit ſanguinem.

CXXXIX. Sanguinem e latere CHRISTI perfoſſo effuſum a virgine ejus matre collectum adhuc ſe habere, jactitant Pontificii, ac inter reliquias oſtentant. Sed de iſto non apud Evangeliſtas modo, ſed omnes, qui trecentis poſt CHRISTI paſſionem annis ac amplius vixere, altum eſt ſilentium.

CXL. Primus, quod quidem hodie ſciamus, ejus rei meminit Metaphraſtes, *ſcriptor oppido recens, & perſæpe vaniſſimus, magnusque fabularum anilium conſarcinator:* quæ elogia in hoc argumento a Caſaubono meruit *Exercitat. XVI. num. XCVI.* Sic autem ille: *Deipara, cum poſt mortem Filii, perinde ac ſi viveret, ex ejus latere aqua & ſanguis ſcaturiret, illa eam haurit reverenter & diligenter.* Poſt hunc Nicephorus, & ipſe fidei ſæpius ſubleſtæ hiſtoricus *lib. I. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXX.* CHRISTI paſſionem deſcribens, & quo pacto latus ejus lancea fuerit perfoſſum, addit: *hæc omnia vidiſſe & attente conſideraſſe B. Virginem, & aquam e latere ipſius quaſi adhuc viventis profluentem religioſe ſimul & admodum honorifice vaſculo accepiſſe.*

CXLI. Verum uti ſua forſan Metaphraſtæ debet Nicephorus, ita non ſpernenda eſt Caſauboni conjectura, iſtum ex Tragœdia *CHRISTVS Patiens*, quam alii Gregorio Nazianzeno, alii Apollinari tribuunt, nonnulla de-

deſumſiſſe, & hiſtoriæ colore tinxiſſe. In hac enim per poeticam procul dubio licentiam inducitur Maria *lamentans, pedes Filii oſculans, ac manibus hauriens manantem e duabus ſcatebris liquorem.*

CXLII. Recentiorum aliqui ſcribunt, Longinum militem lateris CHRISTI percuſſorem, poſtquam defluente ex vulnere ſanguine & aqua viſum recepiſſet, in memoriam tanti beneficii partem quandam utriusque liquoris ſpongia excepiſſe, ac vaſculo reconditum religioſe aſſervaſſe, ac tandem Mantuam detuliſſe. Et vero eundem eſſe volunt ſanguinem, qui usque in præſentem diem Mantuæ cuſtoditus ſingulari cultu afficiatur.

CXLIII. At quis noſtrum ejusmodi narratiunculis fuerit credulus? Nempe ut Longini nomen & cæcitas nullo idoneo nituntur veteri auctore, ſic multo magis inter fabulas computamus Longinianam liquorum aſſervationem & ad Mantuanam urbem translationem: id quod pererudite oſtendit vir exquiſita doctrina clariſſimus, magnusque amicus noſter, Joh. Fridericus Koberus, Illuſtris Ruthenei Rector, Diſſertatione VIII. *de Sanguine CHRISTI.*

CXLIV. Et ſane quia pie credimus, JESVM CHRISTVM ſanguinem in paſſione largiter effuſum in reſurrectione iterum aſſumſiſſe, neque has Mantuanas, vel alias quasvis reliquias Papiſticas habemus admittere.

CXLV. Multo autem minus Reformatorum æque ac Pontificiorum Doctorum nonnullis, ut & Socinianis conceſſerimus, ſanctiſſimum CHRISTI ſanguinem in terras effuſum vel omnem, vel partem aliquam computruiſſe. Nam primo quia S. Petrus I. Epiſt. c. I. v. 18. 19. aſſerit, nos non caducis ὀ φθαρτοῖς, *non corruptibilibus,*

Digitized by Google

qualia aurum & argentum ſunt, ſed τιμίῳ αἵματι, *pretioſo ſangvine* agni immaculati & incontaminati CHRISTI redemtos; quid aliud ex eo eſt colligere, quam ipſum illum ſanguinem effuſum (de eo ſane loquitur Apoſtolus) nequaquam eſſe in cenſu ac claſſe rerum corruptibilium? Quoniã deinde Pſalmus XVI. v. 10. a corpore Meſſiæ corruptionem omnem removet, quidni id ad ſanguinem, quæ pars eſt corporis, pertinere crediderimus? Denique cum ſanguis ille ſit *proprius Dei ſanguis*, ἴδιον αἷμα τοῦ Θεοῦ, *quo acquiſivit ſibi Eccleſiam*; Actor. XX. v. 28. ſit *ſanguis Filii Dei*, I. Joh. I. v. 7. ſit *proprius CHRISTI ſanguis, per quem ingreſſus eſt ſemel in ſancta, æterna redemtione inventa*; quæ verba ſunt Epiſt. ad Hebræos cap. IX. v. 12. ecquis ſanguinem illum tam divinum computruiſſe, & in nihilum abiiſſe, ſine ſummæ impietatis nota dixerit?

CXLVI. Atque hæc de fluxu illo ſanguinis & aquæ ex CHRISTI latere ſufficiant. Reliqvum eſt, ut dicamus de vaticinio prophetico, ad quod Evangeliſta provocat. Poſtquam enim ad præceptum Dei de oſſe non comminuendo in agno paſchali, qui CHRISTI in cruce mactandi geſſerat typum, provocaverat, mox ſubjungit; Et rurſus alia Scriptura dicit, *Videbunt quem pupugerunt:* quæ in Græco habent: Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν.

Joh. XIX. v. 37.

CXLVII. Verba illa ſunt deſumta ex Prophetia Zachariæ cap. XII. v. 10 ubi textus avthenticus ſic habet: וְהִבִּיטוּ אֵלַי אֵת אֲשֶׁר דָּקָרוּ quod Vulgatus ſic expreſſit: *Et adſpicient ad me, quem confixerunt.*

CXLVIII. Septuaginta Interpretum verſionis exemplaria hic variant, & Romana quidem, Complutenſis, & Plantini Antverpienſis habent: Καὶ ἐπιβλέψονται

πρὸς

πρὸς με, ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο: hoc eſt, *Et reſpicient ad me, pro eo quod inſultaverunt.* Alia tamen exemplaria habuiſſe videntur Εἰς ὃν ἐξεκέντησαν: quia in Aldina & Baſileenſi editionibus duæ iſtæ lectiones coaluerunt.

CXLIX. Vnde illa lectionum varietas, jampridem eſt quæſitum. Et jam olim Hieronymus putavit ד & ר inter ſe commutatas, ſicut pro דָּקְרוּ LXX. legerint רָקְדוּ: Sic enim ſcribit lib. III. Commentarior. in Zachariam ad h. l. ד *&* ר *hoc eſt, d & r ſimiles ſunt: & porro tantum apice diſtingvuntur. Ex quo evenit, ut idem verbum diverſe legentes, aliter atq; aliter transferant. — Si enim legatur* דָּקְרוּ ἐξεκέντησαν *id eſt,* compunxerunt, *ſive* confixerunt, *accipitur. Sin autem contrario ordine literis commutatis* רָקְדוּ ὠρχήσαντο, *id eſt,* ſaltaverunt, *intelligitur: & ob ſimilitudinem literarum error eſt natus. Joannes autem Evangeliſta, qui de pectore Domini hauſit ſapientiam, Hebræus ex Hebræis, quem Salvator amabat plurimum, non magnopere curavit quid græca literæ continerent, ſed verbum interpretatus e verbo eſt, ut in hebræo legerat: & tempore dominicæ paſſionis dixit eſſe completum. Quod ſi quis non recipit, det teſtimonium, de quo ſanctarum Scripturarum loco Joannes iſta protulerit; & cum non repererit, cogetur ingratis ſuſcipere veritatem.* Videatur idem libello ad Pammachium *de optimo genere interpretandi.* Ex recentioribus idem placet Johanni Druſio, Cornelio a Lapide, & in Notis ad Auguſtini *de C. D. lib. XX. cap. XXX.* Leonhardo Coquejo.

CL. Johannes Coccejus in Comment. ſuper h. l. aliam ſubſtituit conjecturam, nempe legiſſe quidem LXX. רקדו ſed dedita opera ſuum דקרו ſubſtituiſſe. *Hallucinatio,* inquit, *ea videtur Interpretum eſſe, qui cum neſci-*

neſcirent, quid ibi faceret confoſſio, putare potuerunt, in ſcriptione σφάλμα *eſſe, & ex conjectura ſubſtituerunt* דקרו. *Hoc multo probabilius eſt, quam reperiſſe eos in quoquam codice has literas* דקרו. Et hanc Cocceji conjecturam tanti fecit Johannes Buxtorfius, ut eam adverſario ſuo Ludovico Capello *part II. cap. VIII. Vindic. Veritatis Ebraicæ* opponere nullus dubitarit.

CLI. At conjectura Cocceji labili nititur fundamento. Etenim procul dubio cnm veteribus Judæis hunc locum intellexerunt de Meſſia, quem confodiendum cognoverunt ex Pſalmo XXII. v. 17.

CLII. Quia autem omnes Hebræi codices conſtanter legunt דקרו, ac vetuſtiſſimi alii Interpretes Aquila, Theodotion & Symmachus non aliter verterint, ac porro ipſe Evangeliſta ita citet, nec minus Cyprianus & Macarius Ægyptius id faciant, longe veriſimilius eſt LXX. interpretatos εἰς ὃν ἐξεκέντησαν: & ſequentibus demum temporibus illud ἀνθ' ὧν κατωρχήσαντο fuiſſe expreſſum. An vero id factum Judæorum fraude, id quod putat Iſaacus Voſſius *cap. VIII. libri de Translatione LXX. Interpp.* merito dubitamus.

CLIII. Si cauſam principalem, cujus nomine hoc vaticinium protulerit Propheta, quærimus, auctores in diverſa abeunt. Judæi enim, Sociniani, & ex Reformatis paulo ante laudatus Johannes Coccejus, Deum, non Meſſiam hic loqui autumant.

CLIV. Rectius alii cum Athanaſio, ſive quis auctor *Quæſtionum ad Antiochum*, Cypriano, Cyrillo, Chryſoſtomo, Auguſtino loquentem hic agnoſcunt Meſſiam: idque primo, quia is qui loquitur, inſignem Spiritus S. effuſionem in Judæos promittit: quod opus ſpecialiter Filio

Filio attribui ex N.T. ſcimus. Vid. Joh.XV.26. Luc.XXIV. 49. Actor. II. 33. Tit. III. 6. deinde quia is, qui loquitur, a Judæis eſt transfixus. Non vero Pater, ſed Filius in carne eſt transfixus.

CLV. Quia vero vident Sociniani, ſequi ex hoc loco veram CHRISTI divinitatem, utpote cum is, qui loquatur, v. 1. dicatur *Dominus extendens cælum, & fundans terram, fingens ſpiritum hominis in eo:* v. 7. qui *ſalvet tabernacula Juda:* v. 8. qui *protegat habitatores Jeruſalem:* v. 9. qui *conterat omnes gentes, qui veniunt contra Jeruſalem:* alia atque alia incedunt via, & mox a Judæis corruptum eſſe textum, mox metaphoricam & mediatam confixionem comminiſcuntur.

CLVI. Et ipſi quidem Socino contra Bellarminum & Wujekum diſputanti admodum eſt veroſimile, Judæos ab initio Evangelii Prophetæ textum corrupiſſe, quod is inſignem prædictionem de JESU Nazareno, clavis confixo & lancea perfoſſo complectatur. Quia enim in ſequentibus de illo, qui eſt confixus, ſermo fit in tertia perſona, tanquam de alio a loquente diverſo, redundare putat particulam אלי eandemque a Judæis eſſe inſertam, præſertim cum Johannes neque hic, neque Apocal. I. 7. ullam hujus particulæ faciat mentionem.

CLVII. Nimirum contrarium Socinus ſtatuit ab Alphonſo Salmerone, celebri ſcriptore Pontificio, qui Judæos ex textu Hebræo eraſiſſe putat hanc voculam, ne videatur Deus ipſe punctus, & Meſſias Deus eſſe.

CLVIII. Attamen utraque ſententia falſa eſt. Omnes enim codices unanimi conſenſu habent illam vocem, quam & Maſorətharū numeratio mirifice munit, & commentatores Judæi Aben Ezra & R. Salomo Jarchi alii-

Digitized by Google

que agnoſcunt, licet interpretando valde detorqueant: id quod præclare oſtendit Cl. noſter Friſchmuthius Diſſertatione peculiari *de Meſſia confixo, eoque inſtar unigeniti Filii plangendo,* ad præſentem locum Zachariæ XII. Et quid cauſæ eſt, cur credamus Judæos vocem infulſiſſe, ex quo Meſſiam Deum eſſe colligi queat? Quidni totum comma abſtuliſſent, quod illorum hypotheſi, Meſſiam purum putum hominem fore, tantopere refragaretur?

CLIX. Quod autem ad Socinianæ ſuſpicionis rationes attinet, ad primam reſpondetur, enallagen hic eſſe perſonarum valde alias in ſacris uſitatam, ubi vel una eademque perſona in uno eodemque contextu mox de ſe in prima, mox tertia perſona loquatur: vel etiam primo Meſſias verba faciat in his: *& adſpicient ad me, quem transfixerunt;* in ſequentibus Propheta ſuo ipſius nomine Dei ſermonem continuet. Quod ad alteram, Johannes particulam omiſiſſe cenſendus eſt, quod ſuo ſcopo non inſerviret, qui non priorem hujus vaticinii de aſpectu, ſed poſteriorem de confeſſione partem tum temporis completam volebat aſſerere. Quam in rem bene Cornelius Janſenius *Concordia Evangelicæ cap. CXLIII. Veritatem* *Ebraicam ad verbum non curavit citare, ſed ſenſum ſatis habuit appendere, ut alias ſemper fere Apoſtoli.*

CLX. Contra alii Socinianorum hanc quidem particulam אלי textui nativam eſſe concedunt, ſed de confeſſione mediata & metaphorica accipiendam monent, utpote quæ Deo Patri convenire queat. Sic igitur vel Deum transfixum eſſe volunt a Judæis, dum illi verbis & factis ſeſe malitioſe oppoſuerint, verbum ejus obſtinate ſpreverint, ac ipſum Deum probris laceſſerint, quomodo hæc transfixio jam tum cum prophetia iſta ederetur,

tur, fuiſſet peracta: vel etiam CHRISTI tanquam legati Dei in cruce transfixio in ipſum Deum mittentem redundet, qui per latus CHRISTI transfixus, & confoſſus fuerit.

CLXI. At vero nequaquam metaphorica talis confixio locum habere poteſt in hoc vaticinio: non prior; quia, ſi jam tum peracta fuiſſet, natura prophetiæ tolleretur, nec S. Johannes ad eam provocare potuiſſet, ac ſi tum demum cum lancea lancinaretur latus CHRISTI, illa fuiſſet impleta: non poſterior; quia a ſtylo Scripturæ eſt remotiſſimum, ſtatuere Deum in ſuis miniſtris transfigi & occidi. Perfoſſio enim lateris, ad quam inprimis accommodat hoc vaticinium Johannes, utique fuit lethalis, licet non effectu, tamen potentia, cum illa CHRISTUS, niſi morte maturata eandem prævenisſet, absque dubio fuiſſet peremtus. Præterea ſi Deus Pater ob ſummam conjunctionem, quæ eſt inter ipſum & CHRISTUM, transfixus diceretur, ob eandem & incarnatus, natus, circumciſus, paſſus, mortuus dici poſſit: quod plane eſt abſurdum, ac Patripaſſianorum hæreſin induceret. Ac denique, quando Sociniani eandem ſpecie conjunctionem eſſe CHRISTI Filii hominis cum Deo, quæ eſt piorum cum CHRISTO, nec niſi gradu differre volunt, toto errant cœlo, cum tota ſpecie unio hypoſtatica differat ab unione ſpirituali capitis noſtri cum ſuo corpore.

CLXII. Sed miſſa hac perditorum hominum fæce ad ipſum vaticinii argumentum accedamus, quod agit de Judæorum aſpectu in Meſſiam, ubi juxta ductum magni Philologi & Theologi Johannis Adami Scherzeri, qui hoc oraculum Zachariæ ſingulari diſſertatione explicuit,

illuſtravit, vindicavit, quatuor conſideranda veniunt: nempe hujus Adſpectûs I. Subjectum. II. Tempus. III. Modus. IV. Objectum. At de Objecto quia jamtum egimus, de prioribus illis ſummatim agemus.

CLXIII. Et primo quidem nonnulli per adſpicientes intelligunt Chriſtianos omnes per orbem diffuſos, qui ubique gentium adſpicient & agnoſcent CHRISTVM propter peccata ſua a Judæis transfixum & mortuum: quibus adeo *Subjectum* adſpectus ſint omnes Chriſtiani: *Tempus*, quodcunque: *Modus*, ſpiritualis.

CLXIV. Deinde Euſebius *lib. VIII. de Demonſtrat. Evangel. cap. IV.* & Cyrillus intelligunt illos, qui in excidio Hieroſolymitano per Romanos facto, cognoverint CHRISTVM quem transfixerunt, fuiſſe cauſam ſuæ ſtragis & vaſtitatis: quomodo illis *Subjectum* ſunt Judæi impii; *Tempus*, Excidii Hieroſolymitani; *Modus*, improprius quidem, ſed non ſalutaris.

CLXV. Tertio, alii hoc capiunt de Judæis blaſphemantibus, qui CHRISTVM in cruce pendentem viderint illique illuſerint: Matth. XXVII. 39. qui itidem pro *Subjecto* habent impios Judæos, *Tempus* agnoſcunt Paſſionis CHRISTI, *Modum* corporalem.

CLXVI. Quarto, Tertullianus, Theodoretus, Svarezius, Eſtius, Janſenius, Ribera & Maldonatus complementum hujus vaticinii referunt ad tempus extremi judicii: quando impii Judæi, qui hic noluerint Chriſtum agnoſcere, inviti eum agnoſcent, ac dolebunt, quod illum crucifixerint. His *Subjectum* ſunt impii Judæi: *Tempus* extremi Judicii: *Modus*, corporalis.

CLXVII. Quinto, aliqui in *Subjecto* impiis Judæis, & *Modo* corporali, cum prioribus conveniunt: ſed utrum-

Digitized by Google

que admittunt *Tempus*, nempe & Paſſionis & extremi Judicii.

CLXVIII. Sexto, Auguſtinus, quando hoc ad tempus Judicii & corporalem viſionem, non tamen impios, ſed pios, qui dolebunt, non reatu criminis, ſed pietatis affectu, retulit; in *Tempore* & *Modo* cum præcedentibus convenit, in ſolo *Subjecto* diverſus eſt.

CLXIX. Septimo quidam hujus vaticinii complementum extenderunt ad particulare cujusque hominis judicium. Obtinuit enim apud quosdam veterum traditio, CHRISTVM in cruce pendentem omnibus moribundis apparere ante mortem, improbis quidem ad terrorem, piis vero ad ſolatium: cujus fundamentum & in noſtro textu quæſiverunt. Proditur hujus opinionis primus auctor Innocentius III. Papa, cujus locum, prout in Scherzeriana Diſquiſitione collatis inter ſe Francofurtenſi & Erphordienſi editione emendatior affertur, adſcribemus. *Videt tam bonus, quam malus, antequam egreditur anima de corpore, CHRISTVM in cruce poſitum: Malus ad ſuam erubeſcentiam & confuſionem, ut erubeſcat, ſe non eſſe redemptum ſanguine CHRISTI, ſua culpa id exigente. Vnde de malis dicitur in Evangelio* (Joh. XIX. 37.) Videbunt, in quem pupugerunt: *quod intelligitur de adventu CHRISTI ad judicium, & de adventu ejus ad diem mortis cujuslibet hominis: Bonus autem videt ad exultationem. Et hoc habemus ex verbis Apoſtoli, qui* (I. Theſſal. III. 13.) *ait:* Vsque ad diem adventus Domini noſtri JESV CHRISTI, *id eſt, usque ad diem mortis, quando apparebit tam bonis, quam malis CHRISTVS in cruce poſitus. Et ipſe CHRISTVS de Johanne Evangeliſta* (Joh. XXI. 22.) Sic eum volo manere, donec veniam: *ſcilicet*

licet ad obitum ejus. Quatuor namque leguntur adventus CHRISTI ad homines, duo videlicet viſibiles, & duo inviſibiles. Primus adventus viſibilis fuit in humilitate ad redimendum mundum: alter in majeſtate ad judicandum. Primus adventus inviſibilis fit in mente juſti per gratiam. Vnde in Evangelio (Joh. XIV. 23.) *ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Secundus adventus inviſibilis eſt in abitu, cujuslibet fidelis. Vnde Johannes in Apocal.* (c. XXII, 20.) Veni Domine JESV. *Vnde legitur, quod die obitus ſui obviam ei venerit CHRISTVS.* Huic opinioni præluſiſſe videtur B. Bernhardus his Cantici ſui verbis:

Dum me mori eſt neceſſe,
Noli mihi tunc deeſſe,
In tremenda mortis hora
Veni, JESV absque mora,
Tuere me, & libera.

Cum me jubes emigrare,
JESV chare, tunc appare,
O Amator amplectende,
Temet ipſum tunc oſtende
In cruce ſalutifera.

His ergo *Subjectum* eſt quivis homo; *Tempus*, mortis: *Modus* corporalis.

CLXX. Octavo, Cornelius a Lapide & Chriſtophorus a Caſtro complementum hujus vaticinii referunt in tempus paſſionis CHRISTI, & adſpectum exponunt de corporali viſione cum condolentia conjuncta. His *Subjectum* ſunt Judæi pii: *Tempus*, Paſſionis: *Modus*, mixtus.

CLXXI. Nono denique ſunt, qui vaticinium hoc ajunt intelligendum eſſe de illis Judæis, qui poſt CHRISTI aſcenſionem Spiritu S. donati ad CHRISTVM crucifixum ſunt converſi, in illum crediderunt, atque doluerunt, quod ipſi adeo indigne illum tractaverint. Hi *Subjectum* volunt Judæos converſos: *Tempus*, poſt aſcen-

ſionem;

Digitized by Google

ſionem; *Modum* ſpiritualem. Et ſic hunc locum explicant ex noſtratibus B. Joh. Tarnovius in *Commentar. ad Zachariam*, B. Joh. Mullerus in *Judaiſmo*, & in aliquoties laudata Diſquiſitione Joh. Adamus Scherzerus.

CLXXII. Ad confirmationem ultimæ hujus ſententiæ hic porro certa ex contextu Zachariano affert prædicata adſpicientium: quorum primum, quod ſint *e domo Davidis & habitatoribus Jeruſalem*, hoc eſt, Judæi ex ſemine Davidis & Judæ orti: quo ipſo cadat interpretatio *prima* omnes Chriſtianos pro ſubjecto ponens.

CLXXIII. Horum alterum eſt, quod fuerint *configentes*. Siquidem illi dicuntur reſpecturi in Meſſiam, qui eundem confixerunt ferro, licet non manu propria, per Romanos tamen milites, aut ſuos majores, qui uno ore clamabant, *Crucifige, Crucifige*. Ex defectu hujus prædicati ſubſiſtere nequit interpretatio *ſeptima*, per ſubjectum intelligens quemvis hominem. Quamvis & ipſa, prout ab Innocentio proponitur ſententia de viſibili apparitione CHRISTI tempore mortis, merito rejicitur.

CLXXIV. Tertium, quod ſint *converſi*. Super illos enim effuſus eſt *Spiritus gratiæ & precum*. Subvertit hoc interpretationem *ſecundam, tertiam, quartam, quintam*, ac iterum *ſeptimam*.

CLXXV. Quartam, quod poſt aſcenſionem CHRISTI adſpectus ſit futurus. Probat id Scherzerus ex particula copulativa, quæ indicet, adſpectum hunc effuſionem Spiritus S. ſecuturam: eoque rejicit interpretationem *octavam*, ſimulque iterum *tertiam*.

CLXXVI. Quintum, quod ſint *dolentes*. Id probant verba ſubſequentia: *Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte*

morte primogeniti. Ac quoniam duplex eſt dolor, vel ex pietate, vel ex ſenſu pœnæ ortus, prior utique hoc loco capiendus: quo pacto *tertia, quarta, quinta* interpretationes locum habere nequeunt. Auguſtinus quidem dolorem ex pietate profectum vult tribuere adſpicientibus piis tempore judicii. Verum non immerito dubitatur, an talis dolor in die judicii, ubi beatiſſima incipit vita, omneque conſummatur gaudium, de Electis poſſit dici.

CLXXVII. Sextum. Adſpicient *modo non mere corporali, ſed ſpirituali.* Talis enim adſpectus hic eſt intelligendus, qui convenit *converſis*, & ex affectu *pietatis dolentibus*, qui non eſt mere corporalis, ſed ſpiritualis. Quod *κριτήριον* tollit interpretationem *III. IV. V. VI.*

CLXXVIII. Interea licet in tanto ſententiarum divortio pro ultima tanquam literali, quamque Spiritus S. unice intenderit, decertet Dn. Scherzerus; non negat tamen & alias textui accommodari poſſe. Et ſane ipſum S. Johannem Apocal. I. v. 7. accommodare textum ad quartam opinionem, extra controverſiam eſt. Quam in rem juvat adſcribere Dn. Friſchmuthii verba ex cap. III. laudatæ Diſſertationis *de Meſſia transfixo* §. 2. *Si textum propheticum accuratius inſpicimus, videtur ille omnino agere de Judæorum converſione, quam & transfixionis indignæ intuitus & memoria, quin Apoſtolorum prædicatio Actor. II. 37. effecit. Et cum novum in Scripturis non ſit, ut eadem verba ex eodem loco petita diverſis rebus aptentur, quid mirum, ſi Johannes illa ad ſeveriſſimum judicium a CHRISTO inſtituendum, & ex intuitu vulnerum tam innocentis terrorem incutiendum impiis Apoc. I. 7. applicarit? id quod Cl. Tarnovius quoque Comm. in h. l. fatetur, qui non tam allegaſſe, quam accommodaſſe Zachariæ verba Johannem, docet.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. IV.

De CHRISTI ſepultura.

I. De tempore Sepulturæ. II. De curatoribus funeris. De Joſepho Arimathæo. Arimatha ubi ſita. Cur Joſephus εὐσχήμων vocetur. Cujus conſilii fuerit Senator. Absque ſingulari conceſſione corpora punitorum non ſepulta. Cur Pilatus feſtinatam CHRISTI mortem miratus. Hic nullo accepto pretio corpus CHRISTI Joſepho reddidit. De Nicodemo quædam. III. De modo Sepulturæ. An lotum corpus CHRISTI? De unctura ſepulcrali; Myrrha & Aloe. Num alia quoque aromata adhibita. An Λίτρα nummi ſpecies. Diſputatur contra illos, qui negant CHRISTI corpus fuiſſe unctum. Judæi forte unctionem ſepulchralem ab Ægyptiis accepere. De Linteis ſepulchralibus, Sudario, Sindone & Inſtitis. IV. De loco Sepulturæ. Cur CHRISTVS in horto voluerit ſepeliri. Monumentum ex petra exciſum. Crypta ſepulcralis. De ſtatu ſepulcri dominici ex recentioribus. Ingens ſaxum monumento advolutum. V. De Spectatoribus ſepulchri.

I.

A Latere CHRISTI aperto ad ſepulturam accedimus, quæ ſacri laboris noſtri meta erit.

II. In hac hiſtoria ſecundum Evangeliſtarum præſcriptum conſiderabimus, primo Sepulturæ Tempus, mox Curatores, deinde Modum, poſt Locum, ac denique Spectatores.

III. De Tempore Sepulturæ conſtat, fuiſſe mox finientem Paraſceves diem, atque adeo brevi ineuntem vesperam, quæ magnum Sabbatum Paſchale auſpicaretur.

IV. Paraſceven triga Evangeliſtarum memorat.
Marc. XV. 42. Nam Marcus, *Paraſceve,* inquit, *erat, quæ præcedit Sabbatum,* ſive, ut Græa habent: ἦν παρασκευὴ ὅ ἐστι προσάββατον,
Luc. XXIII. 54. Lucas: *Dies erat Paraſceve*: Ἡμέρα ἦν παρασκευή. Sic Johannes, in Paraſceve Judæorum IESVM in monumento col-
Joh. XIX. 42. locatum memorat. Quo referas, quod Matthæus ſcribit, proximo poſt Paraſceven die Pontifices ac Phariſæos Pilatum adiiſſe.

Matth. XXVII. v. 62. V. Scilicet dies erat Sabbatum hujus anni Judaicum præcedens, & ut Marcus ait, προσάββατον, quo omnia ad ſabbati religionem neceſſaria parabantur.

VI. Inclinabat tamen jam illa dies in veſperam, parumque aberat, quin illuceſceret magnus ille dies Sabbati Paſchalis.

v. 57. VII. Vtrumque patet ex hiſtoria Evangelica, & Matthæus quidem ὀψίας γενομένης, *facta veſpera*, Joſephum
Luc. XXIII. v. 54. adventaſſe memorat; Lucas autem *Sabbatum illuxiſſe* tradit his verbis: Καὶ Σάββατον ἐπέφωσκε: ubi tempus completum pro mox implendo poſitum, extra controverſiam eſt.

VIII. Neque enim tam ſera erat veſpera, ut non mulieres religioſæ ad pollincturam Domini quæ requirerentur, ante haberent coemere, quam Sol occidens ſequentem feſtum diem exordiretur. Quin ſi jam plene illuxiſſet Sabbatum, non in Paraſceve, ſed ipſo feſto CHRISTVS fuiſſet ſepultus: quo tamen piaculum erat ſepulturæ operam navare. Et vero credibile eſt, Joſephum CHRISTO tumulato cum reliquis Judæis Paſcha comediſſe.

IX.

Digitized by Google

IX. Vtut igitur Luna aliaque ſidera, cum reponeretur CHRISTVS in ſepulcrum, nondum eſſent coorta, non repugnaverim tamen Grotio de proximo horum ortu vocem ἐπιφώσκειν interpretanti: quamvis Iſidorus Clarius & Nicolaus Zegerus in Notis ad hunc locum ad lampades & lucernas, quas Judæi ſub veſperam ante ingreſſum Sabbati accendere ſolebant, hanc phraſin retulerint.

X. Atque hæc de Tempore Sepulturæ Dominicæ. Succedunt Perſonæ ſepelientes. Hæ duo fuerunt viri principes, quorum prior Joſephus, alter Nicodemus.

XI. Joſephus ille deſcribitur a patria, genere, opibus, ac dignitate. Erat enim ab Arimathæa, nobilis, dives, & Senator.

XII. Quod Joſephus apud Matthæum veniſſe dicitur ab Arimathæa (ἦλθεν ἀπὸ Ἀριμαθαίας) non ita con- *Matth.*
ſtruendum, ac ſi tum primum inde venerit Hieroſoly- *XXVII. 57.*
mam: ſed quod hic qui venerit, Arimathæa fuerit oriundus, hoc modo: ἦλθεν ἄνθρωπος ἀπὸ Ἀριμαθαίας.
Id enim ex Marco liquet, cujus hæc ſunt: ἦλθεν Ἰωσὴφ ὁ *Marc. XV.*
ἀπὸ Ἀριμαθαίας: quod recte vertitur: *Venit Joſeph or-* *43.*
tus ex civitate Arimathæa, ſive *Joſephus Arimathæus,* vel *Arimathenſis.* Sic apud Livium lib I. *Turnus ab Aricia* pro Aricinus: & lib. VI. *Coloni a Velitris,* id eſt, Veliterni.

XIII. Quia autem plures ſunt voces ad hoc nomen accedentes, quo ſpeciatim loco ſita fuerit, & ad quam tribum ſpectaverit *Arimatha,* quæritur.

XIV. Quidam exiſtimant fuiſſe civitatem in tribu Judæ, dictam alias *Ruma,* Joſuæ XV. 52. Judic. IX. 41. II. Reg. XXIII. 36.

XV. Porro alii *Ramath* intra Gaditarum terminos,

Digitized by Google

Joſuæ XIII. 26. atque item alii *Rama* in tribu Aſer Joſ. XIX. 29. intelligi poſſe autumant.

XVI. Sed quia Lucas hanc diſerte vocat πόλιν Ἰουδαίων, non dubitat Hugo Grotius, quin Ἰουδαῖοι ſtricte dicantur ii, qui crca Hieroſolyma habitabant, atque adeo deſignari hic putat oppidum Benjaminis Joſuæ XVIII. 25. memoratum. Hanc ſuis temporibus *Remtin* appellatam, Euſebius & Hieronymus tradunt.

XVII. Receptiſſima omnium eſt opinio, hic intelligi Elcanæ, patris Prophetæ Samuelis patriam, quæ I. Samuel. I. v. 1. *Ramathaim-Sophim* in duali numero id propter appellatur, quod duæ eſſent civitates cognomines ſe invicem reſpicientes. Quo de in Annotationibus Biblicis ſic ſcripſit Franciſcus Vatablus: *Ramathaim nomen eſt dualis numeri juxta Hebræos: ut intelligamus duo fuiſſe oppida ejusdem nominis. Dilucide ſic vertas: Erat vir quidam de altera Rama, nempe de ea, quæ dicebatur Sophim, id eſt, ſpeculatorum, in qua habitabant ſpeculatores, hoc eſt, Prophetæ & ſtudioſi viri. Præpoſitio enim Hebræa* מ *quæ pro* de *præpoſitione ponitur, repetenda eſt, de Ramatha de Sophim. Chaldæus Paraphr. vertit: de altero oppidorum Ramoth, ubi habitabant diſcipuli Prophetarum. Pro Sophim alii vertunt, de altero oppidorum Rama mutuo ſeſe reſpicientium. Duo enim erant oppida Ramoth, quæ* ſophoth, *id eſt, ſpeculabantur ſive reſpiciebant ſeſe.*

XVIII. Sita hæc fuit in tribu Iſacharis, quod patet ex Joſuæ XIX. 21. ubi *Remeth*, & Joſ. XXI. 29. ubi *Jarmuth* appellatur: quam quatuor milliaribus Hieroſolymis fuiſſe diſſitam, notavit Hieronymus. Atque idem ille ſcribit fuiſſe ſitam in regione Tannitica juxta urbem Lyddam poſtea

Digitized by Google

poſtea Dioſpolim dictam. Vide ipſum lib. *de Locis Hebraicis*, in *lib. I. Samuelis*, & in *Epitaphio Paulæ.*

XIX. Syrorum eſt pro רמה *Ramah* dicere ארמתא *Armatha:* quomodo Joſephus illam Ephraimiticam Samuelis ſedem vocat Ἀρμαθᾶ: unde natum Evangeliſtarum Ἀριμαθαία.

XX. Ad genus Joſephi quidam referunt, quod εὐσχήμων a Marco appellatur, id quod Vulgatus vertit *nobilis.* Verum aliis ſignificat *gravis* ac *modeſtus*, nonnullis *honoratus*, *honeſtus*, quibusdam etiam *dives.* Phrynichus de hac voce: Τοῦτο μὲν οἱ ἀμαθεῖς ἐπὶ τοῦ πλουσίου, καὶ ἐν ἀξιώματι ὄντος τιθέασιν. Οἱ δὲ ἀρχαῖοι ἐπὶ τοῦ καλοῦ καὶ συμμέτρου. *Hanc quidem vocem idiotæ ponere conſueverunt pro divite & eo, qui in honore conſtitutus eſt. Antiqui vero de honeſto ac moderato.* Prioris notionis ratio hæc eſt, annotante Salmaſio, quod σχῆμα *in idiotiſmo veſtem denotet:* quomodo & Plautus in Prologo Amphitr. accepit. Videatur Schottus *Obſervation. Philol. lib. I. cap. V.* Voſſius *Inſtitutionum Orator. lib. V. cap. I.* Stephanius *ad Saxonem Grammaticum lib. I.* Hinc εὐσχήμων pro *bene veſtito:* quales ut plurimum ditiores, honorati & nobiles, qui ex veſte ſplendida dignoſcuntur. Marc. XV. v. 43.

XXI. At de divitiis Joſephi clarius Matthæus, qui ἄνθρωπον πλούσιον indigitat.

XXII. Hieronymus monet, divitias Joſephi commemorari, *non quaſi ipſe a divitiis, vel JESUS a divite diſcipulo commendetur, ſed ut oſtendatur cauſa, propter quam acceſſus ad Pilatum illi patuerit.* Quod enim plerique CHRISTI ſectatores homines eſſent pauperes, plebeji & ignobiles, iidemque non fuiſſent auſi Pilatum tantæ dignitatis virum adire; Deus hunc Joſephum exci-

tavit, qui vel ob divitias famoſus & in prætorio Pilati gratioſus foret.

XXIII. Ad has divitias dignitas acceſſit Senatoria: id quod elogium βȣλδυτὴς apud Marcum arguit: quam Syrus Interpres retinuit, eademque in Plinii Epiſtolis & Spartiano ſermone Latino legitur.

Marc. XV. v. 41.

XXIV. Quod Beza in *Annotationibus ad Marcum* putat Joſephum hunc ex Pilati conſilio fuiſſe, id plane Romanis moribus repugnat. Nam Romanorum civium conſilio Præſides utebantur: imo etiam qui jus nacti erant Romanæ civitatis, in ea provincia, ex qua orti erant, adſidere vetabantur.

XXV. Alii pro Senatore oppidi Arimatha eum habent. Quo forte reſpexit Vulgatus, quando βȣλδυτὴν reddit *Decurionem*. Vnde Laurentius Valla ad h.l. *Nunc accipiendum eſt Decurio pro municipali Senatore, quoniam decimus quiſque in conſilium Reip. admittebatur:* quod non improbat Eraſmus, & confirmat Emundus Merillius. Quin Caſaubono adeo placuit hæc ſententia, ut ad h. l. ſequentia non dubitaret ſcribere: *Nuſquam alibi fit, opinor, mentio ullius* βȣλδυτȣ̃ *Hieroſolymitani. Præterea certum eſt Curiales & Decuriones Græce dici* βȣλδυτὰς, *eorumque conſeſſum* βȣλὴν, *ut in L. X. D. de pollicitationibus. Gloſſ.* βȣλδυτὴς, *Decurio, Curialis. Quare hic quoque ſuam ſignificationem ei voci cenſeo cum Veteri interprete retinendam, ita ut Decurio Arimathææ Joſephus hic fuiſſe intelligatur.*

Luc. XXIII. v. 51.

XXVI. Quia tamen Lucas teſtatur, *ipſum non conſenſiſſe conſilio ac facto eorum,* ſunt qui in Synedrio magno locum Joſepho fuiſſe conjiciunt.

XXVII. Sed id non ſatis certum eſſe argumen-

Digitized by Google

mentum exiſtimat Grotius. *Improbant enim,* inquit, *multi multa etiam qui jus ſuffragii non habent. Deinde non eſt, quod verba illa præciſe ſumantur de illa conſultatione poſtrema diei, cum antea quoque deliberatum aliquoties de re JESU fuerit, ut cum conſtitutum eſt ut ἀποσυνάγωγοι haberentur, qui JESUM eſſe Meſſiam dicerent: in qua hiſtoria Johannes non Synedrii meminit, ſed dicit συνετέθειντο οἱ Ἰουδαῖοι. ut credibile ſit eam rem actam in conventu majore, quem συναγωγὴν μεγάλην vocari diximus, & in quam præter Synedrii Judices alii etiam magiſtratum gerentes vocabantur; ſicut & Gorionides narrat conveniſſe ſuper rebus gravioribus Senatum & minorem & majorem, id eſt, urbanum & communem populi.*

XXVIII. Quare Grotius Joſephum hunc quidem ab Arimathæa oriundum, ceterum domicilium & ſedem fortunarum ſuarum habentem Hieroſolymis (quo commigrare opulentiores ſolebant) credit fuiſſe Senatorem Senatus urbis Hieroſolymitanæ. Ideo non vocari ἄρχοντα, quod nomen erat, τῶν συνέδρων, ut Nicodemi, Joh. III. 1. ſed βουλευτὴν: quæ duo etiam Joſephus diſtinguat in *Belli Judaici hiſtoria lib. II. cap. XXIX.*

XXIX. Idem Ioſephus erat vir *bonus ac juſtus:* quas virtutes vel eo quoq; fuerat teſtatus, quod, ceu jam tum diximus, non conſenſerat conſiliis ac geſtis adverſus Chriſtum ſuſceptis, adeoq; nec propoſitum Synedrii, neq; rationem exſequendi propoſiti probaverat, memor divinæ legis Exodi XXIII. 2. *Ne ſequaris multos ad malefaciendũ, neq; reſpondeas in judicio declinando poſt multos, ut perverſum quid committas.* Itaque, ut Hieronymus in Matth. cap. XXVII. ſcribit, non defuere, qui de eo dicerent intelligendum Pſalmorum Davidicorum exordium: *Beatus vir, quĕ* *Luc. XXIII. 50. 51.*

non

Digitized by Google

non abit in conſilio impiorum. Sed recte monet Voſſius non eum eſſe Pſalmi hujus ſcopum; etſi huic Joſepho recte etiam accommodetur.

Matth. XXVII. v. 57. Joh. XIX. v. 38. XXX. Præterea quondam *diſcipulum præbuerat ipſi JESV; occultum* tamen, *propter metum Judæorum.* Quo ipſo cadit Chryſoſtomi ac Euthymii opinio, Joſephum hunc LXXII. diſcipulis ad prædicandum a CHRISTO emiſſis annumerans.

XXXI. Fuit ergo olim ex illorum numero, de quibus Johannes cap. XII. v. 42. 43. *Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.*

Marc. XV. v. 43. Luc. XXIII. v. 51. XXXII. Quod apud Matthæum & Johannem hic Joſephus dicitur CHRISTI fuiſſe diſcipulus, pro eo Marcus & Lucas dicunt, *quod exſpectaverit regnum Dei*, hoc eſt Meſſiam ac liberationem per ipſum præſtandam, itemque ſpirituale & cœleſte regnum per ipſum inchoandum.

XXXIII. Exſpectabant quoque ceteri Judæi regnum aliquod a Meſſia inchoandum, ſed terrenum & mundanum: exſpectabant liberationem a Meſſia præſtandam, ſed temporariam & corporalem: dum nimirum ſibi imaginabantur per Meſſiam a poteſtate, jugo & tributis Romanorum in plenam libertatem ac αὐτονομίαν aſſertũ iri.

XXXIV: Quamquam vero antea præ Judæorum metu occulte ſolum audiiſſet, & doctrinam JESV ſecutus eſſet Joſephus, nunc metum omnem abjicit, ac amorem CHRISTI per manifeſtam illam funeris curam profitetur. Quod perpendens Grotius, non male ad Johannem

nem commentatur: *En ut ſubito ſupplicii indignitas timidum animaverit, & nullo intervallo ultimum contemtum ſecuta ſit aliqua gloria, viro illuſtri mortui amicitiam profitente, qui vivi diſſimulaverat.* Et ad Matthæum: *Ita videmus, quomodo fidei ſemina humanis vitiis oppreſſa aliquamdiu ſubito interdum erumpant, Deo ita diſponente occſiones.*

XXXV. Magnus ſane animus fuit Joſepho, qui inſuper habitis omnibus, quæ à primoribus Judæorum ei imminebant periculis, Pilatum adiit: quod vox τολμήσας apud Marcum haut obſcure indicat, ceu bene obſervavit Eraſmus: ac id propter Caſaubonus explicat, *ſumta* *Marc. XV. v. 43.* *fiducia,* ut intelligatur dubitatio quædam præceſſiſſe.

XXXVI. Rogabat autem Joſephus Pilatum, ut ipſi *Matth.* permitteret ad ſepulturam corpus JESV tollere. *XXVII. 58. Marc. XV. 43.*

XXXVII. Abſque ſingulari conceſſione hautquaquam id licebat Joſepho: ſiquidem, ut Vlpianus ait. l. I. D. *Luc. XXIII. 52.* de Cadaveribus punitorum, *eorum, in quos animadvertitur, corpora, non aliter ſepeliuntur, quam ſi fuerit petitum, & permiſſum.* *Joh. XIX. 38.*

XXXVIII. Inprimis cognatis, ſi id peterent, non facile negabatur, jam temporibus Auguſti, Vlpianus dicto loco: *Corpora eorum, qui capitis damnantur, cognatis eorum neganda non ſunt, & id ſe obſervaſſe etiam Divus Auguſtus libro X. de vita ſua ſcribit.* Sic Philo Judæus in Flaccum memorat τοῖς συγγενέσιν ἐπὶ τῷ ταφῆς ἀξιωθῆναι ἀποδοθέντας, *quosdam cognatis ad honorem ſepulturæ redditos.*

XXXIX. Interdum quibuslibet petentibus animadverſorum corpora ad ſepulturam data ſunt: id quod legas l. III. D. de Cadaveribus punitorum repetitum ex Pauli lib I. Sententiarum. Et Marcus Fabius Quintilia-

nus *Declamat. VI.* hoc argumentum tractans de ſepeliendis facinoroſis, inquit: *Cruces ſucciduntur, percuſſos ſepeliri carnifex non vetat.* Et poſtea: *Neminem non mortalium favere hominis ſepulturæ convenit; quia hæc una res eſt, cujus exemplum ad omnes pertineat: ideoque non niſi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam ſi qua ſunt jura, quæ obſtent, ſic tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus, per quem intrare humanitas poſſit. Vera clementia occiſione contenta eſt.*

XL. In atrocioribus tamen criminibus, quale *Majeſtatis* erat, non facile locum habebat ſepultura. Vlpianus dicta lege I. *Nonnunquam non permittitur, maxime majeſtatis cauſa damnatorum.*

XLI. Atque ex eo colligit Grotius, *in Notis ad Mattheum,* Pilatum CHRISTO non tam majeſtatis, (quippe nequaquam credibile) quam ſeditionis crimen adſcriptum voluiſſe.

XLII. Contra Merillius vel ex eo, quod CHRISTVS damnatus eſſet majeſtatis, rationem derivat, cur Joſephus Pilatum audacter adierit, nec timuerit corpus CHRISTI ab eodem petere.

XLIII. Sed quicquid ſit de eo, quandoquidem cum Judæorum inſtitutis pugnabat, corpora peremtorum ultra veſperam oſtentui exponere, credibile eſt Pilatum ea in re, ut in aliis, ſecutum morem regionis; adeoque precibus Joſephi locum reliquit.

XLIV. Attamen prius id quam faceret, miratus tam cito CHRISTVM eſſe mortuum, advocato, ſive ex loco ſupplicii, ſive, quo jam forte reverſus, ex arce Antonia, centurione, ſollicite quærit, an jamdudum eſſet mortuus.

Digitized by Google

XLV. Non utique admirationem ſuam teſtatus fuiſſet Pilatus, niſi inſolens aliquid eveniſſe crediidiſſet. Erat enim lenta crucifixorum mors, quibusdam per aliquot dies in cruce viventibus, donec fame & angore animi perirent. Iam etiam latrones ambo ſupervixerunt CHRISTO, ut id propter crurifragium haberent ſubire. Præterea quia in medio ætatis flore erat JESUS, diutius cruciatus toleraturum credidit Pilatus. Fortaſſis etiam judicavit, ſe ipſum a morte præſervaturum, qui alios a mortuis excitaverat.

XLVI. Quidam igitur in hac præpropera morte Domini ad colliquationem corporis confugiunt, quæ præcipue in ſudore ſanguineo apparuerit. Ajunt enim colliquationem ſanguinis ſequi feſtinatam mortem. Cum enim mors nihil aliud ſit, quam caloris nativi exſtinctio, is autem a nimiis humoribus facile exſtinguatur, quod in hydropicis videndum, qui, quando aqua in pectus erumpit, ac calorem tollit, ex improviſo moriantur, cum paulo ante locuti, nec nimis ægrotare viſi fuerint; ita CHRISTO quoque ejusmodi colliquationem accidiſſe, calorem nativum ademiſſe, ac celeriori morti januam aperuiſſe volunt.

XLVII. Alii multitudinem vulnerum in flagellatione, ſpinea coronatione, & manuum pedumque perforatione in cauſa fuiſſe volunt. Et ſane licet reliqui latrones, ſi modo coronam exceperis, cetera non minus fuerint perpeſſi, acerbius tamen cum CHRISTO actum & crudelius, facile habemus exiſtimare: ut adeo ſi ſanguineum ſudorem cum multitudine plagarum & vulnerum contuleris, mirum non ſit, quod naturalibus viribus exhauſtis paulo celerius exſpiraverit. Defectum quoque

virium ante ipſam crucifixionem arguit, quod cum ferendo crúcis oneri impar judicaretur, Simon Cyrenæus ad eandem portandam compelleretur.

XLVIII. Neque tamen hic eſt ſubſiſtendum unice: ſed quia CHRISTVS ſponte animam dimiſit, par eſt credere, acceleratam fuiſſe mortem divino conſilio, prius vires naturales quam plane defeciſſent.

XLIX. Poſtquam Pilatus ex centurione didiciſſet, CHRISTVM jampridem de vita deceſſiſſe, jubet Ioſepho corpus tradi.

L. Qui ex divitiis Ioſephi colligunt, eundem non ſine ſtipulata vel numerata pecunia corpus CHRISTI
Marc. XV. 45. accepiſſe, refelluntur a Marco, qui voce ἐδωρήσατο uſus, Pilatum exanime Domini corpus Ioſepho donaſſe affirmat.

LI. Non igitur Pilatus Verri ſimilis, cui inter alia objicitur a Cicerone, quod *ſecuri percuſſorum corpora feris objeciſſet, aut pretio vendidiſſet ſepeliendi poteſtatem.* Atque ex Martyrum quoque hiſtoria patet, quandoque ſepulturam certa pecuniæ ſumma fuiſſe redemtam. Ado in Martyrologio IX. Kl. Ianuarii: *Quadam mulier Abundantia nomine petivit corpus martyris* (B. Gregorii Presbyteri) *ſed quia non potuit obtinere aliter, datis XXXV. aureis Tyranno, corpus recepit, & , ut decuit martyrem, ſepelivit.* Idem Nonis Iunii de S. Bonifacio: *Cumque eis oſtendiſſet corpus* (unus ex Commentarienſibus) *& pretioſum caput ejus, dixerunt ei: Iſte eſt, quem quærimus: petimus, ut des nobis eum. Qui reſpondit: Ego gratis corpus ejus dare vobis non poſſum. Illi autem dantes ei ſolidos quingentos acceperunt corpus S. Martyris.* Quandoque tamen magna quamvis auri ſumma oblata tyrannis, negaſſe Chriſtianis ſepulturam ex Euſebio monuimus libro *de Cruciatibus Martyrum cap. XIX. §. III.*

LII.

Digitized by Google

LII. Ita Ioſephus, impetrata a Pilato venia, triplici officio functus eſt. Nam & corpus de cruce depoſuit, depoſitum ſindoni mundæ, quam hoc fine erat mercatus, involvit, & ita involutum novo ſepulchro ex petra exciſo, quod ſibi magno ſumtu paraverat, impoſuit.

LIII. Singula mox plenius explicabimus. Nunc quia de ipſo Joſepho dictum ſatis, ad alterum funeris curatorem progredimur, pauciſſimis de eo acturi.

LIV. Is erat Nicodemus, qui nocte quondam CHRISTVM acceſſerat, ut eſt Johannis III. 2. & porro CHRISTI defenſionem contra Phariſæos ſuſceperat, ut idem habet Johannes cap. VII. 50. 51. *Joh. XIX. v. 39.*

LV. Vt vero Joſephus ſindonem, ita hic ad pollinc̄turam attulit mixturam aloes & myrrhæ, idque ad libras prope centum. Quæ cum ad modum ſepulturæ pertineant, eo differimus illorum expoſitionem.

LVI. Sunt qui putant communibus impenſis Joſephum & Nicodemum rem antea deliberatam aggreſſos, ſed ita tamen per vices ſuas diſtinctam, ut Joſephus Pilatum adiret, & lintea ſepulchralia coemeret, Nicodemus autem aromata afferret.

LVIII. Hæc de perſonis ſufficiant. Succedit modus ſepulturæ.

LIIX. Et primum Joſephus corpus de cruce depoſuit. Ac credibile eſt, ipſi operæ manum admoviſſe, licet forte adjutores habuerit.

LIX. An vero ſcalis admotis in patibulum adſcenderit, & ſolutis ex pedibus prius, mox & manibus CHRISTI clavorum uncinis, humeris ſuis ſuſceptum demiſerit, quo inclinat Nonnus; vel ligno crucis ex caverna, cui in-

 ſertum

ſertũ, extracto,& humi depoſito,reſoluti fuerint clavi,noſtrum non eſt definire. De ſcalis certe res eſt incertiſſima.

LX. Depoſitum corpus quin fuerit lotum, non eſt dubium. Sic enim moris erat apud veteres, & Tabitham vita functam confeſtim lotam Actuum Apoſtol. IX. 37. legimus. Quin lotionem hanc corporis Dominici agnovit Epiphanius Sermone *de Sepultura Domini*. Quo etiam Voſſius retulit ſequentia Chryſoſtomi *Homilia LXXXIV. in Johannem:* Dum *peteret eum a Pilato* (Joſeph) *& dum lavarent, jam veſpera adventarat*. Verum in textu Græco de lotione nil haberi, jam monuit Cl. Adolphus Saubertus in Diſquiſitione *de Vnctura ſepulcrali CHRISTI Servatoris cap. VI.*

LXI. Vbi laviſſent, ungebant. Nam hunc in finem Nicodemus *mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum attulerat.* φέρων (ait Johannes) μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν.

LXII. Duo exgo fuerunt aromata, quæ ad CHRISTVM inungendum adhibita, Myrrha nimirum & Aloe. Et Myrrha quidem gummi ſeu lacruma erat ex procera ac ſpinoſa arbore, quæ laudatiſſima in Troglodytica Æthiopiæ regione ſub Ægypto, itemque in Arabia felici, cui item *Myrrhæ* nomen, vel ſponte deſudans ventis vehementius ſpirantibus, vel inciſo cortice elicita: quarum illam *primam* dici, atque eſſe optimam, hanc *ſecundam* & minus bonam tradit Nicolaus Lyra ad Exodi XXX. 23.

LXIII. Ex Gummi porro hoc, cum recentius præſertim pingue admodum & ſuccoſum ſit, unguenti ſeu olei genus exprimebatur, quod Græcis alias σακτὴ & Latinis *Gutta* audiebat, idque *Myrrhæ* eſſe *pinguitudinem*, Dioſco-

Dioſcorides & alii aſſeruerunt. Inde prima facta ſunt ungventa in Ægypto, & in omnibus fere ungventorum generibus myrrha ponebatur; unde *myrrha* & *ſmyrna* Æolibus pro quibusvis ungventis dicuntur, teſte Athenæo lib. XV.

LXIV. Hoc ungventum cum eſſet peramarum, & ingentis virtutis adverſus putredinem & corruptionem, hinc ad inungendos mortuos potiſſimum deligebatur. Herodotus in conditura Ægyptiorum præ omnibus σμύρνης ἀκηράτου meminit. De myrrhatis corporibus in Ponto Silius Italicus *lib. XIII.*

Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.

Apud Aetium quoq; medicum σμυρνισμὸς & πικρᾶς σμύρνης legitur. Neque Chriſtianis veteribus eam fuiſſe inuſitatam, liquet ex Prudentii hymno X. *Cathemerinῶν.*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.

Et Gregorio Nazianzeno, qui Epiſtola ad Sophronium Præſidem de obitu fratris Cæſarii ſcribit: *Hic quidem exanimis jacet, ab amicis inops, deſertus, miſerabilis, exigua myrrha donatus (ſi tamen hoc quoque) ac paucis & vilibus integumentis.*

LXV. Præter liqvidam hanc myrrham Medicorum filii ſiccam memorant, quæ ſola hodie in uſu, nec redolet niſi igni injecta. Et hanc præ altera a Nicodemo ad ungendum CHRISTVM adhibitam nonnulli putant: quia primum ſtacte, utpote ungventum magni pretii, non facile fuiſſet venditum tot libris, quorum quaſi centum

alla-

allatas ſcribit S. Johannes: nec porro tantus cumulus fuiſſet ad ungendum neceſſarius, ſed aliquot libræ ſuffeciſſent; præterea non habuiſſent opus cum aloe miſcere, utpote quæ ſola ſæpius unctioni dedicata.

LXVI. At quando non leviter inunctum fuit corpus JESV, ſed ungvento potius immerſum; quid vetat, quo minus dicamus, de Nicodemi pietate æque ac opulentia teſtari tot ungventi pondera? Niſi cum Eraſmo Schmidio per λίτρας velis intelligere non certum ponderis, ſed nummi genus. Enimvero notare λίτρας non ſolum libram, ſed certam quoq; monetam, quæ oboli Æginetici nomine veniat, Julius Pollux ex Ariſtotele probat.

LXVII. Quod ad Aloen, ſuccus erat confectus ex planta, cui nomen Aloe, quæque in India & Aſia gignitur, teſte Plinio *lib. XXVII. cap. V.*

LXIIX. Ex Myrrhæ & Aloes ſuccis miſtura fuit confecta, qua Servator ungebatur.

LXX. An autem præter has duas ſpecies aliæ item fuerint admiſtæ, quæritur. Et ſunt in hac ſententia nonnulli, qui Evangeliſtam duo iſta tanquam ſumtuoſiora & in miſtione dominantia ungventa expreſſiſſe dicunt, ſubintellectis ſpeciebus ceteris, Sale, Nitro, Cedro, Bitumine, Melle, Cera &c. quas in unctionibus ejusmodi Kirchmannus *de Funeribus Romanorum lib. I. cap. VIII.* aliique memorant.

LXX. Verum enim vero, quamquam hiſce ſingulis diverſas gentes in condiendis mortuis fuiſſe uſas certum ſit, merito tamen dubitamus, an id de Judæis quoque affirmari queat, cum de eo nullibi veſtigium exſtet. Atque licet etiam de iis concedatur, quod aliquando iſthæc omnia miſcuerint, negatur nihilominus, perpetuum id,

Digitized by Google

id, aut ita neceſſarium fuiſſe, ut nihil eorum unquam omitti potuerit: cum & alii populi interdum plura, interdum pauciora, nec raro ſingula ſeorſim corporibus condiendis adhibuerint. Proinde neque hic prædictæ mixturæ ultra quid admixtum ut aſſeramus opus eſt.

LXXI. Ceterum quid illis faciemus, qui plane negant Dominici corporis unctionem? quos inter ſunt Piſcator *ad Johannem*, & Grotius *ad eundem & Matthæum*. Nam præparatum quidem corpus JESV perhibent uncturæ, ſed uncturam ipſam ſucceſſiſſe pernegant.

LXXII. Nimirum primo ad temporis provocant penuriam, per quam perficere unctionem Joſephus & Nicodemus non potuerint; quippe quod jam immineret Sabbatum, & requiem indiceret. Deinde argumentum petunt a mulierum inſtituto, quæ finito demum Sabbato cum aromatibus venerint ad ſepulcrum: quod plane fuiſſe putant ſupervacuum, niſi omiſiſſent hi duumviri.

LXXIII. Sed neutrum tanti roboris putamus, ut, quod intendunt, evincant. Nam quamvis raptim & feſtinanter unctum Servatorem libenter fateamur: omnino tamen non fuiſſe unctum, tuto inde concludi nequit. Tum licet poſtea mulieres CHRISTVM voluerint ungere, id ipſum priorem quidem uncturam, qualem Joſephus & Nicodemus procurarant, extemporalem & tumultuariam arguit, cui accuratiorē alteram & otioſiorem ſuperaddere forſan cogitarint; nullam tamen unctionem anteceſſiſſe hoc muliercularum ſtudium non demonſtrat. Forte etiam per novum hoc humanitatis officium conſtantem ſuum in defunctum Dominum amorem declarare voluerunt.

LXXIV. Præterea niſi vere unctus fuiſſet Servator,

Digitized by Google

qui dicere potuiſſet S. Johannes, illigatum corpus JESV
Joh. XIX. 40. *cum aromatis, eo modo, quo receptum fuit Judæis mortuos ad funus componere?* Hanc enim veram & propriam verbi ἐνταφιάζειν ſignificationem eſſe, Caſaubonus *ad Matthæi cap. XXVI.* monuit. Neque fides adhibenda Grotio, quando verbum illud non ad ἀρώματα, ſed ad ὀθόνια referendum ait: quod probandum ipſi fuerat.

LXXV. Nam diverſum docent, quæ annexa ſunt: καθὼς ἔθος ἐστὶν Ἰουδαίοις: *ſicut mos eſt Judæis:* quippe quod non linteamina ſolum, ſed & aromata complectitur. Et hæc quidem maxime: cum in iſthoc ἐνταφιασμῷ unctura fuerit præcipuum. Vnde ipſe quoque Salvator, cum unguento pretioſo a muliere eſſet perfuſus, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι ſe id factum retulit, Matth. XXVI. 12. quaſi præſcia futuri fœmina funerali hoc officio anticipare voluerit imminentem jam ſepulturam. Neque temere vocem hanc retinuere etiam Marcus XIV. 8. Joh. XII. 7. id quod obſervat Caſaubonus *ad Matthæum.* Accedit, quod ii ipſi, qui conditurας ejuſcemodi emortuales curaverunt (quos Latini *Pollinctores* dicunt) Græca voce ſint ἐνταφιασταὶ, juxta Gloſſarium. Vnde LXX. quoque Interpretes הרפאים illos, quibus in condiendis Patris exuviis uſus Joſephus, ἐνταφιαστὰς exponunt Genes. L. 1. 2.

LXXVI. Vti igitur recepti moris fuit apud Judæos defunctorum corpora inungere, quo diutiſſime conſervarentur, bonumque ſpirarent odorem; ita dubium relinquitur nullum, quin idem fecerint Joſephus atque Nicodemus, idque inſigni amori erga defunctum teſtando.

LXXVII. Judaicus mos fuit feralis illa unctio; ſed qui non minus apud alias gentes receptus: ceu Kirchmannus *de Funeribus Romanor. l. I. cap. VII. & ſeqq.* Quen-

Digitized by Google

Quenſtedius *de Sepultura Veterum cap. V.* Dilherrus in Diſp. Hiſtorica *de antiquo ritu Funerum præcipue in Eccleſia,* pluresque alii nube exemplorum demonſtrarunt.

LXXVIII. Judæos hunc morem ab Ægyptiis accepiſſe, vero admodum eſt ſimile. Et horum quidem in ungendis ſuorum cadaveribus tantum erat ſtudium, eaque magnificentia, ut nullis usquam gentium in eo ceſſiſſe exiſtimandi ſint. Quod cuivis manifeſtum erit, qui modo inſpexerit Herodotum *lib. II.* cujus narrationem, prout a Laurentio Valla Latine verſa, non pigrabor adſcribere. *Hi qui relinquuntur in ædibus, hunc in modum diligentiſſime condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem eduxerunt, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rurſus odoribus contuſis refarciunt: tum omenta complent contuſa myrrha pura, & caſia, & ceteris (excepto ture) odoribus, iterumque conſuunt. Ubi hæc fecere, ſaliunt intro abditum ſeptuaginta diebus cadaver, ubi abluerunt, ſindone byſſina inciſis loris, totum plerumque involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt. Hi autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumtum, ita comparant. Clyſterem unguine, quod e cedro gignitur, complent. Deinde ex hac alvum mortui, ipſam neque ſcientes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo viæ poſterioris hiatu, infarciunt; & tot, quot dixi diebus, ſale condiunt: quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingeſſerant,*

Digitized by Google

ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquuntur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt adornandi eorum mortuum. Qui tenuiori ſunt fortuna, dilutionibus ventrem abſtergunt arefaciuntque ſale ſeptuaginta per dies, deinde tradunt condiendas.

LXXIX. Vel ex his Herodoti apparet, quale inter Ægyptiacam & Judaicam unctionem ſepulcralem fuerit diſcrimen. Nam Judæi exterius ungebant. At Ægyptii etiam interius, eoque viſcera prius eximebant: ipſumque cerebrum extrahebant per nares.

LXXX. Corpore CHRISTI inuncto linteis ſepulcralibus illud fuit involutum.

LXXXI. Horum linteorum multi putant fuiſſe tria: brevius, quod *Sudariũ* dicitur, & caput tegebat: longum, quod *Sindon* vocatur, & reliquo corpori una cum unguentis circumvolvebatur: & *faſcia*, ſive inſtitæ, quibus Sindon coercebatur, & manus pedesque ligabantur.

LXXXII. De *Sudario* res clara ex hiſtoria Reſurrectionis Dominicæ, in qua Johannes memorat τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, *Sudarium, quod fuerat ſuper caput ejus:* nec minus ex hiſtoria reſuſcitati Lazari, de quo idem Johannes cap. XI. v. 44. ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο, *Facies illius ſudario erat ligata.* Non magnum fuiſſe linteum, apparet ex Actor. XIX. 12.

Joh. XX. 7.

LXXXIII. Vox eſt origine Latina, nomen habens ab uſu, quod ſudor eo ſoleat abſtergi. Unde Eraſmus ad Johannem: *Evangeliſta Græce ſcribens Latino uſus eſt*

verbo:

Digitized by Google

verbo: quod & alias fecit. Vſi hac voce ex Latinis Martialis, Svetonius, Quintilianus, alii.

LXXXIV. Nonnus tamen pro voce habet Syriaca, quem merito propterea caſtigat Heinſius: ac Voſſius diſerte ſcribit *Harmonia Evangelica lib. II. cap. XII.* Nec *audiendus* Nonnus, *quando paraphraſi in Joban. cap. XI. 181. & XX. 7. vocem appellat Syriacam. Homo Ægyptius, Græceque doctiſſimus, Latine neſciebat.* Et poſt pauca: *Nonni hac parte levis eſt auctoritas; quia cum Latine neſciret, nihil mirum, ſi origine Syriacum putaret vocabulum, quo Syri, & Chaldæi vulgo uterentur.* Ac iterum in *Etymologico* in voce *Sudor,* ubi de Sudario: *De hoc judicium ferre non poterat Nonnus, quia Latine neſciret. Nec aliter Caſaubonus* ad Johan. c. XI. *Sudarium putavit Nonnus magno errore vocem eſſe Syriam, cum ſit Latina, ut omnibus eſt notum.*

LXXXV. Veruntamen Druſio mens eſt alia, cujus hæc ſunt ad dictum S. Johannis de Lazaro ex tumba prodeunte locum: *Sudarium hic non eſt id quod Græci vocant καψιδρώτιον, ſed quod Syri nuncupant* סודרין*, quo vocabulo & Ebræi Scriptores utuntur. Unde ſuſpicio mihi, non eſſe vocem Latinam, ut Eraſmus opinatur, ſed aliam, quæ ex Oriente in Occidentem commigravit, qualis & λίτρα, libra: de qua tamen ego dubito. Nam licet Ebræis in uſu ſit* לטרין*, tamen antiqui ſcriptores Græci eam uſurpant, ut Pollux teſtatur.*

LXXXVI. Non ignoro Chaldæum interpretem Exodi XXXIV. 33. 34. & Ruth III. 15. *Sudarii* voce uſum, eandemque apud Syrum interpretem Actor. XIX. 12. legi. Verum rectius, me judice, ſentiunt, qui eo tempore, ut alia multa, ita hoc etiam vocabulum Orientales a Romanis,

 nis,

Digitized by Google

virium ante ipſam crucifixionem arguit, quod cum ferendo crucis oneri impar judicaretur, Simon Cyrenæus ad eandem portandam compelleretur.

XLVIII. Neque tamen hic eſt ſubſiſtendum unice: ſed quia CHRISTUS ſponte animam dimiſit, par eſt credere, acceleratam fuiſſe mortem divino conſilio, prius vires naturales quam plane defeciſſent.

XLIX. Poſtquam Pilatus ex centurione didiciſſet, CHRISTUM jampridem de vita deceſſiſſe, jubet Ioſepho corpus tradi.

L. Qui ex divitiis Ioſephi colligunt, eundem non ſine ſtipulata vel numerata pecunia corpus CHRISTI
Marc. XV. 45. accepiſſe, refelluntur a Marco, qui voce ἐδωρήσατο uſus, Pilatum exanime Domini corpus Ioſepho donaſſe affirmat.

LI. Non igitur Pilatus Verri ſimilis, cui inter alia objicitur a Cicerone, quod *ſecuri percuſſorum corpora feris objeciſſet, aut pretio vendidiſſet ſepeliendi poteſtatem.* Atque ex Martyrum quoque hiſtoria patet, quandoque ſepulturam certa pecuniæ ſumma fuiſſe redemtam. Ado in Martyrologio IX. Kl. Ianuarii: *Quadam mulier Abundantia nomine petivit corpus martyris* (B. Gregorii Presbyteri) *ſed quia non potuit obtinere aliter, datis XXXV. aureis Tyranno, corpus recepit, & , ut decuit martyrem, ſepelivit.* Idem Nonis Iunii de S. Bonifacio: *Cumque eis oſtendiſſet corpus* (unus ex Commentarienſibus) *& pretioſum caput ejus, dixerunt ei: Iſte eſt, quem quærimus: petimus, ut des nobis eum. Qui reſpondit: Ego gratis corpus ejus dare vobis non poſſum. Illi autem dantes ei ſolidos quingentos acceperunt corpus S. Martyris.* Quandoque tamen magna quamvis auri ſumma oblata tyrannis, negaſſe Chriſtianis ſepulturam ex Euſebio monuimus libro *de Cruciatibus Martyrum cap. XIX. §. III.*

LII.

LII. Ita Ioſephus, impetrata a Pilato venia, triplici officio functus eſt. Nam & corpus de cruce depoſuit, depoſitum ſindoni mundæ, quam hoc fine erat mercatus, involvit, & ita involutum novo ſepulchro ex petra exciſo, quod ſibi magno ſumtu paraverat, impoſuit.

LIII. Singula mox plenius explicabimus. Nunc quia de ipſo Joſepho dictum ſatis, ad alterum funeris curatorem progredimur, pauciſſimis de eo acturi.

LIV. Is erat Nicodemus, qui nocte quondam CHRISTVM acceſſerat, ut eſt Johannis III. 2. & porro CHRISTI defenſionem contra Phariſæos ſuſceperat, ut idem habet Johannes cap. VII. 50. 51. *Joh. XIX. v. 39.*

LV. Vt vero Joſephus ſindonem, ita hic ad pollincturam attulit mixturam aloes & myrrhæ, idque ad libras prope centum. Quæ cum ad modum ſepulturæ pertineant, eo differimus illorum expoſitionem.

LVI. Sunt qui putant communibus impenſis Joſephum & Nicodemum rem antea deliberatam aggreſſos, ſed ita tamen per vices ſuas diſtinctam, ut Joſephus Pilatum adiret, & lintea ſepulchralia coemeret, Nicodemus autem aromata afferret.

LVIII. Hæc de perſonis ſufficiant. Succedit modus ſepulturæ.

LIIX. Et primum Joſephus corpus de cruce depoſuit. Ac credibile eſt, ipſi operæ manum admoviſſe, licet forte adjutores habuerit.

LIX. An vero ſcalis admotis in patibulum adſcenderit, & ſolutis ex pedibus prius, mox & manibus CHRISTI clavorum uncinis, humeris ſuis ſuſceptum demiſerit, quo inclinat Nonnus; vel ligno crucis ex caverna, cui in-

ſertũ, extracto,& humi depoſito,reſoluti fuerint clavi,noſtrum non eſt definire. De ſcalis certe res eſt incertiſſima.

LX. Depoſitum corpus quin fuerit lotum, non eſt dubium. Sic enim moris erat apud veteres, & Tabitham vita functam confeſtim lotam Actuum Apoſtol. IX. 37. legimus. Quin lotionem hanc corporis Dominici agnovit Epiphanius Sermone *de Sepultura Domini*. Quo etiam Voſſius retulit ſequentia Chryſoſtomi *Homilia LXXXIV. in Johannem:* Dum *peteret eum a Pilato* (Joſeph) *& dum lavarent, jam veſpera adventarat*. Verum in textu Græco de lotione nil haberi, jam monuit Cl. Adolphus Saubertus in Diſquiſitione *de Unctura ſepulcrali CHRISTI Servatoris cap. VI.*

LXI. Vbi laviſſent, ungebant. Nam hunc in finem Nicodemus *mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum attulerat.* φέρων (ait Johannes) μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν.

LXII. Duo exgo fuerunt aromata, quæ ad CHRISTUM inungendum adhibita, Myrrha nimirum & Aloe. Et Myrrha quidem gummi ſeu lacruma erat ex procera ac ſpinoſa arbore, quæ laudatiſſima in Troglodytica Æthiopiæ regione ſub Ægypto, itemque in Arabia felici, cui item *Myrrhæ* nomen, vel ſponte deſudans ventis vehementius ſpirantibus, vel inciſo cortice elicita: quarum illam *primam* dici, atque eſſe optimam, hanc *ſecundam* & minus bonam tradit Nicolaus Lyra ad Exodi XXX. 23.

LXIII. Ex Gummi porro hoc, cum recentius præſertim pingue admodum & ſuccoſum ſit, unguenti ſeu olei genus exprimebatur, quod Græcis alias σακτὴ & Latinis *Gutta* audiebat, idque *Myrrhæ* eſſe *pinguitudinem*,

Dioſco-

Dioſcorides & alii aſſeruerunt. Inde prima facta ſunt ungventa in Ægypto, & in omnibus ſere ungventorum generibus myrrha ponebatur; unde *myrrha* & *ſmyrna* Æolibus pro quibusvis ungventis dicuntur, teſte Athenæo lib. XV.

LXIV. Hoc ungventum cum eſſet peramarum, & ingentis virtutis adverſus putredinem & corruptionem, hinc ad inungendos mortuos potiſſimum deligebatur. Herodotus in conditura Ægyptiorum præ omnibus σμύρνης ἀκηράτου meminit. De myrrhatis corporibus in Ponto Silius Italicus *lib. XIII.*

Exhauſto inſtituit Pontus vacuare cerebro
Ora virum, & longum myrrhata reponit in ævum.

Apud Aetium quoq; medicum σμυρνισμὸς & νεκρῶ σμύρνης legitur. Neque Chriſtianis veteribus eam fuiſſe inuſitatam, liquet ex Prudentii hymno X. *Cathemerinων.*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæa
Corpus medicamine ſervat.

Et Gregorio Nazianzeno, qui Epiſtola ad Sophronium Præſidem de obitu fratris Cæſarii ſcribit: *Hic quidem exanimis jacet, ab amicis inops, deſertus, miſerabilis, exigua myrrha donatus (ſi tamen hoc quoque) ac paucis & vilibus integumentis.*

LXV. Præter liqvidam hanc myrrham Medicorum filii ſiccam memorant, quæ ſola hodie in uſu, nec redolet niſi igni injecta. Et hanc præ altera a Nicodemo ad ungendum CHRISTVM adhibitam nonnulli putant: quia primum ſtacte, utpote ungventum magni pretii, non facile fuiſſet venditum tot libris, quorum quaſi centum

alla-

id, aut ita neceſſarium fuiſſe, ut nihil eorum unquam omitti potuerit: cum & alii populi interdum plura, interdum pauciora, nec raro ſingula ſeorſim corporibus condiendis adhibuerint. Proinde neque hic prædictæ mixturæ ultra quid admixtum ut aſſeramus opus eſt.

LXXI. Ceterum quid illis faciemus, qui plane negant Dominici corporis unctionem? quos inter ſunt Piſcator *ad Johannem*, & Grotius *ad eundem & Matthæum.* Nam præparatum quidem corpus JESV perhibent uncturæ, ſed uncturam ipſam ſucceſſiſſe pernegant.

LXXII. Nimirum primo ad temporis provocant penuriam, per quam perficere unctionem Joſephus & Nicodemus non potuerint; quippe quod jam immineret Sabbatum, & requiem indiceret. Deinde argumentum petunt a mulierum inſtituto, quæ finito demum Sabbato cum aromatibus venerint ad ſepulcrum: quod plane fuiſſe putant ſupervacuum, niſi omiſiſſent hi duumviri.

LXXIII. Sed neutrum tanti roboris putamus, ut, quod intendunt, evincant. Nam quamvis raptim & feſtinanter unctum Servatorem libenter fateamur: omnino tamen non fuiſſe unctum, tuto inde concludi nequit. Tum licet poſtea mulieres CHRISTVM voluerint ungere, id ipſum priorem quidem uncturam, qualem Joſephus & Nicodemus procurarant, extemporalem & tumultuariam arguit, cui accuratioré alteram & otioſiorem ſuperaddere forſan cogitarint; nullam tamen unctionem anteceſſiſſe hoc muliercularum ſtudium non demonſtrat. Forte etiam per novum hoc humanitatis officium conſtantem ſuum in defunctum Dominum amorem declarare voluerunt.

LXXIV. Præterea niſi vere unctus fuiſſet Servator,

Digitized by Google

qui dicere potuiſſet S. Johannes, illigatum corpus JESV
Joh. XIX. 40. *cum aromatis, eo modo, quo receptum fuit Judæis mortuos ad funus componere?* Hanc enim veram & propriam verbi ἐνταφιάζειν ſignificationem eſſe, Caſaubonus *ad Matthæi cap. XXVI.* monuit. Neque fides adhibenda Grotio, quando verbum illud non ad ἀρώματα, ſed ad ὀθόνια referendum ait: quod probandum ipſi fuerat.

LXXV. Nam diverſum docent, quæ annexa ſunt: καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις: *ſicut mos eſt Judæis:* quippe quod non linteamina ſolum, ſed & aromata complectitur. Et hæc quidem maxime: cum in iſthoc ἐνταφιασμῷ unctura fuerit præcipuum. Vnde ipſe quoque Salvator, cum unguento pretioſo a muliere eſſet perfuſus, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι ſe id factum retulit, Matth. XXVI. 12. quaſi præſcia futuri fœmina funerali hoc officio anticipare voluerit imminentem jam ſepulturam. Neque temere vocem hanc retinuere etiam Marcus XIV. 8. Joh. XII. 7. id quod obſervat Caſaubonus *ad Matthæum.* Accedit, quod ii ipſi, qui condituras ejuſcemodi emortuales curaverunt (quos Latini *Pollinctores* dicunt) Græca voce ſint ἐνταφιασταί, juxta Gloſſarium. Vnde LXX. quoque Interpretes רפאים illos, quibus in condiendis Patris exuviis uſus Joſephus, ἐνταφιαστὰς exponunt Genes. L. 1. 2.

LXXVI. Vti igitur recepti moris fuit apud Judæos defunctorum corpora inungere, quo diutiſſime conſervarentur, bonumque ſpirarent odorem; ita dubium relinquitur nullum, quin idem fecerint Joſephus atque Nicodemus, idque inſigni amori erga defunctum teſtando.

LXXVII. Judaicus mos fuit feralis illa unctio; ſed qui non minus apud alias gentes receptus: ceu Kirchmannus *de Funeribus Romanor. l. I. cap. VII. & ſeqq.* Quen-

Quenſtedius *de Sepultura Veterum cap. V.* Dilherrus in Diſp. Hiſtorica *de antiquo ritu Funerum præcipue in Eccleſia*, pluresque alii nube exemplorum demonſtrarunt.

LXXVIII. Judæos hunc morem ab Ægyptiis accepiſſe, vero admodum eſt ſimile. Et horum quidem in ungendis ſuorum cadaveribus tantum erat ſtudium, eaque magnificentia, ut nullis usquam gentium in eo ceſſiſſe exiſtimandi ſint. Quod cuivis manifeſtum erit, qui modo inſpexerit Herodotum *lib. II.* cujus narrationem, prout a Laurentio Valla Latine verſa, non pigrabor adſcribere. *Hi qui relinquuntur in ædibus, hunc in modum diligentisſime condiunt corpus. Ante omnia incurvo ferro cerebrum per nares educunt, ut quamque partem eduxerunt, ita locum ejus medicamentis explentes. Dehinc acutiſſimo lapide Æthiopico circa ilia conſcindunt, atque illac omnem alvum protrahunt: quam ubi repurgarunt, ac vino Phœnicio expleverunt, rurſus odoribus contuſis refarciunt: tum omenta complent contuſa myrrha pura, & caſia, & cæteris (excepto ture) odoribus, iterumque conſuunt. Vbi hæc fecere, ſaliunt intro abditum ſeptuaginta diebus cadaver, ubi abluerunt, ſindone byſſina inciſis loris, totum plerumque involvunt, gummi illinentes: quo Ægyptii glutinis loco plerumque utuntur. Eo deinde recepto, propinqui ligneam hominis effigiem faciunt, in qua mox inſerunt mortuum, incluſumque ita reponunt. Hi autem qui mediocria volunt, nimium fugientes ſumtum, ita comparant. Clyſterem unguine, quod e cedro gignitur, complent. Deinde ex hac alvum mortui, ipſam neque ſcientes, neque extrahentes, ſed per ſeceſſum, prehenſo via poſterioris hiatu, infarciunt; & tot, quot dixi diebus, ſale condiunt: quorum dierum ultimo cedrinum unguen, quod prius ingeſſerant,*

Digitized by Google

ex alvo egerunt, quod tantam habet vim, ut una ſecum alvum atque inteſtina tabefacta educat. Nitrum autem carnes tabefacit, mortuique tantum cutis & oſſa relinquantur. Ubi iſta fecere, ex quo ſic tradidere mortuum, nihil amplius negotii ſuſcipiunt. Tertia conditura hæc eſt adornandi eorum mortuum. Qui tenuiori ſunt fortuna, dilutionibus ventrem abſtergunt arefaciuntque ſale ſeptuagintaper dies, deinde tradunt condiendos.

LXXIX. Vel ex his Herodoti apparet, quale inter Ægyptiacam & Judaicam unctionem ſepulcralem fuerit diſcrimen. Nam Judæi exterius ungebant. At Ægyptii etiam interius, eoque viſcera prius eximebant: ipſumque cerebrum extrahebant per nares.

LXXX. Corpore CHRISTI inuncto linteis ſepulcralibus illud fuit involutum.

LXXXI. Horum linteorum multi putant fuiſſe tria: brevius, quod *Sudariũ* dicitur, & caput tegebat: longum, quod *Sindon* vocatur, & reliquo corpori una cum unguentis circumvolvebatur: & *faſciæ*, ſive inſtitæ, quibus Sindon coercebatur, & manus pedesque ligabantur.

LXXXII. De *Sudario* res clara ex hiſtoria Reſurrectionis Dominicæ, in qua Johannes memorat τὸ σουδάριον ὃ ἦν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, *Sudarium, quod fuerat ſuper caput ejus:* nec minus ex hiſtoria reſuſcitati Lazari, de quo idem Johannes cap. XI. v. 44. ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο, *Facies illius ſudario erat ligata.* Non magnum fuiſſe linteum, apparet ex Actor. XIX. 12.

Joh. XX. 7.

LXXXIII. Vox eſt origine Latina, nomen habens ab uſu, quod ſudor eo ſoleat abſtergi. Unde Eraſmus ad Johannem: *Evangeliſta Græce ſcribens Latino uſus eſt verbo:*

Digitized by Google

verbo: quod & alias fecit. Vſi hac voce ex Latinis Martialis, Svetonius, Quintilianus, alii.

LXXXIV. Nonnus tamen pro voce habet Syriaca, quem merito propterea caſtigat Heinſius: ac Voſſius diſerte ſcribit *Harmonia Evangelica lib. II. cap. XII.* Nec *audiendus* Nonnus, *quando paraphraſi in Johan. cap. XI. 181. & XX. 7. vocem appellat Syriacam. Homo Ægyptius, Græceque doctiſſimus, Latine neſciebat.* Et poſt pauca: *Nonni hac parte levis eſt auctoritas; quia cum Latine neſciret, nihil mirum, ſi origine Syriacum putaret vocabulum, quo Syri, & Chaldæi vulgo uterentur.* Ac iterum in *Etymologico* in voce *Sudor*, ubi de Sudario: *De hoc judicium ferre non poterat Nonnus, quia Latine neſciret. Nec aliter Caſaubonus* ad Johan. c. XI. *Sudarium putavit Nonnus magno errore vocem eſſe Syriam, cum ſit Latina, ut omnibus eſt notum.*

LXXXV. Veruntamen Druſio mens eſt alia, cujus hæc ſunt ad dictum S. Johannis de Lazaro ex tumba prodeunte locum: *Sudarium hic non eſt id quod Græci vocant καψιδρώλιον, ſed quod Syri nuncupant* סודרא, *quo vocabulo & Ebræi Scriptores utuntur. Vnde ſuſpicio mihi, non eſſe vocem Latinam, ut Eraſmus opinatur, ſed aliam, quæ ex Oriente in Occidentem commigravit, qualis &* λίτρα, *libra: de qua tamen ego dubito. Nam licet Ebræis in uſu ſit* לטרא, *tamen antiqui ſcriptores Græci eam uſurpant, ut Pollux teſtatur.*

LXXXVI. Non ignoro Chaldæum interpretem Exodi XXXIV. 33. 34. & Ruth III. 15. *Sudarii* voce uſum, eandemque apud Syrum interpretem Actor. XIX. 12. legi. Verum rectius, me judice, ſentiunt, qui eo tempore, ut alia multa, ita hoc etiam vocabulum Orientales a Roma-

 nis,

nis accepiſſe tradunt. Quod ſi tamen Nonni ſententia foret, Syros hoc linteum appellare Sudarium, non tamen origine nomen eſſe Syriacum, ab acerbiori cenſura forte aliquis eundem vindicaret. Certe Grotius ita accepit, qui poſtquam ad Johan. cap. XI. laudaſſet Nonni verſus, ſubjicit: *Recte: nam in Syriacum & Judaicum idioma hæc vox tranſierat.*

LXXXVII. Quantum ad Græcos, clare indicat Pollux eſſe poſterioris ævi vocem. Sic enim habet *lib. II. Onomaſtici cap. XVI.* Εἴη δ' ἂν καὶ τὸ ἐν μέσῃ κωμῳδίᾳ καψιδρώτιον καλύμμιον, ὃ νῦν σουδάριον ὀνομάζεται.

LXXXVIII. Simeon Metaphraſtes ait, S. Mariam virginem ſudario hoc deterſiſſe caput CHRISTI de cruce depoſiti; ac deinde illud tradidiſſe Joſepho, ut eo inter ſepulcralia lintea uteretur. *Sed quis neſcit,* inquit in *Harmonia* Voſſius: *quam multa ille paraphraſtes veteribus ignota, vel e recentiorum hauſerit lacunis, vel ipſe confinxerit?*

LXXXIX. Poſt reſurrectionem CHRISTI Sudarium illud primitus poſſeſſum dicitur a Judæis credentibus in CHRISTVM, usque in quintam generationem: deinde ab infidelibus usque ad tempora Mahuviæ, qui anno obiit IↃCLXXVIII. ac hæredem regni reliquit filium ſuum Gizid. Pluribus ex relatu Arnulphi Epiſcopi rem narrat Venerabilis Beda libro *de Locis Sanctis cap. V.* ubi & de incombuſtibili ejus ſudarii virtute miraculum recenſet.

XC. Johannes Jacobus Chifletius libro de *Linteis CHRISTI Sepulcralibus cap. VI.* contendit, Sudarium Veſontinum magis videri eſſe illud Bedæ memoratum, quam Taurinenſe, quia hoc ſit pedum duodecim, illud pedum

Digitized by Google

pedum octo, quam fuiſſe longitudinem ſepulcri Dominici tradit Adrichomius.

XCI. *Verum magnitudo ſepulcri Dominici* (denuo affero verba celeberrimi Voſſii) *parum ad rem facere videtur, cum Beda clare loquatur non de ſindone, quæ CHRISTI corpus contexit, ſed (hæc verba ejus ſunt)* Sudario capitis Domini. *Et ſcrupulum merito injicit, quod in hoc ſudario non capitis modo, ſed reliqui etiam corporis, effigies ſit impreſſa. Integer enim homo comparet. Ad ſudario ſolum capitis, ſindoni ſolum corporis reliqui effigies potuit imprimi.* *Varie,* pergit Voſſius, *huic difficultati ſolet occurri: dum alii putant, priusquam reſurgeret CHRISTVS, effigiem ſui totius tegumento capitis impreſſiſſe: alii autem, ſudario ſignari linteum, quod totum corpus a vertice usque ad imos pedes contexiſſet. Prius cenſet Gretzerus lib. I. de Cruce cap. LXXXV. alterum Chifletius lib. de linteis ſepulcralibus cap. VII. Cui controverſiæ diutius inſiſterem, ſi quæſtio illa, utrum Veſontinum linteum ſit idem, ac illud qui cum CHRISTVS ſepultus ſit, ad veritatem Dominicæ ſepulturæ pertineret. Nunc ſolum dixero, de priori quidem ſententia illud, non apparere cauſam, cur CHRISTVS miraculoſe vellet capitis velo totius corporis effigiem imprimere: de altera, quod ſatis ſit apertum, Sudarium intelligi non univerſi corporis, ſed unius capitis tegumentum.* Belle Salmaſius *Epiſt. II. de Cruce* ad Bartholinum: *Nonne ſudarium ejus hodie tribus in locis oſtenditur? quaſi totidem ſudariis involutum fuerit Domini corpus, quod unum tamen fuiſſe liquet. Quodnam ex his tribus verius? Vnaquæque civitas ſuum pro vero venditat.*

XCII. De Sudario capitis CHRISTI, quo de Marcus Antonius Dominicus, duos libros condidiſſe dicitur,

qui-

Digitized by Google

quique ad conſpectum meum nondum pervenere, pro inſtituto dictum ſatis. Sequitur de Sindone.

XCIII. Hanc memorant tres Evangeliſtæ Matthæ-
Matth. XXVII. 59. thæus, Marcus, Lucas. Primi verba hæc ſunt: Καὶ λαβὼν τὸ σῶμα ὁ Ἰωσὴφ ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι καθαρᾷ. *Et cum accepiſſet corpus Joſeph, involvit illud ſindone munda.* At-
Luc. XXIII. 53. que ita fere Lucas: Καὶ καθελὼν αὐτὸν ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι. *Et depoſitum involvit ſindone.* Marcus autem: Καὶ
Marc. XV. v. 46. ἀγοράσας σινδόνα καὶ καθελὼν αὐτὸν ἐνείλησε τῇ σινδόνι. *Et mercatus ſindonem depoſitum eum involvit ſindoni.*

XCIV. Lazarus Bayſius libro *de Re Veſtiaria* Sindonem dictam putat a Sidone urbe, quæ *ſindone nobilis*; perinde ac Tyrus, unde & *Tyriam ſindonem* Martialis vocat. Atquia lintei hoc genus per ס ſcribitur, puta סדין, urbs Sidon vero per צ, צדון, Voſſius Bibliandro aſſentiendum cenſet, qui Indice verborum in Marcum notat venire a סָדִין, quod eſt *linteum.* Vid. Judic. XIV. 12. 13. Septuaginta vertunt *βύσσος*, ut Eſai. III. 22.

XCV. Ex lino certe ordinarie fiebat Sindon. Vnde in Gloſſario legas: Σινδὼν, *tunica lintea.*

XCVI. Inter ſepulcralia indumenta Sindonem quoque memoravit Herodotus in pollinctura Ægyptiorum loco paulo ante laudato, ubi Græce habetur: λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης. *Poſtquam abluerunt mortuum, totum ejus corpus involvunt ſindone byſſina.* Plura de Sindone diximus parte II. cap. V. pag. 412.

XCVII. Longum itaque fuerit hoc linteum, quod totum corpus, a collo puta usq; ad pedes, obvolvebat.

XCVIII. Hoc linteum, quo corpus CHRISTI involutum, Taurinenſes ſibi vindicant. Alii tamen dicunt, hos habere linteum, quo exceptum corpus Domini, cum

pri-

primum de cruce deponeretur, ac deferretur ad ſepulturæ locum, quo in linteo non debuiſſe CHRISTUM ſepeliri, quia ex vulneribus ejus eſſet cruentatum: eoque poſt pollincturam alio plane mundo fuiſſe opus. Verum quia & alibi apud Pontificios linteamina CHRISTI ſepulcralia commonſtrantur, noſtrum non eſt lites de iisdem motas componere. Videatur Philibertus Pingonius de *Sindone CHRISTI ſepulcrali*, & quem paulo ante laudavi, Chifletius de *Linteis CHRISTI ſepulcralibus*: ac confer porro quæ de hoc argumento diſputavit Voſſius in *Harmonia* pag. 347. 348.

XCIX. Atque hæc de altero linteo. Reſtat ut videamus, an præter illa plura adhuc fuerint, nimirum faſciæ, quibus cum ſindone totum corpus, inprimis autem manus pedesque colligata.

C. Videtur id ex Johannis narratione elucere, qui non modo ὀθόνια *linteamina* in numero multitudinis memorat, ſed etiam diſerte addit, obvinctum corpus CHRISTI linteis cum aromatibus: καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις. Et in hiſtoria Reſurrectionis apud Johannem. *Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introivit in monumentum, & conſpicit* τὰ ὀθόνια κείμενα *linteamina poſita*: ac iterum ſequenti verſu τῶν ὀθονίων *linteaminum* meminit. Similiter de Lazaro cap. XI. 44. *Et ſtatim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus faſciis*; δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις: ubi per κειρίαις plerique non aliud intelligunt, quam ὀθόνια, nempe quia corpus faſciatim involveretur linteis. Joh. XX. 6.

CI. De Faſciis itaque res clara. Sed inſignem ſcrupulum movit illuſtris Salmaſius, qui ipſam ſindonem in faſcias diſcerptam, iisque corpus CHRISTI undique

obvolutum tradit. Nimirum quia qui meminere *Sindonis*, non nominant ὀθόνια ſive κειρίας, hoc eſt, *linteamina* ſive *faſcias;* quique hæc expreſſere, tacent de *Sindone;* credibile cenſet, idem per ſindonem & ὀθόνια ſive κειρίας ſignari: neque etiam moris fuiſſe tradit corpora mortuorum linteo amplo involvere. Longa eſt hac de re diſputatio in *Epiſtola II. de Cruce,* ex qua præcipua excerpemus. *Pro ſudario, quo caput ejus involutum eſt, linteum late patens omnes exhibent, cui forma corporis CHRISTI impreſſa viſitur, quaſi mos tum fuerit, ut nunc ſit, corpora mortuorum linteis lectualibus amplis involvere. Atqui ſolo ſudario caput involvi mortui ſolebat, totum corpus faſciis religabatur, ut nunc infantium corpora, qui in cunis ſunt.* Κειρίας *vocant Evangeliſtæ in Lazaro, quæ ſunt faſciæ.* Τελαμῶνας *Græci appellant. Nam Græci, ut & Judæi faſciis corpora mortuorum involvebant a pedibus usque ad fauces, caput vero parvo linteo, quale eſt ſudarium vel muccinium, ut vocabant, operiebant.* Ὀθόνια *Johannes vocavit illas faſcias, quibus corpus CHRISTI vinctum fuit cap. XIX. ubi* ὀθόνια *numero plurali dicuntur de faſciis lineis vel linteis.* Nam ὀθόνη *unum eſt magnum linteum. Vt illud quod in viſione vidit Petrus de cælo demiſſum in terram,* ὀθόνην μεγάλην *vocat Lucas in Actis, linteum magnum. Alias* ὀθόνη *etiam pro faſcia accipitur vel vinculo, haud ſecus atque* ὀθόνιον. *Heſychius:* ὀθόνη, σινδὼν ζώνη, τελαμών. *Hanc ultimam vocem idem Heſychius exponit* δεσμὸν *ac* φασκίαν. —— *Certe* ὀθόνια *Johanni quibus CHRISTI corpus involutum eſt mortui, nihil aliud quam faſciæ, & propterea ea diſtinguit a ſudario, quo caput opertum erat cap. XX. v. 7.* —— *Quæ* ὀθόνια *Johanni, ea reliquis Evangeliſtis* σινδών. *Ita enim Lucas in Evangelio*

lio cap. XXIII. de Joſepho decurione, qui corpus JESV e cruce ſublatum, ut petierat a Pilato, ſepulturæ tradidit, καὶ καθελὼν αὐτὸ ἐνετύλιξεν αὐτὸ σινδόνι. *Grande aliquod tegmen linteum vocabatur* Sindon *tam Græcis quam Latinis. Vnde* torale *Nonio idem cum* lectuaria ſindone. *At σινδόνα vocavit Lucas, quæ dicuntur ὀθόνια Johanni, de eodem Joſepho ab Arimathea, quem JESV corpus ait de cruce ſublatum accepiſſe, & cum Nicodemo ὀθονίοις religaſſe cum aromatis, ut mos fuit Judæorum ἐνταφιάζειν, ideſt, ſepelire. Atqui Judæorum more conſtat, mortuos faſciis involvi ſolitos, ut etiam apud Græcos. Hiſtoria Lazari reſuſcitati a CHRISTO hoc non ignorare nos patitur, in qua κειρίαι nominantur eidem Johanni, & a ſudario diverſa ponuntur quo facies ejus circumligata erat:* Religatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. *Cum dicit, pedes & manus ligatas inſtitis ſive faſciis habuiſſe, de toto corpore intellexit. Nam in mortuis pollingendis manus demiſſas & ad latera junctas ſimul cum ipſo corpore, & ad ipſum corpus colligabant. Ita ligatæ manus pene ad genua ipſa deſcendebant. Inde & crura & pedes ſimilibus faſciis ligare conſueverunt. Conſtat hic plane ſibi Johannes in more Judæorum ſepeliendi, tam in CHRISTO, quam in Lazaro. In Lazaro κειρίας vocat, quibus totum corpus vinciebatur, in utroque ὀθόνια. In utroque utitur verbo δῆσαι. —— Quid igitur, cum hæc tam clara ſunt, ſibi voluere reliqui Evangeliſtæ, qui σινδόνα vocant, qua in JESV corpus pollinctum fuit? Sic enim & Matthæus de Joſepho ab Arimathæa, & ἐνετύλιξεν αὐτὸ ἐν σινδόνι καθαρᾷ. An faſcis ligatum corpus, deinde & ſindone grandi involvebatur? Sane Athanaſius in Homilia in S. Paraſceven σινδόνα & ὀθόνια & σουδάριον quaſi diverſa nominat.* Ἴδωμεν

Dddddd 2 μετὰ

μεν τίνας δωροφοροῦντα τὸν Ἰωσὴφ, καὶ τὸν Νικόδημον συντρέχοντα σινδόνι καθαρᾷ καὶ ὀθονίοις καὶ σουδαρίῳ περιειλίσσοντας τὸν τοῦ παντὸς κύριον. *Ecce* Sindonem *vocat & ὀθόνια &* Sudarium, *quibus omnibus ſimul circumligatus Dominus. Hoc poſſet ita factum videri, niſi Johannes repugnaret, qui ſola ὀθόνια nominavit, nec σινδόνος meminit. At Matthæus, Marcus & Lucas σινδόνα appellant. Sane Marcus emptam Joſepho ſindonem dicit, & ea involutum JESVM. Certe hoc verbum ἐνειλίσσειν ſatis oſtendit, faſciatim corpus CHRISTI involutum fuiſſe, ut & ἐντυλίξαι, quo reliqui utuntur Evangeliſtæ. Ergo apparet emptum a Joſepho grande linteum tegmen, quod eſt ſindon, eamque in multas ſcidiſſe faſcias, quibus corpus CHRISTI vinxit & convolvit.* Denique omnem hanc diſputationem ſequentibus verbis concludit: *Sindon illa integra non fuit, ſed in faſcias diſcerpta, quibus more Judæorum corpora circumligari ſolita.*

CII. Salmaſianam hanc ſententiam recentiores alii probarunt: cui tamen quod nondum ſubſcribere queam facit primo veterum Eccleſiæ Doctorum auctoritas, ex quibus ipſe Salmaſius Athanaſium laudavit. Cur enim, ſi pro *ſindone* Johannes *ὀθόνια* poſuiſſet, ac ſindon in faſcias abiiſſet, id ignoraſſent Patres antiquitatum Judaicarum intelligentiſſimi? Deinde novum non eſt S. Johanni ſerius utpote ſcribenti addere, quod reliqui Evangeliſtæ prætermiſerunt; ut adeo cum ceteri de Sindone egiſſent, ille faſcias, ac poſtea in hiſtoria reſurrectionis *Sudarium* quoque attulerit.

CIII. Audiamus Auguſtinum *lib. III. de Conſenſu Evangeliſtarum cap. XXIII.* Neque hic *repugnat quicquam recte intelligentibus: nec enim illi* (tres priores Evangeli-

ſtæ)

ſtæ) *qui de Nicodemo tacuerunt, affirmaverunt, a ſolo Joſeph Dominum ſepultum, quamvis ſolius commemorationem fecerint: aut quia illi una ſindone a Joſeph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, & alia lintea potuiſſe afferri a Nicodemo & ſuperaddi; ut verum narraret Johannes, quod non uno linteo, ſed linteis involutus ſit: quamvis & propter ſudarium, quod capiti adhibebatur, & inſtitas, quibus totum corpus alligatum eſt, quia omnia de lino erant, etiamſi una ſindon ibi fuit, veriſſime dici potuit, ligaverunt eum linteis: Lintea quippe generaliter dicuntur, quæ lino texuntur.*

CIV. His a Nicodemo & Joſepho curatis, corpus CHRISTI non arcæ prius incluſum, atque hinc ſepulcro eſt immiſſum, ut moribus noſtris obtinet; ſed ita, uti erat linteis involutum, repoſitum eſt in ſepulcro.

CV. Modum ſepulturæ hactenus luſtravimus, nunc Locum ipſum inſpiciemus.

CVI. Hic in ſacra hiſtoria per aliquas deſcribitur circumſtantias: nempe quod fuerit Joſephi, quod haut procul a loco, ubi CHRISTUS crucifixus, atque adeo extra urbem; quod in horto, quod item fuerit ſepulcrum novum, quod e petra exciſum, ac denique quod ſaxum ejus ori fuerit advolutum.

CVII. Quod ad primum, non proprium CHRISTI, ſed alienum, nempe Joſephi fuit ſepulcrum. *Qui enim in vita non habebat domicilium, neque poſt mortem habet tumulum:* ut pie Theophylactus in Johannem commentatur.

CVIII. Quod ad alterum, S. Johannes ait, *in loco, ubi* CHRISTUS *crucifixus, fuiſſe hortum,* hoc eſt, ut *Joh. XIX. v. 41.* diximus, *non procul ab illo loco:* ad quinquaginta, aut ſexa-

Digitized by Google

ginta paſſus, uti narrant, qui ea loca luſtraverunt. Neque enim in ipſo ignominioſo illo & ferali monte, ſed in vicino hortum illum fuiſſe, veroſimile eſt.

CIX. Neque novum illud erat, quod extra urbem CHRISTVS ſepeliretur: ſiquidem Judæos extra ambitum murorum civitatis ſua ſepulcra habuiſſe, vel ex Matth. VIII. 28. 33. Luc. VII. 12. Joh. XI. 31. conſtat: niſi forte ex ſingulari honoris prærogativa contrarium tribueretur viris principibus, uti Davidi, Salomoni aliisque contigit.

CX. Quod ad tertium, Judæos etiam hortos ſepulturæ mortuorum dedicaſſe, claret ex Manaſſis & Amonis Regum Judaicorum exemplo II. Reg. XXI. 18. & 26.

CXI. Sed cur Servator in horto ſepeliri voluit? Reſpondent Theologi: tum quia in horto primus homo peccaverat, in horto peccatum ſub terram quaſi reconderetur: tum quia in horto quæ cœperat paſſio, finiretur: tum quia ſeminari debebat velut in horto granum illud tritici, unde fructus uberrimi progerminarent.

Matth. XXVII. 60. Luc. XXIII. 53. Joh. XIX. 41. CXII. Præterea *in novo ponitur monumento, in quo nondum quisquam poſitus erat: ſcilicet, ne poſt reſurrectionem cæteris corporibus manentibus reſurrexiſſe alius fingeretur:* quæ verba ſunt Hieronymi *in Matthæi cap. XXVII.* In eandem ſententiam Iſidorus Clarius: *Ne reſurgente Domino veniret in controverſiam, utrum hic an alius ſurrexiſſet, alioquin quid intererat hoc admonere?*

CXIII. Porro hoc monumentum fuit ſolidum ſaxum, non compactile, aut ſtructile, ſed exciſum ſuo loco nativo, *ne, ſi ex multis lapidibus ædificatum eſſet, ſuffoſſis tumuli fundamentis ablatus furto diceretur:* ut iterum dicto loco ſcribit B. Hieronymus. Nam Marcus ait: Κα-

τῆς-

Digitized by Google

τέθηκεν αὐτὸν ἐν μνημείῳ ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας: De- *Marc. XV. v. 46.*
poſuit eum in monumento, quod erat exciſum e petra. Et Lucas: *ἔθηκεν αὐτὸ ἐν μνήματι λαξευτῷ. Poſuit in monumento e lapide exciſo.*

CXIV. Hujus rei ratio petenda eſt ex eo, quod totum circa Hieroſolymitanam urbem ſolum ſaxoſum eſſet & ſubtus lapidoſum, adeoque ad ſubterraneam manſionem neceſſum haberent cavare petram ſive ſaxum: quale ſepulcrum ſibi parari fecit Sobna Eſaiæ XXII. 16.

CXV. Porro ex Talmude obſervarunt Viri eruditi, fuiſſe hoc jus apud Judæos, ut, ſi quis monumentum ab aliquo emere vellet, aut locare faciendum, venditor aut manceps operæ teneretur cavernam in petra excavare, quatuor cubitorum ſupra ſex, id eſt, ut Caſaubono videtur *Exercitat. XVI. ad Baronium num. XCVIII.* longam ſex, latam quatuor cubitos; in ea autem caverna octo, vel, ut alii volunt, tredecim cavanda erant foramina ad ſingula corpora reponenda. Neque enim Judæi ſepeliebantur ſinguli ſeparatim a ſuis, ſed tota familia in ſpelunca una conditis ſingulis corporibus in ſeparatis foraminibus. Propterea ſolebant ſinguli patresfamilias, ſi proprium monumentum ſibi & ſuis non accepiſſent a parentibus, pretio locum ſibi parare in eum uſum. Quæ omnia ſingulariter illuſtrant hoc Joſephi monumentum in petra exciſum.

CXVI. Signanter dico, *monumentum in petra exciſum.* Nam ſtat ſententia, ex rupe exciſam eſſe cryptam illam Dominicam. Scio quidem hoc nonnullos negare, inductos ſequentibus argumentis. Primo quod Græci *πέτραν* pro quolibet lapide uſurpent, etiam pro cæmentitio, ac Matth. XVI. 18. pro lapide fundamentali ponatur,

item-

Digitized by Google

itemque Paulus Silentiarius πέτρας paſſim appellet marmora cæſa & polita. Secundo, ſi de rupe ſermo apud Marcum, dicendum fuiſſet ἐκ τῆς πέτρας. Nam ἐκ πέτρας abſque articulo Græcis idem eſſe ac ἐκ λίθου. Nec tertio λατομεῖν Græcis ſemper dici, qui lapides ex lapicidina cædant, ſed & qui lapides quadrent & poliant ad ædificandum. Quarto apud Lucam poſitum μνῆμα λαξευτὸν nihil aliud notare poſſe, quam monumentum ex lapide polito atque quadrato ſtructum. Nam λαξεύειν eum dici proprie, qui lapides poliat ac leviget. Inde λαξεύειν pro ſtruere, λαξευτήριον pro ſtructorum inſtrumento. Horto denique in quo ſub terra conſtructum monumentum, fuiſſe ſolum ſaxoſum vel ſcrupoſum, naturam horti repugnare. Vnde concludunt, monumentum Joſephi ſpeluncam quidem fuiſſe, ſeu cryptam & ex terra cavatam, ſed lapide ſtructam & concameratam, hodiernis apothecis, quas appellemus cavas, haut diſſimilem.

CXVII. Ad ſingula breviter reſpondebimus. Et primo quidem non eſt in quæſtione, an non quandoque *petra* pro quolibet lapide, ſed an hic pro alio quam rupe uſurpetur, quod fuerat probandum. Tum licet CHRISTVS de fundamento loquatur apud Matthæum, certum tamen eſt de fundamento omnium firmiſſimo, quale eſt petroſum, agere. Quot autem, quæſo, alia exempla Paulo Silentiario opponi poſſunt, in quibus vox *petra* aliter accipitur. Deinde articuli abſentiam non ſtatim inducere ſignificationem rariorem, qualis utique eſt, ſi *petra* pro quovis lapide ponatur, in propatulo eſſe arbitror. Ac multum porro dubito, an ubique Græcis τὸ ἐκ πέτρας, ſit idem ac ἐκ λίθου. Fac tertio λατομεῖν non ſemper uſurpari de lapicidinis vivis, ſuffecerit, ſi ſæpius

de

Digitized by Google

de iisdem dicatur. Quarto, quia Marcus *μνημεῖυ λελατομημένυ ἐκ πέτρας, monumenti ex petra exciſi* meminit, eodem ſenſu *μνῆμα λαξευτὸν* a Luca ſumi probabile eſt. Cur denique pars una horti præſertim majoris non potuerit ſcruposa & petroſa eſſe, præſertim circa Jeruſalem, cauſæ nihil video. Huc accedit, quod hæc ſententia cum omni antiquitate pugnet, atque adeo ſua novitate ſe ſuſpectam reddat. Manet igitur, & manebit, puto, ſepulcro Dominico ex rupe exciſo ſuum robur ac firmamentum.

CXVIII. Baronius & Janſenius exiſtimant, ſpeluncam, in qua reconditum corpus Domini, fuiſſe duplicem peramplam, cujus pars anterior veſtibulum, poſterior autem ſeu interior pariete quaſi interſtincta ſpecum ſepulcralem demum exhibuerit: idque ex Cyrilli Hieroſolymitani *Catecheſi XIV.* oſtendere conatur Baronius.

CXIX. Scribit ibi Cyrillus adhuc ſua ætate fuiſſe moris in Judæa, ut monumenta ſaxea quale erat Dominicum, ante ipſum aditum haberent *σκέπην* ex eodem ſaxo exciſam. Ea vox duobus modis poteſt exponi, vel de parva quadam lorica ante monumentum, vel de prominentia quadam ornatus cauſa, qua magnarum ædium ſuperliminaria ſolent ornari. Et fatetur Cyrillus, nullum ſua ætate ejusmodi ornamentum exſtitiſſe in ſepulcro CHRISTI: ſed quia forma ſepulcrorum ea fuit, non dubitat affirmare tale quid fuiſſe prius. At nihil habet de veſtibulo peramplo eidem ſaxo inciſo.

CXX. Quidam ſuſpicantur dormitorium CHRISTI fuiſſe in aliquam altitudinem ſupra terram elevatum. Verum id viris doctis & antiquitatum Judaicarum peritis non fit veroſimile: inprimis cum Cyrillus *Catecheſi XIII.* inter CHRISTI & Regum ſepulturas hoc po-

nat diſcriminis, quod ſepulcrum Domini non eſſet exaggeratum ſupra terram, ut ſolent eſſe Regum monumenta. Verius igitur exiſtimat Caſaubonus *Exerc. XVI. num. XCIX.* rupem, in qua monumentum illud fuit exciſum, aut nihil, aut parum admodum ſupra ſoli ſuperficiem eminuiſſe: cum & Euſebius *lib. III. de vita Conſtantini* ſemper ἄντρον appellet.

CXXI. Quin hoc ſepulcrum Domini in obſidione Hieroſolymitana ac ſecuto excidio, ac iterum temporibus Hadriani detrimentum fuerit paſſum, nullum mihi relinquitur dubium, præſertim cum Euſebius in *vita Conſtantini* ſcribat, locum ſepulcri aggeſta terra aliiſque rebus a paganis fuiſſe obrutum, ne ulla exſtaret ejus rei memoria.

CXXII. Ex eo facile eſt intelligere primam ſpeluncæ illius formam jam olim plane eſſe immutatam, ut nec hodiernæ, nec ſuperiorum ſeculorum deſcriptiones veterem ſtatum repræſentare judicandæ ſint: quarum tamen aliquas afferre placet. Et Beda quidem de Locis Sanctis eam ſic delineat: *Monumentum fuit domus rotunda de ſubjacente rupe exciſa, tantæ altitudinis, ut homo rectus exiſtens vix extenſa manu culmen poſſet attingere, & habet introitum ab Oriente, cui lapis ille magnus impoſitus atque advolutus eſt. In ejus parte aquilonari ipſum ſepulchrum, id eſt, locus Dominici corporis de eadem petra factus ſeptem habens pedes longitudinis, trium palmorum menſura a pavimento altius eminens, qui locus non deſuper, ſed e latere meridiano per totum patet, unde corpus inferebatur, color autem monumenti & loculi albo & rubeo dicitur eſſe permixtus.* Bernhardus Bredenbachius, qui anno CIƆCCCCLXXXIII, loca illa ſancta viſitavit, ita

de

de eo: *In medio templi ſepulcro Dominico ſuperexſtructi eſt petra exciſa, quadrata, octo pedes alta, ſedecim pedes longa, octo pedes lata, marmore candido exterius obducta. Verſus ortum eſt janua, per quam ſi quis in petram illam exciſam ingrediatur, inveniet parietem in duas æquales partes dividentem: in hoc pariete eſt aliud quoddam oſtiolum, per quod in poſticam petræ partem ingreſſus patet: in qua ad dextram verſus ſeptemtrionem oſtenditur in pariete caverna ex marmore coloris gypſei exciſa, trium manuum altitudine, octo pedum longitudine, pendentibus e ſublimi faculis perpetuo igne lucentibus.* Porro Franciſcus Quareſmius in *Elucidatione Terræ Sanctæ,* quod opus anno præſentis ſeculi XXXIX. Antverpiæ prodiit, & in quo, *quæ diligenter oculis ſuis non ſemel, ſed pluries aliquot per annos obſervavit, quibus in Terra ſancta manſit, & ex aliis illic verſatiſſimis accepit, literis conſignavit,* ut ipſe in præfatione profitetur, de Salvatoris ſepulcro operoſe agit *Tom. II. lib. V. cap. VIII. ſeqq.* & peculiariter fol. 501. aſſerit, in eodem tria diſtincta eſſe loca in una ſolida rupe exciſa: priorem locum eſſe ante capellam in qua poſitum fuerit velut in arca corpus JESV, & veſtibulum quoddam eſſe in rupe exciſum, ex quo in capellulam pateat ingreſſus ab oſtio orientali, & hunc eſſe alterum locum: tertium eſſe arcam in eadem capellula exciſa e ſolo prominente in aquilonari latere, ubi poſitum fuerit corpus JESV.

CXXIII. Quod denique ingens ſaxum advolutum fuerit monumento Domini, ex hiſtoria reſurrectionis clarum. Vide Matth. XXVIII. 2. Marci XVI. 4. Luc. XXIV. 2. Idem factum in ſepultura Lazari: unde Johannes cap. XI. v. 38. *Erat ſpelunca, & lapis ſuperpoſitus.*

Digitized by Google

CXXIV. Cauſa erat gemina: partim, ne ſæviri poſſet in cadaver: partim ne furtim auferretur.

CXXV. An lapis ille toti monumento, an vero conditorio, in quo repoſitum corpus, impoſitum quæritur.

CXXVI. Dubitare viſus eſt Caſaubonus *Exerc. XVI. num. CXXII.* ſcribens: *Quin fuerit hortus clauſus, non videtur dubitandum: ac fortaſſe hortus fuerat converſus in uſum areæ, ſive loci vacui ante monumentum. Habuit igitur ſuam hortus portam, monumentum ſuam. Lapis enim, cujus Evangeliſtæ meminerunt, non foribus horti fuit advolutus, ſed vel monumenti, vel conditorii illius, in quo poſitum fuerat corpus Dominicum.*

CXXVII. Georgius Calixtus in *Concordia Evangelica lib. VII. cap. I.* non tam monumenti, quam conditorii foribus eundem fuiſſe appoſitum exiſtimat. *Et certe,* inquit, *lapidem, cujus meminit hiſtoria Evangelica, maxime veroſimile eſt advolutum fuiſſe ori foraminis ſive conditorii, in quo quieſcebat corpus Domini. Parum intererat cætera omnia claudi, præſertim cum monumentum eſſet novum, in quo nondum quiſpiam poſitus fuerat.*

CXXVIII. At mihi mens ſedet alia; ac puto equidem non conditorii lapidem, ſed totius monumenti Evangeliſtas intelligere. Nam primo nondum puto conſtare ſatis, an ſingula illa in monumentis foramina ſingulos acceperint lapides; deinde ſi maxime habuerunt, tam ingentia tamen non fuiſſe puto, ut non una vel altera muliercularum, nedum plures, facile potuerint movere loco. Jam vero quam ſollicitæ fuerint ſanctæ matronæ ad pollingendum JESVM properantes, quis lapidem ab oſtio monumenti revolveret, diſerte teſtatur Marcus *cap. XVI. 3.*

CXXIX

CXXIX. Quid Barradium moverit *Harmon. Tom. IV. lib. VIII. cap. II. & III.* tres diſtinctos lapides, veſtibuli, ſpecus, conditorii oſtiis concludendis fingere, nondum pervideo. Nobis unus ſufficit, cùm de pluribus hiſtoria taceat Evangelica.

CXXX. Hic lapis ſepulcralis poſtea ex decreto Pilati obſignatus fuit. Sed de eo videbimus capite ſequenti. Nunc paucis adhuc dicemus de ſepulturæ Dominicæ Spectatoribus.

CXXXI. Non paucos horum utriusque ſexus fuiſſe, *Luc. XXIII. v. 55.*
facile licet exiſtimare: ſed Evangeliſtæ non niſi feminas
commemorant, *quæ cum CHRISTO venerant de Galilæa:* *Matth. XXVII. v. 61.*
& nominatim *Mariam Magdalenam, & Mariam Joſes.* *Marc. XV. v. 47.*

CXXXII. Hæ uti a crucifixo non poterant avelli, ita etiam poſtquam a cruce eſſet depoſitus, viros ſunt ſecutæ, qui pollincturæ & ſepulturæ curam ſuſceperant. Atque hæ e regione monumenti conſederunt, ſedulò obſervantes, quid de corpore fieret, atque ubi ſepeliretur: idque eo animo, ut exacto Sabbato proximo ad pollincturam redirent.

CAP. V. ET VLTIMVM.

De Procerum Judaicorum apud Pilatum oratione, Cuſtodia, & Obſignatione ſepulcri Dominici.

I.

STamus jam in extremo totius operis limite, viſuri, quid proxime a ſepultura CHRISTI geſtum; quomodo Proceres Judæi Pilatum adierint, de cuſtodia monumen-

Digitized by Google

ti eum interpellaverint, ac illa impetrata ſepulcrum muniverint & obſignaverint.

II. Factum id eſt in ipſo feſto Paſchatos, neglecta tanti feſti ac ipſius Sabbati religione: id quod indicant
Matth. XXVII. 62. ſequentia Matthæi verba: Τῇ δὲ ἐπαύριον ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν, hoc eſt, *poſtridie Paraſceves*, ut recte exponit Laurentius Vallenſis.

III. Theophylactus ad hunc locum obſervat, Evangeliſtam hac circumlocutione uſum, ut non adhiberet appellationem Sabbati, ſed vocaret diem poſteram proxime ſequentem Paraſceven, quia, *quantum ad Judæorum inſaniam attinet, non fuerit Sabbatum.*

Marc. XV. 42. IV. Sed quia Marcus pridianum Sabbati diem appellat προσάββατον, nec Matthæus fuiſſet veritus diem qui excipiebat Paraſceven, appellare Sabbatum, reſpectu ordinationis divinæ, quæ per hominum improbitatem non tollitur, vel abolecur.

V. Non potuit eo die Synedrium haberi, ideo nec πρεσβυτέρων nec γραμματέων, *Seniorum* & *Scribarum* fit mentio, ſed tantum ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων, *Pontificum & Phariſæorum.* Privato itaque conſilio Sacerdotum principes quidam & Senatores aliqui Phariſaicæ factionis Pilatum convenerunt, tanquam acturi de negotio ad ſummam Reipubl. pertinente.

VI. Affectabant Phariſæi præ ceteris ſectis famam ſanctitatis, erantque ſuperſtitioſi admodum cultores traditionum humanarum: ſed nunc inſuper habita omni religione Sabbati, etiam a morte CHRISTI, quæ tollere debebat livorem, eundem proſeqvuntur, novas commenti machinationes.

VII. Qua Sabbati hora acceſſerint Pilatum, ocio-

ſius

ſius fortaſſis quæritur. Quidam exiſtimant id nocte, quæ Sabbatum inchoabat, factum; ne prima ſtatim nocte diſcipuli corpus JESV furto auferrent.

VIII. At vix videtur noctu ad Pilatum ipſis patuiſſe aditum, adeoque vero eſt ſimilius, quod mane ad eundem venerint, ſicut jam ante ſummo mane CHRISTVM condemnandum ad tribunal ipſius perduxerant. Adde quod non videbatur metuendum, ne CHRISTVS prima ſtatim nocte reſurgeret, quem prædixiſſe noverant, die demum tertio ſeſe ex mortuis reſurrecturum.

IX. Si quæras, cur non a morte ſtatim CHRISTI a Pilato cuſtodiam militarem petierint, quando ipſius & latronum crurifragium deſiderarent; reſpondebo, novæ huic petitioni anſam dediſſe honorificam CHRISTI per Joſephum & Nicodemum procuratam ſepulturam. Cum enim inviti cogerentur audire & videre, CHRISTVM tam ſplendide & magnifice ſepultum, procul dubio metuere cœperunt, ne honorifica ſepultura præludium eſſet glorioſæ reſurrectionis: ſicut & revera fuit.

X. Summam ſermonis ad Pilatum habiti ſic expreſſit Matthæus: *Domine, recordati ſumus, quod impoſtor ille dixit adhuc vivens, poſt tres dies reſurgo. Jube ergo muniri ſepulcrum usque in diem tertium, ne quando veniant diſcipuli ejus noctu & furentur eum, dicantque plebi, ſurrexit a mortuis. Eerit noviſſimus error pejor priori.* *Matth. XXVII.63.64.*

XI. Pilatum vocant Κύριε, *Dominum*, non interni cultus, ſed externæ reverentiæ ergo; quippe qui alias Romanæ dominationis maxime pertæſi perpetuas de libertate populi Judaici diſputationes agitabant. Captant igitur honorifica illa appellatione benevolentiam Procuratoris, quem in permittenda honeſta ſepultura tam

prom-

Digitized by Google

promtum & facilem adverſus Joſephum fuiſſe intellexerant.

XII. Quod dicunt, *ſe recordari dictorum CHRISTI*, ſuo ipſorum teſtimonio convincuntur, quod audierint Evangelium ex Meſſia, noluerint autem fidem ei habere; ſic ut hæc confeſſio in propriam ignominiam ac perpetuam ipſis cedat perniciem.

XIII. Quidam ſuſpicantur Judam proditorem hoc ſecretum, prædictionem ſcilicet reſurrectionis die tertio futuræ Pontificibus ac Phariſæis detexiſſe, cum aſcendens Hieroſolymam κατ᾽ ἰδίαν diſcipulis illud revelaſſe dicatur Matth. XX. 17.

XIV. Verum dubitari nequit, quin alio tempore etiam aliis ſuis auditoribus id prædixerit, qui ad Pontifices & Phariſæos illud poſtea retulerunt. Quinimo Matthæi XII. 39. CHRISTVS cum quibusdam Scribis & Phariſæis ſignum cœlitus petentibus diſputans remittit eos ad typum Jonæ. *Sicut*, inquit, *Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic Filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Proinde non potuit illis ignotum eſſe vaticinium de reſurrectione tertio a morte die exſpectanda.

XV. Quod ajunt, CHRISTVM dixiſſe, *Poſt tres dies reſurgam*, aliqui impugnant, ac delatores mendacii arguunt, cum diſerte Dominum ita prolocutum ex Evangelica hiſtoria non conſtet.

XVI. Neque tamen ut eo confugiamus, opus eſt: ſed cum Eraſmo habeamus pro ſynecdoche, ut poſt tres dies dictum factumque dicatur, quod a tertio die cœptum factumque eſt. Vnde & nequaquam poſtulant ſepulcrum cuſtodiri poſt tres dies, vel usque in diem quartum,

ſed

Digitized by Google

ſed ἕως τῆς τρίτης ἡμέρας, *usque in diem tertium:* quod probe notandum, ut verus ſenſus phraſeos μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *poſt tres dies,* eluceſcat. Si enim dictum CHRISTI ſic intellexiſſent, quod demum poſt exactum triduum ſit reſurrecturus, utique in plures dies ſepulcrum cuſtodiri petiiſſent.

XVII. Ὁ πλάνος a Judæis hoc loco nominatur JESUS: quod Vulgatus reddidit *Seductor.* Unde Bernhardo nata eſt occaſio hanc vocem in bonam ſignificationem trahere *Sermon. I. de Reſurrectione Domini:* Quid *tu nuper, Judae, ſignabas lapidem monumenti? quia ſeductor ille dixerat adhuc vivens, Poſt tres dies reſurgam. Vere ſeductor: ſed pius, non malitioſus. Denique ſeduxiſti me Domine: & ſeductus ſum (ait Propheta noſter in perſona veſtra) fortior me fuiſti, & invaluiſti. Seduxit vos, o Judæi! in paſſione: nam in reſurrectione invaluit, & prævaluit vincens leo de tribu Juda.*

XVIII. At hæc longius eſſe petita, nemo non videt: & πλάνον in peſſimam partem pro *impoſtore* ſumi, certum: & ſic falſos doctores vocat S. Johannes II. Epiſt. v.7. quomodo etiam optimi Latinitatis ſcriptores uſurparunt. Enimvero procul omni dubio errat A. Gellius cum *lib. XVI. cap. VII.* Laberium in Mimis licenter uſum ſcribit voce *Plani* pro Sycophanta: cum eodem & uſum agnoſcat Ciceronem in *Cluentiana.* Sed & Horatius uſurpat lib. I. Epiſt. XVII.

Nec ſemel irriſus triviis attollere curat
Fracto crure planum.

Itemque Petronius: *Notavit me miles, ſive ille planus fuit, ſive nocturnus graſſator.* Et Arnobius lib. II. *Aliisque inſtitoribus atque planis.*

Digitized by Google

XIX. Eſt autem πλάνος a πλανᾶσθαι, *errare*, unde & πλανῆται: ideoque vetus Gloſſarium *Planos* interpretatur *erraticos, erroneos, ſeductores*. Eſt & in Gloſſario Philoxeni legere: *Planum, fallacem*, ἀπὸ τοῦ πλανᾶν. Atque hoc etymon verius videtur, quam quod Acron ad Horatium annotavit, nomen eſſe notiſſimi impoſtoris, qui, ut in vehicula tolleretur, fingebat ſe crus fregiſſe: ſed cum poſtea crus fregiſſet, rogaretque ut vehiculo in urbem veheretur, non eſſe eidem creditum.

XX. Etiam Cephiſidorum *Plani* cognomentum habuiſſe, apud Athenæum docet Dionyſius Synopæus. Quamvis alii Cephiſidorum non a moribus *Plani* nomen accepiſſe velint, quam a Cephiſidoro id nominis migraſſe ad alios, ob ſimilitudinem; quomodo *Cato* pro *ſapiente*, *Sardanapalus* pro molli, *Hercules* pro *forti*, *Ariſtides* pro *juſto* dicantur.

XXI. Quando igitur Pontifices & Phariſæi CHRISTVM vocant πλάνον, *impoſtorem ac ſeductorem*, accuſare primum videntur ipſius doctrinam, quod fuerit erronea ac hæretica, homines ſeducens: deinde miracula, quod meræ fuerint præſtigiæ, quibus glaucoma quoddam oculis hominum objecerit, ſicut circulatores facere conſveverunt. Quo forte reſpexit Tertullianus *lib. III. contra Marcionem cap. VI.* ſcribens: *CHRISTVM averſati perſecutique ſunt, ſed qua ſolummodo hominem, quem planum in ſignis & æmulum in doctrinis æſtimabant.* Denique & vitam ejus per ignominiam reprehenderunt forte, quod fuerit erronea, vagabunda ac circulatoria, utpote qui nusquam habuerit certam ſedem, ſed Judæam ac Galilæam peragraverit, erroribus ſuis patrocinium & applauſum quærens.

XXII.

XXII. Ceterum a Pilato petunt Pontifices & Phariſæi, ut jubeat ſepulcrum ἀσφαλισθῆναι *tutum reddi, muniri*, per cuſtodiam ſcilicet militarem, ut ex reſponſo Pilati patet. Colorem petitioni addunt, ne, ſi quando venirent diſcipuli, & furentur eum, mox in vulgus ſpargant, Dominum ſurrexiſſe a mortuis.

XXIII. Impium & infame ſemper habitum deprædari ſepulcra, & ex iis pecuniam, ſive quæ alia depoſita furari. Syneſius Epiſt. CXLIII. Ἡγοῦμαι δ' ἀσεβέστερον, ἀποθανόντων λόγους κλέπτειν, ἢ θοιμάτια, ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν. Hinc etiam Theodoricus Rex apud Caſſiodorum *lib. IV. Variarum Epiſt. XIIX.* Annæ Comiti inquiſitionem committit contra presbyterum, qui auro perſcrutando cineres mortuorum effoderat. *Dudum,* inquit, *ad nos multorum ſuggeſtione pervenit, Laurentium presbyterum, effoſſis cineribus funeſtas divitias inter hominum cadavera perſcrutatum: concuſſionemque mortuis intuliſſe, quem oportet viventibus quietam prædicare. Non abſtinuiſſe perhibetur tam crudeli contagio piis dicatas conſecrationibus manus, aurum exſecrabili quæſiſſe fertur affectu, quem ſuam decuiſſet egentibus dare ſubſtantiam, vel ſub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione præcipimus indagare.*

XXIV. Quis igitur crediderit rem tam infamem aggreſſuros CHRISTI diſcipulos, & ex Evangelii prædicatoribus in τυμβωρύχων conſortium abituros? Et unde hos animos ſumſiſſent homines dama timidiores, ut monumentum effringerent, atque ex eo cleperent demortuum Dominum, quem ante captivitatem derelinquerant omnes & aufugerant? Et quomodo homines ignobiles, pauperes, contemti, & abjecti populo potuiſſent

 per-

perſvadere illum reſurrexiſſe, quem e ſepulcro furtim abſtuliſſent? Belle igitur Chryſoſtomus *Homilia LXXXIX. in Matthæum:* Qua re *freti* (Apoſtoli) *auſi fuiſſent reſurrectionem CHRISTI fingere: ſermonisne acrimonia ac dicendi vehementia? atqui omnium erant imperitiſſimi: pecuniarumne abundantia? atqui nec baculum, nec calceamenta habebant: generisne claritate? atqui viles erant, atque ex vilibus orti parentibus: patriane ſplendore? atqui e regionibus erant obſcuris: ſuane multitudine? atqui plures non erant quam undecim, & illi quidem diſperſi: promisſionibusne Magiſtri? quibus? Si enim non reſurrexerit, nihil ille firmitatis aut ponderis apud ipſos habere poterat.*

XXV. Quod addunt, metuendum eſſe, *ne error noviſſimus ſit pejor primo* (ſive *priori:* nam πρῶτος pro comparativo frequenter ſumi, pluribus exemplis declaraverat Revius *in Vallam)* intelligunt hoc modo, quod doctrina CHRISTI ſe Filium Dei profitentis confirmanda ſit prædicatione reſurrectionis. Namque facile paſſuram plebem ſibi perſuaderi, eum eſſe Dei Filium, quem tertio die a mortuis reſurrexiſſe ſint edocti: id quod in extremam politiæ Judaicæ perniciem poſſit erumpere, quandoquidem vulgus rebellionem & ſeditionem moverit adverſus illos, qui talem tantumque virum curarint interfici, cujus innocentiam Deus reſurrectione fuerit teſtatus.

XXVI. Apparet ex hoc Pontificum & Phariſæorum poſtulato, quam irrequieta ſit mens male ſibi conſcia. Quod ſi enim impoſtor erat CHRISTVS, & vana jactitabat, cur circumcurſitant ac metuunt, ne diſcipuli illum furentur? Nam ſi & hi confinxiſſent reſurrectionem, tam craſſum tamen mendacium facili negotio potuiſſent refutare; ne dicam, quod per ſe evanidum ſubito fuiſſet extinctum.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII. Stupendam inſuper hic animadvertere licet hoſtium CHRISTI cæcitatem & væcordiam, qui impoſtorem vocant, & reſurrectioni ejus obicem ponere volunt, cujus innocentiam tot miraculis comprobatam viderant, quique divina virtute ſua alios ſuſcitaverat. Hilarius in Matthæum can. XXXIII. *Metus furandi corporis & ſepulcri cuſtodia atque obſignatio ſtultitiæ atque infidelitatis teſtimonium eſt: quod ſignare ſepulcrum ejus voluerint, cujus præcepto conſpexiſſent de ſepulcro mortuum ſuſcitatum.* Illudit huic cœcitati Chriſtianus Poeta Sedulius lib. IV. Carminum:

Conſiliis armate dolos, ſignate ſepultrum,
Ponite cuſtodes, monumento advolvite ſaxum.
Quis poterit ſervare Deum, cui cardine rerum
Cuncta patent, undis habitat, per tartara regnat,
Et cœli de nube tonat? Quid ſæve tumultus
Excubiis deperdis opus? quid niteris illam
Explorare fidem, cui non vis credulus eſſe?

XXVIII. Ecquid vero reſponſi a Pilato Pontifices & Phariſæi accipiunt? *Habetis* (ſive *Habete, Accipite*) *Cuſtodiam. Abite, munite, ſicut ſcitis.* Græca ſic ſonant: Ἔχετε Matth. XXVII. 65
κυστωδίαν, ὑπάγετε, ἀσφαλίσασθε, ὡς οἴδατε.

XXIX. Κυστωδίας vox Romana a Romano Procuratore dubio procul fuit adhibita, quo porro Græci Romano ſubjecti imperio utebantur. Heſych. Κυστωδία, στρατιωτικὴ βοήθεια.

XXX. Laurentius Valla diſputat ad hunc locum, qua ſignificatione nomen *Cuſtodia* Evangeliſta uſurpet, cum vel *actum cuſtodiendi*, vel *cuſtodes*, vel *eum qui cuſtoditur*, denotet: ac reſpondet: ſi verbum ἔχετε per imperativum reddatur *habete*, accipi poſſe pro *actu cuſtodiendi* & pro *cuſtodibus*; ſin per indicativum *habetis*, tantum pro *cuſtodibus*, & forte etiam pro *cuſtodito.* XXXI.

XXXI. Vix tamen illa diſceptatione opus. Sive enim indicativam, ſive imperativam habeat notam verbum ἔχετε, per metonymiam poſita eſt *Cuſtodia* pro *Cuſtodibus*. Nec aliter Virgilius lib. IX. Æn. — *Noctem Cuſtodia ducit*
Inſomnem ludo.
Et Tibullus: *Cuſtodia victa eſt*, id eſt, *Cuſtos*. Tertullianus quoque de hac ipſa hiſtoria agens, *Cuſtodia pavore disjecta*.

XXXII. Erant hi cuſtodes ex militibus Romanis, quorum præſidium erat in turri Antonia diſpoſitum ad præcavendos tumultus, præſertim in feſto: quod ex Joſepho patet, & nos jam alias monuimus. His igitur cuſtodia ſepulcri fuit demandata, quod Judæi non fuiſſent auſi propter religionem, tam diei, quam magni ſolennis Paſchatis.

XXXIII. Facile alias adducor, ut credam, Pilatum hominem gentilem in reſponſo ſuo tacite irridere tam reſurrectionis vaticinium, quam præpoſteram Judæorum ſollicitudinem, quod ab homine mortuo tantopere ſibi metuant.

XXXIV. Quomodocunque vero id intellexerit Pilatus, non attendunt Pontifices & Phariſæi, ſed impetrata a Pi-
Matth. XXVII. 66. lato facultate, ***abeuntes muniverunt ſepulcrum, obſignato lapide cum cuſtodibus*** : puta, quod Judæi ſimul cum cuſtodibus lapidem ſignaverint, vel in præſentia cuſtodum: vel quod Judæi poſitis cuſtodibus lapidem ſignaverint. Hieronymus de ſolis Judæis hæc accepit in Matthæum commentatus: *Non ſuffecerat Principibus ſacerdotum & Scribis ac Phariſæis crucifixiſſe Dominum Servatorem; niſi ſepulcrum cuſtodirent, cohortem acciperent, ſignarent lapidem, & quantum in illis eſt, manum opponerent reſurgenti, ut diligentia eorum noſtræ fidei proficeret.*

XXXV.

Digitized by Google

XXXV. De modo obſignandi lapidem non ineptam habet conjecturam Grotius, id factum annulo Pilati, adductus in eam per hiſtoriam Danielis cap. VI.17. hoc Deo agente, ut res anteactæ res Chriſti undique adumbrarent. *Quemadmodum publica ſigilli fide* (& hæc ipſa ſunt Grotii verba) *conſtitit Danielem nulla ope humana periculo exemtum, ita ſimili fide conſtitit CHRISTI corpus nulla humana manu exemtum ſepulcro.*

XXXVI. Alioqui Veteres interdum ſolitos obſignare januas, ex Luciani *Timone* nuper obſervavi, ubi dicit aliquis, *ſe repagulis, clavibus & impreſſis ſigillis* (σημείων ἐπιβολαῖς) *ita fuiſſe concluſum, ut ne proſpicere quidem in lucem liceret.* Et paulo poſt: *Vigiles obſervarunt ad ſigillum ſeramque* (ἐς τὸ σημεῖον ϗ τὸν μόχλον) *immotis oculis intuentes.* Sic in Actis Euplii apud Metaphraſten legas: *In quem* (carcerem) *cum B. Euplius ingreſſus fuiſſet, præcepit iniquus Calviſianus carceris fores ejus annulo ſignari, & milites conſtitui, qui carcerem ipſum diligenter coſtodirent.*

XXXVII. Si traditioni apud Nicephorum *lib. I. cap. XXXII.* habenda fides, non ſolum annuli impreſſione, ſed & ferramentis oſtium ſepulcri fuiſſet firmatum. *Ab antiquis,* inquit, *ad nos per traditionem derivatur, lapidem iſtum, quo ſepulcrum vitiferum occludebatur, ad ſummum monumenti lapidem petramque inferne illi ſe conjungentem, ferramentis quibusdam fabrili lapicidarum arte perforaſſe, ferrumque ingens a fabro ex propinquo acceptum, per utrumq; foramen immiſiſſe, & in circi ſive annuli formam circumegiſſe: atque ita capitibus firmiter commiſſis, omni ex parte, quaſi vinculum, circumduxiſſe, ut lapis, qualicunque modo, loco ſuo revelli, aut ſaltem ratione aliqua moveri* (*niſi arte quapiam & vi adhibita*) *neceſſario aut ferrum*

con-

Digitized by Google

confringeretur, aut petra perumperetur, non potuerit. Atque ad hunc modum, cum magna cura, atque etiam ſigno appreſſo, cum ſepulcrum firmiſſime communiſſent, cuſtodia inſuper competenti conſtituta, abierunt.

XXXIIX. B. Heinricus Mullerus in *JESV Patiente num. XCVIII.* probabilem cenſet hanc traditionem, cum quia Beda teſtetur, lapidem illum ſuis temporibus monſtraſſe vinculorum ferreorum, quibus ſepulcro alligatus fuerit, veſtigia; tum quia apud Evangeliſtam mulieres hæreant de modo lapidem amoliendi. Verum an non hic lapis, perinde ac ipſum ſepulcrum, per longi temporis injuriam vitium fecerit, aliis perpendendum relinquo. Et mulieres CHRISTVM pollincturæ non tam de vinculis, quam de magnitudine lapidis fuerunt ſollicitæ.

XXXIX. Sic igitur hoc extremum caput, ac univerſum laborem noſtrum iisdem verbis obſignabimus, quibus B. Gerhardus *Harmoniæ Hiſtoriæ Paſſionis* coronidem impoſuit. *Nobis convenit, ut impium Judæorum factum ad pietatem convertamus, eo ſcilicet modo, ut, poſtquam CHRISTVM in cor noſtrum fide receperimus, Sacramentorum ſigillo & Spiritus Sancti præſidio corda noſtra muniamus, ac diligens obſtaculum contra recidivam peccati ponamus, vigilantiam debitam adhibentes, ut CHRISTVS in nobis perpetuo maneat, neque a nobis peccati & ſecuritatis ſomno ſtertentibus iterum ſua gratia diſcedat, ſed ut in nobis vivat, nosque in eo vivamus, in ipſo moriamur, cum ipſo reſurgamus, & in cœleſtem gloriam cum ipſo & electis omnibus recipiamur. Amen.*

FINIS.

INDEX

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
EXPLICATORVM, ILLVSTRATORVM.

GENESIS.

CAp.II.v.8.pag.975. III.v.16. p.215. VI.v.16.p.1091. IX.v.6. p.400. XX.v.16.p.70. XXII.v. 6.p.715. ſ.v.11.p.985. v.13.p.642. v. 14.p.747. XXVII.v.28.p.70. XXVIII. v.10. p. 747. XXXII. v. 28. p. 380. XXXVII. v. 29. & 34. p. 426. XL. v. 14. p. 936. XLI. v. 42. p. 538. XLIV. v. 13. p. 427. XLVIII. v. 2. p. 380. XLIX. v. 33. p. 994.

EXODVS.

Cap. III. v. 4. p. 985. v. 6. p. 55. XII. v. 2. p. 91. v. 3. 4. p. 124. v. 5. p. 85. v. 6. p. 86. 113. v. 8. p. 120. 121. v. 16. p. 138. v. 22. p. 117. v. 23. p. 138. v. 33. p. 185. v. 46. p. 1047. XVI. v. 23. p. 138. v. 33. p. 185. XVII. v. 6. p. 1093. XXI. v. 32. p. 71. XXIII. v. 2. p. 113. v. 18. p. 89. XXV. v. 4. p. 605. v. 37. p. 965. XXVI. v. 1. p. 606. v. 31. & 36. p. 1015. XXVII. v. 16. p. 606. 1015. XXVIII. v. 5. p. 606. v. 14. p. 642. XXX. v. 23. p. 668. XXXIV. v. 25. p. 89. v. 33. 34. p. 1127. XXXIX. v. 1. 2. 3. p. 606.

LEVITICVS.

Cap. I. v. 11. p. 1073. X. v. 6. p. 428. XVI. v. 4. p. 540. XXI. v. 10. p. 428. XXIV. v. 16. p. 429. 681

NVMERI.

Cap. IX. v. 12. p. 1047. XIV. v. 6. p. 426. XV. v. 32. p. 138. v. 36. p. 713. v. 38. p. 411. 902. XX. v. 11. p. 1093. XXXIII. v. 3. p. 116. XXXV. v. 25. p. 709.

DEVTERONOMIVM.

Cap. V. v. 7. p. 680. VI. v. 4. 680. XIII. v. 10. p. 681. XVI. v. 2. p. 85. v. 5. 6. p. 88. 89. v. 7. p. 138. XVIII. v. 3. p. 30. XXI. v. 6. p. 699. v. 22. p. 1039. v. 23. p. 715. 737. 1039. XXII. v. 12. p. 902. v. 19. p. 70. XXIII. v. 18. p. 459. XXV. v. 2. p. 591. v. 4. p. 580. v. 9. p. 430. XXIX. v. 18. p. 760. XXXII. v. 38. p. 759.

JOSVA.

Cap. VI. v. 4. p. 965. VII. v. 19. p. 1034. XIII. v. 26. p. 1110. XIV. v. 15. p. 745. XV. v. 25. p. 65. v. 52. p. 1109. XVIII. v. 25. p. 1110. XIX. v. 21. & 29. p. 1110. XXI. v. 29. p. 1110.

L. JVDICVM.

Cap. IX. v. 41. p. 1109. XIV. v. 12. p. 412. 1130.

L. RVTH.

Cap. III. v. 15. p. 1127.

Digitized by Google

I. SAMVELIS.
Cap. I. v.1. p. *1110*. XIV. v. 45. p. *558*. XXV. v. 31. p. *936*.
II. SAMVELIS.
Cap. I. v.11. p. *426*. III. v.31. p. *426*. XI. v.1. p. *91*. XIII. v.31. p. *426*. XV. v. 30. p. *436*. XVII. v. 23. p. *487*. XVIII. v.9. p. *643*. v.12. p. *483*. XIX. v. 26. p. *34*. XX. v. 9.10. p. *390*. XXI. v. 10. p. *1040*.
I. REGVM.
Cap. IV. v.33. p. *962*. XXI. v.13. p. *713*. v. 27. p. *426*.
II. REGVM.
Cap. XVI. v. 9. p. *719*. XIX. v.1. p. *426*. v. 21. p. *928*. XXI. v.18. & 26. p. *1136*. XXII. v.11. & 19. p. *426*. XXIII. v. 4. p. *417*. v. 36. p. *1109*. XXV. v.4. p. *319*. *417*. v.18. p. *417*.
II. PARALIPOM.
Cap. II. v.7. p. *606*. III. v.14. p. *606*. XXV. v.12. p. *491*. XXX. v.17. p. *86*.
I. ESDRÆ.
Cap. VI. v.20. p. *86*.
I. NEHEMIÆ.
Cap. II. v.8. p. *973*. X. v.4. & 27. p. *397*. XII. v.2. p. *397*.
I. ESTHER.
Cap. IV. v.1. p. *427*. VII. v.8. p. *436*. v.9. p. *789*.
JOBVS.
Cap. I. v.20. p. *426*. II. v.12. p. *427*. XVI. v. 4. p. *928*. XXX. v.10. p. *430*.
PSALMI.
Pſalm. I. v.1. pag. *1113*. XVI. v.10. p. *996*. XXI. v.6. p. *985*. *991*. XXII. v.2. p. *984*. v.7. p. *610*. v. 8. p. *928*. v. 16. p. *989*. v. 17. p. *695*. *815*. *1098*. v. 19. p. *909*. XXVI. v. 6. p. *699*. XXXV. v. 19. p. *260*. v. 15. p. *577*. v.21. p. *928*. XLI. v.10. p. *177*. XLII. v.11. p. *988*. XLIV. v.15. p. *928*. LVII. LVIII. LIX. v. 1. p. *883*. LXIX. v. 5. p. *260*. v.22. p. *758*. *988*. LXXII. v. 8. p. *215*. LXXIV. v. 12. p. *736*. CIX. v.25. p. *928*. CX. v.2. p. *215*. CXVIII. v.26. p. *39*.
PROVERBIA.
Cap. IX. v.1. p. *965*. XVII. v. 15. p. *558*. XXXI. v.6. p. *751*. v.13. p. *894*.
ECCLESIASTES.
Cap. II. v.4. p. *973*. v.18. p. *921*.
CANTICVM.
Cap. III. v.11. p. *659*.
JESAIA.
Cap. I. v.3. p. *580*. v.18. p. *610*. II. v. 19. p. *732*. III. v.22. p. *1130*. v. 23. p. *412*. IX. v.6. p. *717*. XIV. v.11. p. *610*. XXII. v.16. p. *1137*. XXXII. v. 5. p. *216*. XXXVII. v.22. p. *928*. XLVIII. v. 21. p. *1093*. L. v. 6. p. *577*. LIII. v. 4. p. *367*. v.7. p. *84*. v. 12. p. *227*. *838*. *967*. LXII. v. 11. p. *35*.
JEREMIA.
Cap. XI. v.19. p. *84*. XVIII. v. 1. ſeqq. p. *473*. *479*. v.16. p. *928*. XIX. v. 1. p. *479*. XXXII. v. 6. ſeqq. p. *465*. *473*. *479*. v.9. p. *483*. XXXVI. v. 24. p. *426*.
THRENI.
Cap. II. v. 15. pag. *928*.
EZECHIEL.
Cap. IX. v. 4. p. *787*. XII. v. 6. & 12. p.

Digitized by Google

12. p. 436. XXXVI. v. 2. p. 928. XLVII. v. 1. 2. p. 1073.

DANIEL.

Cap. VI. v. 17. p. 1153. IX. v. 21. p. 379.

HOSEA.

Cap. X. v. 4. pag. 760. v. 8. p. 732. XII. v. 4. p. 380.

AMOS.

Cap. I. v. 5. p. 719. II. v. 8. p. 755.

HABACVC.

Cap. IV. v. 2. p. 838.

HAGGAI.

Cap. II. v. 7. pag. 1025.

ZACHARIA.

Cap. III. v. 9. p. 965. IV. v. 2. p. 965. IX. v. 9. p. 35. XI. v. 12. 13. p. 481. ſeqq. XII. v. 10. p. 1096. XIII. v. 6. p. 812. v. 7. p. 313. XIV. v. 20. p. 824.

I. MACCABÆORVM.

Cap. XI. v. 71. pag. 428.

MATTHÆVS.

Cap. I. v. 22. p. 471. II. v. 5. p. 471. v. 15. & 23. p. 471. v. 17. p. 473. III. v. 3. p. 473. v. 16. p. 352. IV. v. 14. p. 473. V. v. 17. p. 133. v. 39. p. 422. 434. VI. v. 28. p. 539. VIII. v. 17. p. 473. v. 20. p. 38. v. 28. p. 1136. v. 29. p. 571. v. 33. p. 1136. IX. v. 16. p. 599. X. v. 3. p. 241. v. 4. p. 64. 65. v. 16. p. 264. v. 17. p. 518. XI. v. 29. p. 38. XII. v. 39. 40. p. 1146. XIII. v. 35. p. 471. XIV. v. 15. & 23. p. 115. XVI. v. 16. p. 245. v. 18. p. 1137. v. 28. p. 971. XX. v. 3. 5. 6. p. 775. v. 13. p. 396. v. 17. p. 5. 1146. v. 18. 19. p. 526. v. 20. p. 6. v. 22.——27. p. 7. v. 24. p. 209. v. 25. p. 215. v. 28. p. 8. v. 30. p. 10. XXI. v. 4. p. 471. v. 12. p. 49. v. 14. p. 43. 44. v. 15. & 16. p. 44. v. 18. 19. p. 47. ſ. v. 20. p. 50. v. 21. p. 47. v. 23. p. 50. v. 28. ſeqq. p. 50. v. 33. p. 51.

Cap. XXII. v. 1. ſqq. p. 51. v. 12. p. 396. v. 16. p. 51. ſeqq. 527. v. 19. 20. p. 53. v. 21. p. 54. 527. v. 23. ſeqq. p. 54. ſeq. v. 32. p. 55. v. 33. p. 56. v. 34. p. 56. v. 42. p. 56. XXIV. v. 15. p. 473. XXV. v. 1. ſeqq. p. 58. v. 14. ſeqq. p. 58. XXVI. v. 1. ſeqq. p. 29. ſeqq. 61. v. 2. p. 25. 59. 60. 136. 526. v. 3. p. 61. 62. v. 4. p. 61. v. 5. p. 63. 137. 520. 555. v. 6. ſeqq. p. 10. ſeqq. v. 7. p. 17. v. 8. p. 26. 906. v. 9. p. 26. v. 10. & 11. p. 27. 43. v. 12. p. 27. 1124. v. 13. p. 28. v. 14. 15. p. 63. 64. 66. v. 17. p. 77. 135. v. 18. p. 78. 79. 81. 136. v. 19. 20. p. 77. v. 21. p. 193. 195. v. 22. p. 181. 196. v. 23. p. 197. v. 24. p. 199. 270. v. 25. p. 207. v. 26. p. 179. 181. v. 27. p. 188. v. 28. p. 189. 191. v. 29. p. 192. v. 30. p. 306. ſeqq. v. 31. p. 312. v. 32. p. 315. v. 33. 34. 35. p. 316. v. 36. p. 317. v. 37. p. 320. 326. v. 38. p. 321. v. 39. p. 330. 333. v. 40. p. 342. v. 41. p. 343. v. 42. p. 330. 344. v. 45. p. 347. v. 46. p. 347.

Cap. XXVII. v. 1. p. 451. 520. v. 2. p. 453. 512. 520. v. 3. p. 453. ſeqq. v. 4. p. 454. v. 5. p. 66. 488. ſeqq. v. 6. 7. p. 459. ſeqq. v. 8. p. 461. v. 9. 10. p. 464. ſeqq. v. 11. p. 528. 531. v. 12. 13. 14. p. 533. ſeqq. v. 15. p. 555. v. 16. p. 563. v. 17. p. 562. v. 18. p. 564. v. 19. p. 565. ſeqq. v. 20. p. 572. v. 21. 22. 23. p. 573. ſ. v. 24. p. 574. 699. v. 25. p. 708. v. 26. p. 574. ſeq. 586. 710. v. 27. p. 596. v. 28. p. 548. 596 ſeqq. 885. v. 29. p. 635. ſeqq. 668. 675. v. 30. p. 677.

Digitized by Google

p. 677. v. 31. p. 713. 885. v. 32. p. 718. v. 33. p. 733. v. 34. p. 750. ſeqq. 760. v. 35. p. 471. 884. v. 36. p. 926. v. 37. p. 851. 874. v. 38. p. 837. v. 39. p. 909. 928. v. 40. p. 928. v. 41. 42. p. 930. v. 43. p. 929. v. 44. p. 33. 906. 932. v. 45. pag. 983. 996. ſeqq. v. 46. pag. 983. ſeqq. v. 47. p. 987. v. 48. pag. 949. v. 49. p. 987. v. 50. p. 990. 995. v. 51. pag. 1014. v. 52. pag. 1022. 1025. 1027. v. 53. p. 1027. ſ. v. 54. pag. 1033. ſeqq. v. 55. 56. p. 979. v. 57. p. 1108. ſ. 1114. v. 58. p. 1115. v. 59. p. 1130. v. 60. p. 1135. ſ. v. 61. p. 1143. v. 62. p. 1108. 1144. v. 63. 64. p. 1145. v. 65. p. 1151. v. 66. p. 1152.

Cap. XXVIII. v. 2. p. 1141. v. 3. p. 538. v. 7. 10. & 16. p. 315.

MARCVS.

Cap. II. v. 21. p. 599. III. v. 10. p. 577. V. v. 27. p. 885. 896. v. 29. p. 908. IX. v. 1. pag. 971. v. 37. p. 178. X. v. 32. pag. 5. v. 33. pag. 526. v. 35. p. 6. v. 38. p. 7. v. 41. pag. 209. v. 45. p. 8. v. 46. pag. 10. XI. v. 1. ſeqq. pag. 29. ſeqq. v. 12. —— 14. p. 47. ſ. v. 15. p. 49. v. 27. p. 50. XII. v. 1. ſeqq. p. 51. v. 13. p. 51. ſ. v. 16. 17. pag. 53. ſ. v. 18. ſeqq. p. 54. ſ. v. 26. p. 55. v. 28. p. 56. v. 35. pag. 56. v. 41. p. 57. XIII. verſ. 1. ſeqq. p. 57.

Cap. XIV. v. 1. p. 25. 60. 136. v. 2. p. 63. 137. 520. 555. v. 3. ſeqq. p. 10. 17. 19. 26. v. 8. p. 1124. v. 9. p. 28. v. 10. p. 64. v. 11. p. 68. v. 12. p. 77. 135. v. 13. —— 16. p. 78. ſ. v. 17. p. 82. v. 18. p. 193. 195. v. 19. p. 196. v. 20. p. 197. v. 21. p. 199. v. 22. p. 179. ſeqq. v. 23. p. 188. v. 24. pag. 189. 191. v. 25. p. 184. 192. v. 26. p. 306. ſeqq. v. 27. p. 312. v. 28. p. 315. v. 29. —— 31. p. 316. v. 32. p. 317. v. 33. p. 320. 324. 326. v. 34. p. 320. ſeq. v. 35. p. 327. 330. v. 36. p. 328. 333. v. 37. pag. 342. v. 38. p. 343. v. 39. 40. pag. 344. v. 41. p. 346. v. 42. p. 347. v. 43. p. 384. ſ. v. 44. p. 388. 413. v. 45. p. 388. v. 46. p. 396. v. 47. p. 397. v. 48. 49. p. 408. v. 50. p. 409. v. 51. 52. p. 409. ſeqq. v. 53. p. 413. v. 54. p. 439. v. 55. p. 422. 519. v. 56. 57. p. 422. v. 58. p. 423. v. 59. 60. p. 423. v. 61. 62. p. 424. ſ. v. 63. pag. 425. ſeqq. v. 64. p. 429. 519. v. 65. p. 433. v. 66. 67. p. 440. v. 68. 69. p. 440. v. 70. p. 441. v. 71. p. 442. v. 72. pag. 442. ſeqq.

Cap. XV. v. 1. p. 451. 512. 520. v. 2. p. 528. 531. v. 3. p. 527. v. 4. p. 533. v. 5. p. 535. v. 6. p. 555. v. 7. p. 563. v. 8. p. 564. v. 10. p. 564. v. 11. p. 572. v. 12. p. 573. v. 13. p. 574. v. 14. p. 573. v. 15. p. 574. ſeqq. 586. v. 16. p. 596. v. 17. p. 596. 635. v. 18. p. 675. v. 19. p. 677. v. 20. p. 713. 885. v. 21. p. 718. ſ. v. 22. pag. 734. ſeqq. v. 23. p. 750. ſeqq. 760. v. 24. p. 884. 906. v. 25. p. 707. v. 26. p. 851. v. 27. p. 837. v. 28. p. 838. v. 29. 30. p. 928. v. 31. p. 930. v. 32. p. 931. ſeq. v. 33. p. 776. 996. ſeqq. v. 34. p. 983. ſ. v. 35. p. 987. v. 36. p. 949. v. 37. p. 990. 995. v. 38. p. 1014. v. 39. p. 1033. ſeqq. v. 40. 41. p. 979. v. 42. p. 1108. ſeqq. v. 43. p. 1109. ſeqq. 1114. ſ. v. 44. p. 1116.

ſ. v.

Digitized by Google

ſ.v. 45. p. *1118*. v. 46. p. *1130.1137*. v. 47. p. *1143*. XVI. v. 3. p. *1142*. v. 4. p. *1141*. v. 5. p. *538*.

LUCAS.

Cap. I. v. 19. & 26. p. *379*. II. v. 35. p. *730. 980*. v. 42. p. *555*. III. v. 1. p. *1024*. v. 23. p. *352*. v. 14. p. *526*. V. v. 36. p. *599*. VI. v. 27. p. *970*. VII. v. 12. p. *1136*. v. 37. ſeqq. p. *10. 17*. v. 44. p. *24*. VIII. v. 3. p. *38*. v. 54. p. *329*. IX. v. 27. p. *971*. v. 48. p. *178*. X. v. 3. p. *264*. v. 7. 8. p. *226*. XIII. v. 1. p. *523. 551*. XVI. v. 14. p. *930*. v. 19. p. *547. 605*. XVIII. v. 13. p. *329*. v. 31. p. *526*. XIX. v. 1. ſeqq. p. *9*. v. 11. ſeqq. p. *9*. v. 29. ſeqq. p. *29*. XX. v. 1. p. *50*. v. 9. p. *51*. v. 20 p. *51*. ſeqq. v. 24. p. *53*. v. 25. p. *54*. v. 27. ſeqq. p. *54*. ſeq. v. 37. p. *55*. XXI. v. 1. ſqq. p. *57*. C. XXII. v. 1. p. *120*. v. 2. p. *520*. v. 3. p. *64*. ſqq. v. 4. 5. 6. p. *68*. v. 7. — 13. p. *77*. ſeqq. v. 15. 16. 17. p. *126. 152*. ſeqq. v. 18. p. *156. 184. 192*. v. 19. p. *179*. ſeqq. *188*. v. 20. p. *160*. v. 21. p. *181. 194*. v. 22. p. *189*. v. 23. p. *196*. v. 24 —— 30. p. *209*. — *217*. v. 31. p. *223*. v. 32. p. *224*. v. 33. 34. 35. p. *225*. ſ. v. 36. p. *226*. v. 37. p. *227. 838*. v. 38. p. *229*. v. 39. p. *312*. v. 40. p. *319*. v. 41. p. *327*. v. 42. p. *330*. v. 43. p. *378*. ſeqq. v. 44. p. *344*. ſeqq. *349*. ſeqq. v. 45. 46. p. *342*. v. 47. p. *388*. v. 48. p. *395*. v. 49. 50. p. *397*. v. 51. p. *398*. v. 52. p. *385. 408*. v. 53. p. *408*. v. 54. p. *438*. v. 55. p. *439*. v. 56. 57. p. *440*. v. 58. 59. 60. p. *440*. ſeqq. v. 61. 62. p. *444*. ſ. v. 64. p. *435*. ſeqq. v. 65. p. *437*. v. 66. p. *451. 519*. v. 67. p. *452*. v. 68. 69. 70. p. *452*. v. 71. p. *453*.

Cap. XXIII. v. 1. p. *459. 512*. v. 2. p. *527*. ſ. v. 3. p. *528. 531*. v. 4. p. *533*. v. 5. 6. 7. p. *535*. v. 8. 9. p. *536*. v. 10. 11. p. *537*. ſeqq. v. 12. 13. 14. p. *551*. ſeqq. v. 15. p. *553. 586*. v. 16. p. *554. 586*. v. 17. p. *555*. ſeqq. v. 18. p. *574*. v. 19. p. *563*. v. 21. p. *574*. v. 22. p. *573*. v. 23. p. *574*. v. 24. p. *705*. v. 25. p. *574*. v. 26. p. *718*. ſ. v. 27. p. *730*. v. 28. —— 32. p. *731*. ſeqq. v. 33. p. *734. 837*. v. 34. p. *291. 966*. v. 35. p. *930*. v. 36. p. *942*. v. 37. p. *931*. v. 38. p. *851. 874. 878*. v. 39. p. *932*. v. 40. 41. p. *954*. v. 42. p. *936. 970*. v. 43. p. *970*. v. 44. 45. p. *996*. v. 46. p. *991. 995*. v. 47. p. *1033*. ſeqq. v. 48. p. *1036*. v. 49. p. *979*. v. 50. 51. p. *1112*. ſeqq. v. 52. p. *1115*. v. 53. p. *1130. 1136*. v. 54. p. *1108*. ſeqq. v. 55. p. *1143*. v. 56. p. *140*. C. XXIV. v. 2. p. *352*. v. 35. p. *187*. v. 44. p. *480*. v. 49. p. *1099*. v. 50. p. *32*.

JOHANNES.

Cap. I. v. 29. p. *85*. v. 38. p. *329*. II. v. 4. p. *571*. v. 15. p. *578. 579*. v. 19. & 21. p. *423. 928*. III. v. 1. p. *1113*. V. v. 2. p. *878*. v. 18. p. *680*. VI. v. 15. p. *527*. v. 69. p. *242*. VII. v. 34. p. *219*. v. 44. p. *138*. ſ. VIII. v. 47. p. *1084*. IX. v. 22. p. *77*. v. 24. p. *1034*. X. v. 12. p. *315*. v. 17. 18. p. *990*. v. 30. p. *680*. v. 31. p. *139*. v. 34. p. *260*. XI. v. 2. p. *1126*. v. 3. p. *17*. v. 7. p. *16*. v. 7. 8. p. *27*. ſ. v. 12. ſqq. p. *29*. ſqq. v. 18. p. *30*. v. 19. p. *43*. v. 31. p. *1136*. v. 38. p. *1141*. v. 44. p. *1126. 1131*. v. 47. p. *2. 3*. v. 49. — 52. p. *3. 4*. v. 54. p. *4*. XII. v. 3. ſeqq. p. *10*. ſeqq. v. 6. p. *206*. v. 20. — 23. p. *44*. v. 24. ſqq. p. *45*. v. 31. — 38. p. *46*. ſ. v. 32. p. *526*. v. 42. 43. p. *1114*. XIII. v. 1. p. *141. 161. 978*. v. 2. p. *160*. ſ. *456*. v. 3. pag. *162*. v. 4. ſeqq. p. *160*. ſeqq. *885*. v. 6. p. *166*. ſ. v. 7. 8. pag. *167. 170*. v. 9. 10. p. *168. 169*. v. 11. — 14. p. *169*. v. 18. ſeqq. p. *176*. ſqq. v. 21. p. *194*. ſ.

Ggggggg 3 v. 23.

d by Google

v.23.p.201.v.24.p.200.v.25.p.201.v.26.p.128.204.v.27.p.205.457.v.28.29.p.205.v.30.p.207.v.31.32.p.208.v.33.p.218.v.34.p.210.219.v.35.p.221.v.36.p.222.v.37.p.223.XIV.v.1.2.p.233.ſ.v.3.—7.p.234.v.8.—10.p.235.v.11.12.p.236.v.13.14.p.237.v.16.—19.p.238.v.20.21.p.239.ſ.v.22.23.p.241.v.24.—26.p.242.v.27.p.243.ſ.v.28.p.244.ſeqq.v.29.—31.p.246.ſ.XV.v.1.ſeqq.p.247.ſeqq.v.2.p.249.v.3.p.250.v.4.5.p.251.v.6.7.p.252.v.8.—10.p.253.v.11.12.p.254.v.13.p.255.v.14.15.16.p.256.v.17.—27.p.257.—260.

XVI.v.1.ſeqq.p.261.ſeqq.v.2.p.262.v.3.4.p.263.v.5.6.7.p.264.v.7.—11.p.265.v.12.13 p.266.ſeq.v.14.—16.p.269.v.17.—19.p.270.v.21.p.271.v.23.24.p.272.v.25.26.p.273.v.27.28.p.270.274.v.29.—31.pag.275.v.33.pag.276.XVII.v.1.ſeqq.p.277.ſeqq.v.2.p.281.ſ.v.3.p.284.ſeqq.v.4.p.287.v.5.p.288.v.6.p.289.v.7.—11.p.290.—292.v.12.p.294.387.v.13.14.p.295.v.15.16.17.p.296.v.18.19.p.297.v.20.p.298.992.v.21.p.293.299.v.23.p.299.v.24.p.972.v.25.26.p.300.

Cap.XVIII.v.1.p.277.310.317.v.2.p.319.v.3.p.384.v.4.5.6.p.386.v.7.8.9.p.387.v.10.p.396.ſ.v.11.p.408.v.12.p.384.413.v.13.p.413.ſ.416.ſeqq.v.14.p.3.v.15.p.438.v.16.p.439.v.17.p.440.v.18.p.439.v.19.20.p.420.v.21.22.p.421.v.23.p.422.v.24.p.415.v.25.26.p.441.v.27.p.442.v.28.p.141.512.ſeqq.v.29.30.p.514.v.31.p.515.521.524.ſeqq.v.32.p.526.v.33.p.527.ſeq.v.34.p.528.v.35.p.529.v.36.37.p.530.ſ.v.38.p.531.ſeqq.v.39.p.138.555.ſeqq.575.v.40.p.563.

Cap.XIX.v.1.p.575.ſ.v.2.p.596.ſeqq.635.v.3.p.677.v.4.p.678.v.5.p.586.678.v.6.p.679.v.7.p.680.v.8.p.681.v.9.10.p.682.v.11.p.683.v.12.p.685.v.13.p.688.878.v.14.p.142.691.766.ſ.v.15.p.692.698.v.17.p.715.734.v.18.p.837.v.19.p.839.ſeqq.866.873.v.20.p.878.881.v.21.p.881.v.22.p.866.881.v.23.p.886.901.v.24.p.909.ſeqq.926.v.25.p.979.v.26.p.203.980.v.27.p.981.983.v.28.p.988.v.29.p.945.v.30.p.989.993.v.31.p.148.149.1038.v.32.p.1041.ſeqq.v.33.p.1047.v.34.p.1049.ſeqq.v.35.p.1084.v.36.p.119.1047.v.37.p.1096.v.38.p.1109.1114.ſ.v.39.p.1119.ſ.v.40.p.1124.1131.v.41.p.1135.ſ.42.p.1108.

Cap.XX.v.6.p.1131.v.7.p.1126.v.12.p.538.v.17.p.270.XXI.v.7.&20.p.203.v.24.p.203.1084.

ACTA APOSTOLOR.

Cap.I.v.10.p.538.v.12.p.32.138.v.13.p.80.v.18.p.463.486.ſeqq.v.19.p.461.II.v.15.p.775.v.27.p.996.v.33.p.1099.v.41.p.970.III.v.1.p.775.v.17.p.969.IV.v.4.p.970.V.v.40.p.518.VII.v.58.p.518.

Digitized by Google

p. 518. 713. v. 60. p. 970. IX. v. 2. p. 518. v. 19. p. 380. v. 37. p. 1120. X. v. 3. & 9. p. 775. v. 30. p. 538. v. 41. p. 157. XII. v. 12. p. 80. XIV. v. 12. p. 664. v. 13. p. 426. XVI. v. 22. p. 596. XIX. v. 12. p. 1126. v. 33. p. 719. XX. v. 28. p. 1096. XXI. v. 36. p. 692. v. 40. p. 878. XXII. v. 4. 5. p. 518. v. 22. p. 692. v. 24. 25. p. 577. 584. XXIII. v. 27. p. 519. 521. XXIV. v. 5. 6. 7. p. 519.

EPIST. AD ROMANOS.

Cap. V. v. 10. p. 255. VIII. v. 15. p. 328. ſeq. v. 32. p. 8. v. 34. p. 274. IX. v. 1. p. 1084. XVI. v. 13. p. 719. v. 16. p. 390.

I. AD CORINTHIOS.

Cap. II. v. 8. p. 967. X. v. 19. p. 184. v. 21. p. 185. XI. v. 23. ſeqq. p. 179. ſeqq. v. 24. p. 191. v. 25. p. 160. 189. v. 26. p. 191. v. 27. 29. p. 180. XIII. v. 12. p. 285. XIV. v. 16. p. 971. v. 21. p. 260. XV. v. 6. p. 315. XVI. v. 20. p. 390.

II. AD CORINTH.

Cap. I. v. 24. p. 215. II. v. 2. p. 698. V. v. 7. p. 120. ſ. v. 15. p. 8. XI. v. 24. p. 518 593. XII. v. 4. p. 970.

EP. AD GALATAS.

Cap. III. v. 13. p. 715. IV. v. 6. p. 328. ſ.

EP. AD EPHESIOS.

Cap. IV. v. 3. p. 293. V. v. 2. p. 118. VI. v. 4. p. 329.

EP. AD PHILIPPENSES.

Cap. II. v. 2. p. 292.

EP. I. AD THESSALON.

Cap. III. v. 13. p. 1103.

EP. I. AD TIMOTHEUM.

Cap. II. v. 6. p. 8. V. v. 10. p. 170.

EP. AD TITUM.

Cap. III. v. 6. p. 1099.

EP. I. PETRI.

Cap. I. v. 2. p. 89. v. 18. 19. p. 85. 1095.

I. JOHANNIS.

Cap. I. v. 7. p. 1096. II. v. 1. p. 274. V. v. 6. & 8. p. 1091

EP. AD HEBRÆOS.

Cap. II. v. 14. p. 354. V. v. 7. p. 966. VII. v. 25. p. 274. IX. v. 3. p. 1016. v. 12. p. 1096. X. v. 28. p. 559. v. 32. p. 543. XI. v. 37. p. 906. XII. v. 15. p. 760. XIII. v. 12. p. 713. v. 15. p. 760.

EP. JACOBI.

Cap. II. v. 2. p. 547.

APOCALYPSIS.

Cap. I. v. 7. p. 1099. 1106. II. v. 7. p. 976. III. v. 14. p. 971. XIII. v. 10. p. 400. XVII. v. 4. p. 598. 605.

INDEX SCRIPTORUM.

ABrami (Nicolai) *Notæ ad Nonni Paraphraſin Evang. S. Joh.* 204
Achilles Tatius. 556
Actuarius, *Medicus antiq.* 263. 1068
Adami Bremenſis *Hiſtor. Eccleſ.* 174
Ado Scriptor *Chronici.* 508. *Martyrologii.* 748. 1045. 1055 1118

Adorni

Adorni (Celſi) *Epiſt. ad Joh. Talentonium.* 807.
Adrichomii (Chriſtiani) *Theatrum terræ S.* 65. 276. 461. ſ. 498. 690. 736 826. 1026
Ægineta (Paulus) *Med. Antiq.* 959 1069
Æliani *Varia Hiſtoria.* 395. 598. 601 634
Aetius. *Med. antiq.* 954. 1069. 1121
Affelmanni (Joh.) *Reſolutio ſeptem verborum Chriſti.* 774
Agathias. *Hiſtor. Gr.* 860. 1064
Agricola (Georgius.) *de Peſte.* 363
Aimoini *Hiſtoria Francor.* 897
Albaſpinæus (Gabriel) *de Veteris Eccleſiæ ritibus.* 394
Albertinus (Edmundus) *de Eucha-riſtia.* 495
Alberti Abbatis Stadenſis *Chronicon.* 174. 489. 593. 657. 668. 823
Alberti Com. de Lewenſtein *Itinerarium.* 743
Albrecht (Joh.) *Paſtor Hildeſ.* 375
Aldini (Tobiæ) *Hortus Farneſianus.* 958
Aldrovandus (Vlyſſes) *de Piſcibus* 616
ab Ales (Alexander) 1077
Alexander monachus *de Inventione Crucis.* 748
Allatii (Leonis) *Animadverſiones in Antiquitat. Etruſcar. fragmenta ab Inghiramio edita.* 864. 872. Ejusd. *Epiſt. ad Barth. Nihuſium.* 783
Alſtedii (Joh. Henr.) *Præcognita Theol.* 776
Amalarius Fortunatus *de Eccleſiaſt. Officiis.* 394. 662
ab Amama (Sixtini) *Antibarbarus Biblicus.* 643. 909
Ambroſius. 4. 11. 48. 72. 79. 83. 92. 96 100. 122. 166. ſ. 170. 176. 280. 285 300. 321. 334. 390. 392. 410. 447. 459 498. 534. 541. ſ. 561. 632. 643. 683 693. 707. 716. 719. 741. 748. 761 781. 808. 815. 824. 856. 870. 933. 935 939 981. 1018. 1026. 1071. 1085. 1091.
Ammianus Marcellinus. 538. 627
Ammonius *Grammat. Gr.* 306
Ammonii Alexandr. *Canones Evangelici.* 180. 351
Anaſtaſii Sinaitæ *Anagogicæ Contemplationes.* 351
Anſelmus. 59. 84. 352. 391. 894.
Antiochus Sabbaita. 921
Antonini *Itinerarium.* 41. 861
Apicius (Cælius) *de re culinaria.* 959
Appianus. *Hiſtor. Gr.* 832
Apulejus. 202. 490. 540. 580. 600 642. 692. 757. 855. 882. 1042
Arator, *Poeta Chriſtianus.* 462. 496
Aretæus, *Med. antiq.* 1069
Aringhi (Pauli) *Roma Subterranea.* 655. 802. 812
Ariſtophanes. 641
Ariſtoteles. 342. 345. 360. 610
Arnobius. 585. 701. 1147
Arnoldus Abbas Bonavillerenſis. 739
Arnoldi Abbat. Lubec. *Chron. Slavorum.* 823
Arriani *Differt. in Epictetum.* 432. 761

de

Digitized by Google

— *de expedit. Alexandri M.* 217. 306
Artemidori *Oneirocritica.* 598. 621. 715. 761
Athanaſius. 38. 74. 92. 245. 286. 293. 343. 643. ſ. 721. 739. 811. 836. 886. 930. 932. 990. 1007. 1098
Athanaſius junior *de paſſione Imaginis Chriſti in Beryto.* 1071
Athenæus. 19. 21. 62. 216. 306. 581. 599. 799. 842. 1121. 1148
Auctor *Apologiæ pro Henrico IV.* 924
Chronicæ Slavicæ. 398. 667
Chronici Alexandrini. 770
Commentar. in Pſalmos. 470
Comm. in Marcum. 454
Compilationis Chronol. 508. 821
de Cardinalibus Chriſti operibus. ſæpius.
Hiſtoriæ Scholaſticæ. 637. 783
Homiliar. in Cant. Cantic. 392
Manualis Auguſtino tributi. 1054
Michlal Jophi. 643. 985
de Mirabilibus S. Script. 1023
Monumentor. Paderborn. 489
Operis imperfecti. 534
Quæſtionum V. & N. Teſt. 398. 454
Libelli *de Reſpirat. utilitate.* 361
Tragœdiæ Chriſtus patiens. 496. 806. 955. 1081. 1094
Vitæ Godefridi Cappenberg. 489
Auguſtinus. 11. 19. 34. 75. 84. 92. 100. 154. 159. 161. 166. 171. ſeqq. 194. ſ. 208. 210. ſ. 238. ſeqq. 245. 250. 257. ſeqq. 277. ſeqq. 282. 285. ſ. 292. 298. 300. 307. 323. 325. 334. 377. 385. 391. 414. 422. 424. 444. 448. 450. 462. 467. 471. ſ. 497. 500. ſ. 514. 530. 543. 558. 586. 644. 660. 666. 697. 707. 716. ſ. 722. 742. 744. 760. 762. 772. ſ. 844. 882. 904. 923. 930. 957. 976. 979. 989. 992. 995. 1005. 1009. 1018. ſ. 1028. 1031. 1037. 1043. 1054. 1067. 1090. ſ. 1134
Aurelianus (Cælius) *Med. antiq.* 487.
Auſonius. 624. 629

B.

Baccius (Andreas) *de Gemmis.* 615
Bailii (Roberti) *Opus Hiſtorico-Chronologicum.* 770. 776
Balæi (Joh) *Centuriæ Scriptor. illuſtrium.* 106
Bangerti (Henr.) *Notæ ad Helmoldum.* 720. Ejusd. *Commentatio de vita Anton. Coleri Coſ. Lub.* 728
Barbari (Hermolai) *Notæ ad Plin.* 592
Barcephas (Moſes) *de Paradiſo.* 745
Bardi (Hieron.) *Epiſt. ad Thomam Bartholinum.* 950. 959. 1088
Barlæus (Caſpar) 1073
Barletius (Martinus) *de vita Scanderbegi.* 364
Baronii (Cæſar.) *Annales Eccleſ.* 10. 12. 16. 23. 25. 40. 131. 141. 162. ſeqq. 185. 200. 308. 318. 389. 410. 413. 428. 472. 712. 756. 758. 768. 814. 826. ſ. 878. 880. 895. 1021. 1044. 1058
Notæ ad Martyrolog. Rom. 860.
Barradii (Sebaſt.) *Harmonia Evangelica.* 67. 157. 180. 724. 776. 1143

Barthii (Caſp.) *Adverſaria*. 472. 477. 504. 575. 625. 849. 852. *Commentar. ad Claudianum*. 427. *Commentar. ad Papin. Statium*. 427. 621
Bartholini (Caſp.) *Inſtitutiones Anatomicæ*. 1078. 1089
—(Thomæ) *Anatom. reformata*. 1089 *de Latere Chriſti aperto*. 670. 729. 950. 959. 1081. 1089. *de Cruce Chriſti cum aliquot hypomnemat*. 362. 375. 653. 753. *Conſilium medicum de Cometa*. 489
Baſſi (Caſſiani) *Geoponica*. 959. 961
Baſilius Magnus. 92. 287. 334. 760. 829
Bauhini (Joh.) *Hiſtoria Plantarum* 648
Bayſius (Lazarus) *de re veſtiaria*. 1130
Becani (Joh. Goropii) *Hieroglyphica*. 787
Becmanni (Chriſtiani) *Origines Linguæ Latinæ*. 841
—Joh. Chriſtoph) *Diſſ. de Prodigiis Sanguinis*. 375
Beda. 21. 78. 80. 92. 149. 153. 185. 214. 270. 286. 343. 377. 381. 410. 497. ſ. 570. 575. 592. 677. 735. ſ. 781. 801. 828. 839. 861. 875. 1053. 1071. 1083. ſ. 1128. 1140. Ejusd. *Hiſtoria Anglicana*. 105. ſ. 109. ſ. 544. 661. *Martyrologium*. 1043
Bellarminus (Rob.) 180. 215. 351. 378. 782. 802. 920. 976
Bellonii (Petri) *Obſervationes*. 649. 780
Benedicti (Alex.) *Hiſtoria partium corporis humani*. 362
Benivenii (Antonii) *Obſervationes medicæ*. 362
Bergius (Chriſtian.) *de Epiſtolis Eccleſiaſticis*. 102
Berneggeri (Matthiæ) *Notæ ad Sueton*. 427 *Notæ ad Juſtinum*. 217. 835
Bernhardus. 11. 31. 231. 255. 352. 377. 381. 497. 660. 965. 972. 988. 993. 1031. 1071. 1091. 1147.
Bertini (Georgii) *Compendium medicinæ*. 1088
Beverovicii (Joh.) *Quæſtiones Epiſtolicæ*. 963. *Epiſt. ad Thomam Bartholinum*. Ibid.
Beza (Theodorus) 80. 326. 350. 416. 470. 571. 690. 753. 769. ſ. 933. 950. 985. 997. ſ.
Bibliander (Theodorus) 1130
Binii (Severini) *Tomi Concilior*. 171
Biſciolæ (Lælii) *Horæ Succiſivæ*. 203
Bleſenſis (Petri) *Epiſtolæ*. 765
Blondelli (Dav.) *Apologia pro ſententia Hieron. de Epiſcopis & Presbyteris*. 495
Bocharti (Sam.) *Geographia Sacra*. 311. *Hierozoicon*. 32. 36. 91. 135. 139. 141. 720. 766. 953
Boiſii (Joh.) *Commentar. in IV. Evangeliſtas*. 446. 770
Bollandi (Joh.) *Epiſt. ad B. Nihuſium*. 812
Bonaventura. 762. 1072

Bootii

Bootii de Boot (Anſelmi) *Hiſtoria Gemmarum.* 615
Borelli (Petri) *Hiſtoriæ & Obſervat. medico-phyſ.* 364
Boſii (Jac.) *Sculptura Ægyptiaca.* 787 *de Cruce triumphante.* 803.858.871
Boſius (Joh. Andreas) 103.723.883
Boterei (Rudolphi) *Commentar. Hiſtorica.* 725
Breidenbachi (Bernh.) *Itinerarium in Terram S.* 318.745.1140
Brentius (Joh.) 216.312
Brigittæ *Revelationes.* 581.590.592.595.655.658.722.763.810.1072.1075
Briſſonius (Barnabas) *de Formulis pop. Romani.* 589.701.859. *de Jure connubiali.* 842. *de Nuptiis Veterum Romanor.* 654. *de regno Perſarum.* 217.427.626.720 974
Brocardi monachi *Deſcriptio Paleſtinæ.* 312.461
Brodæi (Joh) *Miſcellanea.* 197
Brugenſis (Franciſci Lucæ) *Notæ in S. Scripturam.* 185.379.809.1070
Bucerus (Martinus) 181
Buchneri (Auguſti) *Notæ ad Plinii Epiſt.* 848
Budæus (Gvil.) *de Aſſe.* 623. Ejusd. *Commentarii Græcæ Linguæ.* 862
Bulengeri (Jul. Cæſ.) *Hiſtoria ſui temporis.* 725. *de Conviviis.* 203
Burchardi de monte Sion *Deſcriptio terræ S.* 319 327
Burgenſis (Pauli) *Additiones ad Nic. Lyram.* 85.148.309
Burtoni (Gvil.) *Lipſana Linguæ Perſicæ.* 720
Buxtorffii (Johannis) P. *Lexicon Talmudicum.* 145.155.309. *Synagoga Judaica.* 145.579.
-- (Filii) *Vindiciæ Veritatis Ebraicæ* 1098. *de ritibus primæ Cœnæ Dominicæ.* 158
Bzovii (Abrah.) *Annales Eccleſ.* 110

C.

Cæſarius. 948
Cajetanus (Thomas) 187.375.428 ... 769.907
Calixti (Georgii) *Concordia Evangeliſtar.* 148.284.317.350.471.378 777.1142. *Prælectiones de Cruce.* 798
Calvinus (Joh) 181.295.314.338.465 911.913.948.986.1035.1083.1085
Calviſii (Sethi) *Chronologia.* 97
Camerarii (Joach.) *Annotat in N.T.* 770.949
Caninius (Angelus) *de Vocibus Hebraicis N.T.* 317.734
Cani (Melch.) *Loci Theolog.* 769
Caniſii (Henrici) *Tomi Antiquæ Lectionis.* 319.431
-- (Petri) *Hiſtoria Deiparæ Virg.* 885
Capella (Martianus) *de Nuptiis Philologiæ.* 600.624
Capelli (Lud.) *Critica Sacra.* 466 *Spicilegium in N.T.* 318.328
Capitolinus (Jul.) *Scriptor Hiſtor. Aug.* 601.835

Cardanus (Hieron.) *de Subtilitate.* 618

Cartwrigthi (Thomæ) *Harmonia Evangelica.* 383

Caſalius (Joh. Bapt.) *de veter. ſacris Chriſtianorum ritibus.* 394

Caſauboni (Iſaaci) *Exercitationes in Baronium.* 20. ſeqq. 141. ſ. 148. ſ. 162. 203. 277. 318. 417. 495. 537. 555. 647. 694. 734. 751. 755. ſ. 771. 777. 788. 850. 859. 879. ſ. 884. ſ. 890. ſ. 894. ſ. 905. 943. ſeqq. 950. 959. 1017. 1021. 1044. 1081. 1094. 1112. 1137. 1140. 1142. *Notæ ad N. Teſt.* 20. 1124. 1127. *Commentar. in Scriptores Hiſtor. Aug.* 627. *Animadverſiones ad Athenæum.* 641. *Commentar. in Theophraſti Characteres.* 438

Caſellii (Joh. Durantii) *Variæ Lectiones.* 842

de Caſſia (Simon) *de Geſtis Salvatoris.* 165. 324. 682

Caſſianus. 940. 972

Caſſiodori *Variæ Epiſtolæ,* 609. ſ. 620. 847. 1149. *Chronicon.* 560. *de divinis lectionibus.* 674

Caſtellio (Sebaſtianus) 688

a Caſtro (Chriſtoph.) *Comm. in Prophetas minores.* 1104

Catharini (Ambroſ.) *Vita Catharinæ Senenſis.* 332

Cedreni *Compend. Hiſtoricum.* 17. 21. 130. 340. 822

Celſus (Corn.) *de re medica.* 486. 864. 958

Cenſorinus *de die natali.* 443

Centuriæ Magdeburg. 233. 372. 776

de la Cerda (Ludov.) *Comm. in Virgilium.* 427

Chamier (Dan.) *Panſtratia Cathol.* 17. 102

Chemnicii (Mart.) *Harmonia Evangelica.* 148. 203. *de S. Cœna.* 190. *de duabus naturis in Chriſto,* 373. *Loci Theolog.* 372

Chifletius (Joh. Jac.) *de Linteis Chriſti ſepulcralibus.* 724. 1072. 1128. 1131

Chlichtovei (Jodoci) *Elucidatorium Eccleſiaſt.* 15

Chryſoſtomus. 11. 14. 36. 68. 133. 143. 166. 186. 228. 245. 270. 279. 283. 287. 299. 307. 321. 331. 390. 410. 438. 461. 496. 512. 543. 560. 566. 594. 627. 641. 678. 684. 702. 704. 707. ſ. 716. 731. 742. 777. 788. 873. 890. 894. 903. 911. 931. 939. 941. 964. 1007. 1022. 1033. 1080. 1091. 1120. 1150

Chryſologus (Petrus) 354

Ciacconius (Petrus) *de Triclinio* 202

Cicero. 436. 531. 539. ſ. 583. 585. 611. 617. 619. 637. 701. 832. 844. 951. ſ. 1005. 1042. 1118. 1147

Clarii (Iſidori) *Scholia in S. Scriptur.* 211. 1109. 1136

Claſenii (Dan.) *Exercitat. ſacræ ad Paſſionem Domini.* 168. 579

Claudianus. 618. 620. 626

Clemens Alexandrinus. 73. 307. 543. 644. 666. 829

Clemens Romanus. 11. 72

Cloppenburgii (Joh.) *Diatriba Epiſtol. de Paſchate.* 134
Cluſii (Caroli) *Hiſtoria Plantar.* 608
Cluverii (Joh.) *Epitome Hiſtoriar.* 725
Coci (Rob.) *Cenſura Scriptor. apocryphorum.* 1001
Cocceji (Joh.) *Notæ in Cod. Talmud. Maccoth.* 579. Ejusd. *Comm. in Prophetas minores.* 1097
Codex Theodoſianus. 543. 559. ſ. 846
Codrus (Anton.) Vrceus. 1057
Coleri (Chriſtoph.) *Parerga Juris.* 545
Collius (Franc.) *de Sanguine Chriſti.* 376. 814. 1076
Columella *de re ruſtica.* 689
Columna (Fabius) *de Purpura.* 611 Ejusd. *Phytobaſanus, ſ. Hiſtoria Plantar.* 958
Comeſtor. (Petrus) 1001
Concilium *Africanum.* 565. *Aquisgranenſe.* 173. *Arauſicanum.* II. 940 *Bracarenſe.* I. 501. *Bracar.* II. 103. *Carthagin.* III. 102. *Carthagin.* IV. 104. *Conſtantinopolit.* 340. ſ. *Eliberinum.* 171. *Nicænum.* 99. 103. *Roman.* 340. *Valentinianum.* 502
Conringii (Herm.) *Epiſtolæ.* 69. *Notæ ad Paſſion. Dn.* 353. 366
Contracti (Herm.) *Chronicon.* 820
Conzen (Adami) *Commentar. in Evangeliſtas.* 399. 1017
Coqveji (Leonh.) *Notæ ad Auguſtinum de Civ. Dei.* 1097
Corderii (Balth.) *Catalogus Græcor. Patrum.* 376
Corippus. *Poeta.* 604
Cornarii (Jani) Theologi *Vitis vinifera.* 248
—Medici *Emblemata ad Dioſcoridem.* 607. 638. 648. 961
Cornutus (Galterus) *de ſuſceptione Coronæ ſpineæ.* 658. ſ. 667
Corpus Juris Civilis. 404. 526. 551 560. 574. 595. 600. 609. 627. 693 843. 845. ſ. 851. 860. 901. 1039 1115
Corpus Juris Canonici. 98. 102. ſ. 230. 1082.
Coſmæ Hieroſolym. *Hymni.* 941
Cottæ (Catelliani) *Memoralia Juris.* 577
Craſſus (Jun.) Paulus) *Med. Patavinus.* 1068.
Croji (Joh.) *Obſervat. ad N. Teſt.* 848.
Cruſius (Martinus) 509
Cujacii (Jac.) *Obſervationes.* 434 849
Curtius. *Hiſtor.* 216. 538. 831. 852 854. 1066
—(Corn.) *de Clavis Dominicis.* 802 814. 827
Cyprianus. 122. 160. 169. 285. 351. 393 404. 435. 500. 505. 534. 582. 697 777. 923. 1093
Cyrillus Alexandrinus. 19. 180. 222 ſ. 228. 238. 245. 270. 285. 287. 292. 319. 343. 381. 414. 416. 438. 877. 882 903.

Digitized by Google

903. 922. 947. 1017. 1019. 1039 1084. 1090
Cyrillus Hieroſolym. 40. 92. 180 391. 735. 819. 937. 1071

D.

Dalechampii (Jac.) *Notæ ad Plinii Hiſt. N.* 623. 638. 840. 893
Dallæus, (Joh.) *de ſcriptis Dionyſio Areopag. & Ignatio tributis.* 1001 *de Jejunio & Quadrageſima.* 495
Damaſcenus (Joh.) 80. 92. 236. 245 321. 341. 381. 828. 995. 1091
Daniel (Petrus) *edidit Servium in Virgil.* 654
Dannhaueri (Joh. Conr.) *Idea boni Interpretis.* 776
Delrio (Martinus) 642
Demoſthenes. 571
Dempſteri (Thomæ) *Paralipom. ad Roſini Antiq. Rom.* 203. 627
Dextri (Flavii) *Chronicon.* 567. 571
Diaconus (Paulus) *de geſtis Romanor.* 341. *de geſtis Longobardor.* 544 828
—(Petrus) *Scriptor Chron. Caſſinenſis.* 174
Didymus Alexandrinus *de Spiritu Sancto.* 205
de Dieu (Ludov.) 30. 310. 463. 547 632. 724. 774. 906. 951. 956. 1060 1127
Dilherri (Joh. Mich.) *Dialogi Philologici.* 427. *Diſp. Academicæ.* 358 546. 571. 1125. *Notæ in Canticum Cantic.* 659. *de Cruce.* 1089
Dio Caſſius. *Hiſtoricus Gr.* 585. 601 603. 605. 615. 711. ſ. 835. 851. 856 1065
Diodorus Siculus. *Hiſtoricus Gr.* 39 216. 622. 858. 974. 1064
Dionyſius Areopagita. 542. 829. 999. ſ.
— Carthuſianus. 285. 391. 920 1091
— Halicarnaſſenſis. *Hiſtoricus Gr.* 406
Dioſcorides *de materia medica.* 18 353. 606. ſ. 639. 645. ſeqq. 651. 656 672. 864. 951
Diterichi (Joh. Conr.) *Antiquitates Biblicæ.* 546. 720
Dodonæi (Remberti) *Hiſtoria Stirpium.* 647. 958. *Obſervationes medicæ.* 363
Dominicus (M. Antonius) *de Sudario capitis Chriſti.* 1129
de Dominis (M. Anton.) *de Rep. Eccleſiaſtica.* 126. ſ. 131. 204
Donati (Marcelli) *Hiſtoria medica mirabilis.* 362
Dorſchei (Joh.) *Tunica Chriſti inconſutilis.* 895. ſeqq.
Douzæ (Jani) *Præcidanea ad Petronium.* 842
Dracontius *Poeta Chriſtianus.* 631
Drexelii (Hierem.) *de morte Chriſti.* 370. 649. *Deliciæ Gentis Hum.* 593 711
Druſii (Joh.) *Quæſtiones ac Reſponſiones.* 145. *Præterita.* 317. *Notæ ad Siracidem.* 216. *Commentar. ad voces*

ces Ebraicas N. T. 317. 328. Annotation. in N. T. 585. 1097
Dubravii (Joh.) Hiſtoria Bohemica. 668
Ducæi (Frontonis) Notæ ad Paulinum. 748
Duſcheſne (Franc.) Scriptores Hiſtoriæ Francor. 658
Dudulæi (Chryſoſt.) Epiſt. de Judæo immortali. 725
Durantii (Conſalvi) Notæ ad Brigittæ Revelationes. 763

E.

Eberhardus Bethunienſis contra Waldenſes. 662
Eckſtormii (Henr.) Chron. Walckenredenſe. 657
Egeſippus. 378
Eiſenberg (Jac.) de Papiſtarum reliquiis. 827
Eligii Homiliæ. 76
Elmenhorſtii (Geverhardi) Notæ ad Arnobium. 835
L' Empereur (Conſtantini) Notæ ad Tit. Cod. Talmud. Middoth. 417
Ephræm Sermones. 1022
Epiphanius. 42. 51. 74. 133. 267. 292. 324. 350. 355. 380. 469. 500. 740. 894. 909. 933. 1120
Eraſmus Roterodamus. 79. 187. 314. 328. 330. 353. 416. 465. 470. 479. 985. 997. 1079. 1126. 1146
Eremitæ (Dan.) Iter. 512
Eſtii (Gvil.) Comm. in S. Scriptur. 776
Etymologicum Magnum. 321. 602. 621. 862. 973
Evagrii Hiſtor. Eccleſ. 321
Eucherius Lugdunenſis. 428. 735
Eulogii Apologet. pro Martyribus. 941
Euripides. 534
Euſebii Hiſtoria Eccleſ. 94. 97. 99. 100. 129. 267. 279. 417. 495. 507. 584. 591. 594. 702. 857. 1003. 1026. 1043. de vita Conſtantini. 747. 1140. de Martyribus Palæſtinæ. 559. 575. Chronicon. 1002. 1021. de Præparatione Evangel. 307. de Demonſtratione Evangelica. 469. 1020. 1102
Euſtathii Com. in Homerum. 62. 326. 438. 580. 779
Euthymius. 11. ſ. 133. 154. 228. 254. 273. 283. 299. 323. 331. 352. 484. 492. 758, 885. 894. 903. 921. 932. 1019. 1091
Eutropius Hiſtor. Lat. 604. 609

F.

Fabri (Jacobi) Stapulenſis de tribus Magdalenis. 15. Ejusd. Comment. in Evangeliſtas. 201. 297
-- (Petri) Semeſtria. 427. 627. 714. 835
Fagius (Paulus) 694
Felini (Aretii) ſ. Buceri Comm. in Pſalmos. 912
Feltmann (Gerh.) de Titulis Honorum. 841. 854

Ferra-

Ferrarius (Bernardinus) *de Epiſtolis Eccleſiaſticis.* 102
--(Octav.) *de re veſtiaria* 545.604 627.631.886
Ferrerii (Vincentii) *Sermones.* 940 1078
Feri (Joh.) *Commentar. in N.Teſt.* 348.926.986
Feſtus *Grammaticus.* 625.688 893 1053.1064.
Fevardentii (Franc.) *Notæ in Irenæum.* 801
Firmicus (Jul.) *de errore prof. relig.* 798
Fiſcheri (Joh.) *libri pro una Magdalena.* 16
Flacii (Matthiæ) *Gloſſæ ad N. Teſt.* 1085. *Clavis S. Scripturæ.* 203
Florus. 625.1065
Folengii (Joh. Bapt.) *Comm. in Pſalmos.* 920
Fontani (Nicol.) *Epiſt. ad Joh. Jac. Chifletium.* 763.807
Fornerii (Radulphi) *Res quotidianæ* 835
Forſteri (Joh) *Lexicon Hebraicum.* 760
Freculphi *Chronicon.* 504
Fredegarii Scholaſtici *Chronicon.* 897
Freinſhemii (Joh.) *Notæ ad Juſtinum.* 831
Friſingenſis (Ottonis) *Chronicon.* 172
Friſchmuthii Diſſ. *de Agno Paſchali.* 114.ſ.118. *de diviſione S. Script. in legem, Prophetas & Hagiographa.* 580. *de Ligatione Iſaaci.* 644. *de flebili Meſſiæ in cruce gemitu.* 911 985. *de Meſſia confixo eoque inſtar unigeniti Filii plangendo.* 1100
Fuhreri (Chriſtoph.) *Itinerarium.* 783
Fulgentius. 154.325.457
Fulleri (Nicol.) *Miſcellanea ſacra.* 805
Fungeri (Joh.) *Etymologicum.* 778 781

G.

Galatinus (Petrus) *de Arcanis Catholicæ veritatis.* 755.830
Galenus (Claudius) *Medicus antiq.* 20.353.612.753.1087
Gariopontus *Medicus.* 959
Geierus (Martin.) *de Luctu Ebræorum.* 1036
Gellii (Auli) *Noctes Atticæ.* 442. 589.591.621.774.842.974.1065 1147
Gemiticenſis (Gvil.) *de Ducibus Normannis.* 660
Genebrardus (Gilbertus) 986
Gerhardi (Joh.) *Harmonia Paſſionis Chriſti.* ſæpius.
--(Joh. Ern.) *Analecta ad Matth.* 635
Germani Epiſc. Cpolit. *Theoria myſtica rerum Eccleſiaſticarũ.* 662.ſ. *Orationes.* 742.895
Gerſon (Joh.) 134.404.426.587 595.894

Ger-

Gervaſii Tilberienſis *Otia Imperialia.* 506. 661
Geſneri (Conr.) *Hiſtoria Animalium.* 612. 614. *Deſcriptio montis Pilati.* 512
Glaſſii (Salom.) *Philologia Sacra.* 358. 643. 776.
Gloſſæ veteres. 559. 689. 779. 1148
Cyrilli. 438. Philoxeni. 1064. 1148
Gloſſa ordinaria. 280. 286. 469. 987
Goelnitz (Abrah.) *Vlyſſes Gallo-Belgicus.* 503. 509
Goffridus Abbas Vindocinenſis. 839. 939. 941. 1083
Golius (Jac.) 962
Gomarus (Franc.) 479
Gonzagæ (Franc.) *Hiſtoria Seraphica.* 899
Gregorius Magnus. 11. 4. 10. 716. 970. 1032
Gregorii IX. *Epiſtolæ.* 229
Gretſerus (Jac.) *de Cruce.* 378. 649. 783. 802. 841. 844. 851. 869. 871. 873. 1074.
Grotii (Hugonis) *Annotat. in S. Script.* ſæpius.
– Poema, *Chriſtus patiens.* 956. *de Veritate religionis Chriſtianæ.* 722
Gvaltperii (Ottonis) *Sylloge vocum exoticar. N. Teſtam.* 578
Gvicciardinus (Franc.) 175
Gvilandinus (Melchior) *de Papyro.* 669
Gvilielmus Epiſc. Tornac. *de Vellere aureo.* 659

H.

Haackius (Joh. Dan.) *de Titulo Crucis Dominicæ.* 883
Hackſpanius (Theod.) 549. *de vario ſcriptorum Judaicor. uſu* 978
Hamartoli (Georgii) *Chronicon. Gr.* 748
Hammondus (Henr.) *de Epiſcopis contra Blondellum.* 495
Harpocration, *Grammat. Gr.* 854
Hartungi (Joh.) *Loca memorab. ex optimis auctoribus excerpta.* 19
Haymo 311. 322. Ejusd. *Hiſtor. Eccleſiaſt.* 506
Hedionis (Caſp.) *Paralipom. ad Abbatem Vrſpergenſ.* 987
Heinſii (Dan.) *Exercitationes in N. T.* 220. 865. 948. 1028. 1063. *Ariſtarchus S. in Nonnum.* 1046. 1082
Heiſterbacenſis (Cæſarii) *Hiſtoriæ memorabiles.*
Helduaderi (Nicol.) *Sylva Chronol. Circuli Balthici.* 725
Helmoldi *Chron. Slavorum.* 705
Helmontius (Joh. Bapt.) 759
Henelii (Nicol.) *Otium Vratislavienſe.* 545
Hentenii (Joh.) *præf. in Euthymium.* 148
Heraldi (Deſiderii) *Adverſaria.* 217
Comm. ad Martialem. 616. 1036
Herodianus *Hiſtor. Gr.* 626. 835
Herodotus. 19. 571. 876. 1062. 1125. 1130
Hervetus (Gentianus) 645
Heſychius *Grammat. Gr.* 405. 490. 622.

Digitized by Google

622. 673. 778. ſ. 799. 851. 860 951. 961. 1061

Hieronymus. 4. 11. 30. 41. 65. 68 77. 79. 81. 95. ſ. 101. 129. 154. 195 200. 205. 221. 267. 271. 292. 313. ſ. 317. ſ. 322. 324. 334. 342. 345. 349 351. 381. 386. 390. 425. 429. 435 438 449. ſeqq. 466. 470. 474. 485 497. 540. 585. 592. 649 666. 674 692. 717. 722. 736. 741. 745. 748 757. 786. 824. ſ. 828. 906. 932. 970 977. 982. 987. 1008. 1017. 1020 1022. 1025. ſ. 1029. ſ. 1035. 1093 1097. 1111. 1113. 1136

Hilarius 180. 245. 281. 320. ſeqq. 314 342. 349. 396 428. 447. 459. 461 632. 665. 675. 677. 719. 735. 808 877. 922. 932. 1022. 1025. 1132 1151

Hildani (Gvil. Fabricii) *Obſervat. Chirurgicæ.* 362

Hildebrandi (Joach.) *Rituale Orantium.* 1036

Hippocrates. 353. 537. 668. 1087

Hirtius (Aulus) *de bello Africano.* 832 992

Honorius Auguſtodun. *de Hereſibus.* 500

Hopingk (Theodorus) *de jure Inſignium.* 852

Horatius. 531. 550. 568. 578. 612. 617 ſeqq. 629. ſeqq. 641. 754. 855 1147

Hoornbeckius (Joh.) *de convincendis Judæis.* 726

Horſtii (Gregor.) *Obſervat. medicæ.* 362

ab Horto (Garſias) *de ſimplicibus medicam. apud Indos naſcentibus.* 670

Höſchelius (David.) 696

Hottingeri (Joh. Henr.) *Hiſtoria Eccleſiaſtica.* 726. *Theſaurus Philologicus.* 145. *Exercitationes contra Morinum.* 787

Hugo Carenſis. *Cardinalis.* 400

— de S. Victore. 180

Hulſemanni (Joh.) *Pentagonon Chriſti.* 814

Humbertus Cardin. *de azymo & fermentato contra Nicetam.* 133

Hunnii (Ægid.) *Anti-Paræus.* 914 *Calvinus Judaizans.* 914

Huſſi (Joh.) *Hiſtoria Paſſ. Chriſti.* 839

I.

Ianſenii (Corn.) *Concordia Evangel.* 148. 180. 270. 285. 308. 336. 357. 382 776. 912. 943. 1100

Ianſonii (Jac.) *Vitta coccinea.* 642

Idiotæ *Contemplationes.* 941

Ignatii *Epiſtolæ.* 494. 569

Innocentius III. 801. 941. 1071. 1103

—— IV. 16. 180.

Iordanus (Hieron.) *de eo, quod divinum, aut ſupernaturale eſt in morbis.* 374

Iornandes *de regnorum ſucceſſione.* 397. 494

Ioſephus *Hiſtoricus Gr.* 42. 71. 86. 91 115. ſ. 124. 385. 488. 504. 506. 518. 536 539. 584. 685. 690. 693. 696. 685. 737 761.

Digitized by Google

761.835.962.975.1015. ſ. 1019. ſeqq. 1053.1066. 1113
Irenæus. 83.95.267. 351.500.722. 794 830. 969
Iſidori Hiſpalenſis *Origines.* 405. 434.578. 602. 610. ſ. 613.615. 624 630.688.751.778.788. 1064. *Comm. in Geneſin.* 1091
– Peluſiotæ *Epiſtolæ.* 206.245. 666 891. 894.1026
Iunii (Franc.) *Scholia ad S. Biblia.* 65 ſ. 484. *Parallela.* 918. 984
– (Hadr.) *Animadverſiones.* 622
Ivonis Carnut. *Chronicon.* 504. 508 *Epiſtolæ.* 1071
Iuſtiniani (Laur.) *Sermo de Paſſione.* 809
Iuſtinus Hiſtoricus. 216. 789. ſ. 831 835. 852
– Martyr. 83. 118. 351. 358.391. 543 794. ſ. 829. 967
Iuvenalis. 202. 831. 852
Iuvencus. *Poeta Chriſtianus.* 498

K.

Kentmannus (Joh.) *de Peſte.* 363
Keslerus (Andr.) 475
Kippingius (Henr.) *de Cruce & Cruciariis.* 360.787
Kircheri (Athanaſ.) *Oedipus Ægyptiacus.* 787
Kirchmannus (Joh.) *de Funeribus Romanorum.* 427.616.737.1036 1122. 1124
Kirſtenii (Petri) *Grammat. Arabica.* 1072. *Paraphraſis Arabica Matthæi.* 503
Klotzius (Steph.) *de Sudore Chriſti ſangvineo.* 360
Knachtbull (Nortoni) *Animadverſiones paradoxæ.* 465
Köberi (Joh. Frid.) *Diſſ. de ſanguine Chriſti.* 1095
Kortholtius (Chriſtian.) *de Calumniis Paganorum in vett. Chriſtianos ſparſis.* 697
Krantzii (Alb.) *Metropolis.* 230.402 *Saxonia.* 233. *Vandalia.* 230

L.

Labbeus (Phil.) *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* 739
Lactantius. 83. 85. 405. 504. 621 626. 660.665. 697. 701.705. 831. ſ. 1043. 1048
Lambecius (Petrus) *de Bibliotheca Vindobonenſi.* 872
Lambini (Dionyſ.) *Comment. ad Horatium.* 202
Lampridius (Ælius) *Scriptor Hiſt. Aug.* 606.609.856
Landsbergii (Joh.) *Homiliæ de Paſſione Domini.* 815
Landulphus s. Ludolphus Carthuſianus *de vita Chriſti.* 391. 722 762. 896
Langius (Wilh.) *de Annis Chriſti.* 144
Langus (Joh.) *Juſtini Mart. Interpres.* 358
a Lapide (Corn.) *Comment. in S. Script.*

Digitized by Google

Script. 65.376.379.392.397.577.595 635.649.1097.1104
Laurenbergii (Petri) *Colleg. Anatomicum.* 1088
Laurentii (Andr.) *Hiſtoria Anatom.* 1088
Lazii (Wolfg.) *Commentarii Reip. Romanæ.* 407. 841
Ledeſma (Jac.) *de divinis Scripturis quavis lingua non legendis.* 876
Lemnius (Levinus) *de occultis naturæ miraculis.* 365. *de Herbis Biblicis.* 674
Leo Magnus. 180.205.386.445 457.515.685. 707. 717.722. 1074 1091
Leonis Imp. *Tactica.* 1066
Leptæ (Thraſybuli) s. Andr. Dinneri *Vita Georgii a Seinsheim.* 504
Libavii (Andr.) *Praxis Alchymiæ.* 725 *de metamorphoſi Sanguinis.* 363
Lightfootii (Joh.) *Horæ Hebraicæ & Talmudicæ.* 388. 480.491.709
Limnæi (Joh.) *Notitia Regni Galliæ.* 509
Lipomanni (Aloyſii) *Vitæ Sanctorum.* 1055
Lipſius (Juſtus) *de Cruce* 592.718 765.780. 783.797.801. 809. 814. 835. 854. 927. 1043. 1045. 1079 Ejuſd. *Comment ad Tacitum.* 203 505.714.797.835. *de Militia Romana.* 947. 949. 1064. *Comment. ad Senecam.* 797. *Antiquæ Lectiones.* Lithei (Godefr.) *Sacrificium Veſpertinum.* 810
Livileji (Edoardi) *Opus Chronolog.* 148
Livius. 406. ſ. 436. 541. 556. ſ. 584 588. ſ. 832. 852. 1050. ſeqq.
Liviana Epitome. 216
Lobelii (Matthiæ) *Adverſaria ſtirpium.* 958
Lobkowitii (Joh. Caramuel.) *Epiſt. ad Nthuſium.* 792. 812
Loccenii (Joh.) *Hiſtoria Svecana.* 668. 676. *Antiquitates Sveo-Gothicæ.* 636
Longinus (Velius) *Gram. de Orthographia.* 1056
— (Dionyſ.) *de ſublimi charactere dicendi.* 1056
Longi *Paſtoralia.* 664
Lotichii (Joh. Petri) *Notæ ad Petronium.* 847
Lucanus. 347.490
Lucianus. 538. 580.585.664. 675. ſ. 779. 1153
Lucidus (Joh.) *de die Paſſionis Chriſti.* 148
Lucretius. 407. 550.612. 641.671
Luithprandi *Hiſtoria.* 225
Lutherus (Martinus) 416.446.475 528. 571. 711-746.769.774
Lycophron. 664
Lydii (Joh.) *Analecta ad Nicolaum de Clemangiis.* 720
Lyra (Nicolaus) 11. 187. 285. 287 299.311.320. 439.463.503.570.576 587.637.736.755.883.910.919.980 989.997.1006. 1047.1120

Lyſeri

Digitized by Google

Lyſeri (Polycarpi) *Paraphraſis Paſſionis Chriſti.* 214. 762

M.

Macarii *Homiliæ Gr.* 11. 747. 1098
Macrobius. 443. 602
Maderus (Joach. Joh.) *de Coronis Nuptialibus.* 636
Majoli (Simonis) *Dies Caniculares.* 175
Major (Joh. Dan.) *Notæ ad Fab. Columnam de Purpura.* 611. 628
-- (Joh. Tob.) *Annotat. in Acta Apoſtol.* 969
Maldonati (Joh.) *Comment. in Evangeliſtas.* 65. 141. 148. 180. 189. 209. 270. 326. 336. 363. 376. 579. 771. 903. 1045
Mallonii (Dan.) *Notæ in Palæottum de Chriſti Stigmatibus.* 814. 1078
Mamerani (Nicol.) *Iter Caroli V. ad bellum Smalcald.* 504
Manilii Poetæ *Aſtronomicon.* 642. 673
Mantuani (Joh. Bapt.) Poetæ *Faſti.* 894. 980. 1059
Manutii (Aldi) *Corpus antiquorum Rhetorum.* 306
--(Pauli) *Quæſita per Epiſtolas.* 203
Marcellus Empiricus *Med. antiq.* 650. 652. 954
Marianæ (Joh.) *Res Hiſpanicæ.* 197
Marini (Marci) Lexicon *Arca Noæ* dictum. 815
Marſilii Patavini *Defenſorium Pacis.* 231. ſeqq.
Martialis. 581. 615. 618. 628. & 671. 673. 847. 1127. 1130
Martinii (Matthiæ) *Lexicon Philologicum.* 841
Martini (Raymundi) *Pugio fidei.* 919
Martyr (Petrus) 181
Martyrologium Romanum. 594. 1043
Matthioli (Andr.) *Comm. in Dioſcoridem.* 18
Maurolyci (Franciſci) *Topographia ſanctar. reliquiarum.* 826
Maximi *Gnomæ.* 341
Maximi Taurinenſ. *Homiliæ.* 1008
Mayeri (Barthol.) *Philologia Sacra.* 850
Melanchthonis (Philippi) *Conſilia Theologica.* 371. *Selectæ Declamationes.* 372
Menander Rhetor *de Genere Demonſtrativo.* 306
Menochius (Joh. Steph.) *de Republ. Ebræorum.* 1036. Ejusd. *Notæ in S. Scriptur.* 376
Mercerus (Joh.) 734
Mercurialis (Hieron.) *de Arte Gymnaſtica.* 203. *Variæ Lectiones.* 364. 641
Merillii (Emundi) *Notæ Philol. ad Paſſionem Chriſti.* 866. 869. 904. 948. 1043. 1112. 1116. *Obſervationes.* 902
Mermannius (Arnoldus) *de Cruce.* 871
Metaphraſtis (Simeonis) *Vita Sanctorum.*

Digitized by Google

ctorum. 582. 739. 826. 1001. 1055 1058. 1094. 1153
Metrophanis Critopuli *Confeſſio Gr.* 393
Meurſii (Joh P.) *Gloſſarium Græco-Barbarum.* 203
-- (Filii) *de Coronis.* 636
Micrologus (Joh.) *de Eccleſiaſticis Obſervationibus.* 76
Mittelburgii (Pauli) *Paulina.* 148
Mitternacht (Joh. Sebaſt.) Diſſ. *de Judæo immortali.* 726
Molani (Joh.) *Hiſtoria ſanctarum imaginum & picturarum.* 763
Montacutii (Richardi) *Origines Eccleſiaſticæ.* 166. 175. 363. 376. 549. 814. *Apparatus ad Annales Baronii,* 895
Montanus (Bened. Arias) 159. 317. 350. 907
Mülleri (Henr.) *Jeſus Patiens.* 479. 738. 944. 1086. 1154
-- (Joh.) *Judaiſmus.* 1105
de Muis (Simon) *Comm. in Pſalmos.* 912
Muſculus (Wolfg.) 911
Myrepſius (Nicol.) *de Vnguentis.* 954

N.

Nancelii (Nicolai) *Analogia Macrocoſmi & Microcoſmi* 1088
Nannius (Petrus) 886
Nanſii (Franc.) *Notæ ad Nonni Paraphr. in Joh.* 19
de Natalibus (Petri) *Catal. Sanctorum.* 1055
Naucleri (Joh.) *Chronographia.* 897. 986
Nazianzenus (Gregor.) 83. 85. 92. 245. 386. 551. 617. 717. 830. 1121
Nemeſianus (Aurelius) *Poeta Lat.* 632
Nepos (Cornel.) 616
Neubrigenſis (Gvil.) *Res Anglicæ.* 626
Nicandri Poetæ Gr. *Alexipharmaca.* 651
Nicephori *Hiſtoria Eccleſiaſtica.* 24. 79. 99. 173. 318. 339. 567. 864. 983. 1023. 1094. 1153
Nicetas Choniates *Hiſtor. Gr.* 626
a Niem (Theodoricus) *de Schiſmate.* 401
Nierembergius (Joh. Euſeb.) *de miraculoſis terræ promontoriis.* 628
Nihuſius (Bartoldus) *de Cruce.* 768
Niqveti (Honorati) *Hiſtoria Tituli S. Crucis.* 840. 858. 861. 867
Nonius Marcellus, *Grammat. Lat.* 600. 603. 654. 715. 779. 790. 1065
Nonni Poetæ Gr. *Paraphraſis in Joh.* ſæpius.
Nyſſenus (Gregor.) 299. 560. 895. 1091

O.

Oecolampadius (Joh.) 356
Oecumenius *in Acta Apoſt.* 492
Origenes. 11. ſ. 30. 84. 133. 162. 200. 321. ſ. 334. 395. 470. 472. ſ. 557. 696. ſ. 721. 739. 786. 829. 925. 928. 932. 978
Oroſius *Hiſtor. Lat.* 504. 508. 1065

Oſtienſis (Leonis) *Chron. Caſſinenſe.* 165

Ovidius. 202. 602. 613. 617. ſ. 624. 631. 651. 654. 664. 673. 702. 845. 849. 951

P.

de Palacio (Mich.) *Comment. in Johannem.* 955

Palæottus (Alph.) *de ſacra Sindone.* 809. *de Chriſti ſtigmatibus.* 814. 1078

Pancirollus (Gvido) *de antiquis deperditis & nov. repertis.* 203. 905

Panvinii (Onuphr.) *Faſti.* 148. *de ſeptem Vrbis Eccleſiis.* 898. *de Titulis Cardinalium.* 43

Papias *Grammat. Lat.* 840

Paræi (David.) *Adverſaria.* 913. *Calvinus orthodoxus.* 915

Paris (Matthæi) *Hiſtoria Anglicana.* 76. 726

Parthenii (Anton.) *Comm. in Catullum & Tibullum.* 654

Paſcaſius Ratbertus *de corp. & ſanguine Domini.* 76

Paſchalius (Carolus) *de Coronis.* 636. 641. 664

Paulinus. 71. 541. ſ. 671. 703. 817. 819. 853. 982. 1020. 1022. 1027

Pauſanias *Hiſtor. Gr.* 556. 607. ſ.

Peireſciana Excerpta. 39. 129. 509

Penæ (Petri) *Adverſaria Stirpium.* 958

Pererius (Bened.) 180

Perotti Nicol.) *Cornu Copiæ.* 550. 973

Perſius. 633

Petavii (Dionyſ.) *Vranologium.* 128. *de Doctrina Temporum.* 417. 770. *de Dogmatibus Eccleſiaſticis.* 495

Petronius. 431. 733. 832. 849. 851. 927. 1147

Philaſtrius *de Hæreſibus.* 99. 267. 322. 500. 722

Philo Judæus. 83. 87. ſ. 91. 306. 581. 584. 598. 1017. 1019. 1039. 1115

Philoſtratus, *Hiſtor. Gr.* 565. 602. 687. 975

Phlegon, *Hiſtor. Gr.* 1023

Photii, Patriarchæ Cpol. *Bibliotheca.* 129. 306. *Epiſtolæ.* 262. 351. 359

Phrynichus, *Grammat. Gr.* 1111

Pignorius (Laur.) *de Servis.* 545. 842. Ejusd. *Tabula Iſiaca.* 787

Pindari *Speculum Paſſionale.* 1060

Pingonius (Philibertus) *de Sindone Chriſti ſepulcrali.* 1131

Pirkheimeri (Bilibaldi) *Diſſ. de Maria Magdalena.* 15

Piſcator (Joh.) 157. 416. 470. 920

Plato. 321. 531. 556. 621. 693

Plautus. 578. 591. 600. ſ. 611. 700. ſ. 714. 760. 803. 832. 844. 859. 1042. 1111

Plinii *Hiſtor. Nat.* 17. ſ. 21. 311. 540. 550. 603. 606. ſ. 610. 614. 616. 619. ſ. 622. ſeqq. 629. 634. 638. 646. ſ. 653. 664. 669. 671. 751. 760. 859. 864. 951. 961. 963. 1005. 1024. 1045. 1053. 1122

Plinii Jun. *Epiſtolæ.* 202. 534. 685. 843. ſ. 848

Plutarchus. 39. 634. 669. 406. 430. 580.

580. 597. 600. 603. 675. 715. 879. 904
Poggii (Joh. Franc.) Florentini *Verſio Lat. Diod. Siculi.* 1064
Pollio (Trebellius) *Scriptor Hiſt. Aug.* 630. 856
Pollucis (Julii) *Onomaſticon Gr.* 19 581. 973. 1061. 1122. 1128
Polybius. *Hiſtor. Gr.* 406. 576
Polygranus (Franc.) *de Paſſione Dn.* 763
Pomarii (Joh.) *Chron. Magdeburg.* 174
Pontani (Georg. Bertholdi) a Breitenberg *Epitome vitæ Scanderbegi.* 364
de Ponte (Ludov.) *Meditationes.* 379.
Pontii Diaconi *vita Cypriani.* 853
Popmæ (Auſon.) *Notæ ad Cicer. Epp.* 577
Porphyrio, *interpres Horatii.* 619. 630
Poſnerus (Caſp.) *de Sudore Chriſti ſanguineo.* 375. *de mirandis, quæ morte Chriſti in natura acciderunt.* 1025. 1074
Poſſevini (Anton.) *Apparatus.* 351 378
Pozæ (Joh. Bapt.) *Elucidatorium Deiparæ.* 1088
Pradi (Hieron). *Explanatio in Ezechielem.* 331
Pricæi (Joh.) *Commentar. in N. Teſt.* 359
Primaſius *in Apocalypſin.*
Proſper Aqvitanus. 343. 690. 933 940. Ejusd. *Chronicon.* 104
Propertius. 842. 1052
Prudentius, *Poeta Chriſtian.* 83. 448 462. 496. 579. 591. 620. 664. 675. f. 779. 867. 875. 1074. 1121
Ptolemæi *Geographus.* 1065

Q.

Qvareſmii (Franc.) *Elucidatio Terræ S.* 62. 1141
Qvenſtedius (Joh. Andr.) *de Sepultura Veterum.* 1125
Qvintilianus. 513. 590. 633. 850. 855 1116
Qviſtorpii (Joh.) *Annotat. in S. Script.* 968.

R.

Rabanus Maurus. 180. 351. 542. 662
Rabbi Abarbenel. 113. 118. 121. 314 476. 480. AbenEzra. 36. 114. 436 481. 973. 1093. David Kimchi. 412. 480. 910. Levi Barzelonita. 119. Levi ben Gerſon. 113. Mardochai. 155. 973. MoſesHadarſan. 919. Moſes Kozenſis. 694. Moſes Maimonides. 115. 117. 119. 138 144. 426. 649. 750. Salomon Jarchi. 1099
Racovienſis Catechismus 286
Raderi (Matthæi) *Chron. Alexandr.* 770
Radevicus Friſingenſis *de vita Friderici I. Imp.* 174
Ramirez (Laur.) de Prado *Pentecontarchus.* 545. 773. *Spicilegium ſacrum.* 947

Rava-

Digitized by Google

Ravanelli (Petri) *Bibliotheca ſacra.* 478. 1036
Raynaudi (Theophili) *Metamorph. Latronis.* 803. 873
Regmonis Prumienſis *Chronicon.* 811
Reineſius (Thomas) 797. 800. 949
Reiſkius (Joh.) *de Imaginibus Chriſti.* 723
Remigius. 180
à Reneſſe (Gerh.) *Codex Legum Hebræorum.* 432
Rhenanus (Beatus) 796
Rhodigini (Cælii) *Antiquæ Lectiones.* 610. 619
Rhodii (Joh.) *Notæ ad Scribon. Largum.* 613. 651
Rittershuſii (Conr.) *Lectiones ſacræ.* 434
Riolanus (Joh.) 1072
Riveti (Andr.) *Apologia pro S. Maria.* 895. *Comment. in Exodum.* 1015 *Comm. in Pſalmos.* 909. 912. *Criticus ſacer.* 351. 1001
Rixnerus (Henr.) *de veterum Chriſtianor. circa Euchariſtiam ritibus.* 191
Roa (Mart.) *Singularia.* 203
Roberti de Monte *Append. ad Chron. Sigeberti.* 705. 897
Rolfinckii (Gvern.) *Diſſ. Anatomicæ.* 363
Rondeletii (Gvil.) *Methodus cognoſcendi & dignoſcendi morbos.* 362 *de Piſcibus.* 611. 616
Roſini (Joh.) *Antiq. Romanæ.* 203
Roſweidi (Heriberti) *Notæ in Paulinum.* 748
Rueus (Franc.) *de Gemmis.* 615
Ruellius (Joh.) *de Stirpibus.* 610
Rufus Epheſius *de appellatione partium corporis humani.* 1068. 1075
Rufini *Hiſtor. Eccleſiaſt.* 504. 824 *Expoſitio Symb. Apoſtol.* 390. 666 1093
Rupertus Tuitienſis. 86. 147. 166 172. 180. 277. 310. 352. 394. 448 908. 925. 1028

S.

Sa (Eman.) *Notæ in S. Script.* 80
Sabellicus (M. Anton.) 503
Sagittarii (Caſp. P.) Diſp. *de Phyſica panis Euchariſtici veritate.* 184
— Caſp. F.) *de Januis Veterum.* 565 651. 842. *de Cruciatibus Martyrum.* 574. 581. 692. 1043. 1118 *de Natalitiis Martyrum.* 846. *Hiſtoria Comitum Gleichenſium Ms.* 562 *de Calceis Veterum Ms.* 120. *de Zona Antiquorum Ms.* ibid.
a Salazar (Ferd. Quirini) *Comm in Proverbia Salomonis.* 388
Salmaſii (Claudii) *Epiſtolæ de Cruce.* 194. 787. 790. 857. 863. 870. ſ. 945. 949. 951. ſ. 955. ſ 959 ſ. 962 964. 1050. 1063 1129. 1131. ſeqq. *Exercitationes Plinianæ ad Solinum.* 21. 607. 614. 616. 627. 689. 353 847. *de Modo Vſurarum* 840 843 855 862. 866. 869. *de Fœnore Trapezitico.* 796. *Commentar. ad Scriptores Hiſtor. Aug.* 865. 887

Digitized by Google

Salmeron (Alph.) *Comm. in Evangeliſtas.* 148. 186. 400. 765. 898. 925. 1099

Salmuth (Henr.) *Comm ad Pancirollum de antiq. deperditis* &c. 203

Sanctii (Roderici) *Hiſtoria Hiſpan.* 860

Sandis (Edvini) *Itinerarium.* 618

Sarisberienſis (Joh.) *de Nugis Curialium.* 509

Saubertus (Adolphus) *de Unctura Chriſti ſepulcrali.* 1120

-- (Joh.) *de Sacrificiis Veterum.* 664. 701 *Variæ lectiones in Matthæũ.* 480

Scaliger (Julius Cæſar.) *de Cauſis Linguæ Lat.* 841. *de re poetica.* 841. ſ. 847. *Exercitat. in Cardanum.* 443. 623

-- (Joſeph.) *de Emendatione Tempor.* 92. 122. 148. 159. 181. 378. *Animadverſ. in Euſebii Chron.* 216. 417. 788. 802. 814. 863. *Conjectanea ad Varronem.* 842. *Elenchus triheresii contra Serarium.* 145

Schertzeri (Joh. Adami) *Diſſ. de loco Zachar. XII. v. 10.* pag. 1101. ſeqq.

Schickardi (Wilh.) *Diſſ. de Paradiſo Saraceno-Judaico.* 978

Schindleri (Valent.) *Lexicon Pentaglotton.* 317. 776

Scholiaſtes Ariſtophanis. 578. Juvenalis 630. Sophoclis. 306. 700 Theocriti. 601

Schotti (Andr.) *Obſervat. Philologicæ.* 1111

Scoti (Mariani) *Chronicon.* 560. 820

Scribonius Largus. *Med. antiq.* 652. 671. 853. 1069

Sculteti (Abrah.) *Exercitat. ſacræ.* 19

Sedulius. *Poeta Chriſtian.* 434. 761. 828. 876. 1007. 1062. 1151

Seldenus (Joh.) *de Synedriis Ebræor.* 263. 428. 690. *de Anno civili & Calendario vet. Eccleſiæ Judaicæ.* 145 *de Jure Naturæ.* 428. 744

Seneca Rhetor. 566. 588. 832. 842. 855. 882

--Philoſophus. 430. 550. 582. ſ. 590. 633. 686. 712. 733. 797. 845. 948. 1042

--Tragicus. 618. ſ. 654. 700

Sennerti (Dan.) *Medicina practica.* 271

Serarii (Nicol.) *Comm. in lib. Ruth.* 947

Sereni Sammonici *Carmen de Medicina.* 611. 1069

Servii *Comm. in Virgilium* 220. 539. 654. 1051

Sethus (Simeon) *de Cibariis.* 955

Sidonius Apollinaris. 609. ſ. 626. ſ. 1066

Sigeberti Gemblac. *Chronicon.* 17. 109. ſ. 133. 340. 820. 897

Sigonius (Carol.) *de Rep. Ebræor.* 417

Silentiarius (Paulus) 1138

Silius italicus. 540. 673. 789. 1121

Sixti Senens. *Biblioth. ſancta.* 350. 400. 508

Socinus (Fauſtus) 286. 1099

Digitized by Google

Socrates *Scriptor Hiſt. Eccleſ.* 97 100 104. 440. 560
Solinus. 853
Sopranes (Hieron.) *de re veſtiaria Judæorum.* 538. 547. 763. 908
Sozomenus *Scr. Hiſt. Eccl.* 99. 863
Spartianus (Ælius) *Scr. Hiſt. Aug.* 605. 855. 947
Spigelius (Adrianus) *de Fabrica hum. corporis.* 1088
Statius (Papinius) 602. 612. 626. 629. 905
Stegerus (Thomas) *de Lotionibus Veterum.* 701
Stellæ (Didaci) *Comm. in Lucam.* 379
Stellartius (Proſper) *de Coronis.* 636
Stephanus (Robertus) 770
Stephanii (Steph Joh.) *Notæ in Saxonem Grammat.* 1111
Stolbergius (Balth) *de Angariis Veterum.* 720
Strabonis *Geographia.* 19. 617. 1024
Strabo Fuldenſis. Vid. *Gloſſa Ordin.*
Stuckii (Gvil.) *Antiquitates Convivales.* 203. 548. 943
Svarez (Franc.) 591. 1102
Svetonius. 164. 539. ſ. 566. 600. 606 625. 627. 686 ſeqq 696. 711. ſ. 789 832. 848. 850 ſ 852. 856. 882 887 1042. 1052. 1066. 1127
Suidas. 23. 39. 352. 405. 435 540 625. 751. 778. 848
Sulpitii Severi *Hiſtoria Sacra.* 748 975. *Vita S. Martini.* 278
urii (Laur.) *Vitæ Sanctor.* 739. 1059
Sylburgii (Frid.) *Notæ ad Clem. Alex.* 73
Syneſii *Epiſtolæ Gr.* 101. 1149
Syngeli (Mich.) *Vita Dionyſii Areopagitæ.* 1001

T.

Tacitus. 39. 121. 505. ſ. 566. 603. 686 ſ. 706. 847. 1023. 1066
Talentonii (Joh.) *Res reconditæ.* 808. 1056
Talmud. 31. 61. 66. 144. 155. 413 417. ſ. 522. 548. 579. 590. 857
Tarnovii (Joh.) *Comm. in Prophetas minores.* 479 485. 1105
Tatiani *Harmonia Evangeliſtar.* 180 351
Terentius. 435. 578. 582
Tertullianus. 38. 73. 83. 172. 267. ſ. 278. 344. 390. 434 ſ. 499. 505 ſ. 574. 576. 618. 629. 642. 656. 665 692. 704. 715. 735. 738. 767. 777 784. 787 795. ſ. 829. 840. 853 909 977. 1004. 1063. 1148. 1152
Thargum. 417. 548
Theocritus *Poeta Gr.* 601
Theodoretus. 92. 100. 104. 351. 716 736. 747. 824. 967. 1007 1032. 1067. 1074. 1093
Theophanis Confeſſor. *Chronicon Gr.* 1005
Theophili Epiſc. Cæſarienſis *Epiſtola Paſchales.* 92 101
Theophilus Antiochenus. 686
Theophraſti *Characteres.* 599. *Hiſtoria Plantarum.* 607. 639. 646. ſ. 668. 963

Digitized by Google

Theophylactus. 11. ſ. 24. 75. 84. 133. 167. 210. 217. 228. 245. 283. 287. 299. 309. ſ. 319. 341. ſ. 356. 410. 425. 429. 435. 438. 441. 445. 484. 492. 503. 531. 535. ſ. 558. 571. 635. 665. 679. 677. 691. 696. 732. 743. 752. 754. 760. 767. 769. 771. 776. 873. 877. 891. ſ. 921. 990. ſ. 994. 1009. 1018. ſeqq. 1086

Thomas Aquinas. 134. 183. 311. 322. 337. 735. 773. 998. 1006

Thuani (Jac. Aug.) *Hiſtoria.* 362

Thucydides. 214. 734

Thummius (Theodorus) *de Verbo Dei.* 479

Thyleſius (Anton.) *de Coronis.* 636

Tibullus. 550. 618. ſ. 671. 845. 1152

Tilemannus (Gotfr.) 921

Timpleri (Clem.) *Phyſica.* 998

Tirini (Jacobi) *Chronicon Sacrum.* 776. *Comment. in S. Script.* 376. 379. 1088

Titi Boſtrenſis *Comm. in Lucam.* 351. 933

Toleti (Franc.) *Notæ in Johann.* 769. 955

Tornielli (Aug.) *Annales ſacri.*

Toſtatus (Alphonſus) 134. 765. 976

Trallianus (Alex.) *Med. antiq.* 950. 1069

Tremellii (Eman.) *Scholia ad S. Script.* 30. 908. 921. *Notæ ad Verſionem Syriacam N. Teſt.* 65

Tucher. (Joh.) *Itinerarium.* 743

Tulpii (Nicol.) *Obſervationes medicæ.* 362

Turnebi (Hadr.) *Adverſaria.* 623. 647. 714. 1051

Turonenſis (Gregor.) *Hiſtoria Francorum.* 506. 508. 544. *de Gloria Martyrum.* 592. 765. 801. 813. 824. ſ. 896

Turrianus (Franc.) 341

Tychonii Afri *Regulæ.* 853. 971

Tyrii (Gvil.) *Hiſtoria Belli ſacri.* 431. 617. 660. 820. 822

V.

Vadiani (Joach.) *Comm. in Pomp. Melam.* 510

Valerius Max. 519. 604. 634. 852

Valeſii (Henr.) *Notæ ad Euſebium.* 509. 582

Valla (Laur.) *Notæ in N. Teſt.* 1112. 1151

Valoys (Thomæ) *Comm. in Boethium de Conſol. Philoſophiæ.* 840

Valtrinus (Joh. Anton.) *de Militia Rom.* 604

Varro *de Lingua Lat.* 331. 406. 840. 1050. *de re ruſtica.* 84

Vaſqvez (Gabr.) 325. 335. 379

Vatabli (Franc.) *Annotat. in S. Script.* 886. 1110

Vecchiettus (Hieron.) *de anno Primitivo mundi, & ſacrorum temporum ratione.* 182

Vegetius *de re militari.* 407

Vellejus Paterculus 852

Venantius Fortunatus *Poeta Chriſt.* 542

Verſio Biblior. Æthiopica 53. 543. Arabica. 351. 543. Caſtellionis. 688

Septuaginta Interpp. *ſæpius.* Syriaca. 53. 164. 329. 397. 399. 415 446. 548. Vulgata *paſſim.*
Vgonius (Pompon.) *de Stationibus Romæ.* 898
Victor Antiochenus. 427. 992
-- Capuanus. 288
Victorinus. *Poeta Christianus.* 496 735
Victruvius *de Architectura.* 612. 864
Vidæ (Marci Hieron.) *Carmina.* 1055
Vigerii (Marci) *de controverſia excellentiæ inſtrumentorum Dominicæ paſſionis.* 1076. 1079. *Decachordum Chriſtian.* 336
Villamontii (Jac.) *Itinerar. Terræ S.* 637. 659. 743
Vincentii Bellovac. *Speculum Hiſtoriale.*
-- Lerinenſis *Commonitorium.* 637
Virgilius 220. 600. 603. 612. ſ. 616 ſeqq. 620. 623. 626. 631. ſ. 647 654. 672. 700. 905. 961. ſ. 1152
Virgilii (Marcelli) *Comment. ad Dioſcoridem.* 652. 671
Viterbienſis (Gotfr.) *Chronicon.* 782
Vocabularium vetus. 22
Voetii (Gisb.) *Diatriba de Agonia Chriſti in Diſpp. ſelectis.* 376
Vopiſcus (Flav.) *Scriptor Hiſt. Aug.* 550. 577. 610. 618. 904. 1052
de Voragine (Jac.) *Legenda aurea.* 663. 941
Vorſtii (Joh.) *Diſſ. de Paradiſo.* 974
-- (Adolphi) *Epiſt. ad Th. Bartholin.* 956. 961
Voſſii (Gerh. Joh.) *Harmonia Paſſionis & Reſurr. Chriſti.* ſæpius. *Diſſ. de Annis Chriſti.* 150. *de Arte Grammatica.* 864. *Etymologicon.* 778. 1127 *de Idololatria.* 612. *Inſtitutiones Oratoriæ.* 1037. 1111. *Diſpp. de Baptiſmo.* 765. *de Vitiis Sermonis.* 853 1065
-- (Iſaaci) *Epiſtolæ Ignatii.* 495. *de LXX. Interpp. verſione.* 643. 1098
Vrſini (Fulv.) *Addit. ad Ciacconium de Triclinio.* 202
-- (Joh. Henr.) *Analecta ſacra.* 556
Vrſpergenſis Abbatis (Conradi) *Chronicon.* 897
Vſſerii (Jac.) *Epiſtolæ Ignatii.* 495 *Reſponſio ad Jeſuitam Hibern.* 739
Vſuardi *Martyrologium.* 172. 1055
Vulcatius Gallicanus. *Scr. Hiſt. Aug.* 625. 835. 947

W.

Wagenſeil (Joh. Chriſtoph.) *Tela ignea Satanæ.* 785
Waltheri (Mich.) *Harmonia Biblica.* 776
Waltoni (Briani) *Appar. ad Biblia Polyglotta.* 872
Wandalinus (Joh.) *de Feria Paſſionis, & triduo mortis Chriſti.* 776
Waſſenbergii (Everh.) *Florus Germanicus.* 363
Weigelius (Erhardus) 112
Weinhemii (Erhardi) *Sacrar. Agrippinæ* 899
Wendelini (Marci Frid.) *Contemplationes Phyſicæ.* 1005

Digitized by Google

Weſtmonaſterienſis (Matthæi) *Chronicon.* 897
Wolffii (Joh.) *Lectiones memorab.* 363
X.
Xavier (Hieron.) *Hiſtoria Chriſti Perſica.* 421. 576. 659. 714. 723. 750. 810. 857. 980. 1050. 1054. 1059
Xenophon. 214. 973. 975
Ximenes (Franc.) 350
Xiphilinus (Joh.) *epitomator Dionis Caſſii.* 673. 675
Xylander (Gvil.) 597
Z.
Zachariæ Papæ *Epp. ad Bonifac.* 173
– Chryſopolitani *Comm. in Evangeliſtas.* 352. 1091
Zegeri (Nicol.) *Scholia in Evangeliſtas.* 1109
Zeileri (Martini) *Epiſtolæ.* 725. *Itinerarium Galliæ.*
Zonaras *Hiſtor. Gr.* 17. 339. 690. 820 821. 826

INDEX
VOCVM HEBRAICARVM.

אב אבא *Pater.* 328. ſ.
אביב *Abbibb* menſis. 91
איש Incola, civis. 65
אישכרן Marſupium. 65
אסכרא Strangulatio, ſuffocatio. 66. 488
אסקורטיא *Veſtimenti coriacei ſpecies.* 65
ארגמן Purpura. 606
בין הערבים *Inter duas veſperas* quid Exod. XII. v. 6. p. 113
בית פיגי *Bethphage.* 30. ſ.
גיא *Vallis.* 317
גן *Hortus.* 973
גת *Torcular.* 318
דקר *Compunxit, Confixit.* 1097
היך *Vola.* 811
זהר *Splenduit.* 548
חבורות *Sodalitia.* 124
חלי *Morbus graviſſimus.* 367
חמאת *Butyrum.* 317

Digitized by Google

כרת Amputavit. 64
מנה Reputare. Numerare. 838
מצות *Azymi panes.* 120
מרורה *Fel.* 759
מרורים Herbæ amaræ. 121
נבל Stultus, qui modũ neſcit in judicandis divitiis. 216
נדיב *Munificus cum judicio.* 216
נדיבים *Principes.* 216
נושע Salvator. 37
ניסן *Niſan* menſis. 91
נס *Vexillum.* 91
נסס *Vexillum erexit.* 91
סבך Quid Genes. XXII. v. 13. 642
סגן *Princeps Sacerdotum.* 417
סדין Sindon, *linteum.* 412. 1130
סכר Strangulavit. 66
סף *Vas fictile.* 117
עבר *Tranſitus.* 734
עבת *Contorſit.* 642
עץ an *crucem* denotet. 695
בין הערבים *Inter duas veſperas* quid Exod. XII. v. 6. 113
פסח *Tranſiit.* 83
פרדס *Paradiſus.* 973. ſeqq.
קדרות *Nigredo.* 311
ראש *Amaritudo præcipua.* 759
רגלא *Pes, torrens.* 311
רפאים quinam Geneſ. L. 1. 2. 1124
רקד *Saltavit.* 1097
שוגג *per errorem peccans.* 709
שדר Miſit, 415
שלם Valedicendi vox. 243

שמן

Digitized by Google

שמן *Pinguedo, oleum.* 317. 318
שמנה *Octo.* 317
שני *Coccus.* 548. 666. 609
תו *Signum.* 788
תולעה תולעת *Vermiculus cocci.* 609. ſeqq.

INDEX VOCVM GRÆCARVM.

Ἀγγαρεύω. *Angario, cogo.* 720
Ἀγὼν varias habet ſignif. 345
Ἀγωνία. *Conflictus animæ acerrimus.* 345
Ἀδημονέω. *Graviter angor.* 326
Ἀδημονία. *Anxietas vehemens.* Ib.
Αἰτία. *Cauſa mortis.* 854
Ἁλουργίς. Purpùræ ſpecies. 621
Ἀπάγχεσθαι. *Strangulor.* 487. 490
Ἀποσυνάγωγος. *Excommunicatus.* 262
Ἄρραφος χιτών. *Tunica inconſutilis.* 887
Αὐλὴ qualis locus. 62
Ἀφίημι. *Condono peccatum.* 966
Βλασφημία. Βλασφημέω. 437
Γὰρ pro οὖν. 573
Δεῖνα. 79
Ἐκθαμβέομαι. 324
Ἐκμυκτηρίζω. 930
Ἐκτενέστερον. *Vehementer.* 344
Ἐνισχύω. *Corroboro.* 380
Ἐνταφιάζω. 1124
Ἐπιβαλὼν quid Marc. XIV. v. 72. p. 445. ſeqq.
Ἐπιγραφή. *Titulus.* 851
Ἐπιφώσκω. 109
Ἑταῖρος. 395. ſ.
Εὐσχήμων. 1111
Θέλω quale verbum. 300
Θρόμβος. Θρόμβωσις. 353. 358
Ἰκρίον. *Palus arrectus.* 778
Ἱμάτιον. 597. Ἱμάτια an plura notent veſtimenta. 884
Ira. 284. 301. 1078
Ἴον. *Viola.* 615
Ἰχωροειδὲς αἷμα. 364
Καθαίρω. *Vitem pampino.* 250
Κακοποιός. *Maleficus.* 515
Κακοῦργος. *Facinoroſus.* 733
Κατάγω. *Frango.* 1046
Κατακυριεύω. 215
Καταναθεματίζω. 442
Καταφιλέω *Vehementer oſculor.* 389
Κέρας pro quavis *eminentia.* 799
Κολαφίζω. 435
Κουστωδία. *Cuſtodia militum.* 1151
Κτάομαι. *Poſſideo.* 463
Κόριος audit Pilatus. 1145
Λαμπρὰ ἐσθὴς qualis veſtis. 547
Λαμπρὸς & Λευκὸς Synonyma. 537
Λαμπρῶς. 547
Λατομέω 1133
Λέντιον. *Præcinctorium.* 164
Λεπτὰ δύο cujus valoris. 57
Λευκώματα quales tabellæ. 862

Ληστὴς

Digitized by Google

Ληστής. *Latro.* 941
Λιθόστρωτον. 688
Λίτρα. 22. an nummi genus. 1122
Λόγχη. Λόγχα. *Sortitio. Quies.* 1061
Cuſpis haſtæ, & ipſa *haſta.* 1062
Λύπη. Λυπέομαι. 320
Μαστιγεύς. Μαστιγίας. Μαστιγονόμος.
Μαστιγοφόρος. Μαστιγόω. Μαστίζω.
Μάστιξ. 577
Μάχαιρα. 398. 1063
Μυκτηρίζω. 930
Νάρδος πιστική. 19
Νύσσω. Νύξις. 1067. ſ.
Ὀθόνια qualia linteamina. 1131
Οἴσυπος, Οἴσυπον, Οἰσύπη. 951
Ὄξος. *Acetum.* 753
Ὀστρακόδερμα. 612
Ὄστρειον, Ὄστρεον. *Oſtrum.* 612
Οὐά qualis particula. 928
Παράδεισος qualis hortus. 973. ſeqq.
Παρατίθημι. *Depono.* 991
Περιβάλλω de veſtibus exterioribus. 598
Περιβόλαιον. 598
Περίλυπος. 322
Πέτρα. 1138
Πικρίδες quales herbæ. 122
Πιστικός. 19. ſeqq.
Πλάνος. *Impoſtor.* 1147. ſ.
Πλέκειν, Verbum coronarium. 641
Πλεκτίον Coronarum genus. *Ibid.*
Πραιτώριον. *Prætorium.* 313
Πρηνὴς γενόμενος. 490. 494
Πρῶτος comparative. 1150
Πτίσσω. *Pinſo.* 19
Ῥαντίζω. Ῥαντισμός. 90
Ῥαπίζω. 434. Ῥαπίς. *Baculus.* Ib.
Ῥάπισμα. *Alapa.* Ib.
Ῥαφίς. Fibula. 887
Σανίς. *Tabella facinoroſorum.* 860
Σκόλοψ. *Crux.* 779
Σταυρός. *Crux.* 779
Στιγμή quale punctum. 1068
Σχοινίον qualis funiculus. 579
Τίτλος. *Titulus.* 850
Τίω, Τίλλω. 841
Τρύβλιον. *Catinus.* 197
Τυμβωρύχος. *Spoliator ſepulcrorum.* 1149
Ἱδρώς. *Sudor.* 352
Ὑμνέω. *Hymnum cano.* 307
Ὑσσός. *Pilum.* 949. Ὑσσωλὸς an uſitatum. 951
Φιλονεικία vocab. μέσον. 214
Φώτισμα, Φωτισμός. *Baptiſmus.* 543
Φωτίζομαι. *Baptizor.* Φωτιστήριον. *Baptiſterium.* 543
Φραγέλλιον. *Flagellum.* 578
Χαῖρε formula ſalutandi. 675
Χείμαρρος qualis torrens. 310
Χιλίαρχος. Tribunus cohortis. 384
Ὡσεὶ qualis particula. 358. 775
Ὠτίον. *Auricula.* 397

Digitized by Google

INDEX RERUM ET VERBORUM.

A.

Abba an vox Græca, an Syro-Chaldaica. 328. qualem Patrem denotet. 329

Abib menſis unde dictus. 91

Acclamationibus ad ſupplicia poſcebantur Martyres. 574. 692

De *Accubitu Veterum* quinam ſcripſerint. 203. Accubitus in Paſchate uſurpatus. 152

Acetum pro vino acetoſo. 754 an Chriſto crucifigendo datum. 752. mortem accelerat vulneratis. 945. potus tenuiorum militum. 944

Acetum refocillatorium. Ibid.

Achitophel an ſuſpendio perierit. 487

Acta judicum in provinciis Romam miſſa. 506

Acta Pilati. *Ibid.*

Acuta crux quænam. 797

Adamus an in monte Golgotha ſepultus. 738. *ſeqq.* an in Kiriath-Arba ſepultus. 745. ejus peccatum in ligno Chriſtus in cruce expiavit. 819

Adoleſcentis relicto ſindone fugientis hiſtoria. 409

Ædes *ſub titulum emptes* & *miſſa* quænam. 843

Ægyptii Reges aliquot *Evergetæ* dicti. 216. De *Ægyptiorum literis* quinam ſcripſerint. 787. De Ægyptiorum unctura ſepulcrali. 1125

Aggratiandi jus non temere exercendum. 559

Agni Paſchalis hiſtoria 82. *ſeqq.* requiſita. 85

Agnus Paſchalis Chriſti typus. 84 an in templo mactatus. 88. non fuit ſacrificium proprie dictum. 89. de ejus ſeparatione, mactatione, aſſatione & manducatione. 116. *ſeqq.*

Agoniſtici quinam. 501

Agri figuli hiſtoria. 459

Agriaſpæ, Perſica gens *Evergetæ* dicti. 216

Alabaſtrum. 22

Alapis Chriſtus cæſus. 421. 434 cæſi ſervi manumittendi. 434 ſe invicem cædebant hiſtriones. 435

Albertus Archiep. Brem. lavit pedes pauperum. 174

De Alba Chriſti aliorumque veſtibus. 537. *ſeqq.*

Albus color innocentiæ ſymbolum. 541

In albis quinā dicebantur obiiſſe. 544

Album Citharœdorum, Judicum, Prætorum. 862. *Albo adſcribi, eradi.* ibid.
Alexandrinus Patriarcha quotannis definivit diem paſchalem. 101
Aloe inter ungventa. 1122
Amen etymon, & varia ſignificatio. 971
Amethyſtus. 615. Amethyſtinus color. 614
Amici Chriſti. 256
Amici Imp. quinam. 685
Amictus unde dictus. 598
Anathema ſim, vetus jurandi form. 442
De *Angaris* quinam ſcripſerint. 720
Andreana crux. 783
Angeli Chriſtum corroborantis hiſtoria. 379
Angelus an e velo templi conſciſſo exiluerit. 1022
Angina qualis morbus. 486
Anni computus ap. Judæos qualis. 92
Annulorum vett. ſigilla quomodo ſculpta. 865
Antigonus Rex crucifixus. 585
Aphthardocetæ hæretici. 354
Apollinaris hæreſis, Chriſto divinitatem fuiſſe loco animæ. 322
Apocrypha Prophetarum ſcripta. 474. ſeqq.
Apoſtoli cur circa doctrinam Chriſti errare non potuerint. 243 quomodo Chriſto dati. 289. an in cavernis delituerint patiente Chriſto. 276
Aqua lateris Chriſti. 1086. *ſeqq.*
Arbor an emerſerit, ubi Chriſtus ſudavit. 377
De Arbore, ex qua ſe ſuſpendit Judas. 498. ex qua formata cru. Chriſti. 781
Argenteorum Judaicor. examen. 69. ſ.
Aries loco Iſaaci immolatus ubi hæſerit cornibus. 648
Arimatha qualis civitas. 1109
Ariſtides ſputa pertulit. 430
Armeni male negant Chriſtum ſudaſſe. 354
Aromaticus calamus. 668. ſ. 956
Articuli Græci quanta vis. 1018
Arundinei ſceptri Chriſto dati hiſtoria. 668. *ſeqq.*
Arundines ſolidæ. 961
Aſini cultus & Judæis & Chriſtianis a gentilibus objectus. 38
Aſini cauda inter reliquias Papiſticas. 39
Aſſatio agni paſchalis. 117. *ſeq.*
Atramentum Vett. quale. 865
Atramenti loco *purpura.* 626
Atrium Pontificis M. quale. 439
Aucupatoria arundo. 673
Auguſtini monachi geſta in Britannia circa celebrationem Paſchatis. 105
Auris amputata Ariadnes Aug. inimico. 397
Aurora purpurea. 631

Digitized by Google

Ave ſalutandi vox. 676
Ἀυλόχειροι privabantur honeſta ſepultura. 501
Azymi panes cur in Paſchate adhibiti. 12. non fuere commune edulium Judæorum. 121

B.

Bangerti (Henr.) laus. 728
Baptizatorum pedes olim loti. 170 veſtes albæ. 541. *ſeqq.*
Baptizatos olim oſculabatur miniſter. 393
Baptizati plane nudi. 765. ad occidentem ſtatuti. 829
Barrabæ hiſtoria. 562. *ſeqq.*
Baſilidis delirium Simonem Cyren. loco Chriſti crucifixum. 722
Bedæ auctoritas in antiquitatibus Eccl. exigua. 185
Bergii (Chriſtiani) inſtitutum ſcribendi hiſtoriam Epp. Eccleſiaſticarum. 103
Bethania. 24. 30
Bethphage unde dicta. 30. *ſeqq.*
Bibendi certamina. 377
Blaſphemia unde dicta. 438
Blaſphemiam cur Chriſto objecerint Judæi. 680
Blaſphemos non puniri dolet Gerſon. 426
Blatta vermiculus cocci. 609. exquiſita purpura. *Ibid.*
Blatteus color. 610
Bomilcar ex cruce concionatur. 790
Bonifacii IV. Epp. ad Britannos de die Paſchatis. 105
Bonifacius VIII. male explicat duos Apoſtolor. gladios. 230. gladium evaginatum ſibi præferri juſſit. 233
Britanni quando Paſcha celebrarint. 105
Brunſvicenſis peſtis. 374
Buccella Judæ a Chriſto data qualis. 204
Buccina & Buccinum conchæ purpureæ ſpecies. 614

C.

Cajani hæretici Judæ proditoris præcones. 499
Cajaphas qualis Propheta. 3. quomodo illius anni Pontifex. 417 homo peſſimus. 420
Calamus pro caule. 961
Calami naturalis & artificialis copioſa deſcriptio. 668
Calami ſcriptorii veterum. 865
Calcei purpurei. 626
Calix unde derivetur. 377
Canonicæ Epiſtolæ an eædem cum *Formatis.* 102
Capellus lapſus memoriæ perperam Evangeliſtis tribuit. 466
Capitis quaſſatio contemtus ſignum. 928
Capite inclinato Chriſtus mortuus. 994
De Captivorum dimiſſione in feſto Paſchatis. 556. Captivi religionis cauſa apud Græcos relaxati. *Ib.*

Cardi-

Digitized by Google

Cardinalium veſtes purpureæ. 635
De Cardinalibus Chriſti operibus Sermones cujus auctoris. 739
Carnifex ubi Romæ habitarit. 714
Carpus manuum Chriſti non transfixus, ſed vola. 811
Carthagine platea erat teſſellata. 689
Cato Romanor. ſputa pertulit. 430
Cedron torrens unde dictus. 310
Cedrus ubi creſcat. 311
Celſus Adornus de Sedili medio primum cœpit diſputare. 807
De Centurione, qui Chriſto crucifixo adfuit, ejusque confeſſione. 1033
Cephiſidorus cur *Planus* dictus. 1148
Cerinthus Judam proditorem honoravit. 500
De *Chlamyde* Vett. prolixe. 600. *ſeqq.*
Chriſtus quoties ante paſſionem unctus. 10. *ſeqq.* cur voluerit ungi. *Ib.* quomodo nobiscum ſit. 27. cur pullum elegerit, cui inſederit. 32. an & pullo & aſinæ inſederit. 33. cæcitati corporali & ſpirituali medetur. 44. eodem tempore mortuus, quo agnus paſchalis mactari debuit. 115. an agnum paſchalem comederit. 125. an fermentato pane uſus in S. Cœna. 130. an eodem cum Judæis die Paſcha celebrarit. 132 *ſeqq.* ceremoniales leges obſervavit. 133. Karræus acerrimus. 146. paſſionem quomodo deſideraverit. 152. pedes diſcipulor. lavans an in genua procubuerit. 165. quomodo benedixerit pani & vino in S. Cœna. 187. quomodo ſpiritu turbatus. 194. legislator nō fuit novus. 221. quomodo ſit in Patre, & Pater in ipſo. 236. quomodo pro amicis & inimicis mortuus. 255. an & quomodo timuerit mortem. 324. nequaquam deſperavit. 348. 986. in eo fuerunt humores excrementitii. 355. patientiſſimus. 422. 969. cur Pontificibus Judæis tantopere inviſus. 565. quot ictibus in flagellatione cæſus. 595. quid perpeſſus in via, cum ad crucem raperetur. 714. an aliquoties ſub pondere crucis conciderit. 721. cur bibere noluerit ante crucifixionem. 760. cujus ſtaturæ. 792. ad quam mundi plagam crucifixus ſpectaverit. 828. cur potius crucifixus, quam alio ſupplicio ſublatus. 830. cur in medio latronum crucifixus. 838. an omnibus moribundis appareat. 1103
Chriſtiani veteres cur Paſcha non eodem cum Judæis die celebrarint. 95. vim vi non repulere. 404. per contemtum dicti Galilæi. 440. lavabant manus ante ſacra. 702. eis vitio datum a paganis, quod Chriſtum & alios cru-

crucifixos colerent. 697
Cichorium inter herbas amaras Judæz. 122
Ciconia *titulus tepidi temporis*. 849
Circularis formæ præſtantia. 636
Circumcellionum ἀυλοχειεία. 500
Clamor Chriſti morientis. 990
Clavorum crucis Chriſti hiſtoria. 808. *ſeqq.* 824. *ſeqq.*
Clemens Alex. coronas improbat. 666
Cocci hiſtoria. 606. *ſeqq.* ſplendor. 629
Coccineus color. 623. ſ.
Coccineæ veſtes privatis permiſſæ. 628
Cœna Domini pro die, quo S. Cœna inſtituta. 75
Cœnæ Dominicæ hiſtoria explicata. 79. *ſeqq.*
Cœna Chriſti ante paſſionem quotuplex. 158. *ſeqq.*
S. Cœna uſuri vett. Chriſtiani ſe invicem oſculabantur. 391. quod item finita S. Cœna factum. 392
S. Cœnam acceſſuris pedes olim loti. 172
Cœnatoria veſtis qualis. 163
Cohors Romana quot militum. 384 prætoria Præſidum in provinciis. 385
Colaphis Chriſtus cæſus. 433. 435
Commendandi vox ante mortem uſitata. 991
Conchylium pro purpura. 611. *Conchiliata tapetia.* Ibid.
Conſcientia mala ſemper irrequieta. 1150
Conſtantini M. precantis habitus. 279
Conſtantinopoli forum teſſellatum. 690
Convivæ quales in cœna paſchali. 123
Cor Chriſti an lancea perfoſſum. 1075. *ſeqq.*
Corcetæ inſpuebant delinquentes. 431
Cornua in cruce quatuor. 795
De Coronis quinam ſcripſerint. 636
Coronæ Chriſti ſpineæ hiſtoria. 635
Corona cur regium inſigne. 636
Corona ferrea ignita quibus impoſita. 667
Corpora damnatorum Judæi non ſolebant ſub dio relinquere. 737 apud gentiles manſerunt inſepulta. 1038. quandoque cognatis, item aliis petentibus ad ſepulturam conceſſa. 1115
Cruciarii flagellis cæſi. 584. crucis bajuli. 715
De Crucis nomine, materia, forma, partibus plenior diſquiſitio. 773. *ſeqq.*
Crux ſervile ſupplicium. 696. 831 *ſeqq.* Judæis inuſitatum. 694. fixa in loco conſecrato. 846. pii latronis in Cypro traditur reperta. 942
Crux Chriſti non fuit alta. 791. an nullum

Digitized by Google

nullum detrimentum ceperit. 819
Crucem totam Chriſtus portavit. 718
Crucifixi nudi. 761. *ſeqq.*
Crucifalus. 803
De Crurifragio Vett. 1047
Crura Chriſto cur non fracta. *Ib.*
Cuſtodia crucifixorum. 927. ſepulchri Dominici. 1151
Cuſtodia pro cuſtodibus. 1152
Cydaris formam an habuerit corona Chriſti ſpinea. 655
Cyrenes nomen plures urbes habuerunt. 719

D.

David an de Joſepho Arimath. vaticinatus. 1113
Decurio pro municipali Senatore. 1112
Decuſſata crux. 783
Deſignator. 577
Deſpoliabantur flagellandi. 589
Deus Pater quomodo Filio major. 245. ſ.
Diabolus an Judam ſtrangularit. 491 ſ.
Diadema faſcia candida. 538
Dibapha purpura. 619
Diei dimenſio apud Judæos & Romanos. 77. 114. 774
Dies in quatuor quadrantes diviſus. 774. *ſeqq.*
Dilectio noſtra non eſt divinæ dilectionis cauſa. 240
Dimas an vocatus latro pœnitens. 839. 941
Dionyſius Areopag. an Eclipſin tempore paſſionis Chriſti obſervarit. 999. *ſeqq.* ejus ſcripta ſuppoſititia. 1001
Diſcipulorum quis primus a Chriſto lotus. 166
Divitiæ Joſephi Arimath. cur commorentur. 1111
de Dominis (M. Anton.) negat Chriſtum comediſſe agnum paſchalem. 126. *ſeqq.*

E.

Eberardus Archiep. Saliſb. lavit pedes pauperum. 174
Ebræa lingua cur dicatur Syrochaldaica. 734
Eccleſiæ unitas per tunicam inconſutilem denotata. 923
Eccleſia in Philologicis non exercet tyrannidem. 10
Eclipſis Solis tempore paſſionis Chriſti an univerſalis. 997. *ſeqq.*
Egeſippi auctoritas ſuſpecta. 378
S. Eliſabeth lavit pedes pauperum. 174
Ephrem civitas. 4
Epigrammatum lemmata dicebantur *tituli.* 847
Epiſcopis acclamatum *Oſanna.* 41
Epiſcoporum Germaniæ bella. 402
Ericus Sveciæ Rex Johannem fratrem nomine *Regis* pungit. 676
Eva ex quo Adami latere formata. 1070
Evangeliſtæ quomodo citent dicta V. Teſt. 35. 481. 485. iisdem nulli

nulli tribuendi ſunt errores. 768
Evergetæ quinam, & unde dicti. 216
Excommunicatio apud Judæos quotuplex. 263
Exhibitivæ propoſitiones. 189
F.
Faces cur adhibitæ, cum Chriſtus caperetur. 385. nuptiales ex pinu, item ex ſpina alba. 654
Faciei velatio in luctu & ſuppliciis 436
Facinoroſi apud Judæos quando necati. 63
Fel an admiſtum potioni Chriſto crucifigendo datæ. 758
Fel pro omni amaritudine. 759
Fermentum tempore paſchatis a Judæis ſolicite quæſitum & rejectum. 121
Feſtum pro Paſchate. 555
Feſtorum religio quanta Judæis. 138. ſ. translatio apud Judæos uſitata. 147. an in aliis quam Paſchate dimiſſi rei. 555
Feſtum Exaltationis crucis. 821
Ficus, cui Chriſtus maledixit. 48 *ſeqq*. an ea fuerit, ex qua Protoplaſti folia ſumſere. *Ib.*
Ex Ficu an ſe ſuſpenderit Judas. 498
Filii hujus ſæculi quinam. 55
Fiſcheri Epiſc. Roffenſis ſupplicium. 15
Flagellatio ſervilis pœna. 582
Flagellationis Chriſti hiſtoria. 575. ſ.
Flagellum & Flagrum unde deriventur. 578
Flagellorum materia. 579. ſ. pro reis diſtinctio. 582
Formatæ Epiſtolæ. 102
Fractio panis in S. Cœna. 187
Francorum Reges nato filio captivos dimittebant. 562
Freno Conſtantini M. inſertus clavus crucis Chriſti. 814. ſ.
Fridericus Arnsberg. Comes medius crepuit. 489
Frondes arborum geſtabant veteres in publica lætitia. 40
De Fullonibus veterum & arte fullonia. 545
Funibus interdum alligati cruciarii. 808
Funes nulli in cruce Chriſti & latronum. *Ibid.*
Fuſtibus an Chriſtus cæſus. 519
G.
Gabalum pro *cruce*. 779
Gabbatha. 688
Gabriel Archang. an Chriſtum corroborarit. 379
Galilæus Chriſtus per contemtum dictus. 440
Galilæi pro ceteris Judæis. 441. eorum dialectus horridior. *Ibid.* ſeditioſi. 563
Gallicinii cauſæ. 443. an ſtatum tempus. *Ib.*
Galatiæ coccus optimus. 607
In Galeam miſſæ ſortes militum 505

Gama-

Digitized by Google

Gamaliel an Princeps Synedrii tempore paſſionis Chriſti. 413
Gaudium Chriſti quale. 254
Genæ *purpureæ*. 631
Geneſareticus lacus. 669
In Genubus an liquor vitalis. 1045
Gerhardus contra Voſſium defenſus. 469
Gethſemane villa unde dicta. 317 ubi ſita. 318
Gladios unde acceperint Apoſtoli. 228
Gladii duo Apoſtolor. non ſtabiliunt Paparum ſacram & civilem poteſtatem. 229. *ſeqq.*
Gloria, quam Pater Chriſto, hic fidelibus dederit, qualis. 297
Glorificatio Chriſti qualis. 208. quomodo Pater Filium, Filius Patrem glorificet. 281
Gnoſticorum hæreſis. 267
Golgothæ nomen, ſitus, & alia memorabilia. 734. *ſeqq.*
Gotfridus Bullioneus cur aurea corona noluerit coronari. 660
Græci quinam Joh. XII. v. 20. *pag.* 44. Gregorii M. laus. 11
In *Gremio recumbere, ſedere.* 202
Gvilandinus cur ad lacum Geneſareticum diu verſarit. 669

H.

Hadrianus Imp. crucifixionis & reſurrect. Chriſti locum profanavit. 747
Hallelujah magnum Paſchalis hymnus dictus. 309
Haman an vivus crucifixus, dubium. 789
Hannas non fuit princeps ſynedrii. 413. cur ad eum Chriſtus ductus. *Ib.* qualis Pontifex. 417
Hartwicus Archiep. Bremenſis gladium Petri Bremam detulit. 398
Haſtæ pura. 1052. *donatica.* 1053
Haſtæ Rom. an ex arundine. 950 ignavis militibus ademtæ. 1053
Hebdomas Paſcha præcedens cur *magna* dicta. 29
Helena baſilicam in Gethſemane extruxit. 318. agrum figuli muro cinxit. 461. an crucem Chriſti invenerit. 781. 815. quid egerit cum clavis repertis. 824. *ſeqq.*
Helmontius putat verum fel Chriſto crucifigendo exhibitum. 759
Henricus Dux Brunſw. monaſterio Walckenredano duas ſpinas coronæ Chriſti dedicavit. 657
Heraclius Monotheletarum hæreſi addictus. 339. crucem Chriſti reſtituit. 821
Herbæ amaræ cum agno Paſch. comeſtæ quales. 122
Herodiani quinam. 51. *ſeqq.*
Herodis Archelai exilium. 453. 686
Herodem Chalcidis dynaſtam extulit Claudius Imp. 517
Ad Herodem Antipam ductus Chriſtus. 535. *ſeqq.*
Herodis & Pilati inimicitia unde nata. 551

Mmmmmmm Hieri-

Digitized by Google

Hiericho quantum diſſita Hieroſolymis. 10
Hieronymus Samaritanæ linguæ gnarus. 786
Hieroſolyma funditus diruta. 42
Hœdus interdum pro agno paſchali aſſumtus. 85
Holſatica inſignia. 828
Holoveræ veſtes. 627
Horarum Rom. & Judaicarum differentia. 774
Hora Chriſti qualis. 280
Hora pro tempore paſſionis. 376
de Hora qua Chriſtus crucifixus. 767. *ſeqq.*
Horti Regum Perſ. dicti *Paradiſi* 973
In Horto cur Chriſtus paſſionem cœperit. 319. cur voluerit ſepeliri. 1136
Hoſchiahnna explicatur. 39. ſ.
Hyacinthus. Hyacinthinus color. 617
Hymni nomen & ſignificatio. 306
Hymnus paſchalis. 308. *ſeqq.*
Hyſſopus. 954. ejus varius uſus. 957. veterum a noſtro diverſus. 958. differentiæ. 962. an inter arbores. *Ibid.*

I.

Iacobus Apoſt. an fuerit adoleſcens, qui ſindone relicta aufugit. 410
Iacobus Patriarcha an ſuppoſito lapide ibi dormiverit, ubi poſtea Chriſtus crucifixus. 747
Ianthinus color. 615
Ianuæ interdum obſignatæ 1153. iis impoſita cur ſpina alba. 651
Idæus rubus unde dictus. 646
Iejunium Chriſtianum ſolvebatur Paſchate. 96. feria IV. & VI. magnæ hebdomadis. 72. *ſeqq.*
Ieremias cur pro Zacharia poſitus Matth. XXVII. 464. *ſeqq.* olim Prophetarum primus. 480.
Ignatii Epp. quales. 495
Ignorantia Judæorum Chriſtum crucifigentium qualis. 967. *ſeq.*
Ilex arbor coccifera. 607
Imperator & Imperatrix lavant quotannis pedes pauperum. 175
Impp. Chriſtiani relaxarunt captivos in feſto Paſchatis. 559
Impp. Roman. purpura. 625
Impii quomodo Chriſtum viſuri. 239
Improbum patibulum pro *ſublimi.* 790
Indulgentia Rom. Impp. 559
Inſcripta ædes quænam. 544
De Inſcriptionibus. 851
Intercalatio annorum Judaicor. 93
S. Johannes quomodo ad pectus Chriſti recubuerit. 201. cur eum Chriſtus ſingulariter dilexerit. 203. ſenex Epheſi dilectionem proximi inculcat. 221. cur curator Mariæ a Chriſto delectus. 981. non fuit adoleſcens, qui ſindone relicta aufugit. 410 an diſcipulus Cajaphæ Pontif. notus.

notus. 438
Iordani (Hieron.) brevis vitæ hiſtoriola. 374
Ioſephi venditio typus venditi Chriſti. 70
Ioſephus Hiſtoricus tribus annis apud eremitam vixit. 412
Ioſephi Arimathæi hiſtoria. 1109 *ſeqq.*
Iſaacus ligni bajulus typus Chriſti crucem portantis. 715. *ſeq.* ubi immolandus. 747
Iudas cur Iſcariotes dictus. 64 488. cur Chriſtum prodiderit. 67. 206. cur Chriſtum non accuſarit ob translationem Paſchatis. 149. ejus peccatum non ex fatali neceſſitate. 177. nec ex immutabili Dei decreto. 206. male id nonnulli elevant. 455. cur fide non donatus, quod tamen factum Petro. 457. *ſeqq.* an S. Cœnæ fact⁹ particeps. 179. filius perditionis. 294. non periit, ut impleretur Scriptura, ſed quia periit, Script. eſt impleta. 295. ejus pœnitentia qualis. 454. non emit agrum figuli. 462. de ejus morte variæ ſententiæ. 488 *ſeqq.*
Iudæi gratis conceſſerunt domos hoſpitibus Paſchatis. 78. nonnulli vitæ auſterioris. 412. cur noluerint ingredi prætorium Pilati. 511. plures capta Hieroſolyma crucifixi. 833. recentiores pervertunt teſtimonia V. T. de Chriſto. 911. ſepeliebant capitali ſupplicio ſublatos. 1039 De Judæo immortali. 725. *ſeqq*
Iudices non debent attendere clamores populi. 693. Romani non poterant mutare ſententiam. 882
Iudicia apud Judæos quotuplicia. 3. 516. capitalia an potuerint exercere tempore Chriſti. 56. *ſeqq.*
Iudicium mundi Joh. XII. 31. quale. 46
Iulianus Apoſtata Chriſtũ & Chriſtianos vocat Galilæos. 440
Ex Iunco marino an corona Chriſti. 637. *ſ.*

K.

Karræi, & qui de iis ſcripſerint. 145
Kaarwoche & Kaarfreitag unde dicta. 29
Kermes vermiculus. 610
Köpfgenberg quis locus Luneburgi. 738
Kortholtii (Chriſtiani) laus. 697

L.

Lacedæmonii cur puniceis tunicis in bello uſi. 634
Lacrumaſſe Chriſtum cur quidam negarint. 42
Lacrumæ ſanguineæ. 363
Lacrumæ Petri. 450
Lanæ prope anum ovis evulſæ uſus medicus. 951
Lana chlamydum varia. 605

Digitized by Google

De Lancea vett. pxolixe. 1064. ſeqq.
Lantze/ Lantzenknecht. 1065
Laodiceæ optimum ungventum nardinum confectum. 18
Lapis Chriſti ſepulcralis. 1141. 1153
De Latere Chriſti percuſſo. 1070 ſeqq.
Latinæ voces N. Teſt. unde. 850
Latina lingua uſus Pilatus in condemnando Chriſto. 770
Latrones crucifigebantur. 733
De Latronibus cum Chriſto crucifixis. 837. ſeqq. 931. ſeqq. eorum cruces an habuerint titulos. 873 an veſtimenta diviſa. 903. an ambo Chriſtum convitiati. 972
Laurentii monachi geſta apud Britannos in controverſia paſchali. 105. ſ.
Lecti quot in conviviis Rom. 879
Lectiſternii tempore captivi laxati. 556
Legio Rom. quot militum. 405. ſ.
Legiones magnæ & parvæ. 407
Legiunculæ. Ibid.
Leo M. ante Oſtienſem S. Pauli baſilicam fontem condidit. 703
Lex pro tota S. Scriptura. 260
Libri Biblici olim in certas ſectiones diviſi, quæ ſuos haberent titulos. 848
Libri veterum lignei. 859
Lignum medianũ in cruce. 794. ſ.
Lingua qualis Judæorum tempore Chriſti. 734
Linguarum ordo quis in titulo crucis Chriſti. 878
Lintei quo Chriſtus diſcipulorum pedes deterſit, reliquiæ. 165
Linteo an velata Chriſti crucifixi verenda. 763
De Linteis Chriſti ſepulcralibus 1126. ſeqq.
Lipſii in deſcribenda cruce errores. 783.
Lithoſtrota. 688. ſ.
Longinus an dictus miles, qui lancea percuſſit latus Chriſti. 1055. ſ.
Longini plures. 1056
Lora pro flagellis. 579
Lotharius Imp. lavit pedes pauperum. 174
Lotionis pedum Apoſt. hiſtoria. 160. ſ.
Lotio pedum in primitiva Eccleſia. 170. in Magnatum aulis. 174
Lotio manuum Pilati. 699. ſ.
Lucas proprietatis verborum ſtudioſus. 345
Ludovicus S. a Balduino Cpol. Principe accepit coronam ſpineam. 657
Ludovicus VII. Galliæ Rex cur in Arare manus laverit. 704
Lunchus, *Lonchus* vox Tertulliani. 1063
Luneburg. ſtatuarius cur præ mœrore mortuus. 994
Lyſeri *Paraphr. Paſſionis Chriſti* laudatur. 214

M.

De Machæra, qua Petrus Malcho auri-

auriculam amputavit. 398
Magiſtratui vindicatur gladius contra Anabapt.& Socinianos. 405
Maieri (Barthol.) *Philologia S.* laudata. 850
Majeſtatis rei habebantur privati purpuram affectantes. 627
Majeſtatis legem Tiberius ſevere exercuit. 686
Maj. damnati non ſepulti. 1116
Malchi Petro auriculam amputantis nomen, & hiſtoria. 397
Mantuam an delatus Chriſti ſangvis. 1095
Manus quando lotæ a Paganis & Chriſtianis. 700. *ſeqq.*
Manus ſponte extendit Chriſtus crucifigendus. 809. qua parte perforatæ. 811. *ſeqq.*
Manus Dei Patris quid. 992
Marcelli Empirici ſcripta ex Scribonio Largo deſumta. 650
Marcion negavit veſtes Chriſti diviſas. 909
Marcus non ſcripſit Evangelium latine. 877
Marcus Baſiliſci filius crepuit medius. 494
Mariæ Magdal. unctura Salvatoris excutitur. 10. ipſa ubi ſepulta. 16. ſ.
S. Maria an clavos crucis Chriſti receperit. 826. an tunicam inconſutilem confecerit. 894. an in Templo educata 895. non fuit Socia paſſionis Chriſti. 980 a Chriſto cur non vocetur mater. *Ib.* an in horto Gethſemane ſepulta. 318. Epheſi ſepulta. 983
Maria Cleophæ an uxor ejus, an filia. 979
Marſilii Patavini *Defenſorium Pacis* laudatur. 331. ſ.
Martyrum alacritas & lætitia unde. 347. copioſus ſanguis per Chriſti ſudorem ſanguineum præſignificatus. 377. an & per ſanguinem lateris Chriſti. 1093. nomen falſo ſibi arrogabant *Circumcelliones*. 500. ad ſupplicia acclamationibus depoſcebantur. 574 692. ad mortem usque flagellati. 594. cur potiſſimum crucifixi. 696. crurifragium. 1043. ſepultura ære redemta. 1118
Maſſiliæ an ſepulta Maria Magd. 16
Matthæi Evangel. Hebr. ubi repertum. 860
Matres graviter dolent liberorum mala. 751
Maximus Chryſopol. Monotheletarum adverſarius. 341
Melitonis Sard. liber *de Paſchate*. 97
Metaphraſtes notatur. 1094. 1128
Miles percuſſor lateris Chriſti non fuit eques. 1050. non fuit cæcus. 1059. an factus martyr. 1060
Miracula quomodo majora patrarint diſcipuli, ac Chriſtus. 237
Monotheletarum hiſtoria. 339. ſ.
Monumenta aperta tempore paſſionis Chriſti. 1027

Digitized by Google

Moribundorum angor maximus. 365
Mors purpurea quænam. 616
Mors Chriſti vera. 995. præpropera unde. 1117
Muhamedes multa ex Talmude in Alcoranum transtulit. 978
Multi non opponuntur *omnibus*. 8
Mundus quo menſe conditus. 91.ſ.
Murex pro *purpura*. 613
Muſtum purpureum. 632
Myrrhatum vinum cur Chriſto datum. 755.ſ.
Myrrhina potio & vaſa quænam. 756
Myrrha unguentum. 1120.ſ.

N.

Nardi deſcriptio. 17.*ſeqq.*
Natalis Calicis quis dies. 76
Natali Imp. ſepulta maleficorum corpora. 1039
Nectere de coronis. 641
Neomeniarum Judaicar. diſtinctio. 143.ſ.
Nicænum Concil. vetuit Paſcha eodem die cum Judæis celebrare. 99
Nicetæ liber *de Azymo*. 133
Nigræ veſtes reorum. 541
Nihuſius (Bartoldus) Calixti adverſarius. 798
Niſan menſis unde dictus. 91
Nomen Chriſti quid deſignet. 272
Nomen Dei. 289
Novatianos refellit pœnitentia Petri. 445
Novum præceptum de amore proximi cur dictum. 220
An ex Nuce crux Chriſti. 781
Nuditas Chriſti in flagellatione. 590. in crucifixione. 761.ſ.

O.

Oblata in S.Cœna ſunt verus panis. 183.ſ.
Obſignatio ſepulcri Chriſti. 1153
Oculi Chriſti an ſcintillantes. 49
386
Oeſypum, Oeſypa quid. 951.ſ.
Oliveti mons unde dictus. 312
Omnipotentia Dei qualis. 333
Opis civitas prope Babylonem. 19
Ordo inter Apoſtolos qualis. 222
Origenis error omnes animas ab initio fuiſſe creatas. 200
Oroſangæ quinam apud Perſas. 217
Oſculatus Chriſtus diſcip. pedes. 165
Oſculæ Judæ proditorii hiſtoria. 388
Oſculati magiſtros diſcipuli. *Ib.*
Oſculorum Chriſtianor. hiſtoria. 390.ſ.
Oſſa cur non fracta agno Paſch. 119
Oſſa corporis humani quot. 595
Oſtrum pro *purpura*. 612
Oſuvius Scotiæ Rex componere ſtudet controverſ. de Paſchate. (107

P.

Pallium Hebræorum quale. 902
Palma unde ſumti frondes Chriſto Hieroſ. veniente an Cyrilli ætate ſuperſtes. 40

Digitized by Google

An ex Palma crux Chriſti. 782
Pane fermentato utuntur Græci in S. Cœna. 130
Pane azymo Chriſtus in S. Cœna uſus. 183. quod negant Græci. 130. 183
Panes Judæorum quales. 187
Panicularia. 901.
Papa lavat pedes pauperum. 175
Papias ſcriptor fabuloſus. 483
Paradiſi etymon variæque ſignif. 973. ſ.
Paradiſus in diluvio periit. 976. cur pro cœlo ponatur. 977
Paraſceve Paſchæ 142. 1108
Paraſceves Chriſtian. & Jud. differentia. 773
Parturientium dolores graviſſimi. 271. poſt partum rariores. 271
Paſcha pro *paſchali tempore*. 60. pro *victimis paſchalibus* in N. T. non uſurpatur. 142
Paſchatis nomen. 83. non eſt græcum. *Ib.* Judaici hiſtoria fuſe exponitur. 82. *ſeqq.* ſolum Hieroſol. celebratum. 88. non ſemper ſtando comeſtum. 123. 151. cur in Paſchate dimiſſus reus ap. Judæos. 556
De Paſchatis die controverſia Eccleſ. prolixe exponitur. 94. ſ.
Paſchatis Judaici tempus non revocandum. 111
Paſcha Chriſtianum quotannis indictum. 101. ſ.
Paſchatis feſtum olim ſolenne baptiſmi tempus. 543
Patibulum. 785
Pavimentum. 688. teſſellatum. 689
Pauli Burgenſis vitæ hiſtoriola. 148
Pax Chriſti qualis. 243
Peccatorum quanta gravitas. 987
Peccatores quomodo *Chriſti ſocii.* 396
Peccata Judæorum quomodo graviora quam Pilati. 684
Pectoris percuſſio qualis geſtus. 1036
Pecunia quotuplex Judæis in uſu. 53. olim ſolebat appendi. 483
Pedes pauperum & hoſpitum loti. 172. ſ.
Pedum unctio. 24
Pedes Chriſti ſinguli ſingulis clavis transfixi. 813
Pelagiæ purpuræ. 614
Pericardium Chriſti an percuſſum. 1075
Perſarum Regum purpura. 626
Petra a Moſe percuſſa typus perfoſſi lateris Chriſti. 1093
Petrarum ruptura tempore paſſ. Chriſti. 1026
Petrus cur pedes noluerit lavari. 167. ſolus cur Chriſtum allocutus. 222. ſoli cur Chriſtus reſponderit. 224. pro eodem quomodo Chriſtus oraverit. *Ib.* dormiens cur ſingulariter redarguatur. 342 uſurpatione gladii peccavit. 403

eum

Digitized by Google

eum adſpexit Chriſtus phyſice & gratioſe. 444. ejus lapſus graviſſimum peccatum. 447. ſ. an ſleverit quoties gallicinium audiverit. 450. an tonſus in memoriam coronæ ſpineæ. 661
Petrus, Jacobus & Johannes cur a Chriſto delecti ad ſpectandum agonem in horto. 520
Phantaſiaſtæ hæretici. 321
Phlegon Trallianus ſcripſit de Eclipſi ſolis tempore paſſ. Chriſti. 1022. & terræ motu. 1023
Philaſtrius qualis ſcriptor. 99
Phocion damnatus ſputa pertulit. 430
Phœniceus color. 621
Picta toga triumphalis. 625
Pii Epiſc. Rom. decretum de Paſchate. 98
Pilati hiſtoria. 502. ſ. officium. 504 mors & ſepultura. 506. ſ. acta & epiſtolæ. 508. *lacus.* 510. ſ. uxor. 567. 570. in damnando Chriſto non poteſt excuſari. 705. ſ. nec ex invincibili ignorantia peccavit. 706. an ipſe Chriſtum flagellarit. 575. an ipſe ſcripſerit titulum crucis. 866. cur timuerit audiens Chriſtum eſſe Dei Filium. 681
Ex Pinu faces nuptiales. 654
Piſcatorum pertica ex calamo. 673
Plantæ pro loci genio variant. 963
Planus pro impoſtore. 1147. ſ.
Plectiles coronæ. 641
Pleuritis qualis morbus. 1069
An ex Pleura aqua lateris Chriſti. 1089
Plumbatæ. 581
Poculum Paſchale quotuplex. 154. ſ.
De Poculo, quo Chriſtus in S. Cœno uſus. 185. ſ.
Polycrates Epiſc. in Aſia Victori Ep. Romano ſe oppoſuit. 98
Pontifex Max. Hebræor. ſæpe indoctus. 415. ejus vicarius. 418 an ei licuerit veſtem ſcindere. 428
Porphyrius ejusque pater *Malchi* dicti. 397
Poſneri (Caſp.) laus. 375
Poteſtas Chriſto à Patre data quanta & qualis. 282
Præcipitio interemtis viſcera ſolent effundi. 490
Præco reorum crimen populo indicabat. 855. an in paſſione Chriſti adhibitus. 857
Prædictiones Chriſti de morte ſua quotuplices. 526
Præſides in provinciis quorum conſilio uſi. 1112
Prætexta purpurea. 634
Prætorium. 513
Prævisio divina peccatorum non eſt horum cauſa. 206
Preces Chriſtianorum elevatis ad cœlum oculis 278. ad orientem. 829. ante eas manus lotæ. 704

Precum apud Judæos ſtatæ horæ. 775
Procuratores provinciarum. 505. talis fuit Pilatus, non Præſes. 504
Proſcriptæ ædes quænam. 844
Proſelyti. 462
Pſalmos plures an Chriſtus oraverit in cruce. 984. ſ.
Pullo cur Chriſtus inſederit. 32
Puniceus color. 621
Purpuræ fuſior hiſtoria. 610. *ſeqq.* privatis interdicta. 627. tinctura plane deperdita. 628. ſplendor. 550. a cocco differentia. 606

Q.

Quartadecimani quinam. 99
Quercina an Crux Chriſti. 780

R.

Reges aliqui per ludibrium ſalutati. 676
Regnum Dei Luc. XXII. v. 16. 18. quodnam. 152. quomodo expectaverint Judæi fideles. 1114. Chriſti non eſt mundanum. 530
Regum veſtes candidæ. 538. ſ.
Regulus a Carthagin. crucifixus. 789
Reiskii (Joh.) laus. 725
De reliquiis Pontiff. *paſſim.*
Reorum transmiſſio in provinciis Rom. uſitata. 551
Reſpondere erat reorum. 683
Reſtis ex qua Judas ſe ſuſpendit, Roma Auguſtam delata. 499
Rhamni variæ ſpecies. 647.
Roman. civem flagris cædere nefas. 382. item crucifigere. 632
Romani reges purpurati. 624
Roſa purpureæ. 631
Rubenii pictoris laus. 811. quomodo is Chriſtum crucifixum pinxerit. 81.
Rubi variæ ſpecies. 644. ſ.

S.

Sabbato curare funus apud Judæos nefas. 141. 1108
Sabellianorum hæreſis. 235
Sabek planta. 643
Sacerdotum veſtes albæ. 540
Sacramenta N. T. per ſanguinem & aquam lateris Chriſti denotata. 1090
Sadducæi reſurrectionem negabant. 54
Sagittæ ex arundine 672. ſ.
Sagittarii (Caſp.) B. patris mei elogium. 184
Saladinus crucem ludibrio habuit 823
In Salfeldenſi ponte quænam imago. 766
Samaritanæ literæ. 786
Sancti cum Chriſto reſurgentes quinam. 1029
an iterum mortui. 1031
Sancta civitas quomodo Hieroſolyma. 1030
Sanguineus color purpuræ. 620
Sanguis Chriſti purpureus. *ib.* quomodo ſuper Judæos venerit. 708

Digitized by Google

ſ. quomodo Nov. Teſt. ſanguis. 190. effuſum Chriſtus in reſurrectione recepit. 1095
De Sanguinis & Aquæ ex latere Chriſti fluxu. 1081. ſ.
De Sanguinis circulatione. 369
Sarrana purpura. 618
Scalæ in cruce nullæ. 809
Scanderbegi præliaturi labia ſangvinem ſtillarunt. 364
Scheda quid. 859
Schema pro *veſte*. 1111
Scherzeri (Joh. Adami) laus. 1101
Scorpii & *Scorpiones* pro *flagellis*. 581
Scoti quo die celebrarint paſcha. 106
Scribonii Largi ætas & ſcripta. 650
Scriptoriæ antiquitates veterum. (864
Secretarium judicis 565
Sedile in cruce. 794. *ſeqq.* an fuerit recurvum. 799
Seditioſi crucifixi. 696
Sententia capitalis in Chriſtum dicta latine. 710. quibus verbis concepta. 711
Sepulcra Judæorum extra urbem. 460. 1136. in cavernis. 1137
Sepulcra deprædari infame. 1149
De Sepulcro Chriſti. 1135. *ſeqq.*
Servi quanti venditi. 71. linteo ſuccincti in conviviis Rom. miniſtrabant. 164. manumittendi alapis læſi. 434. delinquẽtes crucifixi. 831. ſ. iiſdem crura fracta. 1042
Sibyllina carmina ſuppoſititia. 660
Sicera pro *vino*. 751
Sicli valor. 69
Sido inventrix hymni. 307
Silentium Chriſti quale. 514
Simonis nomen quid ſignif. 718
Simon cur *leproſus* dictus. 25. an Lazari pater. *ibid.*
Simon Epiſc. Paderb. ſagitta percuſſus periit. 402
Simonis Cyrenaici hiſtoria. 718. ſ.
De *Sindone* plura. 411. non fuit veſtis cœnatoria. *ib.*
De Sindone Chriſti ſepulcrali. 1130 ſeq.
Sitis Chriſti qualis. 988
De Solis obſcuratione tempore paſſionis Chriſti. 996
Somnium uxoris Pilati. 566. ſ.
Somniorum differentia. 568
Somnus unde oriatur. 342. ex triſtitia. *ib.*
Sortitio veſtium Chriſti. 904. ſ.
Spicatum unguentum. 20. ſ.
Spinæ albæ deſcriptio. 651. ex hac an corona Chriſti. 649
Spiritus abſolute non ſumitur pro *Satana*. 343
Spiritus pro *anima*. 592
Spongia cui uſui in monte Golgotha. 948. os obturatum damnatis. 948
Spuere in faciem ſumma contumelia. 430
Steſichorus hymni inventor. 307
Stoicis *ſapiens* idem ac Rex. 351
Stragula veſtis. 599
Sudoris ſanguinei hiſtoria. 348. ſ.

ruber

Digitized by Google

ruberex rubri vini potu. 353
Sudarium Veronicæ. 723
De Sudario, quo obvolutum Chriſti mortui caput. 1126. ſ.
Suidæ ætas. 352
Superliminare templi an corruerit tempore paſſ. Chriſti. 1022
Suppedaneum an in cruce Chriſti. 809
Supplicia capitalia quænam Judæis uſitata. 649. locus apud Júdæos & Rom. extra urbem. 713 apud Romanos quamdiu dilata 712
Synedrium majus & minus. 3. magnum ubi habitum. 61. 451. poteſtas quanta tempore Chriſti & Apoſtolorum. 518. ſ. Princeps quis tempore paſſionis Chriſti. 413
Syriaca verſio N. T. an corrupta. 549. Græco fonti merito poſtponitur. *ibid.*

T.

Talentonius notatur. 1057
Tarentina purpura olim in pretio. 619
Tau Latinorum & Hebræorum. 786
Taxilli flagellis innexi. 580
Templi Hieroſolym. fores quando ſponte apertæ. 1021. in atrio vendita animalia. 49
In Templis exſpuere olim nefas. 432
Ante Templa Chriſtianorum canthari & fontes. 702
Tenebræ miraculoſæ tempore paſſi Chriſti. 1004
Terræ motus naturales cauſæ. 1024
Tertulliani liber *de Monogamia* hæreticus. 267
Thallus Chronographus meminit Eclipſis tempore paſſionis Chriſti. 1104
Theophilus Patriarcha Alex. cyclum paſchalem ordinavit. 101
Ejusdem Epiſtolæ Paſchales. *ib.*
Thus pro myrrha an Chriſto in potu datum. 757
Tiberius non fuit ignarus actorum cum Chriſto. 506. ſevere exercuit legem Juliam majeſtatis. 686. ſ.
Tibiæ ex calamis. 671
Tituli etymon & variæ ſignificationes. 840. *ſeqq.*
Titulare. 852
Togatæ Chriſti crucifixi picturæ ineptiſſimæ. 766
Tonſura Petri. 661. ſ.
Trabeæ Rom. Regum. 539
Traditiones Pontificiæ. 268
An ex Traditione ſcripta quædam citarint Evang. & Apoſtoli. 475
Trevirenſes putant ſe habere tunicam Chriſti inconſutilem. 906 *ſeqq.*
Tribunus cohortis, legionis. 384
Tribunus damnato militi primam inflixit plagam. 576

Tri-

Tribunal Pilati ubi ſitum. 690
Triſtitia mater ſomni. 342
Triumphantium purpura. 625
In Triumpho ferebantur tabulæ actorum indices. 848
Tunicæ inconſutilis conſideratio. 886. ſ.
Tutuli quid. 840
Tyria purpura. 617. Tyrii inventores purpuræ. *ib.*

V.

Valentinus II. Imp. in gratiam Arianorum Catholicos perſecutus. 561
Vaſculum ex quo Chriſtus unctus quorſum devenerit. 23
Velatio faciei in mœrore & ſuppliciis. 43
Velo levato rem cognoſcere. 565
De Velis tabernaculi & templi Jud. 1015. ſ.
De Velo Templi ſciſſo. 1016
Venetiis quinam captivi in Paſchate liberentur. 562
Ex *Vepre* an corona Chriſti. 642
De Veritate an Pilatus ſerio quæſiverit. 532
Vermiculi cocci. 608
Veronicæ ſudarium. 723
Veru cruciforme in quo aſſatus agnus Paſchalis. 118
Veſpera duæ, quas inter agnus paſchalis mactandus quænam. 113. ſ.
Veſte cœnatoria an Chriſtus uſus. 163
Veſtimentorum ſciſſio apud Judæos & alios populos. 426. ea flagellandis cum impetu detractata, aut ſciſſa. 589
De Veſte Chriſti candida. 537. ſ. de Veſtimentis Chriſti. 884. eorumque diviſione. 901. ſ.
Veſtes rectæ qaales. 893
Victimæ coronatæ. 664
Victor Epiſc. Rom. excommunicat Quartadecimanos. 97. *ſeqq.*
Vinum quale a Chriſto in S. Cœna adhibitum. 184. cur ad ſupplicium deſtinatis datum. 751
Violaceus color. 616
Viridium dies unde dictus. 76
Vis quando & quomodo repellenda. 404
Viti quomodo comparetur Chriſtus. 249
Vitulus pro agno paſchali non aſſumtus. 85
Vmbra Chriſti an in latronem pœnitentem inciderit. 940
Vnctura Chriſti ante paſſionem. 10 *ſeqq.* ſepulcralis. 1120. *ſeqq.*
Vnio inter Chriſtum & Apoſtolos qualis. 293. perſonalis manſit poſt mortem Chriſti. 996
Voluntatis variæ diſtinctiones. 336
Voluntas Chriſti humana quomodo divinæ conformis. 334.
Vranologium Petarii. 128

Vrti-

Digitized by Google

Vrticæ amaritudo. 122

W.

Weigelii (Erhardi) laus. 112
Weigeliana hæreſis. 151

X.

Xaverii *Hiſtoriæ Chriſti Perſicæ*, offuciæ. 857. 1050. 1060.

Z.

Zacharias Propheta an Jeremiæ diſcipulus. 478. an binominis. 479
Zachæus an Judæus, an gentilis. 9.
Zorobabeli hiſtoria illuſtratur. 37.

F I N I S
INDICIS RERVM ET VERBORVM.

Digitized by Google

SPHALMATA

quædam Typographica B. Lector ſequenti modo diſpunget.

Pag. 4. lin. 16. leg. *futura*. p. 24. l. 19. *cum*. p. 30. l. 4. dele *acceſſit*. p. 33. l. 27. leg. *v. 44*. p. 34. l. 2. leg. *v. 26*. p. 43. in marg. leg. *Joh. XII*. p. 44. in marg. l. *Matth. XXI. v. 16*. p. 45. l. 5. leg. *ament*. p. 47. in marg. leg. *Matth. XXI. v. 33*. p. 54. l. 16. l. *cujus*. p. 43. l. 10. leg. *afficerent*. p. 65. l. 19. dele *eſt*. p. 68. l. 4. leg. *XXVI*. lin. 25. leg. *fautoribus*. p. 93. l. 1. leg. *CCCLV*. p. 130. l. 29. leg. *fermentatum*. p. 161. l. 17. dele *ſunt*. p. 190. l. 16. leg. *principalia*. p. 249. l. 26. l. *exornando*. p. 283. l. 1. leg. *mutatione*. l. 12. leg. *Chryſoſtomus, Theophylactus*. p. 294. l. 21. leg. *Pſalmo*. pag. 307. lin. 11. poſt verbum *cantico*, adde: *Hymni cantus ſunt continentes laudes Dei*. p. 311. l. 20. leg. *Hieroſolymitanus*. it. *Haymo*. p. 341. lin. 23. l. φύσεις. p. 346. l. 18. leg. *humana*. p. 350. l. 29. leg. *Vaticanam*. p. 351. l. 21. leg. *de*. lin. ult. *Theophylactus*. p. 356. l. 23. l. ϕυλῶσει. p. 358. l. 28. l. ποθὴριον. p. 364. l. 6. l. *guttulæ*. lin. 22. poſt *craſſior*. leg. *vix*. p. 368. l. 14. poſt *CHRISTI*. adde, *anxietatis*. p. 387. l. 3. pro *tamen* leg. *autem*. p. 297. l. 6. pro *18*. leg. *27*. p. 400. l. 5. leg. *expoſitione*. p. 408. l. 21. leg. *Aggreſſi*. p. 411. lin. 24. l. *Numer. XV. 38*. p. 426. l. 4. leg. *Actor. XIV. v. 13*. lin. 23. leg. *v. 29. 34*. p. 429. l. 20. leg. *tamen*. p. 432. lin. 2. leg. *Epictetum*. p. 442. l. 1. leg. *agnovit*. p. 447. l. 8. leg. *Pontificii*. p. 452. lin. 10. poſt *mihi* leg. *Si autem & interrogavero, non reſpondebitis mihi*. pag. 471. lin. 1. *cap. 11. v. 5. & 15*. p. 472. l. 24. lege *de hoc loco differens*. p. 489. l. 18. l. *laudatus*. p. 490. l. 27. l. *cautium*. pag. 500. lin. 5. dele *Hieronymus*. p. 509. l. 8. leg. *Vlyſſe Gallo-Belgico*. p. 514. l. 6. l. *Auguſtinus*. p. 520. l. 3. *Lucas cap. XXII*. p. 533. l. 3. l. *Theophylactum*. p. 535. l. penult. l. *Taricheas*. p. 539. l. 22. pro *tamen* l. *vero*. p. 545. l. 8. l. *iverit*. p. 552. l. 21. l. *inſiſtit*. p. 556. l. 19. leg. *Tatii*. p. 562. l. 15. pro *quale unum*, leg. *cujusmodi exemplum*. p. 566. l. 27. leg. *cognoſcimus*. p. 574. l. 18. l. *Maximianus*. p. 621. l. 4. l. *Auguſti*. p. 632. l. 17. l. *fuiſſe*. p. 633. l. 14. l. *purpureum*. p. 637. l. 17. l. *Toleti*. p. 659. l. 19. leg. *v. 11*. p. 664. l. 23. leg. v. 12. p. 709. l. 21. l. *c. XXXV*. p. 723. l. 23. l. *Johannem Andream*. p. 727. l. 11. leg. *quum*. p. 744. l. 9. leg. *originem*. p. 757. l. 15. *contrarius*. p. 760. l. 9. leg. *conſuetudinem*. p. 766. l. 27. l. *ſentiendum*. p. 772. l. 23. l. *CHRISTVM*. p. 776. lin. 23. pro *Evangel*. leg. *Biblic*. pag. 780. lin. 1. leg. *At quale illud fuerit in CHRISTI cruce, incertum*. p. 799. l. 1. leg. 1. *conjectura*. l. 29. l. *Tertullianus* p. 806. l. 6. leg. *non video tamen*. p. 810. l. 8. leg. *Sacrif*. p. 813. l. 1. l. *illa*.

p. 842.

Digitized by Google

842. lin. 13. leg. *Impurus leno in vita Apollonii Tyrii a M. Velſero edita.* pag. 856. lin. 27. leg. *Auguſto.* pag. 896. lin. 5. leg. *Tunica.* pag. 902. lin. penult. leg. *Num. XV. v. 38. & Deuteron. XXII.* p. 903. l. 17. leg. *Maldonatus.* p. 905. l. 16. leg. *talorum.* p. 943. l. 22. l. *Janſenio.* p. 952. l. 25. l. *apud* p. 973. l. 3. ab initio ſſ. lege *Paradiſus.* p. 985. l. 28. pro 73. leg. 37. p. 993. l. 6. l. *Domini.* p. 1033. lin. 24. pro *ſequenti.* leg. *tertio.* p. 1034. l. 11. leg. *agnoſcendam.* p. 1093. l. 19. leg. *pietatem.* p. 1045. l. 15. l. *convulſiones.* p. 1074. l. 4. leg. *Phyſica.* p. 1084. l. 13. l. *enallagen.* p. 1088. l. 27. leg. *Johannes Baptiſta.* p. 1112. l. 4. leg. *apud Marcum & Lucam arguit : quam vocem Syrus.* p. 1138. l. 5. l. *Græcis.*

Si quæ alia obſervaverit Lector, vel ipſe corriget, vel pro æquitate ſua feret, ac inprimis mihi ignoverit, quod quæ pag. 574. de Acclamationibus gentilium ſcripta pag. 692. & ſeq. fere ſint repetita.

Quamvis poſteriori loco ea ſint paulo auctiora.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google